Folio de Iercio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Estante 54
Plúteo 2

Physica Peripatetica =

Ea 47
C-8
nº-271

Universidad de Deusto
Biblioteca
35
750
8

BENEDICTI PERERII SOCIETATIS IESV,

De Communibus omnium rerum naturalium Principiis & Affectionibus,

LIBRI QVINDECIM.

Qui plurimum conferunt ad eos octo libros Aristotelis, qui de Physico auditu inscribuntur, intelligendos.

Adiecti sunt huic operi, tres Indices, vnus Capitum singulorum librorum, alter Quæstionum, tertius rerum.



05142
Bibliotheca
Facult. Philosophiae
Prov. Cast. Orient. S.I.

de la lamp^a d. Jhus de Dñate

LVGDVNI,
Sumptibus Sib. à Porta.
M. D. LXXXVIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

BIBLIOTHECAE OMNIENSIS SOCIETATIS IESV

Traído de Oña en 1936
a[illegible] de Deusto

BENEDICTI PERERII SOCIETATIS IESV, IN suos de principiis & affectionibus rerum uaturalium libros.

PRÆFATIO.

HOc nostrum opus de cõmunibus omniũ rerum naturaliũ principiis & affectionibus, primam & generalem continet totius Physiologiæ partem: quam Aristoteles, octo libris Physicorũ explicatam, nobis reliquit. In duas autem partes, opus diuisum est: prior pars, quæ est de principiis & caussis rerum naturalium: nouem libris cõprehenditur. Posterior, reliquos sex libros cõplectitur, in quibus generales quædã affectiones, quæ communes sunt omnium rerum naturalium eiusmodi sunt, Quantitas, Locus, Tẽpus, & Motus, explicantur. Ac licèt nobis multas ob caussas (quas hoc loco exponere non est necesse) visum nõ fuerit. Cõmentarios in Aristotelem scribere, quibus eius sentẽtias & verba, sigillatim interpretaremur, sedulò tamen curauimus, vt quicquid Aristoteles iis de rebus, quas hoc opere docemus, vsquã sensit, & scriptum reliquit, variis ex

libris eius colligẽtes, suo quodq. loco, pertractaremus. Quorum autem scriptorum vestigia, in huius operis molitione, persequuti simus, quid etiam de Philosophorũ lectione atq; imitatione sentiamus, quoniã ea ex re intelligi potest, quam nos philosophandi viã & rationem maximè probemus ac sequamur, nũc paucis exponemus. Græcos Aristotelis interpretes Alexãdrũ Themistium, & Simpliciũ, in Aristotelicis sententiis & verbis explanãdis præter cæteros, secuti sumus. Hos enim extra controuersiam est omnium optimè Aristotelem intellexisse, & in eius scriptis interpretandis, diligentissimos & accuratissimos fuisse. Horum fontibus, fateor me hos meos horrulos irrigasse, hoc est, ex doctissimis eorũ commentariis, multa quæ interiorem quandam, & reconditam habent Peripateticæ disciplinæ cognitionem, in hos libros transtulisse. Latinos verò Philosophos, præsertim autẽ. Theologos Scholasticos propter ingenij acumen & vbertatẽ, propter disserendi subtilitatem, denique propter incredibilẽ vim atque copiam argumentorum quibus de omni re proposita in vtramque partem disputare solent, equidem semper sum admiratus in hoc autem opere, nõ rarò etiam imitatus. Quorum disputationibus, has meas cõmentationes neruosiores & robustiores factas esse nõ dubito. Sed D. Thomam eximiũ Philosophiæ decus, & splendidissimum Theologiæ lumen, firmissimumque columen, præ cæteris miramur, & colimus: cuius diuini ingenij monimentis, quãtum nos adiuti & locupleta

cupletati simus, hæc nostra qui legent facilè intelligẽt. Inter Arabes, Auicenna suos quoque amatores, & sectatores habet. Quem ego in Philosophia, nec magnopere laudo nec planè contemno. Fuit is præstãtissimus medicus, fuit etiam (quorundam iudicio) peracutus Metaphysicus, sed eum doctrinæ Aristotelis (quam omnibus Philosophiæ studiosis maximè probatam & cognitam esse oportet) nec valde studiosum, nec admodum intelligentem fuisse constat. De Auerroe, quoniam de eo varias multúmque discrepantes hominum sententias esse video, dicam breuiter, vt sentio. Ego, sicut eos non laudo, qui Auerroem fastidiosè contemnunt, conuitiis lacerant, & veluti pestem ingeniorum, omnibus fugiendum esse clamant, sic contra, quosdam esse, qui eum laudibus in cœlum efferant, & quasi Deum quendam Philosophiæ, colãt eiúsque sententias tanquam oracula diuinitus ædita in veneratione habeant, grauiter doleo, molestéque fero, vtrunque profectò in vitio est, sed illud minus, habet enim vel excusationem ignorãtiæ, vel etiam speciem quandam & vmbram pietatis atque religionis: hoc autem cuiuis Philosopho, turpe est, Christiano autem Philosopho etiam infame. Quid enim turpius, quam vnius hominis, qui labi potuit (& vero in rebus magni momenti non semel lapsus est) decreta omnia pugnaciter defendere, ac mordicus tenere, & quasi tempestate delatos, ad eius doctrinam, tanquã ad saxum aliquod adhærescere? Quid fœdius? quam multas

Auerrois sententias, &, quæ vocant, commenta, tertio quoque verbo vsurpantes, sese iactare, & in his puerilibus nugis, primas sapientiæ suæ partes collocare. Sed dicent, Auerroem fuisse acri ingenio, iudicio graui, & singulari studio ac diligentia, multa subtiliter, & docte scripsisse, omnes pene libros Aristotelis, eruditis commentarius illustrasse, denique, de Peripatetica disciplina esse optimè meritum. Sint ista vt dicunt: negari tamen non potest, Auerroem, interpretando Aristotelem, ob ignorationem linguæ Græcæ, mendosósque codices, & bonorum interpretum penuriam, multifariam hallucinatum esse. De rebus quoque naturalibus, humanis, & diuinis, opiniones eum habuisse certum est, complures quidem falsas, quasdam vero etiã impias, & absurdas. Quid igitur magis à Philosophiæ grauitate, dignitatéque remotum, & alienum esse potest, quàm Philosophum, id est amatorem sapientiæ, quem ad hanc rerum omnium vniuersitatem animo perlustrandam, atque contemplandam, solutum, & liberum esse decet, vnius hominis, non omnium mortalium sapientissimi, quasi vile mancipium, &, vt Poeta quidam ait, seruum pecus effici? verum de Auerroe hactenus. Illud autẽ studiosos Philosophiæ diligẽter intelligere volumus, si magno cum fructu, nulloque veritatis atque pietatis detrimento, Philosophari cupiunt, duos ipsis, hominum de Philosophia male sentientium, errores, vtrumque sanè, meo iudicio, valde pernicioſum, esse fugiendos. Sunt enim nonnulli

nulli, qui propter pauca, quæ in libris Philosophorum reperiunt, à decretis sanctitatéque nostræ religionis aliena, non modo cætera quam plurima verè & vtiliter ab illis tradita reijciunt, sed omnem etiam Philosophiæ cognitionem damnant, & tanquam certam animorum pestem, ex hominum, præsertim Christianorum, societate exterminandam putant. Videlicet isti Philosophiæ rudes, omnísque liberalis doctrinæ expertes, omnes sui similes esse cuperent, quo minus in multitudine ipsorum appareret inscitia. Ac olim quidem Iulianus Augustinus, quo tectior & callidior, eo acrior atque pernicioſior Christianorum hostis, nulla reputauit magis se Christianis obesse, eorúmque religionẽ vehementius labefactare posse, quam si eis omniũ bonarum artiũ studia, interdixisset. Huc quoque spectat Hæreticorum nostri tẽporis artificioſa calliditas, Philosophiam, reconditioréſque disciplinas, Christianis hominibus repudiandas, & execrandas esse clamantium, quo nimirum facilius, homines indocti ac simplices, argumentis quibusdam ipsorum, in speciem modo probabilibus, captioſisque circumuenti atque irretiti in eorum errores pertrahantur. In quo videntur mihi quidem Hæretici, similiter facere, vt feciſſe quõdam Philistæos, diuinæ literæ prodiderunt: qui omnes fabros ferrarios, armorúmque opifices Hebreis abstulerunt, vt inermes, nec bellum illis vltrò auderent inferre, nec illatum ab illis, facile propulsarent. Sed aiunt isti, errasse Philosophos, errarunt sanè, sed sunt

illi quidem errores Philosophorum, non Philosophiæ; hoc est, hominum non scientiæ. Et illos ipsos errores, qui Philosophiam norunt refellere poterunt, qui non norunt, non poterunt. Non eget fides nostra Philosophiæ præsidio, non ea tamen reiicit. Non desiderat humanæ sapientiæ ornamenta; sed ea prorsus non aspernatur. Sua vi tuta & munita est, suaque luce splendet, sed quæ docere & hominibus persuadere studet, ea si rationibus, exemplis, & similitudinibus è Philosophia petitis, quasi aspersa & condita sunt, iucundius audiuntur, facilius intelliguntur, tredũtur promptius constantius retinentur Ac ego quidem mirari soleo, quenquam esse Christianorum hominum, qui Philosophiam, tanquam rem Deo inuisam, sacris literis contrariam & noxiam iis qui Christianam doctrinam profitentur, vituperare audeat. An non sacris literis proditum est, Deum qui (vt Isaias inquit) est Deus docens vtilia, quò suum erga Salomonem bene uolentiam atque liberalitatem, magis illustrem testatámque faceret, amplissimam ei omnium rerum naturalium scientiam dedisse? Nonne cernimus, multos diuinæ scripturæ libros, philosophicarum rerum esse plenos? quos indocti legentes, non intelligunt; docti, quia intelligunt, magno cum fructu & voluptate legunt. Quid clarissima illa Christianæ Theologiæ luna, Basilium dico Dydimum, duos Gregorios Nãzianzenum & Missenum, D. Augustinum, Hierouymum, & in primis D. Thomam Aquinatem, vt nunc omittam

tam Iustinum & Lucianum martyres, Clementum Alexãdrinum, Origenem, Tertullianum Arnobium, aliósque quamplurimos, quo plus Christianis prodessent, magisque Christianam disciplinam munirent, augerent & exornarent, libros à se de rebus diuinis scriptos, quàm multa quàm varia, quàm recondita & exquisita, Philosophiæ, omniúmque doctrinarum cognitione refarsierunt? Verùm, cõtra istos Philosophiæ, vituperatores, & nunc dictum sit satis, & alias fortasse dicetur vberius. Sunt contra, nonnulli, qui diuina, vt vocant, Platonis & Aristotelis ingenia, vberrimámque cunctarum rerum scientiam cum excellenti eloquentia coniunctam, vsque eo sunt admirati & amplexati vt eos, velut numina Deósque Philosophiæ colerent, eorúmque decreta Philosophica, tanta animi assensione complecterentur, vix vt crederent quicquam esse posse probabile quod improbaretur ab illis; aut quod ab illis probaretur, improbabile. Fuit hæc quondam Pythagoreorum vanitas atque superstitio; quibus instar omnium rationum erat, præceptoris auctoritas; & vt quiduis facilè promptéque crederẽt, satis erat, id dixisse Pythagoram; nefásque putabant, cur illud ita esset, velle requirere.

O miseras hominum mẽtes, ô pectora cæca. Quid enim vilius & abiectius aut quæ maior animi cæcitas esse potest, quàm nihil per se sapere nihil iudicare, totum ex alieno sensu iudicióque pẽdere? Nulla duci ratione, sed quasi pecudes, aliorum sententia,

nuticque tãtum, moueri ac regi? Theologus, cuius scie-
tia, Dei, à quo profecta est, auctoritate vtitur atque
fulcitur nec rationum eget præsidiis, humanas tamen
rationes non contemnit aut reiicit Philosophus, cuius
doctrina ex ratione, ortum, incremẽta, robur, omnémque vim suam atque dignitatem habet omni ratione
posthabita, in vnius hominis multarum rerum ignari
multisque vitæ & doctrinæ sordibus inquinati auctoritate conquiescet. Ego multum Platoni tribuo, plus
Aristoteli, sed rationi plurimum. In explicandis Philosophia quæstionibus, disceptandisque controuersiis,
equidem quid Aristoteles senserit diligenter considero, sed multo magis, quid ratio suadeat mecũ ipse perpendo. Si quid Aristotelis doctrinæ congruens & conueniens esse intelligo, probabile duco. si quid autẽ rationi consentaneum esse video, verum certúmque iudico. Itaque in Physiologia, primas iudicio sensuum,
lõga experientia & diligenti obseruatione explorato
atque confirmato, secundas rationi, auctoritate Philosophorum postremas defero. In legendis autem philosophorum libris, temperatum quoddam ac salutare iudiciũ adhibeo. Etenim, pauca illa quæ religoni aduersantur, repudio: alia verò quàmplurimà cum ad vsum
vitæ perutilia, tum ad agnitionem animi, pulcherrima, probo ac retineo: & viros humanarum & diuinarum rerum scientia excellentes, libenter sequor, quæ
Philosophiam cum sacris literis coniungentes, incredibiles vtilitates, maximũq; decus Christianæ religioni attu-

attulerunt. Si Agar & Ismael, Sara & Isaac cõcordes
& obedientes esse velint, maneant in domo Abrahæ:
sin autem insolescant & repugnẽt, rixásque & iurgia
excitent, domo eiiciantur & exulent: sic Philosophi
hactenus legendi & probandi sunt, quoad veritati &
pietati cõsenserint atque inseruierint: sin autem quid
effutierint, diuinis decretis alienum deserendi sunt
ac reiiciendi. Nec mirãdum cuiquam accidat, Platonem & Aristotelem, cæteròqui sapientes viros, &
philosophorum principes, nonnũquã grauiter & turpiter errasse: videlicet, homines fuerunt, quorum erãt
fallaces sensus angusta ingenia, infirma iudicia, vita
multis flagitiis inquinata, mens humanæ insciticæ circumfusa tenebris & cælesti lumine destituta. Quin potius nos immortales Deo gratias agamus qui ea nobis clarissimè patefecit, quæ acutissimos Philosophos
latuerunt. Nec solũ in iis quæ tradit philosophia, quid
nobis probandum sequẽdúmque quid contra repudiãdum & fugiẽdum esset, omnium errorum discussa caligine indicauit: sed etiam earum rerum quæ omnem
humanæ intelligentiæ vim & facultatem superant cognitionem ad quam philosophia aspirare non potest, liberaliter impertiuit. Atque hæc quidem est nostra de
studio Philosophiæ, Philosophorúmq; lectione, & imitatione sententia: quàm initio huius operis præfari &
prædocere voluimus, vt quã nos Philosophiæ formã
maximè probemus quódue philosophandi genus in his
libris secuti simus. notũ omnibus testatũq; faceremus.

INDEX

INDEX LIBRORVM, QVOS HOC OPVS complectitur.

PRimus liber, est de Philosophia.
II. De Philosophia naturali.
III. De via & ordine doctrinę Physicæ.
IIII. De antiquis Philosophis, & variis eorum, circa principia rerum naturaliū, opinionibus.
V. De materia & Priuatione.
VI. De Forma.
VII. De Natura
VIII. De Caussis.
IX. De Fortuna, Casu, & Contingentia.
X. De Quantitate.
XI. De Loco.
XII. De tēpore, Æternitate, & Æuo
XIII. De Natura Motus.
XIIII. De Varietate & prȩcipuis diuisionibus Motus.
XV. De Motus & Mūdi Æternitate.

INDEX.

INDEX CAPITVM QVAE IN SINGVLIS LIBRIS HVIVS OPEris continentur.

Capita primi libri de Philosophia.

Cap. I. DE nomine Sapientis & Philosophi, & quid sit Sapiētia, & Philosophia? qualem item deceat esse Sapientem atque Philosophum.
II. Ponitur diuisio Philosophiæ in speculatiuam, & practicam: & declaratur significatio illorum vocabulorum (practicum & speculatiuum.)
III. Explicatur primo, ratio supradictæ diuisionis: deinde cuiusmodi sint scientiarum differentiæ (practicum & speculatiuum.
IIII. Declaratur, vtra pars magis mereatur nomen scientiæ, & vtra sit prior, certior, ac nobilior.
V. Traditur diuisio Philosophiæ speculatiuæ in Physicam, Metaphysicam, & scientias Mathematicas.
VI. Explicantur aliquot dubitationes.
VII. Soluitur alio modo tertia dubitatio.
VIII. Quid de eo quod tangitur quarta dubitatione, nonnulli Philosophi opinentur.
IX. Explicatur quinta dubitatio.
X. Contra ea quæ dicta sunt ponuntur nonnullæ dubitationes.
XI. An scientia speculatiua vniuocè dicatur de illis tribus, Physica, Metaphysica, & Mathematicis disciplinis.
XII. Scientiam speculatiuam non dici vniuocè de Mathematicis disciplinis, & aliis, quoniam doctrina Mathematica non est proprie scientia.
XIII. Reliquas scientias propriè subalternari Metaphy. opinio quorundam.

Contra

XIIII. Contraria opinio magis probatur.
XV. Prædocentur quædam necessaria ad solutionem rationum priorum opinionum, & soluuntur rationes.
XVI. Quæ illarum trium scientiarum sit nobilissima & certissima.
XVII. Quæ illarum trium scientiarum sit prima.
XVIII. Exponitur diuisio Philosophiæ practicæ.

Capita libri II. De Philosophia naturali.

Cap. I. QVod sit subiectum Physicæ, opinio D. Thomæ.
II. Exponuntur aliæ opiniones de subiecto Physicæ.
III. Ponitur quinta opinio, subiectum Physicæ esse corpus mobile, seu naturale, quæ magis probatur.
IIII. Differentia inter Medicum & Physicum: & an Medicina subalternetur Physicæ, & cuius sit ponere, discrimen inter scientias.
V. Memorantur causſæ, & principia, affectiones item, & species corporis naturalis.
VI. Inter species corporis naturalis, quæ sit omnium præstantissima.
VII. Enumeratio partium Philosophiæ naturalis.
VIII. De Quarto libro Meteorologico.
IX. De vtilitate, & iucunditate Philosophiæ naturalis.
X. Declaratur inscriptio octo librorum Physicorum, quæ est περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, hoc est de naturali auditu: & disputatur de libris Acroamaticis & Exotericis.

Capita libri III. De via & Ordine doctrinæ Physicæ.

Cap. I. AGitur de significatione illorum trium vocabulorum (principium) (causa) & elementum)
II. Quæ genera causſarum tractet Physicus.
III. An scientiæ Mathematicæ tractent vllum genus causſæ.
IIII. An præstantissima illa demonstratio, quæ ab Aristotele describitur priori libro Poster. vel solum, vel maxime reperiatur in disciplinis Mathematicis.
V. An cognitio omnium causſarum, necessaria sit ad perfectam scientiam rerum naturalium: & primò agitur de cognitione substantiæ.

Expla

VI. Explanatio textus secundi, primi libri Physicorum.
VII. Confutantur, qui aliter exponunt (notum secundum naturam.) & docetur, cur via procedendi à notioribus secundum nos, dicatur esse nobis innata, vel naturalis.
VIII. In rebus naturalibus permulta reperiri, quæ sint nota nobis simul, atque secundum naturam.
IX. An demonstrationes Mathematicæ maxima ex parte constent ex his, quæ sunt nota nobis, & secundum naturam.
X. Expenditur interpretatio secundi textus, & aliorum sequentium, tradita à D. Thoma & Alexandro Aphrodiſæo.
XI. Explanatur textus quarti (Quapropter ex vniuersalibus ad singularia procedere oportet.
XII. Cur magis vniuersalia sint nobis notiora, & quomodo hic sumatur nomen vniuersalis.
XIII. Explicantur dubitationes duæ, circa id quod dictum fuit (magis vniuersalia esse notiora nobis.)
XIIII. Introducitur quæstio (de primo cognito) & exponitur opinio Scoti.
XV. Discutitur opinio Thomistarum, qui volunt primò cognitum esse ens.
XVI. Opinio aliorum, qui volunt singulare esse primò cognitum.
XVII. Secundum propriam opinionem ostenditur singulare per se distinctè cognosci ab intellectu.
XVIII. Quibus rationibus ostendant aliqui, singulare non cognosci per se, ac primo, ab intellectu nostro.
XIX. Soluuntur supradictæ rationes.

Capita libri IIII. de antiquis Philosophis.

Cap. I. QVàm sit vtilis consideratio variarum opinionum de variis sectis Philosophorum.
II.
III. Explicatur, quo tempore floruerint nonnulli ex præcipuis Philosophis sed prius agitur de ratione Olympiadum, quarum cognitio ad exponenda illorum Philosophorum tempora mirificè confert.
IIII. Exponitur duodecim clarissimorum Philosophorum Chronographia.
V. Opinio eorum, qui dicentes omnia esse vnum ens immobile, omnem principij rationem de medio tollunt.
VI. Opinio eorum, qui faciunt vnum principium omnium rerum naturalium.

Opinio

Universidad de Deusto
Biblioteca

VII. Opinio eorum, qui faciunt principia multa quidē, sed finita, præcipuè autem Pythagoreorum.
VIII. Declaratur opinio Anaxagoræ.
IX Opinio Democriti Leucippi, & Epicuri.
X. Reprehenditur Simplicius, qui conatur ostendere omnes supradictas opiniones veterum Philosophorum veras esse atque inter se consentientes.
XI. Refellitur ab Arist. opinio eorum, qui dicunt omnia esse vnum ens immobile.
XII. Rationes Xenophanis soluuntur secundum Aristotelem.
XIII. Soluuntur rationes Melissi.
XIIII. Refutatur ab Arist. argumentatio Parmenidis.
XV. Explicatur sententia Platonis de non ente.
XVI. Defenditur opinio Parmenidis, Xenophanis, & Melissi.
XVII. Contra eos, qui faciunt vnum aliquod corpus principium rerum.
XVIII. Contra eos, qui multa, sed finita faciunt principia.
XIX. Refellitur opinio eorum, qui faciunt infinita principia & primùm Anaxagoræ, deinde Democriti.
XX. Vniuersè indicantur errata veterum Philosophorum, quibus tamen ignoscere, quin etiam gratias agere oportet.

Capita libri V. de materia & Priuatione.

Cap. I. De laudibus Aristotelis.
II. Quæ Aristoteles de principiis rerum naturalium, & quibus locis, scripta reliquerit.
III. De variis significationibus, & vocabulis Materiæ, apud Philosophos vsitatis.
IIII. An sit necessaria Materia in rebus naturalibus.
V. De creatione.
VI. An vis creandi in solo Deo insit, ita vt nulli creaturæ communicari queat.
VII. An creatio admittenda sit secundum Arist. doctrinam & an lumine naturali cognosci possit.
VIII. Ponuntur quædam obiectiones contra ea, quæ dicta sunt de creatione.
IX. De materia cæli opinio Egidij.
X. Refellitur opinio Egidij.
XI. Quid sit Materia.
XII. Refellitur insignis quorundam error, qui dixerunt Deum esse materiam primam.

Materiam

XIII. Materiam ex se habere existentiā, propter quam est in rebus.
XIIII. Opinio eorum, qui inducunt formam corporeitatis materiæ coæternam.
XV. Hanc opinionem esse contra Auerroem & Arist.
XVI. Opinionem de forma corporeitatis esse contra veritatem.
XVII. Explicantur tres dubitationes.
XVIII. Quantitatem interminatam immediatè inhærere materiæ primæ.
XIX. Opinio & argumenta eorum, qui contra sentiunt, & oppugnāt dimensiones interminatas.
XX. Soluuntur supradictæ rationes.
XXI. Propter quid sit materia, & de potentia eius duplici.
XXII. Dubitationes contra ea quæ dicta sunt de potentia materiæ.
XXIII. De Priuatione.
XXIIII. Soluuntur & explicantur supradictæ octo dubitationes.

Capita Libri VI. de forma.

Cap. I. De formæ nominibus, & varietate.
II. An sit & quid sit forma.
III. Qualis sit forma naturalis
IIII. De forma relata ad materiam.
V De forma relata ad compositum & primò an forma sit prior. & nobilior composito.
VI. Secunda quæstio. An forma sit tota quiditas rei compositæ.
VII. Altera opinio veterum Peripateticorum aientium totam quiditatem rei in forma eius rei contineri.
VIII. Soluuntur rationes prioris sententiæ, & sententia auctoris aperitur.
IX. Exploditur opinio eorum qui putant distinctionem numericam prouenire à quantitate
X. Non esse principium indiuiduationis illam Scoti Hæceitatem.
XI. Principium indiuiduationis non esse materiam signatam quantitate.
XII. Vnitatem & distinctionem indiuiduorum principaliter esse à forma substantiali.
XIII. De forma relata ad suos effectus, ac primum de existentia, quæ est effectus formalis ipsius.
XIIII. Quarta quæstio. An existentia distinguatur realiter ab essentia, & primum exponitur opinio D. Thomæ.
XV. Refellitur supradicta opinio & demonstratur existentiam re nō distingui ab essentia.

Universidad de Deusto - Biblioteca

XVI. Soluuntur rationes quibus probabatur. existentiam re distingui ab essentia.
XVII. De altero effectu formæ, qui est operatio.
XVIII. An sit aliqua forma Physica separabilis à materia, & de immoralitate animæ rationalis secundum doctrinam Platonis.
XIX. Animum nostrum esse immortalem etiam secundum doctrinam Aristotelis.
XX. Probatur immortalitas animæ rationalis rationibus Philosophicis.
XXI. Animam rationalem esse veram & naturalẽ formã hominis.
XXII. Exponitur secũda ratio qua simpliciter probatur animam rationalem nullo modo esse asistentem.
XXIII. Explicatur tertia ratio qua contra Asistentiam animæ rationalis quam Auerroistæ finxerunt acriter disputatur.
XXIIII. Refellitur opinio Platonicorum de numero quodam definito Animarum rationalium à principio mundi constituto.

Capita libri VII. de Natura.

Cap. I. DEclaratur nomen Naturæ & quot modis dicatur esse aliquid naturale.
II. De differentiis inter res naturales, & artificiales.
III. An forma artificialis sit principium alicuius motus: & an re differat à subiecto in quo efficitur, & inhæret.
IIII. Declarantur particulæ definitionis Naturæ.
V. Explicantur quatuor Dubitationes.
VI. Prima quæstio, An definitio Naturæ conueniat Cælo.
VII. Explicatur vera sententia refellendo supradictas opiniones, & demonstrando motum cæli esse naturalem.
VIII. Refelluntur qui putant Intelligentiam esse veram formam & naturam cæli.
IX. Soluuntur rationes primæ sententiæ eorum. qui negant definitionem naturæ conuenire cælo.
X. Soluuntur rationes secundæ opinionis.
XI. An definitio naturæ conueniat animæ, præsertim autem animæ rationali.
XII. An anima rationalis sit natura.
XIII. In quibus rebus naturalibus. & respectu quorum motuum, Natura sit principium actiuum, & passiuum.
XIIII. In quibus rebus natura sit principium actiuum alterationis.
XV. An natura in Elementis sit principium actiuum motus localis quo lis, quo ipsa naturaliter mouentur.
XVI. Secunda sententia quod nimirum alimentum moueatur à se tanquam probabilior confirmatur.
XVII. An natura quæ hic definitur sit non solum forma, sed etiam materia, & an vtrique nomen naturæ conueniat vniuocè.
XVIII. An in composito naturali, præter materiam, & formam, sit quædam alia tertia natura rediuersa à partibus.
XIX. Exponitur secunda opinio ponentium distinctionem realem inter totum & partes.
XX. Tertia opinio eorum, qui negant totum re distingui à suis partibus.
XXI. Soluuntur rationes secundæ opinionis.
XXII. Soluuntur rationes tertiæ opinionis

Capita libri VIII. de Caussis

Cap. I. DE numero caussarum.
II. Explicantur definitiones & caussalitates singularum caussarum.
III. Explicantur tres Dubitationes.
IIII. An in iis quæ agunt per intellectum, finis causset prout habet esse in anima, an prout habẽt esse extra animam in ipsis rebus.
V. An inter caussam efficiẽtem, & finem sit necessaria connexio.
VI. An omnes caussæ sint inuicem necessario connexæ.
VII. An caussa vniuersalis præsertim autem prima quæ est Deus, necessario concurrat actu cum caussa particulari, ad quemlibet eius effectum, & operationem.
VIII. Exponitur, & probatur opinio D. Thomæ, quæ est vera.
IX Soluuntur argumenta contraria.
X. Explicantur duæ Dubitationes.
XI. An accidens possit producere substantiam.
XII. Explicatur opinio D. Thomæ, accidens in virtute substantiæ posse producere substantiam.
XIII Tertia opinio probabilior cæteris ponitur, & soluuntur rationes contrariæ.
XIIII. Enodantur quatuor aliæ dubitationes.
XV. An idem numero effectus à multis caussis possit effici.
XVI. Quæ generantur ex semine, & ex putri materia, an sint eiusdem speciei. Ac primo examinatur opinio Auicennæ.
XVII. Declaratur secunda opinio, quæ est Auerrois
XVIII. Explicatur tertia opinio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XIX. An possit verum aurum effici per artem alchymisticam ac primo quod non possit effici opinio multorum exponitur.
XX. Declaratur opinio eorum, qui defendunt Alchimiam.
XXI. Explicatur breuiter opinio auctoris,

Capita libri IX. de fortuna casu & contingentia.

Cap. I. Refellitur opinio eorum qui penitus auferunt de rebus fortunam, & casum.
II. Soluuntur rationes supradictæ opinionis.
III. An in rebus sublunaribus aliquis effectus naturalis possit casu contingere respectu cæli.
IIII. Opinio aliorum qui negant vllum effectum simpliciter naturalem, casu euenire posse respectu cæli.
V. An fortuna sit diuinum aliquod numen, vt vulgò putatur.
VI. Exponitur definitio Fortunæ.
VII. Exponitur vltima pars definitionis Fortunæ, & expenditur opinio Auicennæ aientis fortunam versari in iis quæ sunt ad vtrumlibet.
VIII. Ponuntur dubitationes contra definitionem Fortunæ.
IX. Soluuntur supradictæ dubitationes.
X. De casu vel potius de Monstris, quæ vulgò putantur casu euenire.
XI. De Contingentia.
XII. Probatur esse in rebus contingentiam.
XIII. Soluuntur rationes negantium contingentiam.
XIIII. Quæ sit caussa contingentiæ secundum alios scriptores.
XV Quæ sunt veræ ac propriæ caussæ cuiuslibet contingentiæ, quæ in rebus naturalibus reperitur.

Capita libri X. de Quantitate.

Cap. I. An quantitas re distinguatur à substantia.
II Ponitur alia opinio, eorum qui negant quantitatem re distingui à substantia.
III. De superficie, linea, & puncto, an sint extra animam, & an sint inter se realiter distincta.
IIII. Quod puncta, lineæ, superficies sint entia positiua, & inter se realiter distincta.
V. Declaratur opinio aliorum, qui contra sentiunt.
VI. Soluuntur supradictæ rationes secundæ opinionis & aperitur auctoris sententia.

Demon

VII. Demonstrantur non esse in rebus infinitum secundum multitudinem aut magnitudinem.
VIII. Ponuntur octo dubitationes contra id quod concluſum fuit.
IX. Soluuntur supradictæ Dubitationes.
X. An infinitum possit effici à Deo.
XI. Ponitur propria opinio, & soluuntur argumenta Gregorij.
XII. An continuum sit diuisibile in infinitum.
XIII. Viginti rationibus ostenditur continuum non componi ex indiuisibilibus, & esse in infinitum diuisibile.
XIIII. Soluuntur rationes contrariæ, quibus tollebatur infinita continui diuisibilitas.
XV. De infinitate continui secundum diuisionem & additionem.
XVI. Dubitationes aliquot circa textus. 67. 68. & 69. libri tertij Physicorum explicantur.
XVII. De abstractione Mathematicæ quantitatis.
XVIII. Explicatur altera sententia eorum, qui aiunt quantitatem Mathematicam simpliciter abstractam esse ab omni substantia, & præfertur priori sententiæ.
XIX. de Quadratura circuli, an sit scibilis, vel possibilis.
XX. Refellitur opinio Zimaræ, & eorum, qui negant Quadraturam circuli possibilem esse.
XXI. Soluuntur rationes contrariæ.
XXII. De Maximo, & Minimo.
XXIII. Ponuntur nonnullæ propositiones, quibus explicatur quæstio de Maximo, & Minimo.

Capita libri XI. de loco.

Cap. I. Explicatur quinque proprietates loci, quæ sunt continere locatum, trahere ad se, conseruare, dare vnitatem & distinctionem motui locali & esse immobilem.
II. Quomodo locus sit immobilis secundum opiniones aliorum.
III. Exponitur, & confirmatur alia sententia de immobilitate loci, quæ videtur cæteris probabilior.
IIII. Explicatur opinio eorum qui censent locum esse quoddam interuallum.
V. Refellitur opinio eorum, qui existimarunt locum esse interuallum.
VI. Ponuntur multæ obiectiones contra id, quod dicit Aristoteles, nimirum, locum esse superficiem.
VII. Soluuntur supradictæ obiectiones.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VIII. Quis sit locus primi & supremi cæli, variæ Philosophorum opiniones, ponuntur & refutantur.
IX. Exponitur propria opinio de loco cæli.
X. An si esset vacuum in eo motus localis in tempore fieri posset.
XI. Exponuntur octo hypotheses, quæ ad defensionem, & confirmationem sententiæ Aristotelis de vacuo, plurimum conferunt.
XII. Probatur motum localem non posse fieri in vacuo.

Capita libri XII. de tempore æternitate & æuo.

Cap.I. Disputatur contra eos, qui putant tempus non esse ens reale: & contra eos, qui censent esse ens reale, realiter distinctum à motu.
II. Explicatur definitio illa temporis. Numerus motus secundum prius, & posterius. & primo loco exponitur illa prima particula. Numerus.
III. Non esse addendum in definitione temporis, ipsum esse numerum motus & quietis.
IIII. Declarantur duæ aliæ particulæ definitionis, nimirum Motus & Secundum prius & posterius.
V. Quid sit Duratio.
VI. De varietate durationis, quæ nascitur ex varietate ipsius existentiæ.
VII. De varietate durationis, quæ oritur ex quantitate ipsius existentiæ.
VIII. De Æternitate, & primum de variis significationibus huius vocis Æternum.
IX. Declaratur quid sit æternitas.
X. An æternitati conueniat ratio mensuræ.
XI. De Æuo.
XII. Refellitur opinio D. Bonauenturæ.
XIII. In quo sit ratio Æui secundum D. Thomam, & secundum Scotum.
XIIII. An sit vnum æuum omnium æiternorum, an multa, recensetur opinio D. Thomæ.
XV. Explicantur eadem de re opiniones Henrici, Scoti, Ochan Durandi.
XVI. Exponitur sententia auctoris.
XVII. De tempore discreto, opinio Thomistarum.

Capita

Capita libri XIII. De natura Motus.

Cap.I. In quo Genere seu Categoria sit motus.
II. Explicatur definitio motus tradita ab Arist. 3. Phy. tex. 6.
III. Soluuntur supradictæ quatuor dubitationes.
IIII. Exponuntur reliquæ particulæ definitionis motus.
V. Explicantur decem magni momenti dubitationes, quæ circa definitionem motus existunt.
VI. An actio & passio re differant inter se, an ratione tantum.
VII. Actionem non esse in Agente, nec re distingui à passione.
VIII. Soluuntur rationes Scotistarum.
IX. De terminis Motus tractantur decem celebres quæstiones.
Quæst.I. An omnis motus requirat terminos.
II. An omnis motus requirat duos terminos.
III. An in vno motu possint esse plures termini quam duo
IIII. An termini motus debeant esse diuisibiles.
V. An termini motus debeant esse oppositi inter se.
VI. An terminus à quo, debeat specie differre à termino ad quem.
VII. An abiectio termini à quo, & acquisitio termini ad quem sint vnus motus numero.
VIII. Ab vtro termino sumenda sit vnitas motus.
IX. Vnde petenda sit contrarietas motuum.
X. An motus re differat à termino ad quem.

Capita libri XIIII. de variis Diuisionibus motus.

Cap.I. Generationem & corruptionem non esse motus propriè dictos.
II. De tribus speciebus motus propriè dicti, hoc est, de augmentatione, motu locali, & alteratione.
III. Tractatur secunda diuisio motus in naturalem & violentum.
IIII. De caussa motus violenti eorum quæ proiiciuntur.
V. Refellitur opinio faciens caussam motus proiectorum, virtutem quandam impressam proiectis.
VI. Exponitur tertia diuisio motus in partes eius quantitatiuas, & agitur de continuitate motus.
VII. De duplici genere partium motus, altero secundum extensionem: altero autem secundum successionem.
VIII. An continuatio & successio sit de essentia motus, an potius

sint

Universidad de Deusto
Biblioteca

sint eius accidentia.

IX. De variis modis incipiendi & desinendi quos habent res naturales.

Capita libri XV. de motus & Mundi æternitate.

Cap. I. PONuntur duo fundamenta, quibus maximè nititur solutio argumentorum quæ sunt pro æternitate mundi.

II. Exponuntur, & refelluntur argumenta duodecim, quibus Aristoteles vtitur ad æternitatem mundi & motus comprobandum, ex variis eius locis deprompta.

III. Respondetur ad argumenta Aristotelis,

IIII. Viginti argumenta Procli pro æternitate Mundi, & solutiones eorum.

V. An Plato senserit Mundum ortum esse, & aliquando cæpisse. an potius sempiternum esse, atque ortu interituque carere,

VI. Duodecim argumenta Auerrois pro Mundi æternitate.

VII. Soluuntur Auerrois argumenta

VIII. Duodecim alia argumenta pro æternitate Mundi.

IX. Supradictæ rationes soluuntur.

X. An Mundus potuerit esse ab æterno, variæ Theologorum opiniones, ac prima omnium Henrici, & Philoponi, æternitatem creaturæ repugnare agentium, opinio explicatur.

XI. Secunda opinio Durandi, æternitatem repugnare rebus corruptibilibus non autem incorruptibilibus.

XII. Tertia opinio D. Thomæ, & Nominalium, omnem creaturam potuisse fieri ab æterno.

XIII. Exponitur Authoris sententia.

DE

DE PHILOSOPHIA

LIBER PRIMVS.

De nomine sapientis, & Philosophi & quid sit sapientia, & Philosophia: qualem item deceat esse sapientem atque Philosophum.

CAPVT PRIMVM.

SAPIENTES olim dicebãtur, quicunq; contemptis rebus his, quas vulgus maximè concupiscit & admiratur, & à rerum ciuilium administratione remoti, se totos ad studiũ veri cognoscendi & admirabilium occultarúmque rerum inquisitionem atque perceptionem cõtulissent. Hoc autem Aristoteles libro sexto Ethic, aperte declarat his verbis, *Anaxagoram, Thaletem, cæteros; tales veros sapientes quidem esse dicunt prudentes verò minimè cùm videant eos quæ sibi vtilia sunt ignorare atque fatentur eos recõdita, eximia, admirabilia, & diuina quædam tenere, sed inutilia, quia humana bona non quærunt.* In eandem sentẽtiam multa præclarè scribit Plato, cuius verba refert Eusebius lib. 12. de præparat Euangelica cap. 20. Verùm, quoniam multi gloriæ aut quæstus cupiditate, profitebantur & prædicabant se sapientes esse, qui veræ sapientiæ nõ solidam & expressam effigiem, sed vmbram tantùm & imaginem tenebant, primus omnium Pytagoras, vt talium hominum comprimeret arrogantiam, & ostenderet arduam esse adeptionem possessionémque sapientiæ, noluit σοφὸς. id est sapiens, sed φιλόσοφος hoc est sapientiæ studiosus appellari. Hac autem de re sermonem, quem Pythagoras habuisse dicitur cum Leonte Phyliasiorum principe, eleganter Cicero præscripsit in quinta Tusculana. Hoc igitur discrimen Philosophi & Sapientis secuti tam Platonici quàm Stoici, aliter sapientiam definierunt atque Philosophiam. Plato quidem, vult sapientiam esse perfectam Dei cognitionem cum

Qui dicebantur olim sapientes.

Variæ de scriptiones sapientum

tiæ ac Philosophiæ secundū variasPhilosophorum sectas.

puro eius cultu & religione cōiunctam:Philosophiam autem variè describit, nunc secundum etymologiam nominis appellans eam studium sapientiæ; interdum solutionem animi à corpore, seu commentationem mortis; nonnunquam etiam conuersionem animi ad ea quæ vera sunt & diuina.Stoici (authore Plutar. in 1.lib.de placitis Philosophorum cap.1.)definierunt sapientiam esse diuinarum & humanarum rerum scientiam: Philosophiam autem,accommodatæ ad vitam artis meditationem;atque hanc vnam esse & eandem summam virtutem. Aristot.Philosophiam ait esse scientiam contemplatricem veritatis, ita scribens in 2. lib. Metaph.text.3. *Rectè se habet Philosophiam scientiam veritatis contemplatricem appellare.*Idem auctor est in lib.6.Ethicorum;nomen sapientiæ aliquando tam latè patere, vt attribuatur etiam artibus mechanicis.Etenim Phydiam &Polycletum,sapientes dicimus;illum lapidum sculptorem, hunc fictorem statuarum.Attamen propriè tale nomen non conuenit, nisi in scientiam omnium limatissimam & absolutissimam,quę versatur in rebus prę claris,atque diuinis;nec modo considerat ea,quę manant ex principiis,sed etiam ipsorum principiorum,vim & rationem edocēs, omnium scientiarum quasi fontes aperit.Hanc sapiētiam Arist. in libris Metaph.proprio nomine vocat primam Philosophiam eáque à Philosophis dicitur Metaphysica,quæ est scientia declarans primas causas,primáque principia entis,vt ens est,ac eorum quæ tali enti per se insunt;& primas,perpetuas, immutabilésque substantias, quæ à sensibus intelligentiáque nostra remotissimæ sunt,mortalibus patefaciens.Quantùm verò laudis & honoris de ferendum sit sapientiæ, & Philosophiæ, prælarè ostendit Arist. multis locis,nam in 1.Metaph.lib.cap.2.ait hanc vnam omnium scientiarum esse verè liberam, & sui gratia, nec eius possessionem humanam esse,sed diuinam:hanc solum Deum perfectè habere, eamque solam de Deo agere.alias disciplinas fortassis vtiliores & magis necessarias esse posse,pręstantiorem vero nullam In 6.Metaphys.text.2.inquit scientias speculatiuas præstare aliis, speculatiuarum autem hanc esse præstantissimam. In sectione 30. Problem.10. scribit ideo veteres non statuisse præmium aliquod sapientiæ veluti certaminibus, quoniam propter eximiam sapientiæ præstantiam, nec idoneus iudex eius reperiri, nec satis dignum præmium constitui potest.In 9.lib.Ethic.affirmat Philosophiam tanti esse,vt his à quibus eam accepimus,nec honorem,nec mercedem vllam parem referre possimus,non secus ac diis & parentibus.Ac mihi quidem videtur,si cuiusuis scientiæ præstantia,ex rebus eis subiectis potissimùm æstimari debet

De præstātiaPhilosophiæ.

bet,quantùm Deus,intelligentięq;præstāt cæteris rebus, tantùm planè sapientiā,dignitate reliquis scientiis anteire. Verùm,quia de sapientia satis dictum est, deinceps qualis esse debeat sapiens & Philosophus,exponamus.

Qualis es se debeat sapiens secundū Platonem, Aristotelem Stoicos & alios.

Plato in 5.& 6.de Rep.vult eum qui futurus est Philosophus,sic informatum esse à natura, vt habilis;& idoneus sit ad percipiendas omnes disciplinas: excellens ingenio, memoria & iudicio. Deinde vt vehementer oderit,atque horreat mendacium,quippe cum futurus sit defensor,magister,& interpres veritatis:Tum, vt habeat sedatas omnes perturbationes,& appetitum rationi obedientem,qui nisi perdomitus fuerit, & veluti iniecto fræno in gyrum rationis ductus, magnam partem animi sæpe detorquet & à contemplatione cognitionéque veritatis abducit:Ad hæc oportet eum esse amantem temperantię, liberalitatis, & iustitiæ; nam qui est vitiorum sordibus inquinatus,indignus est qui in purissimum sapientiæ domicilium admittatur:Ad extremum,non debet animi studium atque intelligentiam ponere in rebus singulis quæ in generatione,interitu,aliisq; mutationib. continentes versantur,sed defigere mentis aciem & vim in propriam cuiusque rei formam & ideam,non considerare quæ sunt talia participatione,sed quod est per se tale invnoquoq; genere,vt si quę ratur quid sit bonum aut pulchrum, non attendere animum ad eas res quæ vulgo dicūtur bonæ aut pulchræ, sed ideam pulchritudinis,hoc est rationem eius, quasi per se cohærentem, animo contueri. Atque huic documento Platonico, id valde congruit quod Arist.ait in Problem.Sectione 18.Problem.5.& sectione 30. Problem.8. scribens, Philosophum ea re distingui ab Oratore, quòd ille considerat quid sit iustitia, aut tyrannis;hic autem cogitat an hic vel ille homo sit iustus,& tyrannus:ille species & formas rerum speculatur;hic verò perscrutatur tātummodo eas res, quæ talium formarum sunt participes. Sapientem autem Stoicum Cicero scitè depingit in oratione pro Murena ad hunc modum, *Fuit quidam summo ingenio vir,cuius inuentorum æmuli,Stoici nominantur. Huius sententiæ sunt & præcepta huiusmodi:sapientem gratia nunquam moueri:nunquam cuiusquam delicto ignoscere:solos sapientes esse:si distortissimi sint,formosos:si mendicissimi,diuites:si seruitutem seruiāt reges:sapientem nihil opinari:nullius rei pœnitere:nulla in re falli: sententiam mutare nunquam* Arist.in 1.lib.Metaphy.cap.2.pulchrè declarat cuiusmodi oporteat esse sapientem. *Oportet,inquit,sapientem nosse omnes res quoad eius fieri possit, non quidem speciatim, sed vniuersè:tum scire difficillima quæq;& occultissima:nam quæ sensibus subiecta sunt & patent omnibus cognoscere, non facit hominem sapientem.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

deinde habere non popularem & adumbratam notitiam rerum, sed exquisitã & omnibus numeris suis absolutam, quam & ipse quam rectissimè teneat, & alios ritè docere valeat. Ad hæc, proprium est sapientis, imperare & præscribere aliis, quid facere conueniat: sapientiam autem oportet esse scientiam, quæ non propter aliud expetatur, vti sunt hæ disciplinæ quæ in actione effectionéq; versantur, sed quę per se & solius cognitionis gratia quæratur. Alij putant triplex esse munus sapientis, vnum de quauis re subtiliter & aptè disputare posse: Alterum eorum quæ in vnaquaque re insunt, causas omnes non modò proximas, sed etiam maximè generales & primas, perspectas atq; cognitas habere: Tertium aperire primos fontes omnium dubitationum, carúmq; solutionẽ ritè tradere. Quid igitur sit sapientia, & Philosophia; vnde item manarit nomen sapientis, & Philosophi; & qualem esse deceat vtrunque, ita dictum sit. Nos autem deinceps vniuersè agemus de Philosophia, quæ continet scientias speculatiuas & practicas cuius prima & maximè generalis diuisio, primo loco tractanda est.

Ponitur diuisio Philosophiæ in speculatiuam, & practicam, & declaratur significatio illorum vocabulorum (practicum) & (speculatiuum.)

CAP. II.

Diuisio Philosophiæ secũdum Platonicos, Stoicos & Peripateticos.

TRipartita illa diuisio Philosophiæ in naturalem, moralem, & logicam, hoc est rationalem seu sermocinalem, est sanè peruetus à Platonicis, Stoicísque profecta; vt videre licet apud Ciceronem 1. Academ. q. Plutarchum lib. 1. de placitis Philosophorum c. 1. Alcinoum in lb. de doctrina Platonis c. 3. Diogenem Laertiũ invita Platonis. D. Aug. lib. 8. de Ciuitate Dei c. 4. Euseb. de præpar. Euang. lib. 11. c. 1. vbi citat pulcherrimum quendam locum Aristot. in huius diuisionis Platonicæ commẽdationem ex lib. 7. de Philosophia, quod opus nunc non extat; & sequenti cap. affirmat talem diuisionem manasse ex Hebræis. Hæc tamen diuisio Peripaticis non probatur, quippe qui logicam submouent à partibus Philosophiæ, eamque censent non tam esse scientiam, aut Philosophiæ partem, quam modum sciendi & instrumentum Philosophiæ, de qua re nos infra dicemus. Quamobrem nos qui horum disciplinę conuenienter Philosophari studemus, primam & generalem Philosophiæ diuisionem bimembrem facimus in speculatiuam & practicam, quam Arist. innuit 2. Metaph. tex. 3. Cur autẽ Arist. & Theophrastus ita diuiserint bipartito Philosophiam, exponit Plutarchus eo loco, quem supra posui. Vt igitur diuisio hæc planè intelligatur, primùm

primùm explicanda est significatio illorum vocabulorum (practicum) & (speculatiuum) postea dicendum est, vnde talis diuisio ortum habeat; tum cuiusmodi sint differentiæ scientiarum; ad extremum, tractanda est comparatio inter Philosophiam practicam & speculatiuam. Ac de practico quidem & speculatiuo multa disserunt Theologi circa Prologum sententiarum, multa item Philosophi super 6. lib. Metaph. Arist. sed nos ea tantum, quæ olent doctrinam Peripateticam, nec sunt aliena instituto nostro, paucis exponemus.

Quid sit scientia speculatiua & practica.

Speculatiua scientia (vt nunc ruditer dicam) ea est, quæ res sibi subiectas docet nos tantummodo scire & contemplari, vt Physica, Cælum; Geometria, Triangulum; Metaphysica, Deum. Vnde speculatio est actio intellectus, cuius finis est sola cognitio eius rei circa quam versatur: vel quę in sola cognitione veri consistit, nec vlterius progreditur, aut per se dirigitur ad aliquam actionem seu opus. Quocirca Arist. in 6. Ethic. & 3. de Anima 46. inquit mentem seu intellectum speculatiuum nihil mouere, quoniam non intelligit ea quæ possint cadere sub appetitum & actionem nostram: quare principia nostrarum actionum & motuum, sunt appetitus & intellectus practicus. Scientia verò practica est, quæ res circa quas versatur, non solùm docet nos scire, sed præcipuè operari vel facere, vt finis scientiæ practicæ non sit scire, aut cognoscere verum, sed actio seu opus aliquod. Nonnulli Arabes, in quibus est Algazel 1. lib. suę Philosophiæ cap. 1. definiunt doctrinam practicam esse scientiam earum rerum, quæ fiunt à nobis: quæ definitio, nisi quid aliud addatur, vitiosa est, vt pote quæ conueniat etiam in aliquam scientiam speculatiuam, vti est scientia animæ, quæ speculatiua est: tamen agit de operationibus animæ quæ efficiuntur à nobis, cuiusmodi sunt, ali, sentire, intelligere, appetere. Quamuis ergo, tam speculatiuæ scientiæ, quàm practicæ, proximus & proprius actus sit scire & intelligere (quæ enim potest esse alia operatio scientiæ quàm scire? & itellectus quam intelligere?) tamen in eo est discrimen, quod ipsum scire, qui est actus speculatiuæ scientiæ, per se intenditur ac expetitur, nec refertur alio: scire autem quod proficiscitur à scientia practica non expetitur per se, sed propter aliud, ad agendum. n. faciendúmve aliquid totum planè refertur, vt in Philosophia morali, Medicina & artibus mechanicis perspicuum est. Praxis autem, nomen (vnde practica nomen inuenit) latè patens, cõplectitur actionem & effectionem. Quid autẽ inter actionem & effectionem intersit, Arist. declarat in 1. li. magnorum moralium c. 33. & in 6. Ethic. vbi agit de arte & prudentia. Actio. n. est operatio, postquam nullum

Universidad de Deusto
Biblioteca

existit opus vt omnes actiones morales virtutum. Effectio verò est operatio relinquens aliquod opus: vel perquam perficitur ali quod opus, quod, expleta finitaq; operatione manet & extat, vt cernimus in exędificatione domus. Est autem praxis, operatio hominis non quælibet, sed quæ subest voluntati & arbitrio eius, & cum subiaceat errori, indiget habitu quodam, qui insidens & inhærens in intellectu practico sit tanquam norma & regula à qua praxis dirigatur. Hic autem habitus, seu regula, in praxi quidem quæ est operatio moralis, est prudentia; in ea verò quę est in mechanica, & in qua non inest per se ratio virtutis aut vitij, est ars siue sit mechanica siue liberalis, vt est musica practica. Actio autē quæ subest voluntati, triplex est. Vna, quæ elicitur ex ipsa voluntate, vt electio. Altera, quæ producitur quidem ab alia potentia: tota tamen imperatur à voluntate, & dirigitur ab aliquo habitu practico, vt operationes eius facultatis animæ sensitiuæ, quæ dicitur irascibilis & concupiscibilis. Tertia, quæ secundum quid subest voluntati, & dirigitur ab intellectu practico, vt sunt operationes intellectus speculatiui, quæ per se, & (vt vulgo dicunt) secundum specificationem, non subsunt voluntati aut prudentiæ: earum tamen vsus & exercitatio, id est, hoc tempore, vt tandiu, vel hoc modo, vel his aut aliis circunstantiis fiant, subiicitur voluntati & prudentię. Quatenus igitur tales operationes propter circūstantias secundum quas exercętur, possunt esse moraliter, vel bonæ, vel malę; diriguntur à prudętia, quę est habitus practicus; quo modo etiam possunt vocari praxes, simpliciter autem minimè. Operationes autem animæ vegetatiuæ, neq; per se, neque secundum vsum & exercitium, subiacent arbitrio & voluntati hominis, nisi forte ex accidenti & indirectè quatenus in actionib. animæ vegetatiuę magna existit varietas ob quantitatē, qualitatèm ve alimenti, cuius assumptio & moderatio, est in nostra potestate. Quamobrem, peccata quę in supradictis functionib. alentis animæ contingunt, plerunque nobis vitio verti solent. Quin etiā affectus naturalis, quodammodo subiicitur nostrę potestati: quatenus in nobis est explicare (vt aiunt) actiua passiuis: ex quo tales effectus existunt. Actio autem voluntatis, quæ naturaliter tendit & refertur in vltimum finem, non est praxis: quia neque pendet à libero arbitrio, & omni vacat errore; vt non egeat vllo habitu practico à quo dirigatur; nam sicut intellectus speculatiuus non potest errare circa prima principia speculatiua (quis enim, vt inquit Arist. 2. Metaph. aberrabit à ianua?) ita voluntas non potest errare circa vltimum finem, quanquām in eo designando, & constituendo peccare possit, vt si voluntas aut diuitiæ aut honos

Quæ actiones subiiciantur voluntati quæ non. nostræ & quæ non.

statuatur

statu atur & expetatur tāquam vltimus finis. Ex his quæ diximus manifestum est quid sit praxis, quam ita multi definierunt, vt sit operatio alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, apta fieri conformis intellectui recto. Heruæus Quolibeto primo quæst. 3. paulo aliter definit praxim. quā definitionēm, & alia quæ scribit de praxi, ne longior sim, hîc prætereo. De significatione igitur illorum vocabulorum (Practicum) & (Speculatiuum) hæc dicta sint.

Explicatur primò ratio supradictæ diuisionis: deinde cuiusmodi sint scientiarum differentiæ (practicum) & (speculatiuum.)

CAP. III.

RAtio & vt vocant, sufficiętia supradictæ diuisionis, ex multis rebus cognoscitur. Primò, quia Philosophia, vt veteres sapiętèr dixerūt, est medicina animi, sanās eius morbos: quorū duo sūt genera, vnū pertinēs ad intellectū, quæ est ignoratio veri; alterū ad effectū: cuius ægritudo ex vitiis, morūq; corruptela proficiscitur, cōtra priorē morbū, cōparata est Philosophia speculatiua: aduersus verò posteriorē instituta fuit practica. Tum; omnis homo naturaliter scire desiderat, primùm quidem ea, quæ conferunt ad tuendam, degendamque vitam, tum priuatam, tum etiam ciuilem, quæ nobis suppeditāt partim artes mechanicæ, partim Philosophia moralis: postea vero etiam eas res, quæ licet nihil conducant ad actiones humanas & ciuiles: tamen quia habent pulcherrimā cōtemplationem veritatis, vehementer expetuntur ab intellectu nostro. quarum rerum scientiam largitur nobis Philosophia speculatiua. Deinde; subiectum scientiæ est intellectus, qui duplex tantùm est, vnus speculatiuus, alter practicus, vt docet Arist. 6. Ethic. & 3. de Anima, 46. & 49. quare scientia quoque & Philosophia duplex erit, vna practica, altera speculatiua. Postea; Philosophia refertur ad dirigendam vitam hominis, eiúsque fœlicitatem cōparandam; vitam autem, & fœlicitatem hominis Arist. 10. Ethic. duplicem facit, actiuā & speculatiuām. ergo Philosophia etiā duplex erit, speculatiua & practica. Præterea; omnis doctrina est propter aliquod bonum & finem, vt scribitur in principio 1. lib. Ethicorū; talis autem finis, vel est sola cognitio, quam doctrina præbet, sicut fit in scientiis speculatiuis: vel præter cognitionē aliud pro fine intenditur, siue sit alia quædam operatio hominis siue aliquod opus externum, veluti cernimus in doctrinis practicis. Ad hæc; omnis doctrina comparata est ad dirigendas eas operationes hominis quæ subsunt arbitrio nostro, & possunt prauè ac vitiosè fieri. Vnde ad regendas actiones animæ vegtatiuæ, &

Bonā esse diuisionem Philosophiæ in practicam & speculatiuam pro batur rationibus septem.

sensuum tam interiorum quàm exteriorum, nulla ferè videtur esse inuẽta & instituta doctrina. Sunt igitur tria genera humanarũ actionum, quæ à doctrina possunt dirigi; Primi generis, sunt operationes intellectus, ad quas dirigẽdas & perficiẽdas, ordinãtur scientiæ speculatiuæ; Secundi generis, sunt operationes appetitus, tã rationalis quàm sensitiui, in quibus versantur habitus vitiorum & virtutũ; harum autem operationum grãtia instituta est Philosophia moralis; Tertij generis, sunt plurimæ aliæ operationes hominis, siue in membris eius inhærentes, vt sunt currere & saltare; siue transeuntes in opera aliqua externa, vt ædificare, pingere, & fabricari naues: ad quas operationes moderandas ritéque obeundas, inuentæ sunt omnes artes, tam mechanicæ quàm quæ vulgo dicũtur liberales. Postremò; vnitas & distinctio scientiæ, sumitur ex vnitate distinctionéq; obiecti; obiectũ autẽ siue materia sciẽtiæ, sunt res quæ tractãtur: quas duplici genere contineri necesse est; aut enim eiusmodi sunt, vt in actionẽ, effectionémque nostrã cadãt; aut solùm in cognitionem: omne enim ens aut est tãtùm speculabile, aùt nõ solũ est speculabile, sed etiã agibile vel factibile. Bona igitur esse bimembrẽ illã diuisionẽ Philosophiæ in practicam & speculatiuam, ex his perspicuum est.

Quales differẽtiæ sint practicũ & speculatiuũ.

Quales verò sciẽtiarum differẽtiæ sint practicum & speculatiuum, breuiter etiã dicamus. Primò sunt differentiæ essentiales, non enim accidit scientiæ esse practicam, vel speculatiuam, cum id conueniat ei tum ex parte obiecti tum ex parte finis, vnde Arist. nũquam tradit aliam Philosophiæ diuisionem, Sed dicet aliquis, scientia cùm sit habitus, & contineatur in prima specie Qualitatis, est ens absolutum; practicum autem & speculatiuum, sunt entia respectiua, nullum autem respectiuum potest esse differentia essentialis vllius absoluti ergo non potest scientia vel Philosophia diuidi essentialiter per practicum & speculatiuum. Verùm hoc ita soluitur, scientia, vt est habitus perficiens intellectum, eúmque aptum & promptum reddens ad intelligẽdum, est ens absolutũ, ea verò ratione, vt cõfertur cum obiécto suo scibili, habet ad ipsum relationem quãdam, quæ vulgo dicitur secundum dici, propter quã est ens relatiuum eáque ratione diuiditur essentialiter per practicum & speculatiuum. Sciẽtia igitur nõ vt quid absolutum, sed vt quidpiam relatiuum & vt habet relationem ad obiectum vel finẽ suũ, diuiditur per practicũ & speculatiuum essẽtialiter. Quamuis autem practicum & speculatiuũ nõ diuidãt secũdum rẽ intellectũ (idẽ enim numero intellectus est practicus & speculatiuus) nec semper distinguãt secundum rem obiectum scientiæ; (potest enim idem secũdu diuersam rationẽ

subiici

subiici practicæ. & speculatiuæ scientiæ: etenim de operationibus animæ sentientis & intelligẽtis, & de his quæ vulgo vocantur passiones animi, veluti sunt gaudere, dolere, sperare metuere, agit Philosophus moralis & physicus) habitus tamen sciẽtificos diuidunt secundum rem, adeo, vt impossibile sit vnam candémque sciẽtiam verè practicã & speculatiuam esse. Excipio Theologiã, de qua D. Thom. in 1. parte, q. 1. art. 4. sic scribit, *Licet in scientijs Philosophicis, alia sit speculatiua, alia practica. sacra tamen doctrina comprehẽdit sub se vtranque, sicut & Deus eadẽ scientia se cognoscit, & ea quæ facit: magis tamẽ est speculatiua quàm practica, quia principalius agit de rebus diuinis quàm de actibus humanis, de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectã Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit.* Scio non probari hoc aliis Theologis sed nobis id curæ non sit, qui hoc loco de scientiis magis loquimur.

Duplex dubitatio.

Verùm duplex hoc loco existit dubitatio: Vna est, quoniã solet communiter diuidi Medicina in practicã & speculatiuã, ergo vna eadémque scientia, potest esse practica & speculatiua: Altera est, quia si aliquis discat Medicinã tantùm vt cognoscat & sciat quæ in ea tractantur, illi erit speculatiua; sin autem alius discat eam propter opus, illi erit practica ex quo efficitur eiusmodi differentias non distinguere secundũ rẽ scientias, sed cõuenire ipsis per accidẽs. Ad primam respõdet D. Thom. super Boëtiũ de Trinitate in quæst. de de diuisione sciẽtiæ speculatiuæ art. 1. in respõsione ad quartum, dicẽs aliter se habere practicũ & speculatiuũ cum diuidunt Philosophiam & scientias inter se, quàm cum vna scientia, veluti Medicina, diuiditur in practicam & speculatiuam: priori enim modo, talis distinctio attẽditur penes vltimũ finem scientiæ, vt ea dicatur practica, cuius finis vltimus sit præter cognitionẽ, actio vel opus aliquod; speculatiua verò, cuius finis est sola cognitio. Posteriori autẽ modo, non sic attẽditur; tota enim Medicina, si vltimũ finem eius spectes, practica debet appellari: Sed quoniam in his, quæ tractat Medicina, quædam sunt remotiora à praxi, accepta ex scientiis speculatiuis, vt quid sit morbus, vel sanitas, quid, quale, & quotuplex sit elemẽtum: alia vero propinquiora sunt actioni, vt quòd talibus morbis, tales curationes & remedia sunt adhibenda (cuius generis est tota ferè doctrina Aphorismorũ Hippocratis) ideo pars Medicinæ, quæ superiora illa docet appellatur speculatiua, quæ verò tractat posteriora hæc dicitur practica. Ad posteriorem dubitationem dicendum est, finem scientiæ non esse spectandum ex intentione & voluntate discentis, quæ est contingens, incerta, & multiplex, sed ex eo ad quod per se ordinatur scientia, & propter quod inuenta & insti-

Solutio prioris dubitationis.

Solutio posterioris dubitationis.

tuta fuit,& communiter discitur. Quamuis igitur possit aliquis discere Medicinam,non intendens mederi, tamen hoc est per accidens,nec obstat quominus Medicina dicenda sit practica, quippe quæ medendi causa communiter discatur, & propter id inuenta & comparata fuerit. Vide quæ in hanc sententiam pulchrè scribit D.Thom.1. parte, q.14.art.16.faciens triplicem scientiam speculatiuam, vnam propriè, quæ est de rebus non operabilibus: duas reliquas secundū quid; alteram quidē ex modo sciendi quo res operabiles tantùm speculatiuè considerantur, definiendo eas & diuidendo, atque vniuersè tantùm contemplando; alteram vero ex fine, vt si quis doctrinam rerum operabilium, non ad operationem, sed ad nudam & solam earum cognitionem referat.

An practicum & speculatiuū sumantur ex obiecto, an ex fine scientiæ.

Sed controuersum est inter nonnullos Philosophos, an tales differentiæ sumi debeant ex obiecto, an potius ex fine.quā controuersiam puto facile dirimi posse; nam proximè sumuntur ex fine,finium tamen distinctionē pariunt obiecta. Sicut enim obiectum esse factibile,non satis est ad constituendam scientiā practicam(intelligo autem per factibile quidquid subest praxi,siue sub actionem,siue sub effectionē cadat) cùm circa tale obiectum possit etiā versari scientia speculatiua, vt antè diximus de scientia Animæ;ita distinctio finium, oritur necessariò ex distinctione obiectorum, nam causa quare finis practicæ sit operatio vel opus est,quia obiectum eius est quidpiam operabile, non autem contrà.similiter contigit in Speculatiua. quare principium & veluti radix huius distinctionis hæret in obiecto, complementum autem in fine.Quocirca Ari. in 2.quidem Meta.tex.3. distinctionem Philosophię practicę,& speculatiuę, sumit ex fine vtriusque; in 6.autem & 11.Metaph.videtur eam petere ex obiectis.Deinde, sciendū est has differentias manare per omnes scientias, vt nulla sit quæ non existat vel practica vel speculatiua. Neque quisquam mihi opponat Logicā,quā vt libenter concedo esse nō practicam aut speculatiuam;ita nego esse propriè scientiam,quod infra planius explicabitur. Patent autem latius prædictæ differentiæ, quam scientia; etenim sapientia & intellectus sunt habitus speculatiui, ars & prudentia practici, qui tamen omnes differunt à scientia,vt perspicuum est ex his quæ scribuntur 6.Ethic.Quocirca esse Practicum, & Speculatiuum, non sunt differentiæ adæquatæ ipsius scientiæ, cùm his etiam rebus conueniant quæ non sunt scientiæ, videlicet habitui principiorum, arti,& prudentiæ: Ergo quod proximè & adæquatè diuiditur in Practicum & Speculatiuum, id non est scientia vel Philosophia,sed est habitus intellectus,quo verum certò cognoscitur.

quod perspicuè intelligere licet ex his quæ scribit Arist.in lib.6.Etich.Verum deinceps has Philosophię differentias inter se comparemus;& primum videamus an nomen & ratio scientiæ ac Philosophiæ æqualiter vtrique conueniat, deinde vtra sit prior,certior,ac nobilior.

Declaratur vtra pars magis mereatur nomen scientiæ,& vtra sit prior,certior,ac nobilior.

CAP. IIII.

Scientiam & Philosophiā principalius dici de speculatiua quā de practica.

HÆ differentię,nō vniuocè,ac æqualiter diuidūt scientiam & Philosophiā:speculatiua. n. per se ac principaliter dicitur Philosophia& scientia;practica verò nō nisi secundū quid & propter aliud quod pōt ostēdi & cōfirmari his argumentis.Primò,Ari.in 2.Meta. t.3.volens ostēdere Philosophiā esse scientiā veritatis,probat ex eo,quia Philosophiæ speculatiuæ finis est veritas,practicę autem opus; nā licet practici considerent veritatem,non tamen per se,sed in ordine ad operandum.quæ probatio non valeret,nisi putaret Arist.speculatiuam scientiam,aut tantùm esse Philosophiam, aut certè principaliter. Verba Philosophi sunt hæc, *Rectè se habet Philosophiam veritatis contemplatricem appellasse:speculatiuæ etenim finis. veritas,practicæ autē opus:etenim si quomodo se habeāt considerāt,non causam per se,sed ad aliquid,& eo in tempore practici speculātur.* Præterea,ex cōmuni modo & consuetudine & sentiendi & loquendi:Philosophos enim & sapientes,eos cōmuniter putamus & appellamus, qui versantur in scientiis speculatiuis; eos autem qui excellunt in rebus gerendis, non Philosophos,sed prudentes vocamus. Deinde,quia scire, qui est finis scientiæ,per se competit speculatiuæ,practicę autem non nisi propter opus.quod si doctrina practica est & vocatur scientia, hoc ei accidit,prout aliquo modo dissimilatur speculatiuæ,& cōtinet aliquas speculationes.Ad hæc,Philosophia est perfectio hominis, sed speculatiua per se perficit hominem circa speculationem;intellectus enim noster tunc est simpliciter perfectus circa speculationem,cùm perfectè habet scientias speculatiuas, scientia autem practica tātùm secundū quid perficit hominem circa praxim, v.g.vt homo moraliter & practicè perfectus sit, minimam partem confert scientia moralis, sed hoc præstat tū prudētia,tum virtutes morales: similiter ad perficiendum opus artificiosum, præter scientiam artis,maximè opus est peritia quadā,& exercitatione,quæ est habitus quidā inhærens membris corporis. Postea, obiectum scientiæ debet esse certum,& immutabile, vt habetur 1.Post.sed doctrina practica, veluti est Philosophia moralis &

mechanicæ, versantur circa res cõtingentes & mutabiles, vt significat Arist.1.2.& 6.lib.Ethico. Neque verò dicat aliquis hoc intelligendũ esse de cognitione practica quæ versatur circa singularia,nõ autẽ de ea quæ traditur de vniuersalibus præceptis & regulis praxeos:nam Arist.2.Ethi. ait non solùm particulares,sed etiã vniuersales sermones de rebus moralibus esse parum certos & exquisitos:immo cognitio practica, quò propior est rebus singularibus & magis accedit ad actionem, eò perfectior est atque vtilior,tunc autem est maximè incerta. vnde in rebus moralibus multa relinquuntur prudentiæ,& arbitrio boni, & prudẽtis viri, quia non possunt vniuersè certò prescribi,nec aliqua scientia cõprehendi.Porro,scientia non dicitur vniuocè, de subalternante & subalternata, quia subalternata, cum accipiat principia à subalternante,pendet essentialiter ab illa, nec potest sine adminiculo eius,scientiæ nomen & rationem obtinere,at omnes scientię practicæ subalternantur speculatiuis, ut omnes ferè artes mechanicæ pendẽt à scientiis Mathematicis,& Medicina pendet à Philosophia naturali, scientia moralis magna ex parte pendet à scientia animæ:nam diuisio habituum, & virtutũ moralium, pẽdet ex distinctione potentiarũ animæ.Distinctio etiam passionum,& quę de fœlicitate traduntur, supponunt multa ex Philosophia naturali.Vnde Arist.sub finem primi Ethic.ait: si elegantiores Medici qui oculũ vel aliam partem corporis probè curaturi sunt, multũ studij & operæ in animi cognitione ponere consueuerũt, multo magis oportere Philosophum ciuilem,qui in morbis animorum curãdis sanandisque versari debet, habere cognita ea, quæ pertinent ad scientiã animæ.Auer.quoque ait in 1.de Anima com.2.scię tiam de Anima dare multa principia Philosophiæ morali. Maneat igitur scientiam nõ dici vniuocè de practica & speculatiua.

Scientias practicas subalternari speculatiuis.

Priores esse speculatiuas scientias practicis.

Sed nunc videamus vtra sit prior,certior & nobilior. Ac prior quidem secundum naturã est speculatiua quàm practica. Primò quia intellectus speculatiuus natura prior est quàm practicus, prior enim est cognitio simpliciter, quàm cognitio practica, & verum simpliciter,quàm verũ practicum. Tum quia prior est res secundũ naturam suã, quàm prout cadit sub actionẽ & affectionẽ nostrã,& priora sunt quæ à Deo naturaq. fiũt,quàm quæ fiunt à nobis. Ad hæc,quia scientia subalternans prior est quàm subalternata,at scientiæ practicæ ferè subalternantur, speculatiuis,vt supra diximus. Præterea,hoc patet si comparemus scięti as speculatiuas,vt Metaphysicam & Philosophiam naturalem,cum scientiis practicis,secundum res quas tractant:nam in Maphysica, agitur de Deo & intelligentiis,in Physica,de cælis & elementis,quas

res

res natura priores esse his rebus quas tractant scientiæ practicæ,per se manifestum est.An verò scientiæ speculatiuæ sint priores secundum nos,hoc est,an prius fuerint à nobis inuentæ & excultæ,quàm practicæ, non est ita certum. Sed videtur mihi ita distinguendum esse, vt scientiæ practicæ quæ pertinent ad incolumitatem & dignitatem vitę ciuilis tuendam & conseruandam, prius inuentæ tractatæque fuerint quàm scientiæ speculatiuæ quod perspicuè docet Aristot.1.Metaphy cap.1. scribens, *Inuentis iam & institutis scientiis quæ ad necessitates vel voluptates vitæ humanæ pertinebant,postea fuisse institutas illas scientias speculatiuas quæ neque ad degendum voluptariæ sunt,neque ad necessaria conducunt, & in illis locis primo,vbi vacabant. Quare circa Aegyptum Mathematicas artes constitutas esse, quia illic gens sacerdotum vacare permittebatur.* Scientia autem moralis videtur inuenta fuisse post scientias speculatiuas:nam cum ante Socratẽ memorẽtur excelluisse in scientiis speculatiuis plurimi, vt Thales Milesius, Anaxagoras Empedocles,Democritus, Pythagoras; primus tamen ipse dicitur cœpisse docere tractare studium Philosophiæ moralis. cui rei fidem facit Cicero 1.Acad.quæst.his verbis, *Socrates mihi videtur,id quod constat inter omnes,primus à rebus occultis & ab ipsa natura inuolutis, in quibus omnes, ante eum Philosophi occupati fuerunt auocauisse Philosophiam,& ad vitam humanam adduxisse, vt de virtutibus & vitiis,omninóque de bonis rebus & malis quæreret,cælestia autem,vel procul esse à nostra cognitione censeret,vel si maximè cognita essent, nihil tamen ad bene viuendum conferre.*Idem in quinta Tusculana sic ait, *Ab antiqua Philosophia,vsque ad Socratem,numeri motúsque tractabantur & vnde omnia orirentur quóve recederent, studioséque ab his syderum magnitudines,itinera,cursus requirebantur, & cuncta cælestia. Socrates autem primùm Philosophiam deuocauit e cælo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit,& cœpit de vita & moribus,rebúsq; bonis & malis quærere.* Et in Bruto sic ait, *Ex vberrimis sermonibus Socratis,extiterunt viri doctissimi:primúmque tum Philosophia non illa de natura,quæ fuerat antiquior,sed hæc in qua de bonis & malis rebus, déque hominum vita & moribus disputatur,inuenta dicitur.* Quibus consonant quæ scribit Aristoteles primo de partibus animalium capite primo,Socratis temporib. indagationem rerum naturalium desiisse:& omne Philosophandi studium,advirtutem ciuilemque vsum translatum esse:Et in 1.Metaphysicæ *Socrates, inquit de moralibus quidem tractauit de tota verò natura nihil.* Cur autem id Socrates fecerit pulchrè disputat D. Augustlibr.8. de Ciuitate Dei. cap.3.illud quoque certum est, scientias speculatiuas ordine doctrinæ priores esse Philosophia morali,si non omnes,saltem Ma-

thematicas: vnde Arist.1. Ethicorum ait iuuenem non esse idoneum auditorem Philosophiæ moralis, quem tamen constat aptum esse ad intelligendas Mathematicas disciplinas: & in 6. libr. Ethicorum, scribit puerum euadere posse Mathematicum, non tamen Physicum aut prudentē: Non quòd præcepta moralia non possint capi, & intelligi à iuuene, sed quia vsum eorum, qui est verus finis Philosophiæ moralis, ob ardorem perturbationum, & humanarum rerum imperitiam, refugit; nec ita faciēdum esse vt præcipitur, sibi persuadet Plutarchus in libro de Contrarietatibus Stoicorum ait Chrysippum in 4. li. de vitis, voluisse vt primò disceretur Logica, tum moralis, deinde naturalis, vltimò scientia diuina, vnde Græci tractationes de Diis, vocabant τιλέτας. Quòd autem Simplicius ait in ptoœmio suo super categorias Arist. speculatiuas scientias discendas esse post Logicam & disciplinam moralem, sic intelligendum est; puerum antè bonis moribus per disciplinam & institutionem moralem imbutū esse debere, quàm addiscat reliquas scientias. Loquitur igitur Simplicius de institutione morali, non quæ percipitur ex scientia morali, sed ex bona parentum aut magistrorum educatione. Vsus tamen Philosophiæ moralis videtur antiquior fuisse quàm vsus scientiarū speculatiuarum, neque enim humana societas aut coalescere aut conseruari potuisset sine gubernatione politica & œconomica, sine obseruantia legum, denique sine vsu virtutum. Aliud est igitur loqui de scientia rerum moralium, quæ certis regulis & præceptionibus comprehenditur, & aliud de vsu ipsarum.

Certiores esse speculatiuas scientias practicis & nobiliores.

Certiorem autē esse speculatiuā scientiā quàm practicā, manifestū est, tū ex eo quod obiectū practicæ est cōtingēs & mutabile, speculatiuæ autem minimè: tū etiam, quia certior est scientia quæ declarat propter quid cuiuscunque rei, quàm quæ tantùm docet quod res sit, vt est apud Arist. 1. Post. 42. Scientiæ autem practicæ, vt plurimum supponūt illud propter quid, declaratum in speculatiuis scientiis, quippe cum, vt ante diximus, practicæ ferè subalternantur speculatiuis. Planū etiā fit hoc, si quis consideret sigillatim scientias speculatiuas, eásque conferat cum practicis. Porrò maiorem nobilitatem, & præstantiam esse in speculatiuis quàm practicis, nemini dubium est. Arist. enim in 6. Metaph. tex. 2. ait scientias speculatiuas proponendas esse aliis omnibus, idémq; significat in 1. Metaph. c. 2. & ratio est. Primò, quia speculatiua est gratia sui, practica vero propter aliud, hoc est propter opus. Deinde, illa per se sola perficit hominem in suo genere, & finem suū citra alterius auxilium assequitur & præstat homini; Practica verò non potest cōsequi per se finem suum, sed eget auxilio virtutum mora-

moralium, vel aliorum habituum. Præterea, illa perducit ad fœlicitatem speculatiuam, & hominem perficit in ordine ad Deum & intelligentias, hæc autem ad fœlicitatem actiuam, & in ordine ad societatem hominum. Demum, idem patet ex eo, quòd inter speculatiuas est aliqua, nimirum Metaphysica, quæ lōgè superat omnes practicas; inter practicas autem non reperitur aliqua, quæ superet omnes speculatiuas. Sed dicet aliquis, Philosophiam moralem practicam esse, quæ tamen videtur esse præstantior quàm disciplinæ Mathematicæ, quæ sunt speculatiuæ; nam illa agit de homine, de virtutibus & fœlicitate, hæ vero tantum de quantitate. Sed respondendum est; vnam scientiam esse meliorem alia, vel ratione obiecti, quia versatur in rebus nobilioribus: vel ratione medij & modi procedendi, hoc est, quia seruat meliorem methodum, & vtitur potioribus demonstrationibus. Doctrinę igitur Mathematicæ licet priori modo sint ignobiliores disciplina morali, tamen posteriori modo præstantiores sunt. Adde, quòd Mathematica cognitio est sui gratia, quo nomine melior est quàm moralis, quæ dirigitur aliò, cuius nobilitas, non tam pendet ab ipso scire, quàm ex operatione. Sic igitur explicata sit prima diuisio Philosophiæ, in practicam & speculatiuam. Deinceps diuisionem Philosophiæ speculatiuæ in disciplinas Mathematicas, Metaphysicam & Physicen, exponamus.

Dubitatio an Philosophia moralis sit nobilior discipli ne Mathematicis.

Traditur diuisio Philosophiæ speculatiuæ in Physicam, Metaphysicam, & scientias Mathematicas.

CAP. V.

ARist. 6. lib. Metap. tex. 2. Philosophiam speculatiuam tripartito diuidit, in Physicam, disciplinas Mathematicas, & Metaphysicam, quæ diuisio à veterib. primò approbata fuit, deinde in scholis adhuc retēta & celebrata est: cuius ratio hęc communiter redditur; Scientia speculatiua est cognitio rerum, quarum tria sunt genera; nam quædā sunt extra materiam, quarum cognitio constituit Metaphysicam: aliæ sunt in materia, id quod bifariā contingit; nam quædā ita existūt in materia, vt sine ipsa tamen definiri & sciri possint, cuiusmodi est quantitas & quæ insunt in ea, vt est vel continua vel discreta, quas res pertractandas sibi sumūt disciplinæ Mathematicæ: Aliæ vero res penitus hærent in materia, vt non modò re separari non possint ab ipsa, sed neque cogitatione: Itaque quemadmodum natura non potest eiusmodi res perficere sine motu & materia, sic etiam sine illis non possunt in scientia perfectè declarari, quarum

Ratio vulgaris huius diuisionis & maximè probabilis.

rum rerum scientia nominatur Physica.

Ratio Scholasticorum Philosophorũ.

Scholastici Philosophi modo suo declarant sufficientiam huius diuisionis ad hunc modum. Scientia speculatiua est perfectio intellectus nostri, qui est immaterialis, quapropter obiectum scientię debet esse aliquo modo abstractum à materia: triplex autem est abstractio rei ā materia; Vna tantum à materia singulari, quā ipsi vocant materiam signatam, vt qui dicit animal vel hominem, significat ea quidem abstracta ab hoc vel illo corpore, & ab his vel illis carnibus aut ossibus, non tamen à corpore & à carne simpliciter & absolutè, sicut qui dicit simum, dicit curuitatem abstractam ab hoc vel illo naso, sed non simpliciter à naso: Altera est abstractio rei à materia, non solum singulari, sed etiam vniuersali, non quidem secundum rem, verùm tantummodo secundum rationem & cognitionem, vt licet quantitas non possit naturaliter existere, nisi aut in cœlo aut in elementis aut in mixtis, tamen potest sine his considerari ac sciri; qui enim ait triangulum habere tres angulos, æquales duobus rectis, considerat per se triangulum non quatenus est in cœlo, aut in aliis corporibus. Tertia est abstractio rei ab omni materia, tam secundum rem, quàm secundum rationem, quam abstractionē cernimus in Deo, & intelligentiis. Prima igitur abstractio facit scientiam Physicam; secunda Mathematicam; tertia Metaphysicam.

Ratio Scotistarum.

Quidam autem Scotistæ, aiunt ea quæ possunt cadere sub scientiam speculatiuam tantùm esse tria, vnum quidem ens, prout ens est, quod tractatur in Metaphysica: Alterum substantiam corpoream, quæ dupliciter considerari potest, vel vt subiicitur tantum quantitati, quomodo facit scientias Mathematicas, vel prout subiicitur omnibus aliis accidentibus, & habet in se principia motuum, & operationum naturalium, quo pacto constituit Philosophiam naturalem. Quod si quæras ab istis cur prætermiserint substantiam incorpoream, vti est Deus & intelligentiæ; respondent, quia talis substantia non potest à nobis naturaliter & scientificè cognosci secundum propriam naturam & proprietates eius, sed tantummodo secundum proprietates communes entis & substantiæ. Quorum sententia videtur mihi duplici nomine esse reprehendenda; primùm quia faciunt subiectum Mathematicę doctrinæ substantiam corpoream, cùm tamen Mathematicus tantùm consideret ea quæ insunt quantitati vel figuræ, nullam faciens mentionem aut tradens cognitionem substantię corporeę. Et sanè si Mathematicus haberet pro subiecto substantiam corpoream, deberet vtique considerare principia, species & passiones illius, talia enim & tot considerari à scientia circa subiectum

suum

suum Arist. docet in 1. Post. sed Mathematicum abstrahere ab omni substantia 10. lib. huius operis à nobis explicandum est. Deinde substantias incorporeas non posse sciri à nobis nisi secundum proprietates communes entis & substantiæ, cùm Arist. in 12. lib. Metaph. tradat specialem earum scientiam demonstrans multa attributa propria ipsarum, perspicuè falsum est.

Ratio Alberti Magni.

Albertus Magnus in principio suæ Philosophiæ naturalis inquit, alias res esse per se intelligibiles secundum naturam, de quibus est Metaphysica; alias intelligibiles & imaginabiles, vt est quantitas circa quam versantur Mathematicæ disciplinę; postremò alias imaginabiles, intelligibiles & sensibiles, vt sunt res naturales quas Physica tractat. quantitas. n. nō videtur per se primò sensibilis esse, quippe quę nisi coniuncta propriis sensibilib. à nullo sensu percipiatur, ab imaginatione verò fieri eam apprehendi nihil prohibet. Hæc Albertus. Quæ mihi non valde probantur. nam quo pacto quantitas non est sensibilis, cùm sit sensibilis per se ab omnib. sensib. quid, quod si est imaginabilis, ergo sensibilis nam imaginatio describitur ab Arist. in fine 2. lib. de Anima, motus factus à sensu secundum actum; & qui ab ortu caret sensu aliquo, non potest ea quę sub illum sensum cadunt per imaginationem propriè imaginari, nam proprium cuiusuis rei phātasma exprimitur ex propria specie sensibili vel ex motu proprio sensuum exteriorū, qui ex rebus obiectis efficitur. Sed valeant hæc quantū possunt, si nō p se, saltē ppter auctoritatē Alberti Magni.

Explicantur aliquot dubitationes

CAP. VI.

Quinque dubitationes.

VErum circa prdictam diuisionem existunt multę dubitationes, quæ nisi diligenter explicentur, non potest res de qua agitur, certò & perspicuè cognosci. Prima dubitatio est. Qualis nam sit supra dicta diuisio, an generis in species, an totius in partes, an subiecti in accidentia Secunda dubitatio; si quantitas est posterior natura & definitione quàm substantia. Arist. n. in 4. Metaph. text. 4. ait substantiam tempore, natura & definitione priorem esse accidenti, quę fieri potest, vt à Mathematico quantitas secundum rationem abstrahatur à substantia? quod. n. posterius est, non potest abstrahi à priori præsertim ab eo à quo per se dependet. Tertia dubitatio est; Videtur falsum esse abstractionem Metaphysicam solam esse eam quæ fit à materia secundum rem & rationem, etenim multa cōsiderat Metaphysicus, quæ tali abstractione minimè continentur, agit. n. de ente, bono, vero, actu & potentia, quæ non sunt abstracta secundum rem à materia, quippe cùm insint quoq; in re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus materialibus. Præterea, decem quoq; Prędicamenta tractantur à Metaphysico, vt perspicuum est ex his quę scribuntur in 4. Metaph. Prædicamenta verò non possunt a materia separari secundum reminam substantia prædicamentalis est composita ex materia & forma: Quantitas item non reperitur nisi in rebus quę constant materia, sed quid opus est argumentis ad id ostendendum? cum Arist. in 7. Metaph. vsq; ad text. 38. subtiliter & copiosè disserat de substãtia generabili & corruptibili, quam luce clarius est non posse abiungi à materia secundum rem. Quarta dubitatio: Sicut est vna scientia Physica, quę considerans corpus naturale pertractat omnes species eius, cur non itidem erit vna scientia tantùm quæ consideret ens vt ens, & omnes species entis, ita vt reuera vna solùm sit scientia, reliquæ verò quæ appellantur scientiæ, non tam sint inter se diuersæ scientiæ quàm partes vnius; sicut scientia animalium & plantarum sunt partes Physicæ. Atq; vnam esse scientiam talem, qualis nunc à nobis breuiter est descripta. videtur ipsemet Arist. innuere in 4. lib. Metaph. text. 2. his verbis, *Sicut Grammatica, vna existens, omnes voces speculatur, ita vnius scientiæ est entis species & specierum species speculari.* Quinta dubitatio est de Anima rationali; Nam si ipsa est immortalis & vera forma hominis (vt verè est) nõ potest contineri abstractione Physica, secundum quam formę naturales, nec re, nec ratione possunt separari à materia. Quærę, vel anima rationalis non pertinebit ad Physicam, vel erunt quatuor genera abstractionum. Etenim ponendum erit quartum genus oppositum abstractioni Mathematicæ, quo anima rationalis potest abstrahi à materia secundum rem, quia est separabilis à corpore, non autem secundum rationem, quia definitur esse actus corporis, quod genus quartum abstractionis si pertinet ad Physicam nõ continebitur tota Physica vno illo genere (quod antè posuimus) abstractionis, atq; hæc quidem circa prędictam diuisionem dubitari possunt.

Solutio primæ dubitationis

Prædictarum autem quinque dubitationum priores quidem duas facilè est soluere, cæteras autem minimè. Ad primam igitur dubitationem respondemus, illam diuisionem non esse generis in species, quia genus significat naturam quãdam diuersam à naturis specierum, & habet proprietates diuersas, & est prius atque vniuersalius quã quælibet species eius, at non existit aliqua scientia speculatiua generalis diuersa ab illis tribus, habens subiectum diuersum, principia item atque passiones, & quæ sit prior & vniuersalior quam Metaphysica. Deinde tota natura generis continetur in qualibet specie; at vniuersa cognitio speculatiua nõ continetur in vnaquaque scientia, alioquin quælibet specularetur omnes

mnes res quæ possunt cadere sub speculationem. Ad hæc si ponatur esse talis scientia proculdubio de illa & de aliis tribus dicetur scientia speculatiua vniuersè sumpta: nam illa est scientia speculatiua, quare præter illam generalem esset alia generalior, & sic in infinitum & semper existeret eadem dubitatio. Sed hæc nunc tanquam probabiliter dicta accipiantur, paulò enim infrà ostendemus quo pacto scientia speculatiua possit dici vniuocè, saltem de Physica & Metaphysica. Non est etiam hæc diuisio subiecti in accidentia, quia subiectum non prædicatur de accidente; hæc enim prædicatio, album est homo, non est bona, nisi per accidens at Philosophia & scientia speculatiua rectè prædicatur de Physica & Metaphysica: & quia hoc est per se clarum, superiedebo afferre alias rationes. Neque verò est totius in partes, totum enim non prædicatur de parte sua, sicut hic fieri videmus; nam quod potest opponi de totis homogeneis, in quibus pars accipit appellationem totius, repellitur ea ratione, quia eiusmodi partes homogeneæ sunt vnius naturæ, non differentes essentialiter inter se, at illæ tres scientiæ speculatiuæ essentialiter differunt inter se. Restat igitur, vt talis diuisio sit superioris quidem in sua inferiora, sed ita vt illud superius non sit genus, aut vniuocum quidpiam: sed nomen ab vno ad vnum, quod vulgò appellatur analogum, quod non significat naturam diuersam ab analogatis, sed tantùm rationem quandam communem, seu (vt vocant) conceptum formalem distinctum ab aliis, quo modo ens affectum est ad substantiam & accidens. Itaque cum vniuersè pronunciamus hoc nomen (scientia speculatiua) nõ significamus aliquam scientiam distinctam ab aliis, sed illis verbis explicamus rationẽ quandam communem scientiæ speculatiuæ, quæ inuenitur in omnibus doctrinis speculatiuis; talis autem ratio non est aliud quàm esse scientiam cuius finis sit sola cognitio veritatis; quemadmodum hoc nomen ens, non significat naturam quampiam diuersam à substantia & accidente; omnem enim naturam necesse est alterutro illorum duorum contineri; significat igitur rationem quandam communem, quę est habere esse, vel esse actu, quæ ita communis est substantiæ & accidenti, vt non prius conueniat alicui superiori, sed immediatè insit ipsis, cum quadam tamen proportione: nam accidenti conuenit propter subiectum.

Ad secundam dubitationem respondendũ est, quantitatem posse considerari bifariã, vno modo, vt est ens reale & accidens materiæ primæ, & sic partim est prior, partim est posterior substantia. Materia enim posterior est quantitas, non duratione aut tempore, sed tantùm natura: Forma verò substantiali & composito,

Solutio secundæ dubitationis

prior est tempore, ponimus.n. quantitatem coæuam materię atque immediatè ei inhærentem ante formas substantiales, qua de re postea latiùs agetur in hoc opere. & hoc modo, neq; potest simpliciter abstrahi ab omni substantia, neq; sic consideratur à Mathematico, sed à Metaphysico: Altero modo potest accipi per se in ordine ad eas passiones quæ conueniunt illi, vt quantitas est, non autem respectu substantiæ cuius est accidens; quas proprietates considerat Mathematicus, & eas de quantitate vel figura demonstrat, sicut esse æquale, vel inæquale, esse cõmensurabile: nam quod triãgulum habeat tres angulos æquales duobus rectis, non accidit ex eo quia sit figura alicuius substantiæ vel corporis naturalis, sed quia est talis figura. Quoniam igitur Mathematicus omnes suas theorias resoluit vsque ad figuram, vel quantitatem, ibiq; sistit nullius substantiæ considerationem aut mentionem faciens, idcirco dicitur abstrahere quantitatem à substantia. sed de abstractione Mathematica alio huius operis loco agetur copiosè. Præter illas autem duas considerationes quantitatis, quarum prior est Metaphysica, posterior Mathematica, est alia quę pertinet ad Physicum, secundum quam consideratur quantitas vt est affectio rei naturalis, conferens ad motus & operationes Physicas quam considerationem docet Arist. 2. Phy. tex. 18. ergo Physicus à nulla materia abstrahit quantitatem, Metaphysicus abstrahit eam à substantia Physici, sed non Metaphysicè sumpta: Mathematicus autem ab omni substantia. quantitas nanq; ea ratione vt consideratur à Mathematico, nullo modo pendet ex substantia.

Solutio tertiæ dubitationis

Ad tertiam dubitationem, quidam respondent abstractionem Metaphysicam quæ secundum rem & rationem fit à materia, duplicem esse, vnam per essentiam, qualis cernitur in Deo & intelligentiis, alteram per indifferentiam, quæ conuenit in prædicata transcendentia; vti est, bonum, verum, ens, quæ dicuntur secundum rem sic abstracta esse à materia, quoniam indifferenter reperiuntur tam in rebus materialibus quam immaterialibus. Prædicamenta verò aiunt nõ tractari à Metaphysico, nisi quatenus sunt partes entis, & in ipsis insunt prædicata transcendentia. Quod si Arist. in Metaphsica verba facit de substantia corruptibili, hoc est se per accidens, vel repetendo ea quæ dicta fuerant ab eo in libris Physicis, vel vt liquidò appareat discrimen inter substantiam corruptibilem & incorruptibilem; ad cuius cognitionem in primis contendit nos perducere Metaphysicus: Hæc illi. Quorum responsum, quoniam videtur parum & veritati & doctriuæ Arist. consentaneum, paucis refutabo; primùm.n. illa duplex abstractio Metaphysica, secundum essentiam & secundum indifferentiam

Refellitur abstractio à materia secundum indifferentiam.

nunquam

nunquam traditur aut nominatur ab Arist. sed tota fuit ab ipsis adinuenta, vt ita euadere possent multas & graues difficultates quibus vehemẽter premebantur. Deinde rationi cõsentaneũ non est dicere transcendentia esse Metaphysica & immaterialia, & abstracta secundum rem & rationem à materia, quia nõ solùm inueniuntur in rebus materialib. sed etiam in his quæ vacant materia: nam propter eandem causam diceret aliquis ea prædicata esse Physica & materialia, quandoquidem non solùm insunt in rebus carentibus materia; sed in his quæ materiam habent. An non redargueremus eum qui affirmaret animal vniuersè sumptum quòd per se indifferens sit ad rationale & irrationale, esse potius rationale, quàm irrationale? nam quod est indifferens ad aliqua, non magis referri debet ad vnum illorum quàm ad alterum, si ens est indifferens ad res materiales & immateriales, non ideo fit, vt sit abstractum secundum rem à materia, sed ab vtroque genere rerum abstrahi poterit tantùm secũdum rationem, non secus atque animal tantùm ratione separari potest ab homine atque bruto. Quòd autem aiunt de prędicamentis, ea non per se ac propriè considerari à Metaphysico, adeo rationi dissentaneum est, vt non egeat refutatione: nam cùm Arist. in 4. Metaph. text. 2. scribat non solùm considerari à Metaphysico ens, vt ens est, sed etiam passiones eius & species, quæ sunt substantia & accidens: principaliter tamẽ quęri principia & causas substantiarum: idque declarat exemplo sensus & Grammaticæ; vnus.n. sensus, vt visus, percipit colores, & omnes species eius; Grammatica item vna existens, omnes voces speculatur: quare inquit Arist. terminans illum textum, *Entis quoque quot species sunt & species specierum speculari, vnius scientiæ genere est*; & ibidem in fine tex. 6. ita dicit, *Quod igitur vnius scientiæ est ens, prout ens est & quæ ei, prout enti insunt speculari, manifestum est, & quòd non solùm substantiarum, verùm etiam eorum quæ substantiis insunt eadem speculatiua est.* Præterea, cùm in lib. 6. Metaphysices remoueat à consideratione Metaphysici tantùm ens per accidens, & quod significat verum & falsum, relinquat autem ei tres diuisiones entis, vnam in decem categorias, alteram in vnum & multa, tertiam in actum & potentiam: Ad hæc cum in 5. Metaph. diligenter explanet significationes eorum quæ pertinent ad decem categorias, & initio septimi & duodecimi libri asserat Metaphysici esse potissimum agere de substãtia, cum reliquæ accidentium categoriæ sint propter substãtiam Cùm hæc igitur Arist. tam multis in locis tam apertè scripta testataq; reliquerit, quis non videt eos qui contra sentiunt, Arist. repugnare? Veteres etiam Peripatetici aiunt accuratam scientiam prædica-

Refelluntur qui aiunt Metaphysicũ non considerare de decem Categorias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

camentorum tractandam esse à Metaphysico,sicut videre potes in commentariis eorum qui interpretati sunt categorias Arist. Possumus etiam redarguere aduersarios ad hunc modum. Omnis scientia(auctore Arist.1.Post.)tria considerat circa subiectum suum;principia, passiones, & species eius; si ens ponitur subiectum Metaphysicæ,ergo Metaphysica distinctè cõsiderabit species entis,sicut Philosophia naturalis propriè & scientificè declarat species corporis mobilis:Atqui proximę species entis sunt decem prædicamenta, illorum igitur cognitio per se attinebit ad Metaphysicam:nam ad quam obsecro aliam scientiam pertinere potest?cum in nulla tradatur aut tradi possit,vt perspicuum est perlustranti animo omnes scientias,& ratio entis prædicamentalis excedat materiam cuiuslibet particularium scientiarum.Iam verò quid magis insulsum & ineruditum esse potest quàm quòd isti aiunt Aristot. in Metaphys. agere de substantia corruptibili per accidens,cùm videamus eum ad explicandam vim & naturam eius totum librum septimum, & octauum, & bonam partem duodecimi, contulisse? Cùm igitur dubitatio ab his soluta non fuerit,doceamus nos quo pacto illi sit occurrendum.

Solutio dubitationis tertiæ secundũ auctorem.

Ego sic statuo,tres partes esse Metaphysicæ, ac proinde triplicem esse cõsiderationem eius:Vna est principalis & quasi finis cęterarum(propter quam talis scientia dicitur Metaphysica.Theologia,& omnium nobilissima)in qua tractatur res seiunctę à materia secundum rem & rationem, cuiusmodi sunt intelligentiæ, & Deus:Altera est pars in qua declarantur transcendentia.vt ens vnum,verum,bonum,actus,potentia;propter quam partem,Metaphysica dicitur vniuersalissima, & habere ius & imperium in cæteras scientias: Tertia pars eius complectitur decem prædicamenta.Sed quid nam causę est,dicet aliquis,cur hæc tria in Metaphysica tractentur?An quia omnis scientia(vt antea diximus)cõsiderat principia,species,& passiones subiecti sui?Metaphysicę autem subiectum est ens,vt eius,cuius primæ causę sunt intellgentiæ;passiones maximè communes,vnum,verum,bonum:species proximæ sunt decem categorię, quare nõ est mirum hæc omnia complexu vnius Metaphysicę contineri;& quamuis hæc tria vsq; eo diuersa sint inter se,videatur nihil esse commune intelligentiis,transcendentib.& decem Prędicamentis,nihilominus tamen possunt rectè comprehendi vna scientia,quatenus in ea tractantur,prout habent ordinem & attributionem advnum,quod pręcipuè in ea scientia spectatur,hoc autem in Metaphysica,est doctrina intelligentiarum,sicut ens est vnum quidpiam, quia licèt immediatè significet multas res,tamen significat eas per attributionem

tionem ad vnum,nimirum ad substantiam.Nõ enim ea sola quæ sunt vnum quidpiam vel specie vel genere cadunt sub vnã scientiam,sed étiam quę Aristoteles vocat ab vno ad vnum, vt ipse docet 4.lib.Metaphy.tex.2.

Soluitur alio modo tertia dubitatio.

CAP. VII

QVan quam tertia dubitatio eo modo quo diximus satis bene solui potest,nobis tamẽ eandẽ rẽ acriori studio,maiorisq;diligẽtia cõsiderãtibus (nõ enim in prędicta respõsione planè cõquiescebamus) visũ est eidẽ dubitationi alia ratione melius atq;probabilius occurri posse.Et vt quod docere volumus facilius explicetur atq; intelligatur;ponemus tres cõclusiones,in quibus explicatio sentẽtiæ nostræ cõtinebitur.Prima conclusio oportet esse aliquam scientiã vniuersalem diuersam à scientiis particularibus,quæ agat de transcendentibus,& iis quę sparsa sunt per omnes disciplinas (cuiusmodi sunt decem Prædicamenta, & generales diuisiones entis) ita vt subiectum eiusmodi scientiæ sit ens vt ens,principia eius sint dignitates quædam generales;(quarum princeps est illa. Quodlibet est vel non est) species proximè sunt decem Prædicamenta. Secunda conclusio prædicta scientia vniuersalis non debet agere de intelligentiis per se,& vt sunt species entis, sed tãtùm fortasse in ordine ad suum subiectum,nimirum vt sunt generalia principia & vniuersales causæ omnium entium.Tertia conclusio. Necesse est esse duas scientias distinctas inter se;Vnam,quæ agat de transcendẽtibus,& vniuersalissimis rebus;Alteram,quæ de intelligentiis.Illa dicetur prima Philosophia & sciẽtia vniuersalis;hęc vocabitur propriè Metaphysica,Theologia,Sapiẽtia,Diuina sciẽtia.Sed has tres conclusiones rationibus etiã cõfirmemus.Prima conclusio sic probatur;Ens vt ens,cum suis passionibus & proximis speciebus aliisque generalibus attributis, est aliquid scibile, ergo consideratio eius & tractatio pertinet ad aliquam sciẽtiam, sed nõ ad aliquam ex scientiis particularibus;tum quia vel ad omnes,& hoc est absurdum,idem enim sæpius repeteretur, vel ad vnam aliquam earum.at cur potius ad hanc quàm ad illam cùm tale subiectum vniuersale communiter insit in omnibus?tũetiã, quia cùm quælibet eàrum sit particularis si assumeret sibi tractationem entis vniuersaliter sumpti transiret fines suos & ex particulari scientia euaderet vniuersalis.ergo tractatio & consideratio entis vniuersaliter sumpti,& eorum quæ tali enti cõueniũt per-

Necessariam esse aliquam scientiã vniuersalẽ quæ tractet transcendẽtia & ea quæ per omnes res sunt sparsa.

Aliã esse scientiãquæ agit de transcendẽtibus & aliã quæ agit de intelligẽtiis.

tinet ad aliquam scientiam vniuersalem distinctam à scientiis particularibus. Secunda conclusio ita probatur: cum subiectum prædictæ scientiæ vniuersalis sit indifferens ad omnes species entis particulares siue materiales siue immateriales, non debet scientia considerãs ens vniuersaliter sumptum descendere ad tractationem & considerationem omnium specierum eius particulariũ: nam vel descendet ad cõsiderationem omnium specierum, & sic scientiæ vniuersalis efficietur etiã particularis: immo tollétur omnes scientiæ particulares & vna tantùm erit scientia omniũ entium: uel descendet ad species entium immaterialium, non autẽ rerũ materialiũ; at id est contra rationẽ: cũ enim ens, vt ens indifferẽter se habeat ad ens materiale, & immateriale, & cõmuniter de vtroque dicatur, aut nõ debet scientia agẽs de ente vt ens est, descendere ad considerationem entis siue materialis siue immaterialis vt ita seruet modum suæ considerationis, aut si transgrediens modum sui subiecti & suæ cõsiderationis, descẽdit ad inferiora & particularia entia, nulla ratio autẽ esse potest cur potius descendat ad considerationem rerum immaterialium quàm materialium. Tertia conclusio facilè probatur ex iam dictis, nam si quæ conueniunt intelligentiis per se, & vt sunt species entis, sunt scibilia in aliqua scientia & non in illa vniuersali vt ostensũ est, ergo in alia scientia distincta & diuersa, quare necesse est duas esse scientias diuersas, quarũ vna de intelligentiis per se agat altera de ente vniuersaliter sumpto. Ex his liquet quomodo respondendum sit tertiæ dubitationi: consideratio enim transcendentiũ & Prædicamentorum, & item consideratio intelligentiarum non pertinet ad vnam aliquam scientiam, quod tamen in tertia dubitatione supponebatur.

Dubitationes. Verũ hoc loco existũt duæ dubitationes: Vna est. Cur si ita res habet vt diximus, Arist. tamẽ vna scientia est cõplexus doctrinã transcendentiũ & intelligẽtiarum? Altera est, si quæ dicta sunt cõcedimus, necesse etiã est quatuor esse scientias speculatiuas. Vnã Physicam: Alterã, Mathematicas disciplinas; Tertiã eam quę agit de intelligentiis; Quartam illam vniuersalẽ quæ agit de ente vniuersaliter sũpto: at ponere quatuor scientias speculatiuas, videtur Commẽtator inferre & habere pro absurdo in 1. Metaphys. com. 47. disputans contra ideas Platonis.

Solutio prioris dubitationis. Ad priorẽ dubitationẽ respondemus paucissima esse quę de intelligentiis secundũ seipsas, & prout sunt species entis scientificè cognosci & probari possũt cognitione naturali ex sẽsibus vel per sensus acquisita quamobrẽ noluit Aristot. talẽ intelligentiarum doctrinam propter eius insignẽ paruitatẽ seorsim tradere, sed alicui

licui aliarum scientiarum adiungere nõ est autẽ ei visum alij scientiæ cõmodius adiungi posse quàm illi vniuersali quæ agit de trã scendentibus propterea quòd in ea necessariò agẽdum est de intelligentiis prout sunt communia principia & vniuersales causę omnium entium: Ex qua cognitione deuenitur in notitiam eorũ quæ intelligentiis conueniunt secundum seipsas: Etenim cognitio intelligentiarum, prout sunt species entis, & earum rerũ quæ per se ac propriè illis cõueniũt, nõ alia via naturaliter à nobis parari & haberi potest, quàm ex cognitione earũdẽ intelligẽtiarũ, principia entium. Quocirca Arist. 12. Metaphysic. non alia via inuestigat & colligit attributa intelligẽtiarũ, quã ex eo quia æternum motum efficiant Aristot. igitur docendi commoditatẽ secutus & amplexus doctrinam intelligentiarum coniunxit cum doctrina illa vniuersali quæ agit de ente vniuersaliter sumpto.

Ad posteriorem dubitationem respondemus, non debere videri absurdum si ponatur quarta scientia speculatiua cùm ad id nos manifesta & necessaria ratio, vt diximus cogat & impellat: Auer. autem nõ simpliciter negat quartam scientiam speculatiuam: sed talem tantùm, qualis deberet esse illa de Ideis Platonis siquidem ea partim esset Metaphysica, partim Physica: nam ideæ: quatenus sunt immateriales & immobiles sunt res Metaphysicæ: quatenus autem sũt quidditates rerum naturalium, eiusdem rationis cum illis, vt volebat Plato, sunt res Physicæ: atque ita sunt mediæ inter res diuinas & naturales, quod Auer. ducit absurdũ nam in eodem lib. 1. Metaphysicæ, com. 39. ita scribit, *Notum esse per se, quod nulla natura est media inter abstractum & materiale; hæc enim duo contraria, æternum & corruptibile, manifestum est quod sunt immediata.* Sed hoc dictum Auerr. si vt sonant verba simpliciter intelligatur, falsum est, vt manifestè patet in anima rationali; quæ media est inter formas omnino abstractas, & formas omnino materiales. Nõ solùm autem non est absurdum ponere quãrtam scientiam speculatiuam: sed etiam qui poneret quintam quandam hoc est scientiã Dei, secũdum ea quæ possunt de eo naturaliter cognosci distinctam à scientia intelligentiarũ, is iudicio nostro non pessimè sentiret. Nam in distinctione sciẽtiarum duo considerari solẽt, nimi rũ diuersitas obiectorũ & diuersitas rationis formalis seu modi considerãdi, vel secundũ alios, diuersitas abstractionis, ex qua putant præcipuè petendã esse sciẽtiarum distinctionẽ: sed vtrunque horum declarat maiorem esse distinctionem inter sciẽtiam Dei, & scientiam intelligentiarũ, quàm est inter scientiam intelligẽtiarum, & sciẽtiam rerum naturalium. Cùm igitur hæ duæ posteriores sciẽtiæ inter se distinctę sint multo magis erit distincta sciẽ-

Quomodo Auerroes negat esse quartam scientiam speculatiuam.

Videri scientiam quæ est de Deo, diuersam à scientia quæ est de intelligentiis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ria Dei,à scientia intelligentiarum.Minor ita probatur;Maior est distantia & diuersitas inter Deum & intelligentias, quam inter has,& res naturales, siquidem maior est distantia inter finitum & infinitum,quàm inter duo finita.Præterea,plura sunt communia intelligentiis & aliis creaturis, quàm Deo & intelligentiis, & ea in quibus Deus distinguitur ab intelligẽtiis sunt plura& insignio ra.Quare si spectetur diuersitas obiectorum,liquidò cernitur ma ior diuersitas inter scientiam Dei,& scientiam intelligentiarum, quàm inter hanc & scientiã rerum naturalium. Similiter etiam idem perspicuum erit si spectetur diuersitas abstractionis; nam res naturales sunt penitus immersę materię sensibili;res Mathematicæ sunt abstractę à materia sensibili ratione tantùm:intelligentiæ secundũ rem & rationem, verùm habent in se materiam quãdam spiritualem & metaphysicam:Etenim esse in potẽtia,esse mutabile,esse imperfectũ,esse limitatum,esse compositũ,subii ci,recipere,participare,dependere,multiplicari,hæc inquam omnia,nescio quid sapiũt materię & potẽtialitatis. Deus autẽ ab om ni ratione materię,qualiscunq; ea sit,est purus & liber. Cùm igitur longè alia sit in Deo abstractionis ratio quàm in intelligentiis,necesse erit scientiam Dei etiam hanc ob causam,diuersam esse à scientia intelligentiarũ, non minus quàm hæc est diuersa à scientia rerum naturaliũ. Atq; hæc quidem probabiliter à nobis dicta sint:nã ea subtilius considerանda & rectius diiudicanda aliis relinquantur.Proximum est vt quartam dubitationẽ enodemus.

Esse in intelligẽtijs aliquid materialitatis & potẽtialitatis.

Quid de eo quod tangitur quarta dubitatione nonnulli Philosophi opinentur.

CAP. VIII.

Antonius Mirandulanus de euersione singularis certaminis li.13. sect. 6.& 7.

VIdam ætatis nostrę nõ contẽnendus Philosophus in quodã opere suo Philosophico affirmat vnam tãtummodo esse scientiã rerũ omniũ, cuius subiectũ sit ens vt ens,còplectens in se omnia tanquam passiones,vel modos,vel species entis:eas verò quę appellantur scięties, vt Physica,Metap.Mathematica,nõ tã esse scięties inter se diuersas,quàm vnius scientiæ partes;non secus,atque doctrina animalium,plantarum,& metallorum,sunt partes vnius Physiologiæ:Diuisio autem scientiarum inducta est non propter varietatem scibilium, sed propter maiorem commoditatẽ discendi,ne multitudo scibilium cõfusionem afferret,& angustã atq; infimã ingenij humani vim captúmque obrueret. Sicut enim vasa angustioris oris, magnam

gnam aliquam aquæ copiam simul infusam respuunt, guttatim autem instillatam totam recipiunt; sic angustiæ humani ingenij quę simul coniuncta non accipiũt,ea variè diuisa & distincta non ægrè percipiunt. Atque hoc ipsum eleganter docet Crassus apud Ciceronem in li.3.de Oratore, affirmans primùm quidẽ fuisse vnum quasi fontem sapientiæ, eum autem postea ceu in multos scientiarum riuulos deriuatum ac diductum fuisse, vt quæ simul complicata & coniuncta,ægrè poterant ab hominibus addisci,ea variè disiuncta & dispertita,commodius& facilius perciperentur. Hanc autẽ opinionem suam Philosophus ille conatur persuadere his argumẽtis.Primò,Arist.4. Metaph.tex. 2.ait,sicut vnus sensus v.g.visus, percipit omnes colores sibi subiectos, & vna doctrina Grammaticæ considerat omnes voces,ita esse vnius scięties,ens vt ens,& omnes species entis,ac specierũ species speculari. Secudo, ens vt ens,& vt in se cõtinet omnia entia,est scibile per vnã scientiam,quippe cum sit vnũ,saltẽ secundum vnitatem analogicã.vel potius secudum eam quæ dicitur ab Arist.ab vno ad vnũ,quę vnitas sufficit ad rationẽ scientiæ sicut vna est scięties Physica considerãs corpus naturale & omnes eius species,affectiones,cunctáq; quæ in illo cõtinentur,quare sicut est vna scientia omniũ rerum naturalium, ita esse poterit atque erit vna scięties omniũ entium. Tertiò,si quid obstaret quominus posset esse vna scięties omnium entium,id esset fortasse, vt multis placet, varietas abstractionũ à materia,quę cernitur in rebus scibilibus,& vulgò putatur necessaria esse ad constituẽdam vnitatem & distinctionẽ scięties.Etenim longè aliã abstractionẽ à materia,res Metaphysicæ quàm Mathematicę & Physicę habẽt,sed hoc nihil est,ergo nulla causa est cur non possit esse vna scientia omniũ entium:Minor probatur,nam si diuersitas abstractionũ faceret diuersas scientias,non posset vna scięties complecti diuersas abstractiones, at Metaphysica cõtinet in se omnia tria genera abstractionum,siquidem abstractio secũdũ rẽ & rationẽ à materia,reperitur in intelligẽtijs,abstractio secũdũ rationẽ tãtùm inuenitur in transcẽdentib.& in quãtitate,abstractio Physica,quę est tãtùm à materia signata,reperitur in substãtia prædicamentali,& in substãtia generabili & corruptibili,de quã copiosè agitur in 7.& 8.Metap Adde, quod Geometria & Arithmetica habẽtur inter se diuersæ scientię,quę tamẽ vno genere ac modo abstractionis continẽtur. Quartò,facultas quæ ponit discrimẽ inter aliquas res,debet easdẽ res cognoscere,sic enim de sensu cõmuni argumẽtatur Ari.2. de Anima, sed est aliqua differentia inter res Metaphysicas, Mathematicas & Physicas, eáque differẽtia est scibilis per vnã aliquã scientiã,ergo illa eadẽ scięties,

Diuersitas abstractio num non facit diuersas scientias.

tam res Metaphysicas quàm Physicas, atque Mathematicas cõsiderabit, quare omnes res subiicientur vni scientiæ Hæc pro opinione illius Philosophi.

Refellitur supradicta opinio.

Verùm hęc sententia nõ est probãda: 1. quia tollit verã distinctionem scientiarũ tot iam sæculis ab omnib. probatã, receptã, & ab Arist. in 6. Metap. aliisq; in locis traditam, declaratam, atq; cõfirmatam 2. Ari. in primo Post. 43. docet nos cognoscere, ac diiudicare quę sciẽtia sit vna, & quę sciẽtię sint inter se diuersæ, scribẽs, cã esse scientiam vnã, quę vnius subiecti propria principia, species, & affectiones cõsiderat, eas verò sciẽtias esse diuersas inter se, quarũ principia ita sunt diuersa, vt principia vnius non sint sub principiis alterius, nec principia vtriusq; sint sub principiis alicuius sciẽtiæ superioris. at clarũ est ita se habere principia Physica, Mathematica, & Metap. id quod manifestius erit ex iis, quæ inferius dicemus de subalternatione: & sanè doctrina illa Arist. de vnitate, & diuersitate scientiarũ, planè superuacanea & inanis esset, si nulla esse posset diuersitas scientiarũ, & omnia cõprehẽderentur vnica scientia. 3. Diuersitas esse tres scientias illas speculatiuas, quiuis in Philosophia exercitatus, clarè perspiciet, si cõsiderat quàm sit diuersus modus vniuscuiusq; sciẽtię in demõstrandis, tractãdisque reb. sibi subiectis. Nam Physicus procedit ex causis. vel ex effectibus, vel accidẽtibus, vel signis, vel aliis rebus; quæ sensibus, experientiaq; percepte & exploratæ sunt, & nunquam quoad eius fieri põt, à sensu & experientia, vel latum (vt dicunt) vnguem discedit. Metap. quia circa res vniuersales, & abstractas versatur, procedit ex principiis quibusdam, atque propositionibus maximè generalibus, & naturali lumine rationis manifestis. Mathematicus autẽ in cõficiẽdis suis demõstrationibus, nõ spectat essentias rerum, neque proprietates, prout manant ex essentia, neque curat an medium quod assumit ad demonstrãdum, sit causa rei demonstrandæ, vel effectus, per se, an per accidens: propriè, an communiter ei coniunctum sit: neque robur suarum demonstrationum capit ex sensibus & experientiis (loquimur autem hic de puris Mathematicis, quales sunt Geometria, & Arithmetica; nam perspectiua & Astronomia nitũtur etiam sensibus & experientiis) sed hoc vnum curæ Mathematico est, vt medium habeat necessarium, euidentémque connexionẽ cum quæstione quæ demonstranda est. Verũ hac de re latiùs infrà dicturi sumus. Tãta igitur diuersitas modi procedẽdi in demonstrandis, tractandisq; reb. apertissimè declarat, testatúrq; nullo modo fieri posse, vt vna tantum sit rerum omnium scientia: atque hinc patet solutio quartæ dubitationis.

Vnaquæque scientia speculatiua, habet peculiarẽ modum procedẽdi & demonstrãdi.

Soluuntur

Restat nunc, vt ad argumẽta pro illius Philosophi opinione allata

lata breuiter respõdeamus. Ad primum respõdetur. Ari. loqui eo in loco de Metaphysica, vt perspicuũ est consideranti antecedentia & consequentia; dicit autem Metaphysicum considerare species omnes entis non simpliciter & absolutè, sed cum adiunctione illius particulæ (quot sunt) quo verbo innuit Metaphysicum considerare species entis secundũ numerũ, distinctionẽ, ordinem vel subordinationem earum inter se: nimirum, quia sunt genera quædam, & gradus entis, in quos ens per primas, & generales diuisiones distribuitur. Ergo corpus naturale exempli gratia, quia est genus quoddam, & gradus entis (ens enim diuiditur in ens naturale, mobile, & immobile) quidditatiuè consideratur à Metaphysico, quatenus est talis gradus entis, & ab aliis gradibus distinguitur: nam qui considerat diuisionem aliquam, idem considerare debet, & id quod diuiditur, & membra diuidentia; quare si Metaphysici est tractare diuisiones generales entis, eiusdem erit declarare & tractare ea, in quæ diuiditur ens. ex quo fit vt Metaphysici sit declarare quid sit corpus naturale, & demõstrare quòd sit, siquidem opus id fuerit: quã rem Arist. insinuat 6. Metaph. tex. 1. at corpus naturale, non vt est species quædam, & gradus entis, sed vt est genus quoddam in se continens omnes res naturales, non pertinet ad Metaphysicum, sed ad Physicum. is enim agit de corpore naturali in particulari, secundum omnia quæ in ipso continentur. Signum autem eorum, quæ diximus, illud est, quod Metaphysicus generatim tantùm agit de corpore naturali, nec ad vllam eius speciem particulari tractandam descendit. Physicus autẽ ipsum cõsiderat nõ in cõmuni, nec vsquã declarat quid illud sit: sed totus occupatur circa species eius, vel circa prĩcipia & affectiones, vt pertinẽt ad motũ, & sensib. atq; experiẽtiis subiiciũtur.

Rationes illius opinionis.

Quomodo consideratio entis naturalis vel mobilis partim sit Metaphysica & partim physica.

Ad secundam & tertiam respondemus. causam, cur non possit esse vna scientia entis & omniũ quæ continẽtur in ente, sicut est vna scientia corporis naturalis, & omniũ, quę in eo continentur, paulò supra fuisse à nobis expositam, in secunda & tertia ratione, quibus vsi sumus ad astruendam diuersitatem sciẽtiarum. nempe maxima diuersitas tum principiorũ, tum modi procedendi & demonstrandi, quẽ sibi proprium vendicat vnaquæque scientia, non patitur omnia vnius scientiæ amplexu comprehendi.

Quomodo intelligendum sit, id, quod ponit discrimen inter duas aliquas res, ipsũ de quibus vtrasque cognoscere.

Ad quartam respondemus à Metaphysico poni discrimen inter subiecta scientiarũ particulariũ, eáque ab illo cognosci eo modo, quo dictũ est in solutione primi argumẽti. Vel aliter; sicut sensus cõmunis ponens discrimen inter albũ, & dulce, cognoscit vtrũque, non per vnicã speciem: sed per aliam speciem cognoscit album, & per aliam dulce; sic idem intellectus, qui ponit discrimen

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter res diuersarum scientiarum,eas cognoscit:non per vnicum habitum scientiæ, sed per diuersos habitus alioquin,si discrimen inter duas scientias semper referri deberet ad vnã aliquam scientiam communem,atque distinctam,res profectò abiret in infinitum:nam etiam discrimen inter illam scientiam communem,& alias pertineret ad aliam scientiã : vt item discrimen inter illam, & cæteras,pertineret ad aliã,& sic deinceps in infinitum. Verùm cùm de quarta dubitatione, satis superque dictum sit,veniẽdum est ad enodationem quintæ dubitationis, quæ & grauior est, & non minus difficilis ad explicandum.

Explicatur quinta dubitatio.

CAP. IX.

Solutio quintæ dubitationis.

DE anima rationali , quid senserit Ari.sunt tres opiniones apud Peripateticos:Vna est Alexãdri, qui vult eam esse formam naturalẽ hominis generabilẽ,corruptibilẽ:Altera est Auer.qui negat eam esse formã dantẽ esse naturale homini,sed tantummodo assistentem corpori, & in eo operantẽ,quo modo etiam cõmuniter dicitur intelligentia esse forma,& anima cęli:Tertia est D. Tho. qui arbitratur animũ nostrum,etiam secundum Aristotelẽ,& immortalem esse,& veram atque naturalem formam corporis: quarum opinionũ perspicuè constat solam tertiam esse veram; quęnam autẽ propior, & congruentior sit doctrinæ Arist. summa Philosophorum dissensione certatur.Sed vtcunque sit(neque enim hoc loco talis cõtrouersia diiudicanda est) illud certè affirmari potest, secundũ opinionem Alexandri,scientiam animæ rationalis esse penitus Physicam, nõ minus quàm cuiuslibet aliarum formarum naturalium ; secundum verò opinionem Auerr.eatenus esse Physicam,quatenus est forma assistens corpori, & in eo exercens functiones intelligendi;simpliciter autem & secundum suam quidditatem, esse Physicam,quemadmodum intelligentia, prout assistens orbi cælesti largitur ei sempiternum motum,cognoscitur à Physico;per se autem,&(vt dicũt)quidditatiuè,à Metaphysico sciri debet tota: igitur difficultas existit secundum tertiam operationẽ. Quamobrẽ ego sic statuo,etiam si Ari:senserit(quod nos pro certo habemus) animam rationalem esse immortalem,& verum actum corporis; nihilominus tamen scientiã eius non posse à Physico perfectè cognosci ac tradi,sed tantummodo aliqua ex parte. Hoc autem ita confirmo.Si anima rationalis simpliciter scitur à Physico:aut cognoscitur ex propriis causis eius,aut ex propriis effectib. & operationibus ipsius ; sed neutro modo perfectè cognosci potest à Phy-

Probatur animã rationalem non posse perfectè cognosci à Physico.

Physico,ergo,&c.Maior per se patet,nam bifariam tantùm contingit aliquid demonstrare vel scire,aut à priori,id est ex caussis, aut à posteriori,id est ex effectibus;Minor autẽ probatur, primò ostendendo causas animæ rationalis sciri non posse à Physico,postea demõstrando,neque proprias operationes eius ab eo cognosci posse. Causã efficiens proxima animæ rationalis est Deus,ex nihilo producens eam,non per motum Physicũ, sed per creationem,vtens virtute infinita ad eam creandã;at neque Physicus potest cognoscere fieri aliquid ex nihilo , neq; aliquid de nouo immediatè produci à Deo,neque esse aliquã productionẽ , quæ non sit motus, vel mutatio Physica ; neque in natura existere aliquod agens quod habeat infinitam vim secũdum vigorẽ.Hæc enim vt possint naturali lumine cognosci,attamen non queunt rationib. Physicis percipi & demõstrari.Finis autem animę rationalis vltimus quidẽ,in quo solo potest animus cõquiescere,est supernaturalis,cõsistens in clara visione Dei.Media item quibus opus est ad consequendũ illum finem supernaturalia sunt, finis autem nõ vltimus;sed qui potest cõtingere in hac vita, duplex est:vnus speculatiuus, consistens in perfecta cognitione rerum diuinarum ; alter actiuus,qui positus est in vsu atq; functionib.virtutum moralium & ciuiliũ. Clarũ autem est neutrius finis cognitionẽ à Physico percipi,aut tradi posse : oporteret enim eum tenere sciẽtiã rerum diuinarũ,in qua est finis speculatiuus,aut virtutũ moralium, in qua est actiuus : Physicus etiam docet eundem esse finem vltimum partis,atq; totius; cùm non possit esse perfecta pars remota à toto.at cum animus sit immortalis,homo autẽ mortalis;impossibile est,physicè loquẽdo (neq; enim Physico cognita esse potest resurrectio mortuorũ) vltimũ finem & perfectionem vtriusque candẽ esse : Forma verò, seu proprius gradus formalis, per quem anima rationalis differt & ab intelligentiis & à cęteris formis naturalibus,continet duo.vnũ est, ipsam esse formã materię cui dat esse,quare differt ab intelligẽtiis ; alterum est nõ esse formã eductam ex potentia materiæ, atq; separabilẽ esse & immortalẽ:quæ nota secernitur ab aliis formis naturalibus. atque hoc posterius, quod est pręcipuũ & magis attingit quidditatẽ animæ,nõ potest sciri à Physico.formę enim omnino Physicę,vt supra diximus & Arist. confirmat.2.lib. Phys.tex.19. sunt minus abstractæ quàm Mathematicę,quippe cum sint (veluti simum) re atq; ratione inseparabiles à materia.Cui rei fidẽ etiam facit D.Thom. in 2.Phy. super t.26.his verbis. *Quomodo se habet anima rationalis secũdũ quod est separabilis,& sine corpore existere potens, & quid sit secundum suam essentiam separabilem,hoc determinare pertinet ad Philosophum primum:*

Idem scribit atque iisdem propemodũ verbis Scotus in suis commentariis(si quidem ipsius sunt)super Metaphy.Ari.in 6.li.exponens textum 2. Præterea, si operatio animæ rationalis aut est per se corporea aut non est sine corpore, non est ipsa anima separabilis à corpore; sed Physicus non potest cognoscere animam,nisi prout operans in corpore dependet ab obiecto corporeo, hoc est à phantasmate, ergo non potest cognoscere illam vt est à corpore separabilis. hæc manifesta sunt ex his quæ scribit Arist.tum 1.de Anima tex. 13. tum in 3.lib.textu 39. Porro materia de qua Physicus agit,ea tantùm est de cuius potentia per trãsmutationẽ Physicã formæ naturales extrahũtur in actum,& sem per ex æquo respondet formæ cuius est materia. Nam cùm materia & forma numerẽtur in his quæ sunt ad aliquid, inter vtramq; esse debet certa quædam & rata proportio, vt quanta est potẽtia passiua materiæ,tanta quoque sit potentia formæ,& quod in vna possibile est,sit etiã possibile in altera:alioquin,cùm neq. materia sine forma,neq; sine materia forma possit cohærere(hoc enim ingenium est relatiuorum, vt si ponatur aut tollatur vnũ, alterum quoque vna poni aut tolli necesse sit)si potentia passiua materię amplior esset(quamuis informatiua ipsius formæ,aut contrà,hęc latior quàm illa necessariò alterutra superuacanea esset nec vllũ vsum haberet. Cùm igitur anima rationalis neque habeat materiam,ex cuius potentia educatur, vt quæ à Deo procreatur ex nihilo;neque eam,quæ sit omnino par,& æquè respõdens illi; nam si est immortalis,habet suapte natura vim & facultatem ad informandam materiam infinito tempore;cùm tamen nulla materia, aut corpus existat,quod infinito tempore possit ab ea informari. Itaque datur informatiuum quidem infinitum,informabile verò minimè, & homo est immortalis ratione animæ rationalis, ex parte verò corporis nequaquam. Cùm igitur hæc ita se habeant, perspicuum est nullam causam animæ rationalis à Physico sciri posse.

Sed de causis satis,veniamus ad effectus & operationes.Duo sũt quæ manant ex natura animæ rationalis,vnum quidem,duæ illæ potentię(siue re differant inter se,siue non)intellectus,& volũtas, alterum verò actiones,quæ ab his potentiis proficiscuntur,cuiusmodi sunt intelligere & velle;horum autẽ nihil per se ac simplici ter pertinet ad scientiam Physicã.Nam illæ duę potentię sunt incorporeę,& abiunctæ à materia,quæ non manãt ex anima rationali,vt est forma Physica,quę vnita materiæ,existit actus & perfectio corporis;cuius signũ est, quod tales potẽtię insunt animę rationali,etiam cũ separata est à corpore; & quamuis in eodem instanti

Intellectus & voluntas,non

stanti temporis,anima creetur, & simul vniatur corpori, tamen prius natura est,eam creari,& habere esse per se, quam informare materiam.in illo autẽ priori signo naturę,iam insunt in ea prędictæ potentię.Intelligere autẽ neq; subiectiuè,neque effectiuè, neq; formaliter,neq; terminatiuè,seu obiectiuè, est quidpiã Physicum.Non subiectiuè,quia talis actio recipitur tanquam in subiecto in potentia intellectiua,quã ostendimus nõ esse Physicam, cùm nullius corporis sit actus;nõ effectiuè,quia talis operatio efficitur ab anima rationali,vt est immaterialis,& per se subsistẽs, atq; separabilis à corpore; alioquin esset actio communis animę & corpori,veluti est ali & sentire,quòd manifestè falsum est,&cõtrarium his quę scribit Arist.in 2.lib.de Gen.Animal.c.3.præterea,si animus intelligit quoniã est cõiunctus & cõsociatus corpori; ergo ab eo solutus & distractus, nihil posset intelligere. Nec formaliter ipsum intelligere est aliquid Physicum. etenim per se non est motus Physicus,sed potius actio quædã immaterialis, ac propè diuina.Neq; postremò terminatiuè;nã obiectũ intellectus ad quod terminatur actio eius,trãscendit fines Physiologię:quippe cùm cõtineat multa, quę nullo modo sunt res Physicæ,vt intelligentias & Deũ.Ac licèt modus intelligendi quem habet animus noster dum est in corpore sit quodã modo Physicus,quia fit cum discursu qui assimilatur motui Physico, & pẽdet obiectiuè à phãtasmatib.quę sunt res Physicę,atq;hanc ob causam à Physico,& possit &verè debeat considerari,idẽ tamen ob eas quatuor causas quas proximè antè exposui,nõ est Physicus: & certè modus intelligendi, quẽ habet animus noster à corpore seiunctus, quin is Physicus non sit, nec ad Physiologiæ doctrinã pertineat, negari non potest.Iam verò operatio voluntatis,quę est velle,cũ nullius corporis,aut motus Physici legib. teneatur,nec per se sub iaceat ipsi cęlo,à quo tamen Physici docent omnes res naturales necessariò pendere,nullo modo debet,aut numerari in reb.Physicis,aut scientia naturali comprehendi. Sed video me disserendi studio, & huius disputationis suauitate ac iucunditate captum, longius quàm vellem processisse;quare pedem referamus, & ad paucas propositiones reuocemus ea,in quibus est posita solutio propositæ dubitationis,& nostræ opinionis explicatio.

sunt per se potẽtiæ Physicæ.

Sit igitur prima propositio.Scientia animæ rationalis, non est simpliciter & omnino Physica.Hoc nõ eget probatione,cùm ac curatè,copioséq; demonstratũ fuerit in præcedenti cap. Secunda propositio. Scientia animæ non est omni ex parte Metaphysica: Multa.n.sunt,quę de anima rationali tractari debent à Physico, quę autẽ sint eiusmodi breuiter declarandũ est.Primò,quòd pro-

Brevis enodatio q.

Quas res tractet Physicus de anima rationali.

ductionis animæ rationalis, sicut cæterarum formarum naturalium sit naturaliter fixum, ratũ & præfinitum tẽpus: nam quemadmodum alię formę producuntur simul atq; materia ritè præparata & dispositа fuerit: sic etiam anima rationalis: adeo vt possit dici esse finis generationis humanæ nõ quidem internus, hoc est, qui per dispositiones præcedentes educatur ex potentia materiæ; sed externus, id est, qui in eodem instanti, in quo materia dispositа est, producatur à Deo, & copuletur materię. Secundò quia vnio animę rationalis cũ materia est naturalis, partim, quia respectu materiæ efficitur, propter dispositiones Physicas inductas ab agente naturali: partim etiam, quia talis vnio fit ad modum formarum naturaliũ, hoc est, nõ per solam assistentiã aut operationẽ, sed per veram; & naturalem informationẽ, dando esse materiæ. Tertiò, Quia est ἐντελέχεια prima corporis naturalis & organici, ipsum viuificans, cõseruans, mouens & regens. Quartò quia cõstituit hominẽ in certa quadã specie viuentium, ita vt homo quà homo, & sit, & numeretur in rebus naturalib. propter animam rationalem. Quintò, quoniã cum vna tantum anima sit in homine: cęterarum tamen animarũ facultatib. mirabiliter instructa, & adornata est, earùmq; functiones & munera ita explet, vt homo melius alatur, & sentiat excellentius per vnã animã rationalem, quàm vel planta per animam vegetatiuam, vel brutũ per sensitiuam. Sextò. quia per animam rationalẽ homo intelligit, & vult: sicut n. animaduertimus nos sentire, ita deprehendimus nos esse qui intelligimus. & volumus, quod neutiquam accideret, si anima rationalis non esset vera, & naturalis forma hominis. Septimò, quia intellectus per se est in pura potentia ad intelligendũ, quia intelligere est quoddã pati, quia homo in intelligendo depẽdet à phantasmate; quia intellectio fit per discursum & mensuratur tẽpore, quia intellectus practicus & voluntas, sunt principia motuũ, & actionum humanarum. Hæc igitur, & si qua sunt alia his similia, tractabit Physicus de anima rationali. Tertia propositio. Nonnulla sunt, quæ neq; Physicè, neq; Metaphysicè, neq; per vllã scientiam humanã sciri possunt de anima rationali; sed habentur cognita ex sacris literis, & per lumen fidei nobis diuinitus infusum, cuius generis sunt hæc. Primò, quis sit vltimus finis simpliciter animę rationalis, & quæ sint necessaria ad talem finẽ consequendũ. Secundò, quis sit status animę rationalis post mortẽ hominis, an maneat apud nos: an potius cõcedat aliò an omnes animę in vnũ locum cõueniant, vel alię in aliũ. quę sit & vbi, talis varietas locorũ; quid intelligãt, quid agant, & quomodo; an perpetuæ erunt spoliatæ corpore: an reuersuræ sint ad corpus, &

Quæ sunt ea quæ nõ possunt de anima rationali certò cognosci nisi per lumen fidei.

pus, & num ad idem, an ad diuersa; quomodo possit fieri eiusmodi reuersio, & quando. Tertiò. Si animus est immortalis, quoniam consilio iunxit illum Deus cum mortali corpore? videtur. n. monstrosa talis coniunctio, nam licèt prædictæ obiectioni occurri possit dicendo, Deum à principio cùm hominem condidit: immortalitatem, quam natura denegauerat, corpori per gratiam dedisse, ita vt si præceptis eius obediret homo, illo singulari munere adiutus & conseruatus, mortis penitus expers vitam ageret immortalem. licèt, inquam, hoc verè possit respõderi, tamen hoc naturaliter cognosci nequit, sed ex sacris literis acceptum; fide tenemus. Non est igitur dubiũ, quin multa de anima rationali cognita habeamus, quæ à nulla scientia humana discere potuimus sed sacrosanctę Christianæ fidei referre accepta debemus Quarta propositio. Hinc necessariò efficitur, vt perfecta scientia eorũ omnium quæ conueniunt animæ, sit mixta ex tribus doctrinis, nam partim est Physica, partim Metaphysica, partim est doctrina reuelata. ex quo fit, vt scięntia illius sit maximè difficilis, præstans & admirabilis, vt vel hac de causa verissimè dictum fuerit illud à Regio & diuino vate, *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* Sed quia hæc quæ diximus non vacant difficultatibus, eas nunc breuiter expediamus.

Contra ea quæ dicta sunt, ponuntur nonnullæ dubitationes.

CAP. X.

Octo dubitationes.

DOctrinam alicuius rei bene fuisse constitutam illud est indicio, quòd ex ea, quæcunque existunt difficultates paruo negotio solui, & explicari possunt. Quocirca, vt appareat quæ supra diximus, ea vera & firma esse ponemus hic nõnullas dubitationes, quibus explicatis veritas sententiæ nostræ illustrior existet. Prima dubitatio. Si doctrina animæ rationalis nõ est Physica, cur eam Arist. tractauit in Phys, hoc est in 3. de anima? Aut cur de anima nostra separatim nõ scripsit, & diuersam doctrinã instituit? Secunda dubitatio, Si doctrina animæ non pertinet ad Physicam: ad quam ergo scientiam aliam pertinere potest? Si ad Metaph. cur eam Arist. in sua Metap. ne attigit quidem? & sanè formæ Metaph. sunt omnino immateriales, hoc est, re, & ratione separatæ à materia, qualis nõ est anima rationalis. Non posse autem hanc scientiã referri ad Mathematicas disciplininas, manifestius est, quã vt probari debeat. Tertia dubitatio. Si doctrina animæ rationalis nõ est Physica tãtùm, nec Metaphys. nec Mathematica, ergo dubitabitur quarta scięntia speculatiua, quare nulla erit tripartita illa diuisio scientię speculatiuę primũ tradita ab Arist. pòst ab omnib. Peripateticis recepta

Universidad de Deusto
Biblioteca

& celebrata. Quarta dubitatio. Illa forma subiicitur scientię natu
rali, cuius generatio est naturalis, sed generatio hominis est natu
ralis: ergo forma eius, quę est anima rationalis, comprehenditur
scientia naturali: Minor probatur partim ex eo, quia sol & homo
generant hominem, vt scriptum est. 2. Phys. 26. partim etiã quo-
niam Aristot. latissimè disserit de generatione hominis in lib. de
Gen. anim. etiam respectu animæ rationalis, vt licet videre in 2.
lib. illius operis c. 3. Quinta dubitatio. Is agit quidditatiuè de ali-
qua re, qui dat eius definitionẽ, definitio. n. explicat naturam, &
quidditatẽ rei quę definitur: sed Philosophus naturalis tradit de-
finitionem communẽ omni animę, etiã rationali: ergo quiddita
tiuè, ac simpliciter cõsiderat eã: Minoris veritas perspicitur ex his
quæ Arist. 2 de Anima tex. 7. scribit hoc modo, *Si autem aliquid cõ
mune in omni anima oportet dicere, erit vtiq; primus actus corporis natu-
ralis, instrumentalis, &c.* Sexta dubitatio. Arist. in 2. Metaph. à text.
21. ad 26. multis verbis ostendit eiusdem esse perscrutari materiã
& formam: cùm materia, & forma sint in his, quę vocãtur ad ali-
quid: sed Philosophus naturalis agit de materia propria animę ra
tionalis, hoc est, de humano corpore cuius ulla est ἐντελέχεια. ergo
tractabit etiã de anima rationali. Septima dubitatio. Homo, vt
homo, est res quędã naturalis, quę ad nullã aliã scientiã referri po
test, quàm ad Physiologiã: sed homo est homo propter animã ra
tionalẽ, ergo cognitio eius pertinebit ad eandẽ disciplinã. Octa-
ua dubitatio. Illa definitio hominis, animal rationale; vel animal
corpore & anima rationali cõstans, Physica est, ergo similiter par-
tes ipsius erunt Physicæ, quarũ partiũ vna, & quidẽ principalis, est
anima rationalis. Sed ad has dubitationes ita respõderi potest. Ad
primam, Arist. in libris Physicis agit de anima rationali quatenus
eahabet aliqua Physica, & communia cum aliis formis Physicis:
Sed quæres, vbi Arist. exposuit cætera attributa animæ rationalis
quę non sunt Physica? an ea tractare supercedit, quia fortasse non
possunt lumine naturę liquidò cognosci, & demõstratiuè proba-
ri? an ea tractauit in libr. Exotericis de Anima? quorum mentio-
nem ipse facit in fine 1. li. Ethicì; vel in iis quæ de Anima scripsit
ad Eudemum, cuius operis meminit Themist. in 3. de anima? Ha
buisse autem in animo Arist. post libr. de anima & lib. Metaphy.
tractare nonnullas grauiores, & obscuriores q. de anima rationa-
li videtur ipsemet innuere in 3. de Anima tex. 36. & in 12. li. Meta.
text. 17. Ad 2. Ad quas scientias pertineat absoluta cognitio ani-
mæ rationalis, declaratum fuit in præcedenti cap. propositione 4
nimirum, partim ad Physicam, partim ad Metaphysicam, partim
etiam ad doctrinam releuatam. Ad 3. Diuersam esse debere scien

*Solutio du
bitationũ*

Nota.

tiam

tiam animæ, ab aliis scientiis speculatiuis, eamq; non simplicem
esse, sed variam & multiplicem, ex tribus nimirum doctrinis cõ-
cretam. satis perspicuè demonstratum est in præcedenti cap. nec
si quis scientiam animę rationabilis ab aliis scientiis speculatiuis
diuersam faceret omnino aberraret, quanquam ego non video,
quomodo talis scientia partim Physica, partim Metaphysica, par
tim etiam ex reuelatione pendens, vna & simplex scientia dici,
aut esse possit. Ad 4. Nos vltrò concedimus, animam rationalem
pertinere ad Physicum, ea ratione vt est terminus generationis
humanæ, & vt procreatio eius fit certo quodam tempore natura
liter constituto, nõ aliter atq; productio cæterarum formarum
naturalium. Et quia reliquæ dubitationes eodem tendunt, nimi-
rum vt ostendant Physicum agere de quidditate animę rationa-
lis, & de operationib. eius, quod nos, si absolutè intelligatur, aper
tè negamus; sin autem aliqua ex parte, non abnuimus; idcirco ea
rum dubitationum facilis est & in promptu solutio. Placet. n. no
bis animam rationalem, vt est actus corporis & differentiam ho
minis constituens eum in certo gradu, & specie rerũ naturalium
& vt ad intelligendum eget opera facultatum sentientium, co-
gnosci & tractari à Physico; sed quia præter hæc, sunt alia pluri-
ma quæ cõueniunt animę rationali ea ratione, vt est separabilis à
corpore, immortalis & diuina quædã substantia, quæ proculdu-
bio superant facultatem Physiologię; idcirco nõ temere diximus
perfectam eius scientiam à Physico percipi, & tractari nõ posse.
Ex iis autem quæ adhuc explicata fuerunt de cognitione animæ
rationalis, facilè intelligitur quomodo solui debeat quinta dubi-
tatio, dicendum. n. est animã rationalem, ea ratione, vt est forma
corporis, & pars essentialis hominis, efficiens actiones partim o-
mnino Physicas, vt sunt alere & sentire. partim aliquo modo Phy
sicas, cuiusmodi est intelligere per phantasmata, esse inseparabi-
lem à materia secundum rem, & rationẽ; atque eo modo verè ac
propriè considerari & tractari à Physico; Sed ea ratione vt est im
materialis, per se subsistens, habens multa cum intelligentiis cõ-
munia, eam separabilem esse secundum rem à materia, neq; co-
gnitionem eius, quà talis est, Physicam esse, sed partim Metaphy
sicam, partim Theologicam, atq; propter hanc fortasse causam
Arist. in 6. lib. Metaph. tex. 1. nõ dixit Physiologiam speculari cir
ca substantiam omnino, & simpliciter inseparabilem à materia,
sed ait circa substantiam (vt plurimum inseparabilem) innuens
aliquam esse substantiam Physicam aliquo modo separabilem,
qualem nos ponimus animam rationalem; Verùm de hac q. satis
dictum sit. Quare ad diuisionem scientię speculatiuę reuertamur

Non est scientia animæ rationalis, vt partim sit Physica, partim vero non.

Quomodo doctrina animæ rationalis partim sit Physica, partim vero non.

An scientia speculatiua vniuocè dicatur de illis tribus, Physica Metaphysica, & Mathematicis disciplinis. CAP. XI.

EXpositа diuisione Philosophiæ speculatiuæ in Physicam, Metaphysicam & Mathematicã, nunc declarandum est an scientia speculatiua vniuocè dicatur de illis tribus, & quæ harum sit prima, certissima & nobilissima. Quidam putant rationem scientiæ speculatiuæ non posse æqualiter atq; vniuocè cõuenire in illas tres scientias; propter ea quod ita se habent scientiæ, vt res quę subiiciuntur illis: sed doctrina Mathematica agit de quantitate quæ est accidens; Physica verò de corpore mobili, quod est substãtia; similiter Metaph. agit de Deo; reliquę duę de rebus creatis ab illo. Cùm igitur neq; substantię & accidenti neque Deo & creaturis sit aliquod commune & superius vniuocè, relinquitur huiusmodi scientias non posse contineri ab aliquo vniuoco. Alij cõfirmant idem sic. Scientia non dicitur vniuocè de subalternante, & subalternata; sed Physica & scientiæ Mathematicæ subalternantur Metaphysicæ, ergo scientia nõ dicitur vniuocè de his. Sed neutra ratio multum robo-
ris habet, peccat. n, prior ratio, quia subiecta scientiarum spectat vt res sunt, quo pacto, verum est nihil esse vniuocum commune illis. Non debent autẽ sic cõsiderari; sed prout sunt scibilia, & participant ratione scientię, quę est cognoscere rem per causam, propter quam res est, vt dicitur in 1. Post. Quæcunq; igitur scientiæ fuerint, & qualiumcunq; rerum, si in illis tractandis teneant atq; seruent prędictam scientiæ rationem, simpliciter, & vniuocè censeri debent scientiæ; alioquin nec Physica vniuocè diceretur de suis partibus. Etenim alia pars eius agit de substantia, vt homine & equo, & alia de accidentib. vt de colore, sapore, motu: quin etiam Geometria, & si aget de accidenti; tamen non vnius categoriæ; sed diuersarum vt de magnitudine, figura, proportionibus: quorum primum pertinet ad categoriam, quantitatis, secundum qualitatis, tertium relationis. Quanquã si propriè loqui velimus scientia non est nisi accidentium. nam est demonstrationis effectus, demonstratio verò non est substantiæ, sed accidentium. Etenim substantiæ cognitio, quam definitio parit, propriè non est scientia, sed refertur ad habitum principiorum, qui vocatur intellectus. Posterioris autem rationis vitium in eo est, quia sumit pro certo, quod apud Philosophos habetur dubiũ, & incertum. quinetiam nobis videtur falsum esse, sed infra ostendemus alias scientias propriè subalternari Metaphysicæ. Ex aduerso autem sunt nonnulli, qui putant scientiam dici vniuocè de illis tribus, idque

Opinio quorundã de scientiæ speculatiuæ ratione.

Opinio aliorum.

Refutantur supradictæ opiniones.

Alia opinio.

que probare contendunt hoc argumento, quia scientia ponitur in categoria qualitatis; in categoriis autẽ nec æquiuocum, nec quod vulgo dicitur, analogũ; habet locum; sed quidquid in serie prædicamentali locatũ dicitur de multis, necesse est aut genus, aut speciem esse. ergo scientia, quæ dicitur de multis non tãtùm numero differẽtibus, erit quidpiam vniuocum & genus illorum. Cęterum ratio istorum nihil nos mouere debet. Nam longè aliud est, considerare scientiam, vt est quidã habitus & qualitas ægrè mobilis à subiecto, quomodo prædicta ratio procedit, & aliud, prout habet ordinẽ ad subiectũ, id est, ad res quas tractat, & prout attenditur secundũ propriã rationẽ sciẽtiæ, quæ cõsistit in eo, vt faciat cognoscere rẽ per propriã caussam eius, quod scitur: quo pacto non oportet scientiã dici vniuocè de omnibus scientiis, alioquin si quã vim haberet illa ratio, cogeret etiã nos cõfiteri sciẽtiã dici vniuocè de Logica, & scientiis realibus: de subalternãte, & subalternata de scientia, quæ est à priori, & ea, quæ à posteriori. Sciẽtia igitur respectu subiecti cuius est habitus firmꝰ, & dispositio egrè mobilis, vniuocè dicitur de omnibus sciẽtiis; respectu autẽ obiecti, & rerũ, quas tractat & respectu modi procedẽdi & demõstrãdi non dicitur vniuocè de omnibus scientiis. Alexãder Aphrodiseus in suo prœmio super lib. Priorũ, videtur sentire scientiã speculatiuã principaliter dici de Metaphysica, sumens argumentũ ad id confirmandum ex etymologia verbi Græci θεωρεῖν. quod verbum è verbo si reddas latinè, sonat diuina inspicere; ex quo fit vt sciẽtia theorica, quam nos latinè vocamus speculatiuã, ea propriè sit, quæ versatur in exlipcatione rerũ diuinarum, hanc verò vel solam vel maximè omniũ cõstat esse Metaphysicam, vt apertè docet Arist. 1. Metaphy. cap. 2. proximè autẽ secundum Metaphysicã, id nominis Physica meretur. propterea quod res naturales sint effectus diuinarum mentium in quibus extant diuinitatis quędã impressa vestigia: quibus insistẽtes, vestigamus, & venamur sciẽtiam rerum diuinarum. Disciplinis verò Mathematicis idem nomen vltimo loco impertitur, tum quia suppeditant adiumenta quamplurima Physicę & Metaphysicæ: Physicus enim in tractandis multis rebus, vtitur abstractione Mathematica, vt cùm agit de infinitio, continuo, & motu. Metaphysica etiã multa sumit ex rationibus Astronomicis, cui rei fidẽ facit 12. lib. Metaphy. Arist. tum maximè quoniã doctrinæ Mathematicæ exercẽt mentẽ nostrã in cognoscendis rebus quæ sunt aliquo modo immateriales qua ratione eã prępparant & assuefaciunt ad perspiciẽdas res diuinas quæ vacãt penitus materia. Hęc ab Alexãdro verè ac sapiẽter scripta sũt, Quibus cõsona sunt quę Auer. in suo prologo Physicę

Duplex consideratio sciẽtiæ.

Opinio Alexandri Aprodisæi.

Quomodo doctrinæ Mathematica cõducat Physicæ & Metaphysicæ.

scribit his verbis. *Scientiæ speculatiuæ sũt duobus modis, vnus est propter exercitium sicut Mathematica: alius propter perfectionem propter quam ipsa exercitium est, & est scientia naturalis, & diuina.* Vide etiam quæ scribit Proculus de vtilitate Mathematicę scientię cap. 8. primi cõmentarij sui in Euclidem. Hæc igitur accipimus ab aliis circa propositam dubitationem, quæ vt declarentur enucleatiùs, addam quædam quæ huius dubitationis solutionem continent.

Scientiam speculatiuam non dici vniuocè de Mathematicis disciplinis, & aliis quoniam doctrina Mathematica non est propriè scientia. CAP. XII.

Doctrinã Mathematicã nõ esse propriè scientiam.

MEa opinio est, Mathematicas disciplinas nõ esse propriè scientias: in quã opinionẽ adducor tũ aliis, tũ hoc vno maximè argumẽto. Scire est rẽ per caussã cognoscere propter quã res est; & scientia est demõstrationis effectus: demõstratio autẽ (loquor de perfectissimo demõstrationis genere) constare debet ex his quæ sunt per se, & propria eius quod demõstratur; quæ verò sunt per accidẽs, & cõmunia, excluduntur à perfectis demõstrationibus: sed Mathematicus neque cõsiderat essentiam quãtitatis, neq; affectiones eius tractat prout manant ex tali essentia, neque declarat eas per proprias caussas, propter quas insunt quantitati, neque conficit demonstrationes suas ex prædicatis propriis, & per se: sed ex cõmunibus, & per accidens, ergo doctrina Mathematica non est propriè scientia: Maior huius syllogismi nõ eget probatione, etenim ãperte elicitur ex his quæ scripta sunt ab Arist. 1. Post. Cõfirmatio Minoris ducitur ex his quæ scribit Plato in 7. lib. de Rep. dicens Mathematicos sõmniare circa quantitatem, & in tractandis suis demõstrationibus non scientificè, sed ex quibusdam suppositionibus procedere, quamobrem non vult doctrinam eorum appellare intelligentiam, aut scientiam, sed tantùm cogitationem. In quam sententiã multa scribit Proclus in 1. lib. suorũ Cõmentariorũ in Euclidem. Verùm tametsi neque Platonẽ neque Proclũ neque alios Philosophos graues haberemus auctores huius sententiæ tamen id per se manifestum fit cuiuis, qui vel leuiter attigerit eruditũ illum Mathematicorum puluerem. Nam si quis secum reputet atq; diligenter consideret demõstrationes geometricas quę continentur libris Elementorum Euclid. planè intelliget eas sic esse effectas, vt antè diximus. Ac vt de multis vnum, aut alterũ proferã exẽplũ, Geometer demõstrat triangulũ habere tres angulos æquales

Quid senserit Plato de Mathematicis.

æquales duobus rectis, propterea quod angulus externus qui efficitur ex latere illius triãguli producto sit æqualis duobus angulis eiusdem trianguli sibi oppositis: Quis non videt hoc medium nõ esse caussam illius passionis quæ demonstratur? cum prius natura sit triãgulum esse, & habere tres angulos æquales duobus rectis, quàm vel produci latus illius vel ab eo latere fieri angulũ æqualem duobus internis? Præterea, tale mediũ habet se omnino per accidens ad illam passionem: nã siue latus producatur, & fiat angulus externus; siue non, imò tametsi fingamus productionem illius lateris effectionem q; anguli externi esse impossibilẽ, nihilominus tamen, illa passio ineset triangulo; at quid aliud definitur esse ãcidẽs, quam quod potest adesse & abesse rei præter eius corruptionẽ? Ad hęc, illas propositiones. Totũ est maius sua parte, æquales esse lineas quę ducũtur à centro ad circuferẽtiã; illud latus esse maius, quod opponitur maiori angulo, & id genus alia, quàm crebro vsurpat in demõstrando? in quam multis demõstrationibus eas pro medio adhibet & inculcat Mathematicus? vt necesse sit ex his demõstrationibus, quę cõstãt prędicatis cõmunib. non gigni perfectam scientiam Verùm hęc accipiantur nũc tanquã perfunctoriè dicta, quæ subtiliùs atque vberiùs pertractãda sut in 3. lib. huius operis. Cùm igitur Mathematicus negligat ea, quæ maximè attingunt vim & rationem demõstrationis, & scientiæ, tantúmque illud curet, & attendat, vt medium habeat necessariam, & euidentem cõnexionem cum eo, quod demonstratur, qualecunque fuerit mediũ respectu conclusionis, siue caussa, siue non, siue per se, siue per accidens: nemo erit qui non vna nobiscũ sentiat, & dicat disci plinam Mathematicam nõ esse propriè scientiam. Physica autem, & Metaphysica, licèt nõ semper demõstrẽt per caussas: neque ad explicãdas omnes res adhibeãt perfectas demõstrationes: tamẽ faciũt id sæpe, videlicet quãtum licet, vel per obscuritatẽ instabilitatẽq; rerũ quas tractãt vel per infirmitatẽ ingenij humanis & certè studẽt atq; cõtẽdũt id præstare q nõ est curæ Mathematico: & saltem in suis demõstrationibus nõ adhibẽt, nisi ea quæ per se, ac propriè insunt rebus, & sine quibus res ipsæ nullo modo cõsisterẽt, at quæ sunt communia, vt plurimum; quæ autem sunt per accidẽs omnino reiiciũt. Ex his igitur planum est, sciẽtiam speculatiuam nõ dici vniuocè de disciplinis Mathematicis, & de Physica ac Metaphysica, quippe cùm propria sciẽtiæ ratio, quę docetur & traditur in 1. lib. Post. nõ insit in illis, sicut in his cernitur inesse. An verò scientia speculatiua vniuocè dicatur de Physica & Metaphysica, breuibus ostendamus.

An scientia dicatur vniuocè

Si Metaphysicã cõferamus cũ Physica difficile est iudicare, an

nocè, & æqualiter de Physica & Metaphysica.

scientia vniuocè dicatur de illis; nec ne, partim enim videtur dici vniuocè, quoniam Physicus affectiones naturales demonstrat de rebus sibi subiectis per proprias causas earũ, non secus atq; Metaphysicus, & vtitur perfectis demõstrationibus, quę prout sunt demonstrationes, & habent vim gignendi scientiã Physicã, non pẽdent à Metaphysica. Cùm enim Physicus ostendit terrã naturaliter ferri ad ima loca, quoniã est grauissima omnium corporum; motum esse continuum, & fieri successiuè, quia est actus entis in potentia, prout in potentia; hominẽ natum aptum esse ad ridendum, quia est rationis compos: adeo bene demonstrat prædictas affectiones naturales per proprias causas illarũ; vt illas neque melius, neq; aliter Metaphysicus, demõstrare posset, Partim videtur nomen scientiæ præcipuè tribuendum esse Metaphysicæ. Primò propter eã causam quã ex Alexandro adduxi supra cap. xi. Deinde quia scientia speculatiua est sui gratia, vt inquit Arist. 1. Metap. ca. 2. Hoc autem potissimùm cõuenit in Metaphysicam, ad quam tandem referuntur cæterę scientiæ, & in qua magna ex parte consistit naturalis fœlicitas hominis. Præterea, Metaphysica habet patrocinium aliarum disciplinarum, defendendo eas cõtra proteruos, & solphistas; & suã cuique scientiæ materiam prescribit, in qua versetur: & cùm agat de his quæ vocantur transcendentia, quæque latissimè patent atque permanant ad omnes scientias, videntur reliquæ disciplinæ sæpenumero egere præsidio, & adiumento Metaphysicæ. Ad hæc, Plato, cùm in Philebo, tum in 7. Dialogo de Rep. tantum concedit Metaphysicæ (quam ibi appellat, & significat nomine Dialecticæ) vt præ illa, nõ dignetur appellatione scientiæ alias disciplinas: sed libet apponere verba Platonis ex lib. 7. de Republica, vbi ita scribit. *Cæteræ artes, aut opiniones hominũ, cupiditatésque respiciunt, vel ad generationes, & cõpositiones, vel ad culturã eorum, quæ generantur, & corrumpũtur, spectãt Reliquæ verò, quas diximus veratũ rerum quoquomodo participes esse, (Geometria scilicet, eiúsq; comites) circa ipsã essentiã quodãmodo somniãt, sine crè aũt quid quam ab illis cernere impossibile est, tãtisper dũ suppositionib. hærẽt, eásque ratas & immobiles adeo seruãt, vt illarũ rationem reddere nequeãt. Nam vbi principium quidẽ ponitur id quod est ignotũ, finis autẽ, & media ex ignoto tracta inuicẽ connectuntur, collectã inde assertionẽ quonam pacto scientiam vocemus? Nullo Dialectica verò sola, sublatis suppositionibus omnibus ad ipsum principium, vt cõpertum habeat, pergit. & re vera animi oculum cæno barbarico obrutũ. paulatim sursum trahit, ac ducit, tam quã adiutricib. ac ministris quibusdã vtens his artibus, quas narrauimus. eas porrò nos sæpè scientias propter consuetudinẽ nominauimus, indigẽt aũt alio nomine, clariore quidẽ, quàm sit opinio, obscuriore verò quã scientia,*

Sententia Platonis de præstãtia Metaphysicæ.

Cogita-

Cogitationem certè nos in superioribus, earũ notionẽ cognominauimus, neque tamen est de nomine cõtrouersia inter eos, quibus de rebus tãtis, quãtis nobis ad præsens est disceptatio, sermo est. Plato igitur, quemadmodum supra primã partem vocare scientiam: secundam cognitionẽ: tertiam fidem: postremam imaginationem, vel assimilationem: & ambo illa simul opinionem, & opinionem quidem circa generationem, intelligentiã verò circa essentiam esse. Quod autem est essentia ad generationem, id ad opinionẽ intelligenti e: quódve intelligentia ad opinionem, id & ad fidem scientiæ, & ad imaginationẽ denique cogitatio. Et paulò pòst, *An ergo videtur tibi doctrinis omnibus Dialectica* (intelligit autem primã Philosophiã) *velut apex præposita, nec vlla doctrina vlterior ac eminẽtior reperiri?* Pro clus autem cap. 4. primi Commentarij sui in Euclidem, Metaph. præstantiam declarat, atq; commendat his verbis. *Hæc est omnium scientiarum capacissima, & ab illa cæteræ sibi omnes sua sumunt principia: semper namque superiores, inferioribus primas demonstrationum suppositiones præbent. illa autem, quæ scientiarum omnium perfectissima est, omnibus ex se principia largitur, aliis quidem magis vniuersalia, aliis verò particularia magis.* Et paulò infra, *vna igitur scientia omnes scientias præcellit, quippe quæ communia & per omnia genera permeantia cognoscat, eunctísque Mathematicis scientiis principia suppeditet.* Idem atq; iisdem prope verbis scriptum reliquit magnus Syrianus initio sui commentarij super 3. li. Metap. Arist. Ex quib. verbis tam Procli, quàm Platonis, & his quæ dicta sunt initio huius capitis, perspicuum fit quid respondendum sit quæstioni propositæ. etenim breuiter dicendum est. Scientiam, si consideretur propria ratio eius, (quæ est esse potissimæ demonstrationis effectum, & declarare subiectas sibi res per proprias earum causas) vniuocè dici de Metapy. & Physica; sin autem spectetur excellentia Metaphysicæ, & singulares quædam prærogatiuæ quas concessu omnium habet supra cæteras scientias, iure optimo nomen scientiæ attribuendum esse magis principaliter Metaphysicæ quàm reliquis disciplinis. Simpliciter igitur scientia vniuocè dicitur de Metaphysica, & Physica: secundum quid autem minimè. sed hoc ex iis quæ infra dicẽtur, planius erit. Verùm, quia multi pro certo habent alias scientias vere subalternari Metaphysicæ, ex quo putant necessariò effici, vt scientia speculatiua non dicatur vniuocè de illis tribus, ideo videtur non alienum esse ab hoc loco, quinetiam permagni referre ad pleniorem atq; vberiorem susceptæ disputationis intelligentiam, vt etiam hac de re sententiam nostram aperiamus.

De eodem sententia Procli.

Reliquas scientias propriè subalternari Metaphysicæ, opinio quorundam.

CAP. XIII.

Tria requiri ad subalternationē scientiarum.

QVi opinātur omnes alias sciētias verè subalternari Metaphysicæ, his ferè rationib. conantur persuadere aliis opinionē suā. Prima ratio est hæc: Tria sunt quæ necessariò cōcurrere debent ad perficiendā subalternationē sciētiarum, vt apertè colligitur ex his, quæ scribūtur 1. Post. tex. 20. 23. 30. Vnū est, subiectum vnius sciētiæ cōtineatur à subiecto alterius: Alterū est, vt eiusmodi subiecta sint diuersa inter se, non quidem essentialiter, sed accidentariè; nam inferior scientia superioris subiectum cōtrahit per differentiam quandam accidentariā, & sic ipsa quoque vtitur eo tanquā subiecto suo: quemadmodum Geometria agit de linea; Perspectiua verò quæ subalternatur illi, agit de linea vt est visibilis; esse autē visibile, non per se, sed per accidēs, ineſt lineæ qua ratione linea est: Tertium est, vt principia inferioris sciētię, quamuis demōstrabilia sint, tamē supponantur in ea sciētia veluti quę debeant declarari atque demonstrari in sciētia subalternante. Hæc igitur tria in quibus scientiis insunt, faciunt eas subalternas; sed insunt alijs omnibus respectu Metaphysicæ, ergo aliæ omnes scientiæ subalternātur Metaphysicæ: Minor ita probatur 1. Ens de quo agit Metaphysicus, continet ens mobile, quantitatē, & alias res in quibus versantur cæteræ scientiæ, vnde in 4. Metaph. te. 1. dicitur Metaphysica speculari vniuersē ens prout ens; reliquæ autem disciplinæ sumunt suā quæque partem entis, ceu abscindentes aliquem ramum ex vniuersa arbore. Deinde, esse mobile, vel esse quantū (quod Physica & Mathematica disciplina adiūgunt ad ipsum ens, sunt differētiæ accidētariæ; nam enti, vt ens est, accidit esse mobile, vel esse quantū: sicut Arist. docet in 2. lib. Topic. per accidēs esse vt triangulum sit æquilaterum. Postremò, principia reliquarū sciētiarum, declarantur atque probantur à Metaphysica. cuius rei auctor est. Arist. tum in 1. Phy. tex. 8. tum in 1. Post. tex. 23. scribens nullam scientiam posse probare sua principia, sed eorum probationem esse reiiciendam ad Metaphysicā, quæ est scientia cōmunis, & tanquam Domina Reginaque omnium habet ius atque imperium in alias scientias. Idem quoque scriptū reliquit Auerr. 3. lib. de Cęlo com. 4. dicēs Metaphysici esse verificare atque defēdere subiecta sciētiarum particularium. atque hæc quidem est prima ratio; quam, quia multas partes continet, aliquantò latiùs exposuimus. Altera ratio quæ affertur ad confirmandum eandem opinionem hęc est; proprium est scientiæ subalternatæ non posse perfectè declarare subiectas sibi res sine auxilio subalternantis, vti cernimus in Perspectiua & Geometria; sed quæ subiiciuntur aliis disciplinis, non possunt cognosci perfectè sine Metaphysica; ergo aliæ scientiæ subalternatur Metaphysicæ: Minoris veritas per se manifesta est, nam cum Metaphysicus agat de his rebus quę per se insunt in omnibus alijs (cuiusmodi sunt ens, vnum, verū, bonū, substātia, accidens, &c.) qui fieri potest, vt nisi eiusmodi prædicata Metaph. perfecta & cognita habeamus, scientiam aliarū rerum consequamur? Ad hæc. Si nihil potest perfectè sciri, nisi cognoscantur quæcunque per se insunt illi, vsque ad prima & immediata, vt docet Arist. 1. Post. tex. 5. & 1. Phy. tex. 1. ergo non poterit cognosci, v. g. homo, nisi cognoscantur prima & vniuersalissima prædicata quę insunt in illo; hæc autē sunt Metaphysica, vt ens, substātia, corpus, &c. & si quod est aliud. Quare Physicus nō potest dare perfectam scientiam hominis sine subsidio & opera Metaphysici. Præterea, tritum est illud sermone omniū Philosophorū quemadmodū res se habet ad esse, sic se habere ad veritatē & cognitionē; ergo sicut causſæ particulares non possunt operari sine causis vniuersalibus, & aliæ res non possunt existere sine rebus Metaphysis (nam formaliter pendēt ab illis prædicatis trāscendentib. effectiuè autem ab intelligentiis & ab ipso Deo) ita quoque scientia aliarū rerum non poterit absolutè percipi sine cognitione Metaphysicæ. Tertia ratio nititur testimonijs Philosophorum, qui videntur astipulari huic sententiæ; & primùm quidem citant Ari. in his locis, quæ supra ex 1. Phy. & 1. Post. in medium protuli, & in 11. libr. Metaph. summ. 2. cap. 2. ait scientiā Mathematicā & Physicā, esse partes Sapientiæ, hoc est Metaphysicæ: Deinde Themistiū, qui in sua Paraphrasi super lib. 1. Post. cap. 20. explanans 23. tex. ita scribit: *Sed quæro sit hoc inexorabile, vt principia Geometriæ, Arithmeticæ, Musicæ, cæterarum artium demonstrari non possint? an possint quidem illa. sed non in ea scientia, cuius sunt principia, & quæ ius vt principijs vtitur: nā si ita sit, tunc scientiæ aliæ principia suis principijs facerent, sed ratio hæc primæ Philosophiæ cōmissa mandatáque est, cuius ambitū omnes doctrinæ cingunt, ita enim demū obire scientias omnes potest. si amplexa omnes sit, quemadmodū Geometria Perspectiuā. alioquin impossibile arbitror quandoquidem necesse est demonstrationem aut ex proprijs, aut ex cognatis & finitimis cōfici. Atque hæc illa est prædicatione omniū celebrata Sapiētia, quā simpliciter & maximè scientiā appellare opportet. Vna hæc causas rerum nō omnes, sed principes & optimates attingit; principes & optimates causas nūcupamus, quarū nulla superior causa sit.* Hęc Themistius. Præterea idem videtur Simplicius, exponens 8. textum, primum Physicorum, significare his verbis, *Porrò autem prima quoque Philosophia*

Themistij sententia, de potestate Metaphysicæ supra alias scientias.

demõstrabit omnia principia, quocirca & ars artium & scientia scientiarum celebratur Itẽ D.Tho.in opusculo de natura generis, inquit Physicã subalternari Metaphysicæ, Sed videtur mihi maximè omnium huic opinioni fauere atque suffragari, tũ Plato in 7. li.de Repub. tum apertissimè Proclus 1. li.eorum commentariorũ, quos scripsit in Euclidẽ cap.4.quorum verba, quoniam in præcedenti capite commemorauimus, non attinet hoc loco repetere. Quę igitur afferri possunt ad declarandam communiendámq; prędictam opinionem, à nobis ferè sunt explicata.

Contraria opinio magis probatur.

CAP. XIIII.

Physicam non subalternari Metaphysicæ probatur septem rationibus.

HAnc sententiã, quia nõnulli graues & docti viri sequũtur, eáq; nititur satis multis & verisimilib. argumẽtis, non aspernor equidẽ aut condemno, sed neque probo tamen, atq; amplector. Rationes aũt, quæ nõ sinunt, me allentiri prædictæ opinioni, & cogũt opinari alias sciẽtias nõ propriè subalternari Metaphysicæ, septem nunc afferã. Prima ratio est hæc; principia sciẽtiæ subalternatę nõ sunt per se immediata & indemonstrabilia, sed Physica habet principia per se immediata, & indemonstrabilia, ergo Physica per se non subalternatur Metaphysicæ; Maior huius syllogismi manifesta est ex his, quæ paulo ante docuimus pertinere ad subalternationẽ scientiarũ. Minor autem ita probatur: principia Physica sunt, vt naturam esse principium motus & quietis; Motum esse actum entis in potentia vt in potẽtia, hominẽ esse animal rationale, & alia his similia. Hæc autem non possunt demõstrari à Metaphysico, nisi forte demonstratione quæ ducit ad impossibile, vel quæ procedit ex communibus: nam propositio, in qua prædicatur definitio de suo defi nito apud omnes cẽsetur esse prima, immediata, & indemonstrabilis, quare prædictæ definitiones physicæ, sunt per se indemonstrabiles. Præterea, si quæ tractat Metaphysicus: cõmunia sunt tá rebus Physicis quàm non Physicis, qui fieri potest vt demonstratio, quæ de reb. Physicis à Metaphysico conficitur ex illis prædicatis cõmunibus, aut sit, aut dicatur perfecta demonstratio? quippe quæ constare debeat ex propriis & ex iis quæ in alias res cõuenire non possint 2. ratio. Arist. in 1. Post. 23. ponit hoc discrimen inter subalternatam & subalternantem scientiam, quod subalternata tantum declarat & demonstrat quòd res sit, subalternans autem propter quid sit, quorum verborum germanus intellectus hic est, non quòd subalternata aliquando non declaret propter quid,

quid, & causam eorum, quę demonstrat, sed quia in his rebus quas subalternata demõstrat tantùm eas esse, subalternans demõstrat propter quid sint; vt Perspectiuus sæpe demonstrat tantũ aliquid inesse alteri, cuius causã & propter quid oportet petere à Geometra: vel quia licet subalternata nonnunquã declaret propter quid, nõ tamẽ resoluit demonstratione vsq; ad vltimũ propter quid vel ad primas causas, hoc enim proprium est subalternãtis. Cum igitur hoc sit discrimen inter subalternatam & subalternãtem scientiam, si Physica demonstrat ipsum propter quid affectionũ naturaliũ earũ proprias & primas causas docens, non petẽs eas à Metaphysica; perspicuum erit Physicã propriè non subalternari Metaphysicæ; Physicum autem dare primas causas affectionum naturalium, testatur Arist. in principio Physicę, scribens Physici esse agere de causis omnium rerum naturalium maximè primis, propterea quòd tunc arbitramur scire vnumquodque cum cognosci mus primas causas, primáque elemẽta. Idem quoque ostendi potest multis exẽplis, de quibus proferam in medium vnum aut alterum: Quæritur, cur terra motu suo naturali petat infimum locum mundi, Physicus reddit hãc causam, quia est corpus grauissimum; qua causã, neque Physicus, neque Metap. potest priorẽ, aut magis propriam aliã reddere: Similiter, si quæratur à Physico, cur terra obtineat figuram rotundam, & partes eius conglobẽtur in orbem respondet Physicus, quia cùm omnes partes terræ propter insitam æqualẽ vim grauitatis, contendant æquè appropinquare centro, tanquam loco suo naturali, non possunt id omnes æquè consequi, nisi æqualiter se inuicem premendo & trudendo, efficiant figuram rotundam: An Metaphysicus afferet vnquam magis idoneam aut propriam causam? Immo verò Arist. irridet atque increpat eos, qui effectuũ naturaliũ studẽt afferre causas nõ naturales, vt videre licẽt apud ipsum tũ alibi, tũ lib.3.de Cęlo tex. sexagesimo primo 3.ratio. in 1.Post. tex.23. scriptum est, passiones quas demonstrat scientia subalternata, non esse passiones per se subiecti sui, verũ superioris subiecti circa quod versatur scientia subalternans; at passiones naturales quas Physicus explicat, non conueniunt per se subiecto Metaphysicæ, vt clarũ est consideranti affectiones naturales, ergo Physica nõ subalternatur Metaphysicæ 4. ratio, ait Arist. in 1. de Anima tex. 11. definitionẽ esse caput scientiæ, & principium omnis demonstrationis, siue hoc intelligatur de definitione subiecti, siue passionis; sed definitiones naturales ex quibus constat Physica, & ex quibus cõficiuntur demonstrationes affectionũ naturalium, nõ considerantur aut traduntur à Metaphysico, sed omnes dantur & declarantur à Physico, ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Physica per se est scientia perfecta,non pẽdens à Metap.ceu subalternata pendet à subalternãte.5.ratio, Arist.ait 1.Post.43.*Vnam scientiam esse quæ est vnius generis, quæcũque ex primis componuntur, & partes sunt aut passiones horum,per se: alteram verò scientiã esse ab altera, quarũcunque principia, neque ex eisdẽ,neque alteræ ex alteris sunt.huius autem signum,cùm ad indemonstrabilia venerit.*Ex quibus verbis colligimus scientiam subalternatã, per se ac essentialiter nõ differre à subalternante,quoniam principia illius pendent ex principiis huius,quare si omnes sciẽtię subalternãturMetaph.non dabũtur duę aliquę sciẽtię per se primò diuersę,sed vna tantũ erit scientia, nẽpe Metap.quod videtur planè aduersari,Ari.qui in 6. Metap.facit tres sciẽtias speculatiuas,eásq; distinguit secundù diuersos modos abstractionis vel per diuersam rationem definiẽdi,quę distinctio videtur esse per se ac essentialis scientię.6.ratio.si Metap.est subalternãs,aliæ verò scientiæ subalternatæ,ergo Metap.ordine doctrinæ deberet præcedere alias sciẽtias, & à nobis disci ante omnes disciplinas:consequẽs absurdũ est & ferè cõtra omnes,Metap. enim,tum quia omnium difficillima,tum quia prę supponit aliarum scientiarum notitiam, constat esse vltimam secundum nos: Consequẽtia autem per se patet.nam cùm subalternata in ratione scientiæ pendeat à subalternante, non potest sine cognitione ipsius, scientificè disci aut teneri 7.ratio. Perfecta demonstratio debet constare ex primis & immediatis, vt colligitur ex iis quæ Arist.scribit 1.Post.tex. 5. ergo si aliæ sciẽtiæ subalternantur Metaphysicæ, non conficient demõstrationes suas ex primis, quare nec in Physica nec in Mathematicis, erunt perfectæ demonstrationes,sed in sola Metaphysica, quod est contra opinionem omnium,etiam ipsorum qui illud tenent.

Prædocentur quædam necessaria ad solutionem rationum prioris opinionis, & soluuntur rationes.

CAP. XV.

RElíquum est, vt diluamus argumenta contrariæ opinionis.sed quo plani⁹ intelligatur quod dicturi sumus, altiùs repetendũ est.Omnis scientia, quæ alij scientiæ subalternatur,necessariò etiã subiicitur ei,nõ tamẽ retro comeat vt quęcùq; subiicitur,cõtinuò etiã subalternetur,etenim sciẽtia hominis subiicitur sciẽtię animalis,nõ secus atque homo subiicitur animali,nemo tamẽ dixerit illã subalternari huic. Quocirca declarandum est quot modis contingat vnã scientiam subiici alteri,& quis modus eorum cõstituat veram subalternationem:sic.n.remota omni ambiguitate,perspicuum erit in quas scientias cõueniat propria ratio subalternationis.Dupliciter potest vna scientia subiici alteri;vel secundũ se totã, vel secundum aliquam partẽ tantùm:priori modo perspectiua subiicitur Geometriæ;posteriori autẽ, Physica perspectiuæ, in eo quod tractat de iride,sicut videre potes.1.Post.tex.30.Rursum potest vna scientia subiici alij vel secundum naturã suam,quia per se ab illa pendet,sicut Musica ab Arithmetica, vel secundũ nos,quomodo Metaphysica subiicitur Physicę,vtpotè à qua accipit Deum & intelligentias esse,& pleraq; ac potiora eorum quæ docet, & declarat rationib.Physicis.Nobis in præsentia sermo futurus est de scientia,quæ secundum se totam,& secundum naturam subiicitur alteri;quo itẽm pacto cõtingit vnam disciplinam subiici alteri,vel ratione finis,vel ratione subiecti, vel ratione principiorum: ratione finis,dupliciter,vel ex parte scientis,& sic alię sciẽtię subiiciuntur Metaphysicę ratione finis: nam cùm vltimus finis naturalis ipsius hominis consistat magna ex parte in cognitione rerum diuinarum quam suppeditat Metaphysica;ideo reliquas disciplinas ad vnam illam refert atq; ordinat:Ex parte autem scientiæ,cùm vna scientia est quasi administra & instrumentaria alterius,vt ea sublata illa superuacanea esset, qua ratione Arist.1.Ethic.c.1.docet artem frænefactoriã subiici equestri,hanc verò imperatoriæ facultati;si.n.equestris atq; imperatoria facultas tolleretur,superuacanea & inanis esset ars conficiendi frænа:atq; hoc modo etiã Logica subiicitur Philosophię,cum munus & finis Logicæ non sit alius quàm præbere Philosophiæ omnia instrumenta,quæ necessaria sunt ad consequendam scientiam omnium rerum.Ratione autẽ subiecti,tunc vna scientia subiicitur alij,cum vnius subiectum continetur à subiecto alterius,id quod fieri potest duobus modis:nam subiectum inferius,vel per se,vel per accidens subiicitur superiori;per se,cum subiectum cõtrahitur per aliquam differentiã per se,ac essentialem,sicut animal per rationale:per accidens, cum limitatur per differentiã accidentariam, vt animal per esse album,& linea per esse visibilem; Vnde scientia hominis est sub scientia animalis ratione subiecti priori modo,posteriori autem,perspectiua est sub Geometria,ratione verò principiorũ, dupliciter vna scientia est sub alia, vel quia vnius principia non sunt per se nota,sed declarantur & per se demonstrantur in superiori;veluti perspectiuam;ultra supponit, quorum declaratio atq; demonstratio petenda est à Geometria: vel licet principia alicuius scientiæ sint per se nota & per se indemonstra-

Quot modis contingat vnam scientiam subiici alij scientiæ.

bilia,tamem si fortè negantur & impugnantur ab aliquib.defen duntur à scientia superiori; & sic Metaphysica dicitur demõstra re principia omnium scientiarum,nõ proprio & perfecto gene re demõstrationis, sed eo tantùm quod sumitur ex rebus cõmu nibus,vel quod ducit ad impossibile.Atque his quidem positis & perceptis, facile est nunc occurrere argumentis contrariis.

Solutio argumentorum quibus probatur Physicam subalternari Metaphysicæ.

Ad primam igitur rationem respõdeo:Eorum trium quę posita fuerunt pertinere ad subalternationem scientiarũ,tertium hic deficere; nam principia scientiæ subalternatæ, sunt eiusmodi vt sint per se ignota & per se demõstrabilia,eorúmq; propria demõ stratio tractetur in scietia subalternãte;quod valde remotum est à principiis Physicis,vt ante diximus; quæ, si quando vsuenit vt probetur à Metaphysico,id fit cõtra sophistas à quib us oppugnã tur,vt quodammodo redarguantur atq; cõuincantur: non quòd talia principia vlla egeant probatione, aut quod possint à quoquam ex priorib.atq; propriis causis eorum demõstrari.Ad secun dam dicendum est,hominem verbi gratia(sit.n.idem argumenti & solutionis exemplum) posse dupliciter cõsiderari, vno modo absolutè ac secundum omnia prædicata quæ in eo insunt:altero modo,vt solùm est res quædã naturalis ac secundũ omnia prędicata Physica quæ habet:priori quidem modo, nõ potest Physica perfectè declarare hominem sine Metaphysica, nec verò Metaphysica,sine auxilio Physicę;siquidẽ eorum quæ insunt in homine,quędam sunt prędicata Metaphysica,quędã verò Physica; posteriori autem modo Physica potest tradere perfectam scientiam hominis,nõ simpliciter,sed Physicè,nõ omni ex parte,sed quà est corpus quoddam naturale.Præterea,duplex est resolutio, vna rei in omnia prędicata quæ in ea insunt, altera effectus in suas causas,prior nõ potest perfectè fieri in Physico circa res naturales,posterior autem potest:id quod planũ fiet exemplo terrę,hanc.n.nõ potest Physicus,vt Physicus est,resoluere vsq; ad vltima & immediata prædicata quæ dicuntur de terra,vti est substantia,ens,& alia eiusdem generis:quippe cùm sint planè Metaphysica.Illũ autem effectum naturalem terræ,qui est proprio & naturali motu ferri deorsum,Physicus resoluet in propriã & perfectam eius causam,videlicet quod sit corpus simplex omnium grauissimum, vltra quam causa nõ potest Metaphysicus afferre aliquid quod sit vel causa,vel certè sit propria causa illius effectus.nam si exposita tali causa,rursum quispiam quærat,cur terra sit corpus grauissimum,vel quid sit terra,aut grauitas, vel cur terra sit substantia aut corpus,grauitas autem qualitas & accidens, quærat item aliquis quid sit aut quã vim habeat vnumquodq; horum; profectò talium

talium quæst.explicatio,vt maximè cõferat ad perfectã atq; absolutam cognitionem terræ,atque grauitatis,minimè tamen necessaria esse videtur ad demõstrandum & cognoscendum illum effectum terræ. Quamuis igitur Physica nõ possit res sibi subiectas declarare secundum omnia prædicata quæ habent,potest tamen explicare effectus naturales secundum omnes causas naturales eorum,etiam vsque ad primas & immediatas:Ex quo intelligitur cætera quæ adiuncta fuerunt secundo argumento,nullius esse momenti; non enim concludunt aliud quam res naturales absolutè & secundum omnia prędicata,ex quibus constant,non posse declarari à Physico,quod nos vltro damus;sed negamus cõstanter,hoc facere Physicam subalternatam Metaphysicæ. Vera enim subalternatio in eo posita est, vt non possint conclusiones seu effectus in scientia subalternata resolui vsq; ad principia immediata,& indemonstrabilia causásque primas. Ad tertiam ra- *Cur nõnulli Peripatetici significauerint alias scientias subalternari Metaphysicæ;*

tionem respondendum est, quoniam cæteræ disciplinæ multis modis subiiciuntur Metaphysicæ,nimirum ex parte finis;subiectorum & principiorum,eo modo quo declaratum fuit à nobis; ideo habent speciem & similitudinem quandam subalternationis,ex quo factum fuit, vt veteres Phylosophi significauerint alias scientias subalternari Metaphysicę; aliquanto latius vsurpantes vocabulum subalternationis: Verùm si propius accedamus ad contemplandam propriam vim & rationem subalternationis,planè intelligemus(id quod satis, vt opinor luculenter ostensum est)neque Physicam,neque cæteras doctrinas propriè subalternari Metaphysicæ.sed reuertamur ad pertractandam comparationem inter scientias speculatiuas.

Quę illarum trium scientiarum sit nobilissima, & certissima.

CAP. XVI.

Primo loco nobilissima omnium est Metaphysica.

EST concors sententia omnium,Metaphysicã dignitate antecellere reliquis disciplinis, propter summã nobilitatẽ earũ rerũ,quas tractat;agit.n.de Deo & intelligentiis;quapropter vocatur prima Philosophia,Metaphysica,Sapientia,Theologia, hoc est scietia Dei;vel quoniam hãc propriè solus Deus habet, vel quia hęc sola cõtinet scietiam rerũ diuinarũ. Ac licèt perexigua sit ea cognitio diuinitatis quã nobis reliquit Arist.quámve possunt mortales adipisci;tamẽ propter excellentiã rerũ quę cognoscũtur longè anteponenda est etiam limatissimis & absolutissimis scientiis aliarũ rerum:Quam rem Arist.lib.1.de Partib.anim.c,5.pulchrè docet,his verbis. *Res illas superiores tametsi leuiter attingere possumus,tamẽ ob eius cognoscẽdi generis excellẽtiã, amplo*[s] *oblectamur,quã cũ hæc nobis iucũda,oĩa tenem*[o]*:*

Universidad de Deusto Biblioteca
Bibliotheca Facultatis Philosophiae Provinciae Cast. Orien. S.I.

Physica nobilior est Mathematicis disciplinis.

Secundum locũ dignitatis obtinet Physica; extremũ autem doctrinę Mathematicę; etenim Physicus disserit de substãtiis & corporibus naturalibus, in quibus sunt stirpes, animantes, homo & cælum, quibus rebus nihil est infra intelligentias excellentius atque nobilius: Mathematicę autem disciplinæ in sola cognitione accidentium occupantur, agunt.n. de quantitate, & his quæ in quantitate insunt affectionibus. Excipio Astrologiam, quæ versatur in contemplatione corporũ cælestium, de qua ita scribit Arist.12.Metaph.tex.44. *Pluralitatem vero lationum ex peculiarissima Philosophia Mathematicarum scientiarum, videlicet ex Astrologia, considerandum est. hæc enim de substantia sensibili quidem, ac sempiterna speculatur, cæteræ verò de nulla quidem substantia, veluti quæ circa numeros, & quæ circa Geometriam.* Quanquã si rem subtiliter expendamus, ne ipsa quidẽ Astrologia attingit substantiam cæli, sed tantùmodo occupatur in quantitate, figura & proportionib. motuũ cælestiũ, nõ Physico, sed Mathematico modo ptractãdis.

Certitudo scientiæ duplex.

Certitudo autẽ scientiæ duplex est; vna spectatur ex firmitate ac immutabilitate rerũ quæ docentur, eaq; tantò maior est quantò res quæ cadunt sub scientiam, sunt magis immateriales & expertes potentiæ: quo fit vt Metaphysica maximè certa hoc nomine censeri debeat; propterea quod agit de rebus diuinis quę à materię, potentiæq; cõcretione penitus segregatę, omni ex parte immutabiles, sempiterno æuo perseuerant: de quibus Arist. 1. lib. de Cælo tex.100. hæc verba scribit, *Extra autem cælum, quod neque est, neque contingit esse corpus ostensum est: manifestum igitur. quod neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus: quapropter neque quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neque tempus ipsa facit senescere, neque vlla transmutatio vllius eorum est, quæ super extima dispositæ sunt latione, sed inalterabilia & impassibilia optimam habentia vitam & per se sufficientissimam, perseuerant toto æuo.* Et paulò pòst ait, *Omne diuinum necesse est inalterabile esse.* quod sumptum fuit ex Platonis Timęo Politico, & 10. lib. de Legibus. At Plato quidem huiusmodi certitudinem scientiæ cõsiderans, sæpe numero ait solam Metaphysicam, scientiã esse, quoniam versatur in rebus diuinis quæ sunt omnino necessarię atq; immutabiles. Altera certitudo scientiæ nascitur ex vi firmitatéq; rationum ac demonstrationũ, quibus nititur scientia, quarũ maior copia est in aliis scientiis quàm in Metaphysica, propter summã difficultatẽ earum rerum quas tractat quod significat Arist. in 1. Metaph. c. 2. ita scribens, *Ferè autem & difficillima hominibus cognitu sunt ea, quæ maximè vniuersalia sunt, sirum quidem remotissima sunt à sensib.* & in 12. Metaph. tex. 1. *Quẽadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habẽt, ita & intellectus animæ nostræ*

Metaphysica certissima omnium ratione obtecti.

Quam difficilis sit rerũ Metaphysicarum cognitio.

ad ea quæ manifestissima omnium sunt. Et in 1. de Partib. anim. c. 5 *Sed partem illam æternam ac proinde nobilẽ, ac diuinã minus cotẽplari licet, quòd admodum pauca illius sensui patent, quorum beneficio, tum de ea ipsa parte diuina, tum de iis quæ nosce cupimus facultas nobis cognitiõis indagãdiq; suppeditatur, res mortales atq; caducas, vt stirpes & animantes, q; eas socias familiaresq; habemus, nosse vberius possumus, quippe cùm multa ineſſe quoque in genere percipere possint, quicunque nõ laborẽ recusant.* Simile fere scribit de Cælo in 2. lib. tex. 17. & 60. Si autẽ natura cæli, quod tamẽ sub aspectum oculorũ cadit, tam difficilis est ad intelligẽdum, quid existimandum est de intelligentiis? quę nõ modo exuperant cõprehensionem omnium sensuum, sed etiam intellectus nostri facultatem captumq; multum excedunt. Si autem Physicam cum Mathematicis disciplinis conferamus secundum certitudinẽ, comperiemus doctrinas Mathematicas certiores esse quàm Physicam tribus de causis. Primò quia Mathematicæ nunquam vtuntur nisi rationib. demõstratiuis, probabiles autem nunquam adhibent ad docendum. vnde Arist. 1. lib. Ethic. ait nihil interesse vtrum Mathematicum probabilib. rationibus vtentem feras, an ab oratore demonstrationes postules. Deinde si aliquid patet sensui, Physicus non curat id amplius demonstrare, quin immo docet esse valde absurdum & ridiculũ, quod euidens est id argumentari velle. Vnde Arist. 2. Physi. tex. 6. ait, ridiculum esse si quis tentet demonstrare naturam esse, quoniam hoc per se manifestum est; & in 8. Phy. tex. 22. ait in his, quę sensibus perspecta & cognita sunt, rationem quærere dimisso sensu, infirmitatem quandam esse intellectus. & in lib. 3. de Gener. anim. c. 10. ait credendum esse magis sensui quàm rationi, & rationi tunc credendum esse, cum ea cõsentit cum sensibus: vnde manauit illud Auerrois, experimentum verorum sermonum esse, si cõsentiant cùm rebus sensatis, at Mathematicus nõ curans euidentiam, quæ est secundum sensus, eorúmq; iudicia, licèt clara & certa cõtemnens, omnia, vt aiunt, reuocat ad calculos, cunctáq; ad exactissimam scientię normam exigens, nihil præterit sine firma demõstratione. Postremò tametsi Physica interdum vtatur rationibus necessariis, tamen vis atq; firmitas rationum Mathematicarum est multo clarior ac euidentior intellectui; ex quo fit, vt si demõstratio Mathematica bene percepta fuerit, eximat omnẽ scrupulum dubitationis, nullúmq; relinquat dissentiendi locũ: quin etiam plerunq; fit vt Theoremata quędam Mathematica antequã demõstrentur, videãtur incredibilia atq; adeo impossibilia, postquam autem eorũ veritas à Mathematico demõstrata atq; facta est, ita creduntur, vt euidẽter cognoscatur oppositũ eorum

Doctrinæ Mathematicæ tior quàm Physicæ.

Quanta sit firmitudo & euidentia demonstrationũ Mathematicarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse falsum & impossibile. Propter has igitur causas, scientiæ Mathematicæ vincunt certitudine Philosophiã naturalem. Quamobrem cum Arist. vult significare genus aliquod docendi limatum, firmum, exquisitum, & omnibus numeris absolutum, appellat illud Mathematicum, vt apud eum videre licet in 1. Ethic. & in fine 2. lib. Metaph. & in 3. de Cælo text. 65. vocat certissimas disciplinas Mathematicas. Auer. quoq; in eandẽ sententiam scribens 2. Metaph. comm. 16. hæc ait. *Demonstrationes Mathematicæ sunt in primo ordine certitudinis, & demonstrationes naturales consequuntur eas in hoc.* Cæterum Physica potest dici secundum quid certior Mathematicis, vel quoniam agit de substantia, quæ est certior accidente, vt pote quod videatur sustentari atque stabiliri in substantia ab ea dependens in esse; vel quia vtitur potiori genere demõstrationis, faciens scire per proprias causas, propter quas res sunt, & per ea quę per se, primóque insunt in rebus quæ demonstrantur, quod non facit Mathematicus: Verum hoc partim, fuit à nobis superius explicatũ, partim alias vberiùs explicabitur. Reliquũ est vt videamus, quænã illarũ trium scientiarum sit prima

Quomodo Physica possit dici certior mathematicis disciplinis.

Quæ illarum trium scientiarum sit prima.

CAP. XVII.

Bifariam contingit vnam scientiam esse priorem alia, vel secundum naturã, si versatur in rebus suaptè natura prioribus, vel secundù nos, si tractat eas res quæ à nobis prius atq; facilius cognoscuntur. Quę verò sint priora, & notiora secundum naturã & secundũ nos, breuiter quidem indicat Arist. 1. Post. tex. 5. diligentius autem pertractat in 6. lib. Topic. nos autem propriè agemus hac de re in 3. huius operis lib. Ex his perspicuum est Metaphysicam secundum naturam esse omnium primam, quoniã agit de prędicatis, causisq; omnium primis & generalissimis, hoc est de transcendentib. & intelligentiis, quamobrem vocatur prima Philosophia. Secundum nos verò postremam omniũ esse, homines. n. iam cognitis & perceptis aliis rebus, tandem ad extremum perueniunt ad notitiam rerum diuinarum propter summam earum difficultatem & remotionem à sensib. nostris (quæ omnia manifesta sunt ex his quę paulò antè diximus) & quoniam in multis præsupponit cognitionẽ aliarum scientiarum, præsertim autẽ Physicę. Quod autem quidã aiunt Metaphysicam etiam ordine doctrinę priorem esse cæteris disciplinis, propterea quod quæ aliis scientiis subiecta sunt, non possint scientificè percipi sine cognitione rerũ Metaphysicarum quę per omnes res pertinent, atque peruadunt, & quæ sunt superiora & per se dicuntur de subiectis aliarum scientiarum, cuiusmodi

Quomodo Metaphysica sit omniũ scięt iarũ prima & postrema.

cuiusmodi sunt transcendentia, decem prædicamẽta &c.) nullius momenti est, eiúsque refutatio in promptu est ex iis quæ tractata sunt in præcedenti capite 15.

Si autem contentio fiat inter Physicam & Mathematicas disciplinas, dubitatio exiſtit vtri scientiæ principatũ deferri oporteat. Nos. vt planè intelligatur quod docere volumus, subiiciemus duas propositiones. Prima est hæc; Mathematicæ secundum nos sunt priores Physica. hoc patet ex duobus; primùm quia principia Mathematica sunt per se & secundum nos manifesta, nec vt cognoscãtur & credantur indigent longa experientia, qua tamẽ & multa, & diligenti opus habent principia Physica. Hac etiam de causſa absolutè appellantur disciplinæ, quoniã facillimæ sunt ad discendum, licet aliam causſam ponat ex Platone Proclus in 1. sũ per Euclidem. Deinde, quia scięt iæ Mathematicæ (loquor de puris Mathematicis, Geometria inquã & Arithmetica, nã in aliis vti est Astrologia, & Perspectiua, nõ ita manifestũ est quod dicimus) facillimè addiscuntur etiam à pueris & rudibus aliarũ disciplinarũ; Quocirca olim Mathemathicæ primæ omniũ exponebantur: Arist. itẽ in 6. Ethi. scribit puerũ posse euadere Mathematicũ, prudentem verò aut Philosophum minimè. Cęterùm Albertus in 1. Tract. suo Physico cap. 1. vult Physicã priorem esse Mathematicis secũdum nos, quoniã agit de propriis obiectis sensuum, quæ sunt magis sensata, ac proinde notiora quam sit quãtitas, quæ est tantùm sensibile cõmune. Sed pace Alberti dictum sit, licet quãtitatis non sit proprium sensibile, tamen, quia omnibus sensibus vsurpatur, atq; percipitur, hac ratione notior erit quàm quoduis sensibile proprium: Præterea, dictum Alberti, si quidquã valeret, illud tantummodo concluderet, res Physicas notiores esse cognitione crassa, quæ est secundum sensus, secundum quos res tãtum cognoscitur (vt aiunt) quoad esse, non autẽ cognitione distincta & scięt ifica, quæ est per causſas & principia; hæc enim cõstat notiora nobis esse (vt diximus) in Mathematicis quàm in Physicis. Altera propositio est hæc; Mathemãticæ secundũ naturã videntur priores Physica. Ratio est, quoniã Mathematicæ considerant quantitatẽ vt quantitas est, Physica verò, res prout sunt mobiles, atque sensibiles, sed esse mobile & sensibile præsupponit quãtitatẽ, ergo prior natura est materia Mathematicæ doctrinæ, quæ est quãtitas, quàm Physicæ quæ est ens mobile. quare tametsi substãtia sit prior quãtitate quæ est accidens, tamen substãtia vt mobilis vel sensibilis, est posterior, hoc autẽ modo etiã Physicus cõsideratę nã prior contẽplatio substãtiæ, vt substãtia est, ad Metaphysicã pertinet. Hoc itẽ perspicuũ fit ex eo, quia res Mathematicę sũt

Vtra scięntia sit prior, Physica, an Mathematica.

magis abstractę à materia quàm Physicæ,ex quo fit,vt sint quoq; priores natura;nã prius potest abstrahi à posteriori,non autẽ cõtra,sed quãtitas abstrahitur à rebus physicis,vt physicæ sit:hę verò,vt tales,non possunt ab ea separari,ergo &c.Idẽ cõfirmari potest testimonio Arist.qui in 1.Post tex.42.ait eam scientiam esse priorem quæ non agit de subiecto aliquo,hoc est, vt interpretãtur omnes de re materiali & sensibili:Prẽterea,inquit illam scietiam priorem esse , cuius subiectum est magis simplex,& cui altera scientia addit aliquid,sicut perspectiua addit lineæ, esse visibilem,& Musica numero, esse sonorum , sed Mathematicus agit de quantitate abstracta à materia,Physicus autem de rebus quæ sunt coniunctæ motui & materiæ;Physicus item considerat quãtitatem ex additione,hoc est non agit de quantitate vt quantitas est,sed vt quantitas materialis,mobilis & sensibilis, ergo Physica est posterior secundum naturam Mathematicis:Sed quia nonnihil hac in re latet difficultatis,id breuiter explicandum est.

Duplex dubitatio.

Duplex hoc loco dubitatio existit,vna est hæc;Arist.in 6.Metaphy.tex.3.inquit,si non essent substãtiæ abstractę,fore,vt Physica esset prima Philosophia;& in 7.lib.Metaph.tex.39.inquit Physicam esse secundam Philosophiam;ex quibus verbis intelligitur Physicã esse proximam Metaphysicæ , ac proinde secũdam inter sciẽtias speculatiuas,ergo est natura prior Mathematicis discipli nis.Altera dubitatio est hæc; Mathematica quantitas abstrahitur à rebus Physicis , ergo est posterior illis,prius enim est talẽ quãtitatem fuisse Physicam,quàm esse abstractam ab intellectu à rebus Physicis:sed vt est abstracta,cõsideratur à Mathematico: cõsideratio igitur quantitatis Mathematica , erit posterior cognitione Physica eiusdem quantitatis.Ad primam dubitationem respondent quidam Scotistæ,si tollerentur de medio intelligentię, nõ remansurã Metaphysicam distinctam à Physica & disciplinis Mathematicis,quia tũc sola Philosophia naturalis ageret de substãtia,quę est prima omnium entium,idcirco Physico meritò diceretur tunc prima Philosophia:hoc autem ita confirmant , Metaphysica differt à Physica& Mathematicis per abstractione m,quę secundum rem & rationẽ fit à materia, sed sublatis intelligentiis nullo modo remaneret talis abstractio, ergo neq; remaneret Metaphysica.Sed hi Philosophi dupliciter meo iudicio fallũtur; primum enim falsum est,sublatis intelligentiis non esse remansuram Metaphysicam,nam tũc remanerẽt res naturales & res Mathematicæ , quibus essent aliqua prædicata cõmunia,vt ens, verum,accidens,prius,posterius,totum, & pars,idem, diuersum , & alia permulta his similia , quæ cum sint cõmunia vtrique sciẽtiæ (nimi-

Vtrũ sublatis intelligẽtijs omnino tolleretur Metaphysica,& tũc Physica esset prima Philosophia.

(nimirũ Physicæ & Mathematicæ) neutra posset sibi sumere & vendicare peculiarem eorum tractationem,sed id pertineret ad scientiam quampiam superiorem & magis communem,quæ nõ potest fingi esse alia quã Metaphysica.Deinde,illud quoque proculdubio est à vero totam Metaphysicam contineri illa abstractione quæ est secũdum rem,& rationem à materia,cum Metaphysicus agat de multis rebus,quæ minimè cadũt sub prædictã abstractio nem,de qua re,quoniã satis,sꝙpra dictũ fuit cap.6.& 7.nihil attinet in præsentia plura verba facere.Nos igitur respondemus illũ locum Arist.tametsi perdifficilis sit,plurimúmque negotij facessat his qui nobiscum sentiunt,tamen sic esse interpretandum , vt Arist.significare velit Physicam tunc futuram fuisse primã Philosophiam,primam inquam,dignitate atque præstãtia quoniam sola ageret de substantia,quæ prestantior est accidentibus,nõ autem primã,vel secundum naturam,vel secũdum nos; quanquàm & hac etiam ratione quodã modo prima esse & dici posset;sublatis enim intelligẽtiis omníq; substãtia incorporea & immobili, tunc nõ esset alia substantia,quàm naturalis;Physicus igitur non solùm cõsideraret substãtiam,vt est naturalis,sed absolutè etiam, vt substantia est,ac proinde natura præcederet sciẽtias Mathematicas:Et quamuis etiam sublatis intelligẽtiis relinqueretur quædam scientia considerans,vt antè dixi,nonnulla prædicata communia rebus naturalibus & Mathematicis,tamen quoniam talis sciẽtia per exigua esset,nõ numeraretur tanquã distincta ab aliis duabus,sed eam complecteretur Philosophia naturalis tanquam partẽ aliquã sui:Quemadmodum non est dubium quin sit aliqua sciẽtia Mathematica cõmunis,quæ debeat speculari affectiones cõmunes magnitudini & numero,quæ tamen scientia à Mathematicis nõ numeratur distincta à Geometria & Arithmetica.Ergo quia sublatis intelligentiis,Physica non solùm ageret de substantia vt est mobilis & sensibilis,sed etiam absolutè , vt est substantia,& tractationem eorũ quæ rebus Physicis & Metaphysicis communia sunt,sibi ipsa sumeret quod nunc non facit, ideo tũc censeretur prior Mathematicis,& prima Philosophia. Sic igitur sit occursum priori dubitationi.

Explicatur locus difficilis Aristote. lib.

Ad posteriorem autem dubitationẽ Proclus in 1. Cõmentario suo in Fulci.c.6.respõdet negãdo res Mathematicas habere esse per abstractionẽ à rebꝰ naturalibꝰ,sed esse insitas in anima,ab eá, q; genitas & multo priores esse materia Physica. Quomodo enì (inquit Proclꝰ)rationes Mathematicæ inesse pẽdẽt à rebus Phy. cum sint certiores illis,& gignant firmiorẽ limatioréinq; sciẽtiam? Verũ,quia hoc Procli responsum olet magis doctrinã Pla-

tonis quàm Arist. idcireo conuenienter Philosophiæ Peripateticæ respondentes propositæ dubitationi; dicimus illud argumentum nihil valere: illo enim pari ratione cõfici posset, vniuersalia singularibus & superiora suis inferioribus posteriora esse, quoniam ab his abstrahuntur illa; quamuis enim quantitas priùs existat in re Physica quàm sit actu abstracta ab intellectu, tamẽ prior est quantitas per se ac secundum rationem suam, quàm eadem prout est Physica, & cõceptus atq; ratio quãtitatis vt quãtitas est; & vt cõsideratur à Mathematico, prior est quàm conceptus quantitatis, vt est in reb. naturalibus, & vt consideratur à Physico. Neque verò aliud est intellectum abstrahere quantitatem à materia Physica, quàm considerare illam sine consideratione huius, quod procul dubio arguit quantitatem per se priorem esse, & non pendere à rebus naturalibus. priùs enim à posteriori, non autẽ è contrario posterius à priori potest abstrahi.

Exponitur diuisio Philosophiæ practicæ.

CAP. XVIII.

QVoniam satis diligẽter (nisi fallor) explanata sunt quę cunq; pertinere videbantur ad intelligẽdam diuisionẽ Philosophię speculatiuæ, consequẽs est, vt de Philosophia practica aliquid etiã dicamus: sed libet hic breuẽ esse; festinamus enim ad alia maiora, & quæ magis propria sunt huius operis. Scientia igitur practica, si latè sumatur hoc vocabulum (practicum) complectitur scientiam actiuam & factiuã nomen actiuæ tametsi latiùs patet, tamen fere (sic vsus iam obtinuit) vsurpatur pro Philosophia morali, factiua autem continet omnia genera artium. Rursum, nota & peruulgata est tripartita diuisio Philosophiæ moralis, in Ethicam, Politicam & Oeconomicam, quarum partium, si animum attendas ad ordinem doctrinæ, prima est Ethica, quippe quæ continet principia & quasi fundamenta reliquarum partium, agens de passionibus seu affectionibus animi, de vitiis & virtutibus, earúmque actionibus, denique de summo bono, & vltimo fine hominis, quibus rebus non antè cognitis, atque constitutis, facultas Oeconomica & Politica ne digitum quidem progredi possent: Sin autem spectes excellentiam atque præstantiam, proculdubio primas tenet Politica, etenim ad hanc cæteræ tanquàm extremum & finem, referũtur; vnde Arist. in 1. lib. Ethico. & in principio Magnorum moralium, scientiam morum (quæ Græcè dicitur Ethica) subiicit Politicæ, ciúsque partem quandam facit. Ac licèt facultas Oeconomica natura sit prior ciuili disciplina (veluti pars est prior toto; & vnũ multis)

Diuisio Philosophiæ moralis.

Politicam ordine doctrinæ esse priorẽ Oeconomica.

multis) tamẽ quoniam Oeconomica, hoc est administratio rei familiaris, non potest bene designari. & doceri nisi ante descripta & cõstituta fuerit ratio administrationis Politicę hac vna re indu ctus est Arist. vt facultati Ethicę proximè subiungeret doctrinam Politicam, quod planè liquet ex vltimis verbis eius in 10. lib. Ethicorum. Artes autem mechanicas, nemo, qui bene sentiat, posuerit partes Philosophię, quis enim fabrum ærarium, aut lignorum appellet Philosophum? sed sunt quasi famulæ & administrę facultatis Politicæ, in id comparatę, vt societas ciuilis, illis instructa, nullum desideret, vel præsidium, vel ornamentũ ad bene beatéque viuendũ. Harum artium varietatem indicat Arist. 2. Phy. 24. & 25. & 79. Plato item in 10 lib. de Repub. Verùm subtiliorem, atque pleniorem diuisionem artium, eleganter, & copiosè persequitur Plato in Dialogo, qui dicitur Sophista, seu de ente.

De artibus mechanicis.

Cæterùm meritò quispiam mirari posset, & à nobis requirere, cur Logica prętermissa fuerit in diuisione Philosophiæ, quàm Platonici, & Stoici, in Philosophię partibus numerarũt? Verùm huic potest dupliciter responderi, Primùm quidem Logicam prætermitti, propterea quod illa generali diuisione Philosophiæ, Philosophi voluerunt diuidere tantũmodo scientiam & Philosophiam (vt vocant) realem, hoc est, quę tractat genus aliquod entis realis; qualem constat non esse Logicam. Deinde, potest etiam dici, à Peripateticis prætermitti Logicam in diuisione Philosophiæ, quòd ipsi existiment Logicam non tam esse scientiam & partem Philosophię, quàm modũ sciendi, & (vt ita loquar) omnium scientiarum, cunctarúmque Philosophię partium instrumentum. Vide Ammonium, & Simplicium in præfatione super categorias Arist. Philoponum in Procœmio Priorum, Alexandrum ibidẽ, & 1. Topic. c. 9. Albert. in principio Posteriorum, & in 1. Metap. tract. 1. c. 1. & in fine secũdi libri Metap. D. Thom. in Opusc. super Boetium de Trinitate, in quæstione de diuisione scientiæ speculatiuę, art. 1. sub finem, Egidium Romanum in principio Post. qui omnes negant Logicam, si propriè ac subtiliter de scientia & Philosophia sentire ac loqui volumus, esse scientiam aut partem Philosophiæ. Ac mihi quidem cùm inter Phisophos nostri temporis disputatur an Logica sit scientia, vel pars Philosophiæ, videtur huiusmodi controuersia, & Philosophorum dissentio, non tam esse in rebus quàm in verbis vel in modo loquendi, aliis nimirum Philosophiæ & scientiæ nomen latiùs, aliis verò angustiùs, & magis propriè sumentibus. Sed iam finis sit huius primi libri.

Dubitatio, cur Logica quandõ fuerit numerata in partibus Philosophiæ.

FINIS PRIMI LIBRI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE PHILOSOPHIA NATVRALI.

LIBER SECVNDVS.

PRIMO libro disputatum est de diuisione Philosophiæ in speculatinam & practicam,& ipsius speculatiuæ in disciplinas Mathematicas, Physicam & Metaphysicam. Sed quia hoc opus quod in manibus habemus, totum planè dicatum est docendis tractandisque rebus Physicis; de ipsa Physiologia, omissis aliis Philosophiæ partibus, deinceps agendū est. Ac primùm quidem statuendum est, quæ sit eius materia vel subiectū: tū ipsius subiecti, principia, species, & passiones indicandę: deinde, de partib. Philosophiæ naturalis, earúmq; inter se connexione, ac ordine disserendum; postremò explicanda est inscriptio præfixa octo libris Physicorū Aristotelis, vt quale sit hoc genus doctrinę quod nūc explicare ingredimur, meliùs intelligatur.

Quod sit Subiectum Physicæ, opinio D. Thomæ.

CAP. I.

QVæ possent huc afferri ex Logica de varia significatione ac proprietatib, subiecti, cōsultò prętermittētes, primùm exponemus pręcipuas aliorum Philosophorum opiniones de subiecto Physicæ: tum aperiemus quid nobis hac de re magis probetur. Ab opinione igitur D. Thomæ ordiamur. D. Thomas in suo Proœmio Physico videtur asserere, subiectum Physicę esse ens mobile, scribens his verbis, *Cuius* (scilicet Physicæ) *subiectum est ens mobile simpliciter, non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro, nulla autem scientia probat suum subiectum; & ideo statim in principio de Cælo qui sequitur ad istum, incipitur à notificatione corporis.* Hæc ille & licet D. Thom. in proœmio suo super lib. de Cælo scriptum reliquerit

siquerit, subiectum Philosophiæ naturalis esse corpus mobile, Thomistæ tamen priorē sententiam defendunt, & suadent his rationibus. Primò, subiectū Physicę, aut est corpus mobile, aut ens mobile (nam de his duobus pręcipuè dubitatur inter Philosophos) sed non est corpus mobile, ergo est ens mobile: Minor sic probatur: subiectū esse, supponitur in ea scientia, cuius est subiectū, sed Physicus probat corpus mobile esse, siquidē Aristo. in 6. Phys. 32. demonstrans omne mobile, esse diuisibile, simul etiam demōstrare videtur omne mobile esse corpus (nam esse diuisibile, conuenit mobili quia est corpus) qui autē ostēdit omne mobile esse corpus, aliquo modo etiam probatum relinquit, corpus mobile esse: cùm enim probatur esse coniunctio aliquarum partium quę faciunt aliquod totum, videtur etiam aliquo modo probari illud totum esse; Aristot. igitur demonstrans coniunctionem mobilis cum corpore, simul etiam demonstrasse videtur corpus mobile esse, quare hoc non potest esse subiectum Physicæ. Deinde, idem est subiectum scientiæ, & præcipuæ passionis quę de ipso demonstratur in tali scientia; sed subiectū motus vel mobilitatis, quę est præcipua passio Physica, nō est corpus sed ens, siquidē cùm subiectum ponatur in definitione propriæ passionis. Aristot. in 3. Phy. tex. 6. definit motū non per corpus, sed per ens, dicens, *Motus est actus entis potentia prout in potentia.* Posteà, subiectum (vt vocant) adæquatum debet complecti omnia quæ tractantur in scientia, sed multa sunt mobilia, quæ non sunt corpora; materia enim mutatur ad substantiam, quantitas item, & qualitas producuntur per motum, constat autem huiusmodi res, non esse corpora, cùm tamen sint entia; Adæquatum igitur subiectū Physicæ est ens mobile. Postremò, Aristot. in 6. Metap. tex. 1. & Auerr. 4. Metap. com. 1. aiunt Physicā versari circa ens quod habet in se principiū motus & quietis, quib. verbis significāt subiectū Physicę esse ens mobile. Ne videatur autē esse repugnātia in verbis D. Thomę scribētis in principio Physicę subiectū eius esse ens mobile, & in lib. de Cælo asserētis esse corpus mobile, quidā Thomistæ aiunt duplex esse subiectū, vnū adæquatū, & hoc in Physica esse ens mobile, alterum principale, & hoc esse corpus mobile; de illo D. Thom. locutum esse in Physicis, de hoc autem in lib. de Cælo. Alij, qui volunt re idem esse ens mobile & corpus mobile, dicūt D. Thom. in Phy. loqui de subiecto formaliter sumpto, in lib. autem de Cęlo, de eo materialiter accepto. Hæc pro sententia D. Thom.

Opinio Diui Thomæ, ens mobile, esse subiectum Physicæ, probatur quatuor rationibus

Egidius errat fallit opinionē D. Thomæ, sed nō benè.

Hanc opinionē Egidius in principio Physicæ dupliciter confutat. Primò, si ens mobile esset subiectū Physicæ, ipsa Physica subalternatur Metaphysicæ (quod tamē falsum esse ostēsum à nobis

Universidad de Deusto
Biblioteca

est in primo libro (nam ens mobile, continetur ab ente quod est subiectum Metaphysicæ, eíque addit ipsum mobile, quod cum sit inferius ente, nec fluens ex principiis eius, est quodāmodo differentia accidentalis respectu entis: cùm igitur hęc duo faciant vnā scientiam subalternari alij, ambo autem cōueniant in Physicam, si ea pro subiecto habet ens mobile, relinquitur Physicā subalternari Metaphysicę. Deinde, sequeretur Physicā esse partem Metaphysicæ, cum enim Metaphysica, vt scriptū est in 4. Metaphysięs, consideret ens & species entis, omnisque scientia considerans aliquod commune etiam consideret differētias & modos, per quos illud commune proximè diuiditur; ens autē proximè diuiditur in ens mobile & immobile, sicut in ens finitū & infinitum, in contingēs & necessarium. Metaphysica cōsiderans ens, etiam cōsiderabit ipsum ens mobile: quare Physica, quę agit de ente mobili, erit pars Metaphysicæ. Hæc Egidius contra D. Thomā. Sed rationes Egidij parum firmæ videntur ad euertendā hanc opinionem. Nam prior eius ratio in eo deficit, quòd relinquit tertiā proprietatem, quæ in primis requiritur ad faciendam subalternationem in scientiis, nimirum vt principia inferioris scientiæ per se demonstrētur in superiori, quia per se sint ignota & demōstrabilia; hoc autem non conuenire in Physicam, probatum fuit in primo libro. Ad posteriorem autem eius rationem, Thomistæ respondererent dupliciter, primùm quidem concedendo considerari à Metaphysica species entis non quidem omnes, sed eas tantùm quę continentur abstractione Metaphy. Est autem abstractio Metap. quæ fit secundū rem & rationem à materia & motu, in qua abstractione perspicuum est ipsum ens mobile non posse contineri. Deinde dicerent esse Metap. generatim & vniuersè considerare generales species, modos, & gradus entis, sed propriam atque plenam tractationem eorum modorum qui alieni sunt à Metap. relinqui scientiis particularibus. Quocirca licèt Metap. diuidat ens in mobile, & immobile, & vtriusque differentiam generatim exponat, singularem tamen explicationem rerum mobilium, non sibi sumere, sed totam Physico relinquit, ex quo intelligitur Physicam non esse partem Metaphysicæ.

Oppugnatur aliter opinio D. Thomæ.

Sed opinionē D. Thomæ valentiori fortasse ratione oppugnare quis posset ad hunc modum. Subiectum cuiuslibet scientiæ, vt est apud Auerroem 1. Post. cōmen. 179. habet duas partes, vnā veluti materiam, quæ est res ipsa quæ tractatur in scientia; alteram veluti formam, quæ est ratio & modus secundum quē prædicta res tractatur, inter has autem partes oportet talem esse proportionem, qualis cernitur in rebus naturalibus inter materiam & formā, ita vt

vt vnicuique formæ respondeat propria materia; sed inter ens & mobile, non seruatur talis proportio; nam esse mobile non cōuenit rebus quà sunt entia, alioquin omne ens esset mobile, sicut nō conuenit rebus, quatenus sunt animātes, sic enim fieret, vt pręter animal, nihil esset mobile; quęrendū igitur est propriū aliud subiectum cui primò insit mobile, & propter quod etiam competat aliis rebus, hoc autem quodnam sit, facile reperiemus si ponamus nobis ante oculos seriem eorum quæ numerantur in categoria Substantiæ, exempli gratia,

Ens
Substantia
Corpus
Viuens
Animal
Homo
Petrus

Ex hac serie quidquid sumpseris infra corpus, non propriè respondet mobili, quoniam est angustius & minus latè patens; de pluribus enim rebus dicitur mobile, quàm quodlibet eorum quę numerantur sub corpore; sin autem sumas aliquid eorum quæ sunt supra corpus, id profectò amplius erit atque latius quàm mobile; non enim omne ens aut omnis substantia, est mobilis. Ex his igitur intelligitur, esse mobile non esse coniungendum cum vllo eorum quæ sunt præter corpus; quare non rectè statuitur subiectum Physicæ, ens mobile. Præterea, si quis ita loqueretur, animal componitur ex materia prima & anima, verè quidem sed impropriè loqueretur; nam propè materia animæ, non est materia prima, sed corpus organicum; etenim anima definitur actus corporis organici; similiter si quis ita definiret hominem, homo est substantia rationis compos, non bene definiret, quia rationale, nō est proxima differentia substantiæ, sed animalis, quamobrem in definiendo homine, rationale non debet coniungi cum substantia sed cum animali: Vnde Arist. in 6. Top. reprehendit eas definitiones quibus res definiuntur per genus remotum; ergo pari ratione absurdum videri debet, si quis ponat subiectum Physicę, ens mobile, cum mobile non conueniat enti vt ens est, sed potius vt est corporeum, non secus atque si quis faceret subiectum Medicinæ, ens sanabile, ac nō potius corpus humanum sanabile. Verùm, quid pro opinione D. Thomæ, & quid contra eam dici possit, ita sit explicatum.

Solutio rationū opinionis D. Thomæ

Si cui autem opinio D. Thomæ nō maximè probatur, is posset

ad rationes quæ pro cõfirmatione eius supra positę sunt,hoc modo respondere.Ad primam rationem responderi potest nusquam demonstrari ab Arist. corpus mobile esse, neque verò posse demonstrari à Physico:Etenim demõstratio adhibetur ad faciendã fidem rebus obscuris & dubiis,non autem certissimis & maximè perspicuis,vti est in Physica,corpus mobile esse;& Arist,significat hoc supponendum esse in Physica,scribens in 1. Physicorum tex. 11.ad hunc modum , *Nobis autem supponatur ea quæ sunt natura,aut omnia,aut quædam moueri:manifestum est autem ex inductione:* Deinde si ridiculũ est demonstrare naturã esse,vt scriptum est in 2.Physic. tex.6.quantò magis ridiculus esset Physicus,si tentaret demõstrare corpus mobile esse , cùm manifestius sit esse corpora mobilia, quàm naturam esse : Prętera,Physicus non debet neq; potest demonstrare motum esse,vt pulchrè docet Arist. 8.Phy. text.22.sed corpus mobile,est notius nobis quàm motus,ergo Physicus nullo modo potest demõstrare corpus mobile esse;Minor patet tum ex his,quæ sunt apud Arist.4.Phys.tex.104.vbi sic ait,*Etenim motus notus est per id quod mouetur, & latio per id quod fertur. Hoc aliquid enim est id quod fertur,motus autem non*: tum ex his,quæ scribit Themistius in 3.Phy.super tex.16.hoc modo , *Accedit,quod notius est mobile aliquanto quàm motus,non enim idẽ est noße motum esse, & quid sit motus exploratum habere;Nã vt sit motus,neminẽ latet,quid autẽ sit, vel nos quoque nunc quærimus;at verò motum esse,res motæ nobis ostẽdunt, hæ autẽ sunt,quæ nos mobilia nuncupamus,qnare is qui in motu definiẽdo admonitionem habet rei mobili,affert rem magis planam.& notã ad docendum,id quod erat ignotius.* Non igitur Thomistę bene concludũt cũ ita ratiocinantur , Aristoteles demõstrat omne mobile esse diuisibile,vel esse corpus, ergo demõstrat corpus mobile esse; nam illud potest demonstrari,quoniam est dubium; etenim Scotus putat Angelos verè mobiles esse,cùm tamẽ non sint corpora, & Democritus, Leucippus,& Epicurus faciebãt atomos mobiles, & indiuisibiles,hoc autem,cum sit per se notum , non potest cadere sub demonstrationẽ.aliud igitur est,omne mobile esse diuisibile, quod cum non sit per se notũ probatur à physico,& aliud est,corpus mobile esse,quod cum sit manifestissimũ sensibus,non potest à Physico probari. Ad secundam,ens , dupliciter sumitur, vel tanquàm nomen quoddam transcẽdens,vel tanquã participium verbi substantiui,sum,vt idem valeat,atque id quod existit, in definitione motus ponitur ens, non vt nomen transcẽdens,sic enim faceret definitionem vitiosam, nam Aristo.2,post.tex.17.& in 6.Top.vetat adhiberi in definitionib. eiusmodi nomina trãscẽdentia,propterea quòd quicquid ponitur in definitiõe alicuius rei, debet

debet eam separare ab alia quapiam re.Itaq; illud, *Entis in potentia*,idem valet,atq; si dixisset,motus est actus eius quod existit in potentia;Sed dices,cur non loco entis posuit (corporis) quandoquidem corpus est proprium subiectum motus?An quia nõdum erat notum omne mobile esse corpus,idque postea demonstratus erat in 6.Phy.Ad tertiam,est quidem mutatio in formis tam substantialib.quàm accidentariis,tanquã in terminis inter quos, & circa quos fit mutatio,est quoque in materia prima tanquã in eo quod substernitur,& subiicitur mutationi,verùm propriè motus est in toto compositoi;si.n.quæratur quid est quod generatur aut corrumpitur,quid item est quod alteratur;qui diceret materiam aut formam generari, & corrumpi, non benè profectò responderet,etenim totum cõpositum est quod generatur,corrumpitur,alteratur secundum qualitatem,mouetur secũdum locum cæteriśq; mutationum generib.efficitur.Vnde Arist.in 1.Phy.63 dicit,omne quod fit semper esse compositum.Ad quartam, cùm idem planè sit corpus mobile,atq; ens mobile,& substantia naturalis vel sensibilis,Arist.&Auer.nõ admodum soliciti de vocabulis fuerunt,&variis nominib.designant subiectum Physicę,nunc hoc,nunc alio vocabulo appellantes. Quod si tantum tribuant verbis Arist.vt ab his negent temere discedendum esse,cur non animaduertunt Arist.in 6.Metaph. proximè ante eum locũ, quẽ ipsi citant , scribere Physicum versari circa substantiam quæ habet in se principium motus & quietis?quare hinc liceret concludere,subiectum Physicæ esse substantiã mobilem.Cur item non repetunt memoria,quæ scripta sunt ab Auerr.in 12. Metap.& in principio Physicę?etenim illic ait subiectum Philosophię naturalis esse corpus mobile , hic autem ; esse res sensibiles prout sunt transmutabiles?cum igitur tam variè locuti fuerint de subiecto Physicæ,non sunt eorum verba , argumenti loco trahenda ad vnam aliquam certam opinionem asserendam & astruendam.

Exponuntur aliæ opiniones de subiecto Physicæ.

CAP. II.

Opinio Scotistarũ esse substãtiam naturalem.

Scotistæ arbitrantur subiectum Phylosophię naturalis esse substantiam naturalem,idque probant ad hunc modũ Primùm,quoniam Arist.id apertè significat in 6.Metap. tex.1.his verbis quæpaulò antè cõmemorauimus.Deinde,si subiectum Phy.non est substãtia naturalis,aut igitur erit ens mobile,aut corpus mobile,sed neutrum potest esse:Minorem ita probant:non potest esse subiectum,ens mobile,duas ob causas,tum quia sic Physica subalternaretur Metaphysicæ, quod ipsi confirmant similiter vt Egidius, cuius rationes superius exposui, tum

etiam,quia mobile,cum significet motum,seu mobilitatem quę est passio quædam Physica, non potest esse ratio formalis subiecti,nam passio vna cum subiecto facit ens per accidens,& posterior est subiecto,ita vt citra passionem subiectum possit perfectè cognosci secundum quidditatē suam, & potest passio demōstrari de subiecto suo,sicut mobile de ente naturali demonstrari potest,hoc modo;Omne ens quod habet in se principium motus& quietis,est mobile, sed omne ens naturale est tale, ergo est mobile.Hæc autem omnia repugnant rationi formali alicuius subiecti.Prętera,quod non possit esse subiectū Physicæ corpus mobile,sic ostendunt;nam Angeli sunt mobiles motu Physico,quia tamen non sunt corpora; Angelos autem moueri posse ex vno loco ad alium tametsi latuit Arist.tamen nos qui Christianæ doctrinæ præceptis imbuti sumus,ex sacris literis certum atq; perspectum habemus. Hæc illi.

Refellitur secūda opinio.

Sed tres ob causas non probatur nobis hæc sententia. Primò, quia sicut supra docebamus mobile nō bene coniungi cum ente quia multo latius patet ens, quàm mobile, sic nunc contra istos dici potest,mobile non bene ac propriè congruere cum substantia,siquidē non omnis substantia est mobilis motu Physico. Deinde,falsō existimant,eos qui ponunt subiectum Physicæ corpus aut ens mobile vsurpare ipsum mobile,pro passione aliqua Physica,ac non potius per id vocabulum significare velle idem quod ipsi vocant naturale,hoc est,id quod habet in se principium motus & quietis:non secus atque cum dicimus,animal rationale esse definitionem hominis, non sumimus rationale, pro quadam potestate ratiocinandi,quæ est qualitas accidentalis,sed eo vocabulo innuimus atq; denotamus propriū gradum & differentiam essentialem hominis.Postremò,falsum est Angelos esse mobiles motu Physico:etenim motus Angeli,vel potentia passiua eius ad motum,non potest à Phy.non dico scientificè comprehendi,sed ne coniectura quidem,aut suspitione aliqua percipi. Prætera,si Angelus mouetur Physicè,ergo vel ab alio vel à se:sed non ab alio,vt clarum est,nec à se,quia haberet duas partes, quarum vna moueret,altera moueretur:nisi fortè dicāt secundum idem movere,& moueri,quod simpliciter absurdum est.Deinde,si Angelus moueretur Physicè, ergo habet in se principium motus,sed quæ sunt huiusmodi,per se ac simpliciter pertinent ad scientiam naturalem;hanc enim regulam reliquit nobis Arist.2.Phys/text. 71.ad dignoscendas eas res quæ cadunt sub scientiam Physicam; ab his quę non pertinent ad ipsam,quæcunque,inquit,mouent& mouentur,quoniam habent in se principium motus quod est natura

Angelos moueri secundū locum, non Phys. nec modo Physico,probatur multis argumentis.

tura, sunt verè Physica,& propriè pertinent ad scientiam naturalem. Necesse igitur est Scotistas confiteri Physici esse, agere de Angelis simpliciter,&vt vocant,quidditatiuè.Ad hæc,si Angelus Physicè non est in loco,nec potest moueri Physicè secundum locum; sed non est Physicè in loco ; nam quod sic est in loco, coæquatur ei,& ab eo continetur, & alias proprietates habet quas de loco Physico tradit Arist.in 4.lib.Phys. Adde, quòd cùm Angelus sit substantia immaterialis & incorporea, nullam habet proportionem ad locum Physicum nec ad motum.His accedit quòd Arist.in 6.lib.Physicè probat omne mobile Physicum esse diuisibile & habere partes quantitatiuas; & alio loco confirmat cuncta quæ mutantur Physicè,habere materiam, & nullum indiuisibile posse moueri Physicè secundum locum.aliud igitur est Angelos moueri ex vno loco ad alium, quod neque nos neque vllus Theologus negabit, & aliud est Angelos moueri secundum locum Physicè,eo nimirum modo quo mouentur mobilia Physica,quod plerique omnes Theologi inficiantur.

Tertia opinio q̄ sit res sensibilis,refellitur.

Quidam recentiorum Philosophorum,faciunt materiam Physicæ, substantiam sensibilem, moti verbis Auerrois quæ scripta sunt ab eo in prologo Physico,vbi ait subiectum huius artis non esse aliud quam res sensibiles; Sed hi volunt substantiam sensibilem, quatenus est sensibilis, esse materiam Physicæ, dupliciter errant; primùm quia ex eo fieret, vt libri de Anima continerent vniuersam Physiologiam; nam si bona est ratiocinatio Aristotelis qua ipse vtitur in 1.de Partibus animalium cap.1. ad ostendendum scientiam animæ intellectiuę non pertinere ad Physicam quæ sic habet.si Physicus ageret de intellectu ; similiter etiam deberet agere de omni intelligibili; ergo pari ratione liceret nobis in præsentia sic argumentari:in lib.de Anima agitur de sensu,ergo ibidem debet tractari de omni sensibili;qua sensibile est,sed esse sensibile secundū illos est ratio formalis subiecti Phy.ergo lib.de Anima cōtinent vniuersam materiā Phy.ac proinde totā scientiā naturalē.Deinde,si esse sensibile,est ratio & causa cur aliquid subiiciatur scientię naturali,ergo cui talis ratio p se cōueniret,id per se ac simpliciter tractabitur in Phy.cui verò cōperet secundū quid atq; p accidēs,id quoq; per accidēs & secundū quid ptinebit ad Phy.sed esse sensibile per se cōuenit accidētib.p accidēs autē substātiæ(vt clarū est ex his quę traduntur in 2.lib.de Anima tex.65.)Phy.igitur per se aget de accidētibus,per accidēs autē de substātia,quod perspicuè falsū est. Adde, q̄ subiectū Phy, oportet esse quidpiā absolutū,cuius ratio formalis non potest esse,vt vocant,respectiua,sed esse sensibile habet in se respectum &

relationem ad aliud, ergo non potest esse propria ratio subiecti Physi. Neque verò debuit eos mouere auctoritas Auerr. quippe qui non tam subtiliter de re ipsa loquens variè descripsit materiam Physic. vt supra diximus. Non desunt etiã qui putent subiectum Philosophię naturalis, esse res generabiles & corruptibiles; quam opinionem corroborant his duobus argumentis. Primùm est hoc: Arist. in octo lib. Phys. tradit principia & affectiones communes omnium rerum naturalium; sed non exponit nisi principia & affectiones rerum corruptibilium; ergo in Physica tantum agitur de rebus corruptibilib. Maioré ita prõbant, Arist. initio Physicæ proponit se velle tractare de principiis maximè vniuersalib. idémque præcipit tum ibi, tum in 1. de Partib. anim. cap. 1. priùs explicanda esse quæ sunt communia quàm quæ sunt propria, & quę sunt magis vniuersalia quàm quæ minùs. Deinde si in 8. libris Physicis non tractantur principia communia omnium rerum naturalium, ergo aut traduntur alibi, aut nusquam; manca igitur & imperfecta esset doctrina Aristot. alibi verò nec Arist. egit, nec potuit agere sine vitio: Etenim doctrina talium rerum poni ac explicari debuit in vestibulo Philosophiæ naturalis, Minorem autem confirmant hoc modo. Arist. in 1. Phys. agit de materia, forma & priuatione, quæ tria propriè non insunt nisi in rebus corruptibilib. nam quibus rebus priuatio accidit, in eas necessariò aliquãdo cadit interitus. Præterea, hoc apertissimè declarat Arist. in 1. Phy. text. 67. vbi quasi faciens epilogum eorum quæ antè docuerat, ait se dixisse de principiis eorum quæ generantur & corrumpuntur. Postea, in 2. Physic. definit naturam esse principium motus & quietis; quam definitionem perspicuum est non conuenire nisi in naturam corruptibilem, cælestis. n. natura, sempiterno & irrequieto motu cietur. Ad hęc; motus est actus entis in potẽtia, & circumscribitur duobus terminis, quorum vnus dicitur terminus à quo, alter ad quẽ, quod de motu cæli verè dici non potest. Ad extremum, esse in loco & in tempore, tatummodo competit in res corruptibiles, ergo &c. Alterum verò argumentum quo hanc opinionẽ communiunt est hoc; Tota Physiologia occupatur & consumitur in explicandis rebus corruptibilib, exceptis modò duobus libris de Cælo, in quibus tamẽ non agitur de cęlo per se, nec vt est species subiecti Phy. sed quatenus est principium mouens ac efficiens rerum corruptibilium, quod ita esse ex eo perspicuum est, quia eiusdem est tractare de forma atque de materia alicuius rei, vt docet Arist. in 2. Phy. à 21. ad 26. quare si Phy. ageret de materia cæli, eundẽ quoq; oporteret disserere de forma eius quæ est intelligentia, quod palã est & ab Arist. doctrina

Quarta opinio, subiectum est res generabiles & corruptibiles.

doctrina, & à veritate plurimũ abhorrere. Nõ igitur Phys. cõsiderat cælũ, nisi prout est causa mouens & efficiens rerũ sublunariũ.

Horum sententia licèt in speciem probabilis sit, tamen si bene perpendatur, falsa est. Primùm, quoniam Arist. 3. de Cælo tex. 1. in 8. Metaph. text. 12. & in 12. Metaph. tex. 5. & in 1. de partib. anim. c. 5. numerat cælum inter substãtias naturales, & vult scientiã eius Physicam esse. Vnde, cùm in 12. Metaph. tex. 5. tripartitò diuisisset substantiam, in mobilem & immobilẽ, rursus mobilem in sempiternam & corruptibilem, inquit subst antiã mobilem, siue fuerit æterna siue corruptibilis, pertinere ad Philosophum naturalem, immobilem autem minimè. At si cęlum tantummodo pertinet ad Physicum, vt est principiũ mouens, & efficiens, cur Arist. cælum refert ad scientiam naturalem, intelligentias autem minimè, cùm sint etiam ipsæ causæ mouentes, efficientésque rerũ naturalium? Deinde, in 2. Phy. tex. 71. Arist. ait quæcunq; mota mouent, siue corruptibilia sint, siue incorruptibilia, esse Physica & spectare ad negocium Physicum, sed cælum mouet & mouetur, ergo &c Amplius, Arist. in lib. de cælo, nõ tantùm agit de cælo, vt est principium harum rerum inferiorum, sed absolutè, & vt loquuntur nunc Philosophi quidditatiuè; demõstrat. n. naturam cæli diuersam esse à naturis elementorum, eámq; ingenerabilẽ atque incorruptibilem; nec vsquam indicat quidditatiuam cognitionem cæli requirendã esse ex alia scientia. Præterea, cęlum habet naturam, quæ est principium motus, vt docet Aristot. 1. lib. de Cælo, text. 5. propria item operatio eius, quæ est motus circularis, est plane Physica, ergo cælum erit corpus Physicum. Postremò, si perfecta cognitio cæli non traditur à Physico, à quo igitur petenda est? Nunquid à Mathematico? Atqui Astronomus, qui vnus de cunctis Mathematicis solùm verba facit de cælo, nõ perscrutatur substantiam eius, vt egregiè ostendit Simplicius in 2. Physic. super text. 18. Num à Metaphysico? Sed neque Arist. talem scientiam dedit in sua Metaphysica, nec ibi profitetur aut significat eiusmodi doctrinam esse Metaphysicam.

Refutatur quarta opinio.

Cæterum dissoluamus rationes ipsorum. Ad primam respondeo, in 1. lib. Phys. solùm tradi principia rerum generabilium, in lib. autem de Cælo declarari principia cæli; causa autem, cur non primùm dederit principia cõmunia vtrisq; rebus corruptibilibus, nimirum, & cælis, duplex afferri potest, vna est, quoniam corpus naturale analogicè dicitur de cælo & rebus sublunaribus, nõ autem vniuocè, saltem loquendo Physicè; analogum autem, seu (vt cum Arist. loquar) id quod dicitur ab vno ad vnum, non significat naturam aliquã diuersam ab analogatis, sed proximè significa-

Solutiora tionũ 4. opinionis.

Prima doctrina de analogo, seu eo quod dicitur ens ab vno aduum.

cat omnia analogata, vnum tamen eorum principaliter, alia vero prout sunt aliquo modo affecta ad illud & habent ordinē seu proportionem quandam ad ipsum; Ex quo fit, vt bene declarato principali analogato, facilis sit cognitio & reliquorum analogatorum, & ipsius analogi, quod est commune omnibus. Quamobrem vsuuenit, vt Aristot. & alij Philosophi, interdum posthabito communi analogo, Præcipuè commorentur in explicando principali analogato; Vnde Arist. in lib. Metaph. pauca scripsit de accidente, de ente verò, paucissima, sed omnem operam suam contulit ad docendam, explanandámq; substantiam quæ est principale analogatum entis, Altera causa est, quoniā paucissima sunt communia cælo & rebus corruptibilibus quanto. n. interuallo distant inter se materia, forma, motus, locus, deniq; mensura durationis corporum cælestium, atque corruptibilium? Quamobrem quoniam ea quæ videtur esse communia, perpauca sunt, eaq; perobscura & perdifficilia cognitu, nisi antè perspectam habeamus naturam vtriusque corporis, ideo satius fuit quæ propria sunt vtriusque corporis, seorsim & distinctis operibus edocere; quemadmodum videmus factum fuisse ab Arist. Exorsus autem fuit scientiam naturalem à doctrina rerum corruptibilium, quoniam hæc facilior est ad perdiscendū, multúmq; adiumenti præbet ad perueſtigandam & cognoſcendam naturam cæli. Ad secundam rationem, dicendum est ipsos falsò existimare intelligentiam esse veram formā cæli, cùm sit tantùm forma (vt aiunt) assistens, non autem dans esse cælo; quod luculenter confirmarem, nisi hoc alienum videretur instituto nostro (pertinet enim talis disceptatio ad lib. de Cælo) & hac de re infra lib. 7. huius operis, nonnihil attingemus. Verum quia satis superq; alienas opiniones refutauimus, restat vt sententiam nostram deinceps exponamus.

Ponitur quinta opinio subiectum Physicæ esse corpus mobile seu naturale, quæ magis probatur.

CAP. III.

Mihi quidem probatur maximè, & ad veritatis similitudinē videtur esse propensior, opinio Auic. Linconiensis, Alberti, Egidij, & aliorū grauium atq; præstātium Philosophorū, qui existimāt subiectū Philosophię naturalis, esse corpus mobile seu naturale; Sed vt probabilitas huius opinionis cunctis perspecta exploratáq; sit quædā antè declaranda sunt. Primum igitur sciendum est, triplex esse corpus, vnum Physicum

Physicū alterū Mathematicū, tertium autē Metaphysicū: etenim trina dimensio, quæ cōtinet longitudinē, latitudinē & crassitiem, & propter quam aliquid est atque nominatur corpus, tribus modis pōderari potest, vel præcisē & seorsim ab omni materia, & sic facit corpus mathematicum: vel vt ineſt in substantia composita ante motū, & qualitates sensibiles, atque hoc modo cōstituit corpus Metaphysicum; nam si Metaphysicus speculatur decē categorias, necesse est eum quoque agere de substantia composita & de quantitate; ex quo necessariò efficitur, vt tractet etiā de corpore: vel vt est affectio substātiæ mobilis & sensibilis, necessaria cū ad susciepienda sustinēdáq; cætera accidētia, tum ad exercendos motus & actiones naturales: atque propter huiusmodi quantitatem sic affectam, appellatur corpus Physicum; qua significatione corporis, nos in præsentia vtimur, cùm facimus subiectum Physicæ corpus mobile. Sed dicet aliquis, neque Auer. neque Arist. agnoscere hoc nostrū corpus Metaphysicum; illū quidē, quia in 3. Metaph. com. 17. scribit duplex tantummodo esse corpus, Physicum & Mathematicum: hunc autem quoniam 3. Physic. tex. 40. & item aliis locis innuit solùm duo genera corporum, vnum intelligibile, hoc est Mathematicum, alterum sensibile, hoc est Physicum; Et in 2. de Anima tex. 3. ait corpora naturalia esse principia aliorum corporum, quod verum nō esset si existeret aliquod corpus Metaphysicum, hoc enim non esset posterius corpore Physico, sed potius esset natura prius. Verùm, huic dubitationi occurri potest ad hunc modum: non potest negari quin (vt antea diximus) triplex sit & ad tres scientias pertinens consideratio corporis, sed Aristoteles & Auerroes partim quia corpus Metaphysicum, & Physicum re nō differunt, partim sequuti communem modum loquendi vsitatum in scientiis, tantùm faciunt duplex corpus; vnum Physicum alterum Mathematicum. In 2. autem lib. de Anima Aristoteles loquitur de corporibus quæ re vera existunt, & sub sensus nostros cadūt, non quæ sola cogitatione cohærent cuiusmodi est corpus Metaphy. & Mathematicum. Illorū autē corporum quę existūt in natura, duo genera sunt, vnū naturale, vt lapis & planta, alterum verò artificiosum, vt mensa, vel lectus; & quia formæ artificiales habēt pro subiecto in quo inhærent & à quo sustentantur, ipsum corpus naturale, idcirco Arist. ait corpus naturale esse principium, videlicet tanquam materiam aliorum corporum nimirum artificialium, Est quoque quarta cōsideratio corporis prout est artificiale; nam quantitas, vt variè figuratur & determinatur per artem mechanicā, facit corpus artificiale quod prioribus tribus posterius est, & vocari potest corp⁹ artificiosum.

Triplex vel quadruplex consideratio corporis Physici, Mathematici & Metaphysici.

Dubitatio.

Solutio dubitationis.

Deinde,memoria repetendum est id quod supra diximus, cùm discuteremus opinionẽ Scoti,illud vocabulũ (mobile) nõ significare aliquã passionem,nam passio subiecti,non potest esse ratio formalis eius,vt ibi ostendimus. significat igitur mobile, idem prorsus atque naturale, & quod habet in se principium motus. Cùm enim ille gradus & ratio corporis quæ præcisè cõsideratur à Physico,nobis occulta sit & careat proprio nomine;idcirco exprimitur & declaratur ex comparatione ad motum,qui est effectus &passio eius,cunctis notissima.Itaque apud nos idem omnino valent hęc omnia corpus mobile,naturale,habens in se principium motus,& si quod aliud nomen est ejusdem generis.Quocirca materiam Physicæ variis nominibus designauit Auer.Nam in prologo Physicæ,ait esse res sensibiles prout sunt transmutabiles;at in 12.Metaphy.com.5.scribit esse corpus mobile,& in 4. Metaphys.com.1.ens mobile;vt vel inde perspicuum sit, non debere Philosophum,vbi res manifesta est,valde sollicitum esse de verbis;pulchrè enim illud à Platone dictum est,si verba vbi opus est contemneremus, prudentia eruditionèque ditiores essemus.

Demõstratio quod subiectum Physicæ sit corpus mobile vel naturale.

Ac his quidẽ positis,facilè & breuiter cõfirmari potest opinio nostra de subiecto Physicæ,hoc modo:Illud est subiectũ alicui⁹ scientię,cuius quæcunq; per se tractantur in scientia,sunt vel principia vel passiones,vel species,hæc enim tria,vt est in 1.Post omnis scientia perscrutatur circa subiectũ suum,sed tale est corpus mobile, ergo,&c.In promptu est Minoris probatio;nã materia, forma.& natura,sunt proxima principia corporis mobilis:Item quantitas, motus,locus & tempus,sunt affectiones naturales, quæ per se ac primò conueniunt corpori mobili;denique,cælũ,elemẽta mixta in anima,stirpes,animãtes,homo, sunt species corporis mobilis. Adde, quod mobile seu naturale,propriè & (vt vocãt) adæquatè, nec enti,nec alij subiecto cõuenit præterquã corpori.quod quia suprà fusius explicauimus, hoc loco simpliciter & breuiter attingimus.maneat igitur.subiectũm Philosophiæ naturalis esse corpus mobile seu naturale.

Ponuntur decem dubitationes.

Sed ex his quæ de subiecto Physicæ dicta sunt,existũt nõnullę dubitationes quas nunc enodare oportet.1.Dubitatio. Cur facimus tãtùm subiectũ Physicæ corpus mobile,& nõ addimus etiã vt ita loquar,quiescibile;cũ natura definiatur esse principiũ motus & quietis?2.Cur dicimus corpus mobile,& nõ mouens,cùm mouere sit nobilius quàm moueri?3.Cur non ponimus subiectũ. Physicę,corpus quantum,vel figuratũ?nã sicut necesse est omne corp⁹ naturale aliquo motu prædituũ esse,vt scribit Arist.1.de Cęlo.tex.57,sic etiam debet esse affectũ quantitate & figura 4.Physicus

sicus agit de intelligentiis, & vt videre est in 8.Physic. agit itẽ de formis tã substantialibus quã accidentariis,harum autem rerum nulla est corpus mobile,ergo &c.5.Arist.in 1.Phy.tex. 11. ait supponendum esse ea quæ natura constant,aut omnia, aut quædam moueri;ergo his verbis innuit esse aliquas res naturales quę non sint mobiles, non igitur erit adæquatum subiectum Physicæ, corpus mobile 6.Corpus mobile cõtinet res generabiles & corruptibiles,sed huiusmodi rerum non potest esse scientia; etenim Arist.scribit in 1.Post.tex.21.&22.res corruptibiles,neque sub demonstrationem neque sub definitionẽ cadere posse;quibus duobus instrumentis omnis scientia perfecta continetur. 7. Multa tractat Arist.in libris Philosophiæ naturalis,quæ nõ videntur attinere ad corpus mobile,quin etiã ei repugnare cuiusmodi sunt casus,fortuna,infinitum & vacuum.8.Meritò etiam dubitari potest,an cognitio rerum naturalium quam nobis reliquit Arist.sit vere scientia? 9. Si subiectum Physicæ est corpus mobile,ergo Physicus non cõsiderabit res nisi prout habẽt respectum ad motum,quare non erit Physici considerare puras quidditates rerum naturaliumnãm quidditas,exempli causſa,hominis præcisè sumpta,non includit motum neque respectum ad motum, ad rationem enim quidditatiuam eius quod est ens absolutum & substãtiam non potest vllo modo pertinere vel accidens vel respectus aliquis;quod si Physicus non considerat tales quidditates,vix dici aut fingi potest,à quo alio cognosci aut declarari debeant. 10. Si subiectum Physicæ est corpus mobile,ergo Astrologia & Medicina erũt partes Philosophiæ naturalis,quoniã tractãt illa quidem de cælo, hæc autem de humano corpore, quæ sunt species corporis mobilis. Verùm ad has obiectiones facilè responderi potest ad hunc modum.

Solutio dubitationũ.

Ad 1.Respondemus,Quia omne corpus naturale est mobile,nõ tamẽ omne capax est quietis,vt in cælo manifestũ est,& quia motus est veluti habitus,quies autem tanquam priuatio,priuatio autem ex habitu cognoscitur,idcirco dixim⁹ corp⁹ mobile esse subiectũ Physicę,nõ addentes quiescibile.Huc accedit, quod Arist.in 8.Phy.tex.28.ait motum esse quiddã magis Physicũ,quam quietem,his verbis scribens,*Fere autẽ & omnia dicere moueri falsum quidem est,minus autẽ hoc præter methodũ.posita est enim natura in naturalibus principium.sicuti motus & quietis,tamẽ Physicũ magis est motus.*Addunt præterea quidam,motum esse perfectiorem quiete;quod in corporibus quidẽ animatis verum est, nõ autẽ in simplicibus vt sunt elementa,quorum perfectio nõ est motus, sed potius quies in suo loco naturali.Vnde Auerr.4.libro de Cęlo ait definitiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

corporum simplicium quæ assignantur per quietes, esse perfectiores, quoniam declarant naturalem statum, & dispositionem talium corporũ; corpus enim simplex ideo mouetur, quia est extra suam naturalẽ dispositionẽ, & ideo mouetur, vt motu perueniat ad suum locum in quo quiescat, itaque quies est finis motus. Ad 2. Res aliqua non dicitur aut est naturalis, quia mouet naturaliter, alioquin intelligentiæ essent res naturales & Physicæ, quippe quæ cælum moueant motu Physico, sed vocatur aliqua res naturalis, propterea quod naturaliter mouetur; etenim natura definitur esse causa vt id in quo inest, moueatur & quiescat: Vnde Aristoteles in 2. Physici tex. 71. ait duplex esse se mouẽs Physicè, vnũ quod etiam mouetur, alterũ quod mouet & non mouetur, illud & Physicum est & pertinet ad sciẽtiam naturalẽ, hoc autẽ minimè. Ad 3. Licèt quantitas & figura sint affectiones cõmunes omnium rerum naturalium, tamen non sunt ita Physicæ vt motus, neque ita declarant naturam cuiusque rei naturalis. Quamobrem Arist. ex varietate motuum naturalium solet indagare varios gradus & ordines rerum naturalium. Ad 4. Physicus agit de intelligẽtiis, non absolutè, sed vt mouent Physicè orbes cæleſtes, formę autem substantiales & accidẽtales, etsi non sunt corpora mobilia, tamen sunt principia vel affectiones eius: neq; enim oportet quęcunque tractantur in sciẽtia esse species subiecti, sed vel species vel principia, vel passiones eius. Ad 5. Arist. non subiunxit illa verba (aut quædam) propter polos mundi, aut centrum, aut animam rationalem, aut formas substantiales, seu accidentales, in quibus non videtur inesse motus; quoniam prædictæ res non constant natura, vt ipse ibi dicit; hoc enim proprium est corporum, neque illud dixit quasi dubitaret an esset aliquod corpus naturale quod non esset mobile, id enim apud ipsum est impossibile. Sed Arist. pronuntiauit illa verba, quia licet omnia corpora naturalia sint mobilia, tamen hoc apertissimum est in quibusdam, vt in animalibus & cælo, in aliis verò subobscurum est, vt in elemento terræ; satis autem erat Aristoteli ad ostendendum non posse demõstrari motum esse, docere per se manifestũ esse aliqua corpora naturalia moueri. Ad 6. Rerum corruptibilium vt sunt corruptibiles; hoc est vt sunt singulares, non est scientia, tamen in huiusmodi rebus, intellectus noster reperit prædicata quędam vniuersalia & necessaria, quæ colligit & reuocat ad rationẽ scientiæ; etenim licèt homo sit corruptibilis, tamẽ hoc ipsum, nimirũ hominem esse corruptibilem, est quidpiam incorruptibile; similiter Petrũ sedere, est contingens, tamẽ illud esse cõtingẽs, est necessarium: res autem sublunares sunt mutabiles, sed ipsas esse mutabiles, est prorsus

Quomodo sit scientia rerum corruptibiliũ.

sus immutabile; & quamuis res naturales non semper ac perpetuò contingant eodem planè modo, sed interdum à naturali statu & ordine suo deficiant, tamen hoc ipsum non fugit, aut latet Physicum etenim Physicus docet rerum caducarum atque mortalium hoc esse ingeniũ, vt licèt fere ita eueniant, tamen aliquando à fine & scopo suo naturali aberrent; quod, qnomodo, quando, cur, aut in quibus rebus contingat, idem Physicus verè ac diligenter explanat: ita fit, vt res naturales per se quidem sint cõmutabiles, & non necessariæ, tamẽ quod de huiusmodi reb. Physicus nos docet, est penitus necessariũ atque immutabile. His cõsentanea sunt quę ait D. Tho. 1. p. q. 86. ar. 3. scribens si considerẽtur rationes vniuersales rerum sensibilium, omnes scientias esse de necessariis, nedum Physicã. Ad 7. Physicus in docenda Philosophia naturali (id quod etiam in aliis disciplinis tradẽdis eodẽ modo contingit) quædam tractat per se, hęc autẽ sunt, vel principia, vel species, vel affectiones subiecti adęquati, alia tractat per accidens, demonstrans ea falsa esse, & redarguens eos qui de talibus rebus malè sentiũt, cuius generis sunt quæ disputantur ab Arist. de casu, & fortuna, vacuo, & infinito; nõnulla etiã sub aliena persona vel Metaphysicis, vel Mathematici, à Physico pertractantur; disputatio enim de vno, & ente aduersus Parmenidem in 1. lib. Physicorum, Metaphysi. est: quæ autem de continuo Arist. in lib. 6. disserit, non tam redolent doctrinã Physicam quàm repręsentãt abstractionem Mathematicam. Denique multa vel digrediendi, vel ordinandi & amplificandi causa intexuntur in tractandis disciplinis quæ videtur esse remota & aliena proprio ipsarum instituto. Ad 8. Doctrina rerũ naturalium quam nobis scriptam reliquit Arist. si quis velit bene sentire & propriè loqui, nõ potest dici absolutè & in totum scientia. Primùm, quia æternitas materiæ, motus, mundi, intelligẽtiarum, necessitas Dei in agẽdo, finita virtus eius, & id genus alia, quę sunt præcipua fundamenta, atque firmamenta Philosophię Aristotelicæ, perspicuum est falsa esse. Ex quibus principiis falsis, cum ab eo texatur & nectatur magna quædam series aliarum rerum, necesse est magnam partẽ Physicæ Arist. non esse scientiã. Deinde, eas res quę veræ sunt, plerumque leuiter ac molliter tractat, non eas confirmans firmis necessariisque rationibus, sed tantùm Dialecticis ac probabilibus, vt ipsemet Aristoteles confiteri videtur, libro 2. de Cælo, textu 17. & 60. cum igitur pars Physicæ Aristotelis sit falsa, pars autem topicam tantùm & probabilem doctrinam cõtinens, non potest Physica Aristotelis simpliciter & absolutè appellari scientia. Verũ, ne ingrati videamur in principem & parentem Philosophiæ, constanter affirmamus, eum præter

An Physicæ doctrina quã nobis reliquit scriptam Aristoteles, possit appellari sciẽtia.

cæteros Philosophos, dignum esse laude & admiratione, eiúsque disciplinam longè præferendam esse doctrinis aliorum Philosophorum. Primùm, quia vnus Arist. plura scripsit de rebus naturalibus, quàm omnes alij Philosophi simul, quorum extent opera; Deinde, quia vsus est meliori methodo; tum quoniam adhibuit genus orationis maximè accõmodatum ad tractãdas & docendas res Philosophicas. Ad hæc, quoniam primus fere in declarandis rebus naturalibus omnia quatuor genera causarum tam prima & remota, quàm proxima patefecit, & vnamquamque rem declarauit non ex communibus & alienis principiis, sed ex propriis atq; germanis causis. Postremò, cùm tam multa, & tam varia scripserit, minimè tamen omnium Philosophorum à veritate aberrauit: Et qui sunt errores eius, hi nec multi sunt, nec ita ridiculi & absurdi, vt aliorum Philosophorum.

An Metaphysicus consideret quidditates omniũ rerum in particulari.

Ad. 9. Dubitationem hoc modo respondendum est. Cùm ponitur subiectum Physicę corpus mobile, non sic intelligendum est, vt putemus Physicum non aliter considerare res naturales, quàm prout habens respectum ad motum, sed quia omnium rerum naturalium quidditates sunt huiusmodi, vt ipsas necessariò ac per se consequatur motus; & quoniam Arist. per motum inuestigat essentiam rerum naturalium, & cùm non præsto adsunt differentię essentiales, quę profectò magna ex parte nos latent, earum loco adhibere consueuit proprios motus & operationes naturales, idcirco Philosophi statuerunt materiam Physicæ corpus mobile, significantes per mobile, non respectum ad motum, sed rationem & gradum essentialem corporis, ex quo per se oritur motus, & respectus ad motum, ita vt eas omnes res comprehendat subiectum Physicæ, quæ per se sunt Physicè mobiles, atque mutabiles. Non esse autem Metaphysici, perscrutari quidditates rerum naturalium, vt quibusdam visum fuit, ex his quę mox dicã perspicuum erit. Primò, Aristot. in 1. Metap. cap. 2. ait sapientem omnia nosse, non singulariter, sed vniuersaliter: & in 11. lib. sum. 2. cap. 2. ita scribit. *Philosophia verò de particularib. quidem prout vnicuiq; horũ aliquid accidit, nõ considerat. circa verò ens, prout ens vnũquodq; horũ speculatur.* Deinde, falsum esset subiectum Metap. esse ens prout ens, quod tamen plusquam millies inculcat Arist. in libris Metap. Etenim Metap. si cognosceret quidditates rerum naturalium, consideraret hominem non solùm, vt est ens, sed vt est homo, & leonem item, idémque cõtingeret in aliis rebus. Præterea, rueret ea distinctio scientiarum speculatiuarum, quam Arist. in 6. Meta. tradit & colligit ex diuersa definiendi ratione. Ad hæc in libris Metaphysicis Arist. non explicatur scientia quidditatum naturalium, sed

sed in 7. libr. Metap. vniuersè tantùm agitur de quidditate, nusquam autem de quidditatibus Physicis, ergo hoc est indicio, eiusmodi quidditatum cognitionẽ non esse Metaphysicam. Amplius reliquæ scientiæ superuacaneæ essent, nam perfectissima cognitio ea est, qua cognoscitur quidditas rei, vt est apud Arist. in 3. Metap. tex. 3. & 7. lib. tex. 4. hæc autem cognitio quidditatum omniũ rerum esset Metap. ergo &c. Quod si quis dicat, reliquas scientias speculari passiones earum rerum, quarum Metaphysicus contemplatur quidditates, atq; hac ratione locum aliquem relinqui cæteris scientiis, hic profecto vehementer fallitur; eiusdem enim scientiæ est considerare causam & effectum, principium & conclusionem, medium & extrema demõstrationis, vt ex his quæ scribuntur ab Ari. 1. Post. te. 20. & 23. conspicuũ est; sed quod quid est, est causa passionũ, est caput scientiæ, est principium atq; medium demonstrationis, ergo non potest consideratio definitionum, vel quidditatum pertinere ad Metaphysicam, & consideratio passionum quæ fluunt ex illis quidditatibus, ad alias scientias. Et in 2. lib. Phy. tex. 17. ait Arist. *Inconueniens esse si Physicus scit quid sit sol & luna, nullum autem accidens eorum determinat.* significans his verbis, vtrumque declarandum esse ab eadem scientia. Item, hoc pacto aliæ omnes scientiæ subalternarentur Metaphysicæ, quod supra explosum est: Nã principia demõstrationũ, quæ sunt definitiones supponerentur ex Metaphysica, sicut facit Perspectiua respectu Geometriæ. Dicitur autem Metaphysicus tractare ipsum quod quid est omnium rerum, non quidem speciatim, sed vniuersè, vel quia tractat ea quę attingũt quidditates omnium rerum, vti sunt, ens, substantia, vel accidens, actus, & potentia; vel quia docet quale esse debeat ipsum quod quid est, ex quibus reb. cõstet, quo pacto differat quod quid est substantię, à quod quid est accidentis, vt videre est apud Arist. in 7. lib. Metaphysicę, vel quia cũ ipsum quod quid est, sit principium cuiuslibet scientię particularis, supponitur in ea, vel declaratur leuiter per inductionem, sicut ait Arist. in 6. Metap. text. 1. Si autem necesse sit contra sophistas tueri & confirmare ipsum quod quid est, & ostendere id bene constitutũ esse, id profecto iam pertinet ad Metaphysicã. Sed dicet aliquis Arist. 4. Metap. text. 5. significare primi Philosophi esse speculari de omnibus rebus etiam in particulari; inam subdit, illius esse considerare an Socrates & Socrates sedens, sint idẽ, an diuersa: Sed ad hoc dicitur, sententiam illorum verborum hanc esse, primum Philosophum considerare illa prędicata transcendentia, idem & diuersum, ita vt an Socrates, & Socrates sedens sint idem an diuersa, nõ possit cognosci sine doctrina Metaphysi. hoc igitur quod de So-

Dubitatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

crate dicitur ab Aristotele,non simpliciter dicitur,sed tãtùm exempli causa,nulla enim scientia,nedum Metaphysica, considerat Socratem aut vllum aliud singulare.

Ad decimã Dubitationem licet respondere ad hũc modum. Et si de cælo agit Physicus & Astrologus, tamen dissimilis est vtriusque tractatio:differentiam autem Physicæ & Astrologiæ,pulchrè tradit Geminus, cuius longam hac de re orationem refert Simplicius in 2. Physicorum super textu 17. Multa item Auerroes scribit,tum in 1.Metaphysico. comm.19.tum in 2.de Cælo com. 59.Quorum verba supersedeo hic adscribere, ne longior sim in re minimè necessaria. Equidem reor inter Physicam & Astrologiam,sex differentias constitui posse.1.differentia est hęc: Physica considerat substãtiam cæli & astrorũ,an sit ingenerabilis & incorruptibilis,an sit simplex,vel composita, an sit elementaris,an potius quinta quædã essentia:Astrologia autem hæc minimè considerat. 2. Physicus circa cælum perscrutatur omnia genera causarum, vt an cælum habeat causam efficientem nec ne, an habeat materiam,an intelligentia quæ mouet ipsum, sit anima & forma eius,quis sit finis cæli & operationum eius;quæ res non cadũt sub Astrologi contemplationem. 3. Astrologus de accidentibus cæli maximè considerat magnitudinem,figuram, & motum, quatenus in his accidentibus reperiuntur rationes quædam Mathematicæ,verbi gratia ratio maioris,minoris,æqualis, distãtis, propinqui,proportionis,seu proportionalitatis: Physicus autem perueſtigans omnia cæli accidentia, etiam ea quæ tractantur ab astronomo, lõgè diuersa ratione considerat nimirum prout fluunt ex natura cæli,prout congruũt illius substantiæ,prout sunt necessaria illi ad operationes Physi. perficiendas,deniq; prout sunt coniuncta cum materia sensibili 4. Astrologus non curat quærere & ponere veras causas & quæ consentiant cum natura rerum, sed tantùm eiusmodi per quas possit vniuersè, aptè & cõstãter rationem reddere eorum omnium quæ apparẽt in cælo;quo fit vt plerumq; statuat ea principia,quę videtur pugnare cum natura & recta ratione,cuiusmodi putãtur esse eccẽtrici,epicicli, motus inæqualitatis & trepidationis,& alia his similia.de quib.vide quid sentiat & scribat D.Th.p.1.q.32.ar.1.in resp.ad secũdũ.5.Phy.tametsi tractat easdẽ res atq; Astrologus, tamen ille demõstrat eas à priori,hic autem sæpenumero à posteriori; verbi gratia Physicus dicet terrã esse rotũdam,quia cum omnes partes eius sint æquè graues ac proinde appetant æqualiter appropinquare centro, cõprimunt & conglobãt se in figurã rotundã. Astro.autẽ dicet terram esse rotundã, quoniã ecclipsis Lunæ quæ fit ob interpositũ terræ, rotun-

Sex differentiæ inter Physicam & Astrologiam.

dè & circulariter efficitur.6.Si quãdo euenit vt ambo reddãt causã eiusdẽ rei,tamẽ Phys. exponet proprias & naturales causas, Astrologus autem cõmunes & Mathematicas.vt si quæstio sit,cur cælum sit rotundum,Phy.dicet, quia nec graue est neq; leue, sed aptum moueri in orbẽ:Astrologus aũt respõdebit, quoniã cælum omni ex parte æqualiter distat à terra,quod est centrum eius.

De differentia inter Medicũ & Physicũ, & an Medicina subalternetur Physicæ,cuius sit ponere discrimen inter scientias.

CAP. IIII.

INter Medicinam autem & Physicam (nam hoc etiam in decima dubitatione tangebatur) hoc interest, quod Physi. agit de homine vt est species corporis naturalis, Medicus autem,vt potest curari arte Medicinę.Similiter physicus tractat de morbo & sanitate,vt sunt affectiones naturales hominis,& ortũ habent ex principiis causisque naturalibus; Medicus aũt, quatenus corpus humanum arte Medicinæ iuuari põt ad depellendos morbos,& sanitatem recuperandam atq; cõseruandam. Verùm, hoc loco dubitari posset,an Medicina verè subalternetur Physicæ. Etenim multi putarũt Medicinam subalternari Philosophiæ naturali,tum quia Arist.videtur id sentire,in principio libri de Sensu & sensili,scribẽs Physicum prima cognoscere principia sanitatis,& infirmitatis,&Physicum definere in ea quæ sunt Medicinę;Medicum autẽ incipere ab iis quæ sunt de natura:tum etiam,quoniam ea tria quæ in primo libro diximus requiri ad efficiendam veram propriamq; subalternationem scientiarum,perfectè conueniunt Medicinæ comparatione Philosophiæ naturalis:nam corpus humanũ,quòd ponitur subiectum Medicinæ,continetur à corpore naturali quod est subiectũ Physicæ, & contrahitur per differentiam accidentalẽ quæ est esse sanabile per artẽ, & prima principia Medicinæ demonstrantur & tractantur in Physica,vt manifestum est ex verbis Arist. proximè citatis. Hæc isti. Sed cur ego hanc opinionem non maximè probem,dicam breuissimè.Etenim duos habitus in perfecto Medico esse oportet,vnũ quo his cognoscit præcepta Medicinæ& res ei faculati subiectas,alterũ, quo potest benè & promptè operari, seruatis circunstantiis singularibus,quæ ad bene medendũ cõcurrũt. Hos duos habitus distinctos esse, perspicuum fit,eo quod vnus potest esse sine altero;sunt enim non pauci, qui scientiam Medicinæ in scholis didicerũt, sed vsum eius nullum habẽt;Sunt etiam è con-

An Medicina subalternetur Physicæ, subtilis & docta inquisitio.

Duos habitus esse oportet in perfecto medico.

Universidad de Deusto
Biblioteca

trario multi, qui nullam quidem Medicinæ scientiam habẽt, vsu tamen & experiẽtia, vt bene medeantur, consequuti sunt. Interest verò inter prædictos habitus. Primo quidem, quod prior ille speculando acquiritur, & sine vllo medẽdi vsu ab aliis percipi potest: posterior autem experiendo tantùm & operãdo acquiritur: Tùm, ille versatur circa vniuersalia, hic autem totus occupatur in rebus singularib⁹. Deinde quamuis alter sine altero sit imperfectus, tamen ille sine hoc, propè nihil, hic etiam sine illo non parum, vterque autem simul quam plurimum valẽt ad medendum. vide Aristotel. 1. lib. Metap. capit. 1. Porrò, prior ille habitus qui nihil aliud est quàm ipsa scientia Medicinę, in duas partes distribuitur. vnam, quę continet generalia præcepta & notitias à praxi remotas, vocant Medici speculatiuam, alteram, quæ iam attingit praxim, & viam atque rationem bene operandi tradit, practicam appellant. His positis facile erit nunc ostendere Medicinam non subalternari Philosophiæ naturali. Nam posterior ille habitus non subalternatur Physicæ, vtpote qui totus constet praxi, praxis autem non subalternatur speculationi, cùm sint res diuersi ordinis, & differant essentialiter, doctrina autem subalternata nõ differat essentialiter à subalternãte. Prioris autẽ habitus pars ea quæ est practica, secundum rationes & causas eorũ quę tractat, pendet ex altera illa parte Medicinę quę est speculatiua, hęc verò nõ subalternatur Physicæ, quia tota est prorsus Physica, & est pars ipsius Physiologiæ, non secus atque doctrina animalium & plantarum. Tria enim sunt quę præcipuè tractat Medicina speculatiua. Primò quidem corpus humanum cum omnib. eius partib. temperamentis, facultatib. & operationib. quas res nemo nescit esse Physicas: Deinde, sanitas & morb. considerantur in Medicina, quę sunt affectiones Physicę, prouenientes ex principiis Physicis. Postremò, alimenta & medicamẽta, quorũ facultates & actiones constat esse Physicas, vires enim herbarum, lapidum, omniúmq; medicamentorum quib. Medici morbos pellunt & sanitatem fouent ac robo rant, Physicæ sunt & ad Physicam pertinent, non secus ac proprietates & motus elementorum. Sed cur Medici hãc doctrinam sibi asciuerunt & à Physica separarunt? An quia si Medicina tantùm contineret habitum illum practicũ qui est eius proprius, nimis tenuis & ignobilis futura erat; adiunctione autẽ illius doctrinę, quę alioquin magno vsui & ornamẽto est Medicis, facultas Medicinę, locupletior, ornatior & perfectior extitit? Medicinam verò speculatiuam esse Physicam, illud est indicio, quòd qui inter Medicos illam norunt & tractant, eos vulgò appellãt Physicos. itaque quidquid est in Medicina cognitionis scientificę, id totum est Physicum,

Medicina non subalternatur Physicæ.

sicum, executio autem illius cognitionis & applicatio ad opus, ea demum est quæ constituit habitum quendã Medicinæ diuersum à Physica.

Quæstio cuius sit tradere discrimen inter scientias.

Sed quoniam de differentia quæ est inter Physicum, Astrologum, & Medicum, verba fecimus, volumus hic, quasi digredientes paululum ab instituto, breuiter explicare cuius nam sit tradere atque docere discrimen quod est inter scientias; Exempli causa, nos hoc loco declarauimus differentiam Physicę & Astrologię quam etiã Arist. pertractauit in 2. Phy. tex. 18. potest igitur in dubium verti, an id fecerit. Arist. tanquam Physicus; vel potius tanquam Metaphysicus, aut Logicus. Auer. in 2. Phy. comm. 16. cum dixisset propositum Arist. ibi esse dare discrimen inter Physicam & Astrologiam, subiungit hæc verba, *Et ista perscrutatio licèt pertineat ad Logicam, tamen mos est vt illud quod est commune omnibus artibus dicatur in Logica, & illud quod est proprium vnicuique arti, dicatur in illa arte.* Quibus verbis significat hoc munus distinguẽdi scientias, vniuersè quidem pertinere ad Logicam, speciatim autem ad vnamquamque scientiam particularem. Quod, quia breuiter & subobscurè dictum est ab Auer. à nobis latiùs & enucleatiùs declarandum est. Primùm igitur affirmamus, tradere discrimen inter duas scientias, non pertinere ad aliquam scientiam particularem, vt verbi gratia tradere discrimen inter Phy. & Mathematicam doctrinã, nec pertinet ad Physicam, nec ad Mathematicam doctrinam; cuius rei causa hæc est, quoniam is qui ponit discrimen inter duo, debet vtrumque cognoscere, vt annuit Arist. 2. de Anima. c. de sensu communi; ergo qui ponit discrimen inter subiecta duarum scientiarum, debet vtrumq; cognoscere; nulla autem scientia particularis cognoscit subiectũ alterius scientię, sed tantùm noscit & explicat suum proprium subiectum; Physicus enim non cognoscit nisi res Physicas, nec potest sibi vsurpare cognitionem rerum Mathematicarũ, quia nulla scientia potest trãsire fines sui subiecti adæquati. Quocirca nõ potest Phys. cognoscere aut docere discrimẽ, quod est inter res Mathematicas & res Physicas; sed hoc pertinet ad facultatem communem & generalem omnib. scientiis: Hæc autem facultas duplex est, vna Logica altera Metaph. Logica. n. tradit generalem modum sciendi omnes res; quo fit, vt Logicus doceat differentiam scientiarum.

Distinctio scientiarũ pertinet ad Logicã & ad Metaphysicam.

Nam cum duo sint modi sciendi, definitio & demonstratio, scientia quę paratur definitione, diuersa erit ab ea, quę acquiritur demonstratione, Deinde, cum demonstratio sit multiplex, scientiæ quoq; erunt multiplices secundum varietatem demonstrationum. Præterea cum scientia habeat principia, subiectum, pas-

Universidad de Deusto
Biblioteca

siones,& species,diuersæ scientiæ erunt,quæ habebũt diuersã vel omnia,vel solum aliqua Postremò,cum in omni subiecto scientiæ duo reperiantur,res quę scitur &modus sciendi,diuersę scientiæ erunt,vel quę habẽt vtrumq; diuersum, vel saltem quæ alterum;vt quamuis in eisdem rebus versentur,diuersa tamen ratione eas tractent. Atque hoc modo Logica tradit discrimen & distinctionem,scientiarum,Metaphysica autem , quoniam agit de ente vt ens est,diuidit & declarat omnia genera entiũ,verbi gratia quod alię res sint tantùm speculabiles,aliæ factibiles, & aliæ agibiles;rursum alię sunt omnino immateriales,alię penitus materiales,aliæ verò mediæ partim scilicèt materiales, partim immateriales.Ex qua distinctione rerum,nascitur distinctio scientiarum,vt aliæ sint speculatiuæ,aliæ actiuæ,alię factiuæ;speculatiuarum autem, alia sit Metaphy.alia Phys.& alia Mathematica doctrina. Tradere igitur discrimen inter scientias , est Logici & Metaphysici; particularis autem artifex , cuiusmodi est Phys. vel Mathematicus.nõ potest id facere quà talis est,nisi fortè suscipiat aut gerat personã vel Logici vel Metaph.quomodo Arist.in 2.li. Phy.tradit discrimen inter Phys.& Mathematicas disciplinas. omnis igitur scientia particularis, quemadmodũ supponit subiectum suum esse , ita quoq; supponit distinctionẽ eius ab omnib. subiectis aliarũ scientiarũ:Metaph.autẽ quãuis distinguat subiecta scientiarum particularium,nõ idcirco tamen perfectè cognoscit ipsa; alioquin reliquę sciẽtię superfluę essent,sed tantùm cognoscit ipsa, prout sunt gradus & genera entis diuersa inter se.

Memorantur causæ & principia,affectiones item & species corporis naturalis.

CAP. V.

QVoniam constitutum est subiectum Philosophiæ naturalis, doctrinæ nostrę ordo deposcit,vt causas,affectiones,& species huius subiecti generatim exponamus; sic enim lector poterit formam totius ὀperis quasi in tabella quadam adumbratam & ante oculos suos expositam,intueri.Causæ rerum naturalium quatuor sunt,materia ex qua fiunt;efficiens à quo fiunt; finis , cuius gratia fiunt; forma propter quam sunt id quod sunt.Materia duplex est,vna rerũ sublunarium, altera corporum cælestium;has.n.materias inter se diuersas esse apertè docet Arist.in 8.Metaph.text.12.& in 12.lib.text.10.Materia rerum sublunarium,alia prima,quæ communis est earum omnium rerum quarummutua est commutatio,alia secunda,quę multiplex est;nam elementa sunt materia mixti,&partes similares partium dissimilarium & dissimilares,totúmq; corpus organicum,est materia animalis.Forma est duplex , vna substantialis quæ facit ens simpliciter,& hoc aliquid,& vbique definitur ab Aristotele.*Quod quid erat esse rei*, quoniam vel est tota quidditas rei, vel certè principalis pars quidditatis. Quatuor autem gradus sunt formæ substantialis , vnus eius quæ dat tantùm esse rei, qualis est forma elementorum & mixtorum quæ carent anima ; Alter , qui præterea tribuit vitam , vt forma plantæ : Tertius , qui præter hæc,largiturvim sentiendi:Quartus,qui ad hæc omnia,impertitur vim rationis & intelligentiæ , atque hæc est propria forma hominis, obtinens principem locum inter formas naturales; de qua Themistius in 2. libro de Anima super textum 32. eleganter scribit his verbis,*Ab anima vegetali ad alias, ordine subeundum est, vsquedum ad postremam & nobilissimam ascendamus, ea est rationalis, quæ quamquam vltima ortu est,tamen potestate, & dignitate cognoscitur princeps;illuc progressa natura mortalis, receptui canit, nec procedit vltra.* Altera est forma accidentalis,cuius munus triplex est;primò,atque præparare & instruere materiam ad accipiendam formam substantialem ; tum , eam conseruare & tueri ab his quæ vim habent vitiandi ipsam,atque corrumpendi; Postremò, esse quasi instrumentum quoddam naturale per quod substantia operetur; non enim potest substantia quidquam agere sine accidentibus,quod apertè indicat Aristoteles in libro de Sensu,&sensili;vbi agit de sapore,scribens hoc modo,*Quà igitur ignis, vel quà terra , nihil natum est agere vel pati, quà autem inest contrarietas in eis, hæc omnia agunt,& patiuntur*Efficiens aliud vniuersale,aliud verò particulare;illud rursus duplex , quoddam mouens quidem Physicè,sed non existens Phy.hoc est mouens,non motum,veluti est intelligentia;quoddam autem,quod mouetPhy.& est.Physicum quia mouet & moueturitale autem est cælum , quod secundum Peripateticos agit in hæc inferiora per motum & lumen:Hoc autem quod est agens particulare,triplex est,etenim vel semper est simile effectui;quod bifariam cõtingit,aut.n.est eiusdem speciei cum effectu,vt homo semper gignitur ab homine; vel eiusdem generis , vt mulus procreatur ab equo ; vel semper est dissimile suo effectui, huius generis sunt omnes animantes quæ solùm ex materia putrescente gignuntur;vel partim est simile,partim dissimile sui effectus, quòd perspicuè cernitur , tum in aliis tum in generatione ignis , quem videmus interdum effici ab igne , aliquando verò etiã ab aliis causis,hoc est vel à lumine vel à motu.

De veritate materiæ.

De varietate formæ.

De varietate efficientis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Solent autem Latini Philosophi & Theologi causas efficientes in æquiuocas & vniuocas diuidere, quod tamen in idē recidit Finis

De varietate finis.

duplex est, vnus generationis, alter rei genitæ; quæ dictinctio per uulgata est apud Philosophos, & traditur ab Auer. 4. de Cęlo. com. 22. Ille, est forma quę per generationē acquiritur. Vnde Arist. in 1. de Gen. tex. 55. sic ait, *Habitibus præsentibus, non amplius generatur, sed est iam, forma autem & fines habitus quidam sunt.* Et in 2. Phys. tex. 70. inquit formam & finem esse idem numero. Hic autem finis rei genitę, est perfecta operatio eius, de quo fine Arist. loquitur in 2. de Cælo tex. 17. scribens, eorum, quorū est aliquod opus vnumquodque esse gratia operis: & in 1. lib. Ethic. vltimum finem hominis collocat in perfecta operatione virtutis. Rursus finis alius est cuius gratia, alius cui, vt finis qui intenditur à Medico est sanitas, cui autem talis finis procuratur, est ægrotus: hanc distinctionem finis innuit Arist. 2. Phy: tex. 24. & 2. de Anima tex. 37. Præterea, alius finis acquiritur per motum qui est Physicus, & est finis rerum naturalium, hic autem in 2. Phys. tex. 23. ab Arist. describitur his verbis, *Quorum enim continuo mota existente, est aliquis finis ipsius motus, hic vltimum est, & id cuius causa.* Alius finis est propter quem res agunt, non vt ipsum producant, sed vt assimilentur ei, quomodo Deus est finis omnium rerum; priorem finem Arist. in 3. Metaph. tex. 3. negat esse in rebus immobilibus, vti sunt intelligentiæ vel res Mathematicę; posteriorem autē finem in 12. Metaphy. 37. affirmat reperiri etiam in rebus immobilib. velut in ipsis intelligentiis. Porrò, quæ agunt propter finem, quædam extrinsecus & ab alio mouentur ad ipsum, quemadmodum corpora simplicia dicuntur ab Arist. tum in 8. Phys. tex. 33. tum in 4. lib. de Cælo tex. 25. vel à generante vel à remouente prohibēs, moueri ad suum locum naturalem qui est finis huiusmodi corporum: Alia mouent se ad finem suum, sed nullo modo cognoscut eum: eius generis sunt viuentia quorum finis est generare sibi simile vt Arist. indicat 2. lib. de Anima text. 34. ad quem finem ipsamet sua vi & potestate naturali se prouehunt atq; perducūt, veluti cernere licet in plantis: Alia mouent se ad finem & cognoscunt tā finem, quàm media, quæ cōducunt ad finem, sed nō cognoscunt hæc (vt loquar more nostrorū Philosophorū) formaliter, verùm tantùm materialiter, hoc est cognoscunt rē quę est finis & cognoscunt media, sed nō prout est finis, aut medium: hoc genere cōtinētur omnia bruta, quę videtur impulsu quodā naturali trahi ad expetendū finē suū, & quęrenda media necessaria ad assequendū illū: Alia deniq; cognoscūt perfectè finē suū & media quæ ducunt ad ipsū, & liberè agunt, ita vt in ipsis positū sit agere & nō agere.

Hunc

Hunc supremum gradum agētium vnus omnium animantium tenet homo; qua etiam de causa dicitur esse dominus suarum actionum. Sed de causis rerum naturalium satis.

Quæ sint in Physica principia cognoscendi & præcipua quædam pronunciata.

Sunt in Physica quædam alia principia quæ in scholis Philosophorum, vocari solent principia complexa, vel principia cognoscendi, quæ nihil aliud sunt, quàm sententiæ quædā generales notissimę ac tritissimæ; quę crebrò vsurpātur ab Aristotele, & ad res Physicas explicandas probandasque sępenumero adhibentur. Huius generis sunt hæc. 1. Motum esse. 2. Esse multitudinē & diuersitatem in rebus naturalib. 3, Tria esse principia generationis rerum naturalium, materiā, formam, & priuationem 4. Quatuor esse genera causarum materiā, formam efficiens & finem. 5. Ex nihilo nihil fieri, sed in omni productione Physica, opus esse subiecto aliquo & materia 6. Per se nō generari materiā aut formam, sed totum compositum. 7. Naturam esse principium motus in eo inquo est. 8. Naturam operari alicuius gratia. 9. Naturā nihil frustra facere 10. Naturā semper, cū possibile est, facere quod est melius. 11. Quæ natura fiunt, aut semper, aut vt plurimū ita fieri, quæ autem prętęr hęc accidunt, non fieri secundum naturam. 12. Naturam fugere infinitum & inordinatum, semper. n. natura quęrit finem, & est omnibus causa ordinis. 13. Motum esse actum entis in potentia prout in potentia. 14. Quatuor esse species motus generationem & corruptionem; augmentationem & decretionem alterationem; & motum localem. 15. Omne quod mouetur, ab alio moueri. 16. Moueri à se proprium esse animatorum. 17. Esse formam substantialem. 18. Formam substantialem esse præstantiorem materia; & mouens mobili, & agens patiente. 19. Natura eligit potius vnū quàm multa & pauciora quàm plura, nisi quid obstet. 20. Continuum esse diuisibile in infinitum. 21. Contrariorum esse cōtrarias causas, effectus atq; proprietates. 22. Omnium natura constantium, esse certum magnitudinis & paruitatis terminum. 23. Remissionem & debilitationem vnius contrarij fieri propter admixtionem alterius cōtrarij. 24. Idem vt idem, semper aptum esse facere idem. 25. Omni actui, propriam & determinatam potentiam, & omni formæ, propriam & determinatam materiam respōdere. 26. Nihil præter naturam existens, aut violentum, esse perpetuum. 27. Actus actiuorum, in patiente & disposito recipiuntur. Ex quo natum est illud multorum sermone tritum pronunciātum, Quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur. 28. Quod est in rebus naturalib. euidēs secundum sensus, id non esse in quæst. vocandū, nec rationib. probandum. Hęc atq; horum similia, quæ sparsa in scriptis Arist. reperiuntur, sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

quasi fundamenta & firmamenta qnædã, quibus eius tota prope Philosophia naturalis,nititur atq; fulcitur,eaq; passim occurrunt vtpote quę in plerisq; demõstrationib.& probationib.Phy.inferũtur.Sed veniamus ad affectiones & species corporis naturales.

Affectiones communes omnium rerum naturalium,præsertim corruptibilium,quatuor sunt;Quãtitas,Locus,Tempus,&Motus. Quãtitas est duplex,vna magnitudo,altera numerus:etenim corpus naturale qua est mobile, debet esse præditum magnitudine, quã verò est specie multiplex, necesse est ipsum diuidi in multas & varias species rerum. Magnitudini autem est adiuncta figura; nam cùm omnis magnitudo naturalis,sit corpus finitum,terminus autem corporis est figura , necesse est omne corpus naturale affectum esse aliqua figura: locus absolutè quidem debetur corpori naturali,quia est corpus lõgum,latum,& crassum;hic autem vel ille locus,hoc est vel superior , vel inferior debetur ei quatenus habet grauitatem vel leuitatẽ. Loco autem cognatus est situs vel positura,quę ex circunscriptione loci & locati corporis existit:cuius differentię sunt,supra,infra,ante,retro,dextrum,sinistrum.Motus est præcipua affectionum naturalium, & quę maiori studio,cura & diligentia tractatur à Physq;uam alię,cuius quatuor sunt species,generatio & corruptio,accretio,& decretio,alteratio,& motus localis. Tempus nõ modò est mẽsura omnium motuum naturalium, sed etiam metitur durationẽ rerum corruptibilium.Species verò corporis naturalis,septem sunt,cęlum,elementa,mixta imperfecta,vt nix &grãdo,mixta perfecta quę carent anima,vt metella,plantæ,bruta,homo,quãquam mixta imperfecta(quoniam nõ habent formam substãtialem diuersam ab elementis ex quibus cõstant,sed sunt accidẽtaria quędam eorum complexio & coagmentatio) non debent tanquam species quędam corporis naturalis diuersa ab elemẽtis recenseri. Harum autem specierum quę sit præstantissima paucis explicandum est.

Inter species corporis naturalis,quæ sit omnium præstantißima.

CAP. VI.

ARistoteles multis in locis haud obscurè docet cælum dignitate anteire reliquis corporib⁹ natural.Nam in lib.6.Ethic.vbi loquitur de sapientia,ita scribit,*neque verò quidquam ad rem attinet,quòd homo reliquorum animalium quiddam sit quã optimum sunt enim & alia homine multo diuiniora vt ea quæ omnib. maximè sunt in cõspectu,ex quib. hic mũdus coagmentatus est.* Deinde in 2.Phy.tex.45.& 1.de Partib.anim.c.1.reprehendit eos

dit eos Philosophos qui aiebãt plãtas & animalia effici à suis quę q; causis,cælũ autem & sidera,casu & fortuito extitisse, *absurdum*, inquit,*est cælum & diuinißima sensibilium,subiicere temeritati fortunæ.* Tum,in 1.de Cælo tex.13.inquit *manifestum est esse aliam substantiã præter eas quæ hic sunt,priorem ac diuiniorem his omnibus* loquitur autem de cælo:Præterea 1.lib.de Cælo tex.100.ait cælum esse corpus immortale & diuinum,ex quo & aliis corporibus pendet esse & viuere,his quidem exactius, his autẽ obscurius. Amplius,in 2. do Cælo tex.16.sic ait *Quapropter ex omnibus his, aliquis ratiocinando crediderit quòd est aliquod,præter corpora quæ hic & circa nos sunt,alterum separatum,tanto nobiliorem habens naturam quanto plus distat ab his quæ hic sunt.*Ad hæc,in 1.de Partibus animalium cap. 5. ait , res naturales æternas,vt sunt cæli,tantùm præstare aliis rebus naturalibus,vt cognitio illarum vel minima & tenuissima multis partibus præstabilior sit,quàm harum rerum amplissima & accuratissima scientia.Postea,in 1.lib.Meteorologico,inquit hũc mũdum inferiorem,continentem atque coniunctum esse cęlo,vt omnis virtus eius per motus cælestes conseruetur & gubernetur; Hoc etiam est valde consentaneum rationi,etenim substãtia cęli est simplex,ingenerabilis,& incorruptibilis;forma à qua mouetur & quæ est finis ipsius,est intelligẽtia;motus eius est circularis, qui est primus &nobilissimus omnium motuum naturaliũ,figura est rotunda,quæ antecellit cæteras species figuræ;virtus eius & efficientia est maximè generalis,vtpote per quã omnia quę sunt infra lunam,procreantur,reguntur,conseruãtur,& quodam modo perpetuantur videtur igitur esse cælum omni alio corpore naturali præstantius.

Tres Dubitationes.

Sed hoc nõ videtur;carere difficultate:quoniam Arist.in prœmio librorum de Anima , significat scientiam animæ,dignitate antecellere reliquis disciplinis,ergo anima vel animal,erit nobilius cælo.Deinde,videtur homo esse nobilior cælo , quippe cum habeat animum participem rationis immortalem & diuinum, similem Dei,& parem propemodum intelligentiis , quin etiam Aristotel.in 2. Physic. text. 24. inquit hominem esse finem omnium rerum,hoc modo scribens, *Et vtimur tanquam propter nos, omnibus quæ sunt,sumus enim quodam modo & nos finis.*Prętera,animatum est nobilius inanimato,sed formica verbi gratia est animata,cælum autem non.ergo formica est nobilior cælo.Verùm paruo negotio occurrere possumus his obiectionibus Ad primã dubitationem respondemus. Cum Aristotel. ubi commendat scientiam animæ,tum ob certitudinem,tum ob excellentiam rerum quas tractat, nõ affirmat eam primam esse omniũ disciplif iiij

Universidad de Deusto
Biblioteca

narum,sed esse ponendam in primis,hoc est numerãdam esse inter primas & clarissimas scientias;quod profectò verum est,nam post doctrinam intelligẽtiarum & scientiam cæli,primũ ac summum locum sibi suo iure vendicat scientia animę.Ad 2.obiectionem responderet Arist.cælum posse considerari duobus modis, vel vnà cum intelligentia,hoc est pro toto quodam quod existit ex orbe & intelligentia,cuius motu,ac efficientia cõtinentur omnes res sublunares,vel pręcisè & citra intelligẽtiã,prout est corpus quoddã simplex & naturale,& quod perpetuò mouetur in orbem;Similiter diceret Arist.hominem bifariam accipi posse, vel vt est corpus quoddã naturale,habens esse Physicum,&operationes Physicas,vel ex ea patte qua est immortalis,intelligẽs & particeps diuinitatis.His positis,facillimè dissolueret dubitationẽ pro posita ad hunc modum:Cælum sumptũ priori modo proculdubio nobilius est homine,posteriori autè modo non; vincit quidem dignitate hominem priori modo acceptũ,vincitur tamẽ ab eo si homo posteriori modo cõsideretur:Vel aliter anima rationalis pẽdet a cælo ratione corporis quod informat vnionis & cũ eo ex qua existit homo,&ratione operationis,quatenus ea pẽdet à phãtasmate,& vsus eius potest impediri ob deprauationẽ instrumẽti sensitiui,per se autẽ & simpliciter,ea ratione vt animus noster est immaterialis,omnia intelligẽs,& liberũ habens arbitriũ, nõ pendet à cælo. Sicut igitur homo quodam modo est dependens à cælo,quodam modo non;ita quodãmodo est eo nobilior quodã modo verò nõ:quamuis propter nobilitatẽ hominis (quã, post resurectionẽ animo & corpore adeptur⁹ est, & quia eius gratia cęlos creatos esse in sacra scriptura legim⁹, tũ alibi,tũ Deuteronomij 4.)idcirco veri⁹ dici potest,hominẽ esse simpliciter prę stantiorẽ cælo.Ad eum autẽ locũ qui ex 2.Phy.addùctus est,duobus modis respondere possumus.vno modo,si dicamus Arist.ibi facere hominẽ finẽ omniũ rerum,nõnaturaliũ,sed artificialium. nã de huiusmodi rebus ibi loquitur Arist.omnes enim artes cõparatæ sunt ad vsus & cõmoditates hominis pręsertim,vt inquit Albertus hominis ciuilis,nã homo soliuagus agẽs vitã solitariã, nõ eget tam multis artibus,atque hoc modo prædictum locum Arist.interpretantur Simplicius.Auer.& B. Thom. est igitur homo finis omnium rerũ artificialium.quin etiã hominẽ finẽ esse omnium rerum naturaliũ quæ sunt infra lunã Arist.docet 1.Polit.cap.5.Altero modo,possumus etiam dicere hominẽ dici finẽ omnium rerum non absolutè,sed quodam modo, quam particulam ponit ibi Arist.cælum enim primaria intẽtione, est propter Deum & intelligentiã,quodam modo autem,hoc est secundaria intentio-

Quomodo cælũ partim sit nobilius homine, partim verò non.

An homo sit finis omnium rerum naturalium,

intentione,est propter generationem & conseruationem harum rerum inferiorum,maximè autẽ hominis.Sed dicet aliquis Aristotelẽ in 9.lib.de Hist.animal.ca.1.ita scribere de homine, *Quorum vestigia morum,cum in omnibus ferè insunt,tum vel maxime in perfectioribus maximè in homine,hic enim natura perfectissima est,& ob eã rem habitus istis conspectiores in ipso continentur.* Et in 2.lib.de Partibus animalium cap.10.*Habent*,inquit,*quædam animalia etiam bene viuendi rationem quale hominum genus est quippe quod aut vnum ex nobis cognitu diuinitatis particeps sit aut omnium maxime.* quibus verbis significat hominem dignitate excellere omnes res naturales. Verùm hoc facilè soluitur,nam Aristnõ loquitur de homine absolutè,sed facta comparatione cũ aliis animantibus mortalibus; id quod ex eius verbis liquidò cognoscitur.Ad 3.dubitationem dici potest,comparationem fieri debere in his quæ sunt eiusdem generis vel ordinis.Quocirca in mortalibus,animatum nobilius est inanimato,sed animatum mortale non est nobilius inanimato incorruptibili,quale est cælum; quod (tum quia est incorrupti bile,tum quia est causa vniuersalis omnium corruptibiliũ,in fieri,in esse,& in operari) censeri debet nobilius cunctis rebus corruptibilibus. Quanquam D. Tho. videtur paulo aliter sentire in 1. parte quæst. 70. arti.3. in resp.ad 2.scribens animal simpliciter esse nobilius cælo propter animam:cælum autem secũdum quid esse nobilius animali,tum quia forma eius in totum perficit materiam,ita vt non sit amplius in potentia ad aliam formam,quod non facit anima in animali,tum etiam propter motum cęlestem qui fit à nobiliori motore.

Obiectio.

Solutio.

Non semper animatum est nobilius inanimato.

Enumeratio partium Philosophiæ naturalis.

CAP. VII.

QVod sit subiectũ Philosophiæ naturalis & quæ huius subiecti principia,affectiones & species ostensũ est;sequitur,vt principes Physicę partes,earũq; partiũ inter se ordinẽ,indicemus,Arist,in 3.li.de Anima tex.38.auctor est,sciẽtiã ita secari & diuidi,vt res diuidũtur in quibus sciẽtia versatur;ex quo fit,vt,quoniã supra indicauimus varietatẽ rerũ naturaliũ quæ subiiciũtur Phisicæ,nũc facillimũ nobis futurũ sit colligere ac explicare omnes partes Philosophiæ naturalis.In principio operis Meteorologici Aristotelis partim repetẽs quæ ante docuerat partim ea proponẽs quæ deinceps tractatur⁹ erat, pulchrè ante oculos ponit omnes partes Philosophiæ naturalis, earúmque dispositionem &ordinẽ.Commemorat autem ibi sex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Septem partes Physicæ.

partes Physicæ, Vnam de primis causis naturæ & de omni motu naturali, quæ continetur octo primis libris Physicis: Alteram, de cælo, quam complectuntur quatuor libri de Cælo & Mundo: Tertiam, de mutua transmutatione elementorum, & vniuersè de generatione & corruptione, quæ docetur in libro de Generatione & corruptione: Quartam, de rebus Meteorologicis, quam Aristoteles exposuit tribus, vel vt aliis placet, quatuor libris: Quintam, de animalibus, qua comprehendit Aristoteles omnia quę pertinent ad doctrinam animalium, hoc est libros de Historia animalium, de Partibus animalium, de Anima, de Generatione animalium, & quæ vulgò nominatur Parua naturalia: Sextam, de plantis de quibus pollicetur Aristoteles se velle conscribere aliquod opus, tum hic (tum in libro de Sensu & sensili, vbi agit de saporibus) & in fine libelli de Longitudine & breuitate vitę; sed neque nunc extat aliquod opus eius de plantis, neque extabat tempore Alexandri, vt ipse scribit in suis Commentariis, in libro de Sensu & sensili, loco supradicto; duos autem libros de Plantis, qui nunc circunferuntur nomine Aristotelis viri doctrinæ Aristotelicę periti, existimat falsò adscribi Aristoteli cui rei fidem faciunt, inuentio, dispositio, & elocutio rerum quæ tractantur in illis libris, quippe cum nihil planè oleant lucernam Arist. His sex partibus Physicæ, adiungenda est septima de mixtis perfectis & inanimatis, vti sunt metalla, quam prætermisit quidem Arist. in hac enumeratione, sed in fine tertij Meteorologici expressit, nam cum de metallis generatim quædam attigisset, ampliorem & diligentiorem explicationę pollicetur his verbis, *Communiter igitur dictum est de omnib. his sigillatim autem considerandum est intendentib. circa vnumquodque genus.* Hæc igitur est diuisio vniuersę Philosophiæ naturalis, à Peripateticis memoriæ prodita.

Antonij Mirăduli in li. 15. de Euersione singularu certaminis.

Cæterùm, quoniam nonnulli ętatis nostrę Philosophi, præstantes ingenio & scientia Philosophiæ Aristotelicę, pugnacissimè contendũt octo libros Physices (in quibus agitur de principiis & affectionibus rerum naturalium) omnino remouẽdos esse à partibus Physicę, & referẽdos esse ad Metaphysicã, initium autem Philosophiæ naturalis sumendum esse ex libris de Cælo, age hanc etiam opinionẽ obiter refellamus. Multa sunt quę huic opinioni maximè aduersantur. Primò, titulus horum librorum, qui est de Physico auditu. Tum, quoniã Arist. citans alibi hos libros appellat eos Physicos, veluti in 8. Physi. tex. 4. Postea, quia omnes interpretes Aristotelis cõcordissimè agnoscunt hos libros Physicos, & primam partem Philosophiæ naturalis. Deinde, quòd duo primi libri sint Physici, ostendit Aristoteles in procœmio, dicens enitendum

dum esse Physico, primùm omniũ docere causas & principia rerũ naturaliũ. Quòd autem reliqui sex libri sint etiam Physici, aperte indicat Aristoteles in principio tertij libri, scribens, *Quoniam Physica tractat de natura quæ est principium motus, motus autem est continuus, ac proinde potest infinitè diuidi, & sine loco ac tempore esse nequit, ob id Physico differendum esse de motu infinito, loco, & tempore.* Ad hæc, Aristoteles in 1. de Partibus animal. præcipit in omnibus disciplinis exponendis atque tractandis, primùm docenda esse quæ sunt maximè communia, sed quæ declarantur in octo libris Physicis, sunt maximè communia omnium pene rerum naturalium; ergo &c. His accedit, quòd omnis scientia ut est in 1. Posteriorum, tria speculatur circa subiectum suum, principia, species, & affectiones eius, quare Physica speculari debet principia & affectiones sui subiecti. quod est corpus naturale; huius autem corporis principia & affectiones, tradũtur in octo libris Physicis, ergò tales libri non possunt à Physica remoueri. Postremò, vnius scientiæ est, vt scribitur in 1. Posteriorum 43. docere subiecti sui principia, species, & affectiones; si Metaphysic. igitur considerat principia & affectiones corporis naturalis de quibus agitur in octo libris Physicis, eadem profectò considerabit species corporis naturalis; ex quo necessariò efficitur, vel nullam esse Physicam, vel si qua est certè superuacaneam esse: cum quidquid attinet ad perfectam cognitionem rerum naturalium, id totum sibi sumat & arroget Metaphysica, quare absurdum est octo libros de Physico auditu, remouere à doctrina Physicæ. omissa igitur hac opinione, pergamus ad alia, & de supradictarũ partiũ Physicæ ordine disseramus.

De ordine quarundam partium Physicæ conuenit inter omnes, etenim certum est octo libros Physicorum, primum tenere locum, quippe cum principia & quasi fundamenta totius Philosophiæ naturalis, rerumque maximè communium doctrinam contineant. Vnde Auerr. in suo prologo Physico, loquens de his libris sic ait, *Proportio istius libri ad scientiam naturalem, est sicut proportio elementorum rei ad rem, quia iste liber comprehendit res, quæ sunt principia & radices vniuersales illorum, de quibus vult loqui Naturalis.* Hos libros proximè sequuntur duo libri de Cælo; Cælum enim, quoniam est maximè simplex, perfectum, immortale, & causa efficiens, regens atque conseruans omnium rerum sublunarium, optimo iure sibi vendicat primum locum inter species corporis naturalis: Tertius locus tribuendus est elementis, quippe cum sint corpora simplicia & principia omnium rerum mixtarum. Doctrinam autem elementorum, Aristo. quidem inchoauit in extremis duobus libris de Cęlo; in libris verò de Generatio-

ne penitus absoluit, vt inquit Alexander in principio operis Meteor.& Philop.in Proœmio li.de Generatione. Porrò quæcunque scribuntur in libris de Generatione pertinere ad scientiã elementorum,eóq; referri ab Ariot. ex his quæ subiiciã, manifestũ erit. Totum opus quod inscribitur de Generatione & corruptione,diuisum est in tres partes:in prima agitur pręcipuè de Generatione & corruptione,in secunda quę incipit à t.43.primi libri,de Tactu, Actione,& Mixtione, in tertia quę cõtinet secundum librum,agitur de elementis. Ad has tres partes distinguendas, Arist.vsus est trib proœmiis, vt cuiuis licet videre in principio cuiusque partis. Has igitur partes affirmamus Ari. instituisse atq; pertractasse elementorũ causa:ac de vltima quidem,hoc est de 2.lib. nemini dubium est.Nam & Arist.initio eius libri proponit se velle agere de elemẽtis,& principalẽ partem libri consumit in explicatione illorũ:& alibi citans hunc librum,appellat eũ de elementis,vt in 2.de Anima.t.117.& in libello de Sensu & sensili, vbi differit de saporibus.Secundã autem partem operis,etiam referri ad doctrinã elementorum,planũ facit Ari.in proœmio eius,scribẽs ibi t. 43.quia de elemẽtis sermonem instituit,necessariò item agendum esse de tactu,actione & mixtione. De prima verò parte,quę est de generatione & corruptione, licèt id maximè obscurum esse videatur (propterea quod Ari. significat in proœmio eius,se agere velle nõ tantũ de generatione & corruptione elementorum, sed vniuersè ac simpliciter de generatione omniũ quę natura constant) idẽ tamen sentiendum est.Etenim Ari. tũ in proœmio 2.li.de Generatione,tum apertissimè in 3.li.de Cęlo t.1.indicat se aggredi ad tractandũ de Generatione & corruptione,elementorum causa;sic enim scribit in 3.de Cælo. *De primo igitur elementorum dictum est, & quale id est secundum naturam, & quòd incorruptibile, atq; ingenerabile. Reliquum est autem de duob.dicere,simul autẽ accidet de his dicẽtibus, & de generatione & corruptione considerare;generatio enim aut omnino non est,aut solũ in his est elemẽtis,aut in iis quæ ex his sunt*,Ex quo intelligitur vltimos duos libros de Cęlo;& itẽ duos de Generatione facere vnum opus,quo perfecta elementorũ doctrina cõtinetur.De ordine igitur harum partium Phy.quas memorauimus,omnes consentiunt: At de 4.lib. Meteor.de libris de Anima, ac de Plãtis,quo loco censeri & numerari debeant,magna controuersia & dissensio est inter expositores Arist.de qua re quod nobis videtur maximè probabile, in præsentia breuiter explicabimus.

Principalis materia,quæ tractatur in libris de Generatione & corruptione sunt elementa.

De

De quarto libro Meteorologico.

CAP. VIII.

EGo sic existimo,eũ librũ qui vulgò inscribibitur quartus Meteorologicus,nihil attinere ad doctrinã Meteorologicã,nec cum aliis trib. priorib. libris cohærere, sed potius libris de Generatione& corruptione subiũgendu esse;in quã opinionẽ adducor his rationibus. Primò,quia nec inscriptio operis Meteorologi, cõuenit in hũc librũ,nec materia rerum Meteorologicarũ,quę est duplex halitus,vnus calidus & humidus, alter calidus & siccus,vt est apud Ari. in principio primi,& fine tertij libri Meteorologici.Etenim quę cõtinẽtur,hoc libro sue is sit separatus ab aliis & per se cohęrẽs, vt quibusdã visum est;siue sit pars seu additamentũ eius operis quod est de elemẽtis)neq; ignorũtur in sublimi, nec duplici exhalitu efficiuntur. Deinde, Ari. in proœmio Meteor. exponens vniuersam materiã pertractandam in libris Meteor.solùm enarrat ea quę docẽtur in trib.libris,de quarto autem nullũ verbũ facit:imox subdit,*Cum autem*,inquit,*pertransierimus,de his speculabimur de animalibus & plantis*:ex quo perspicitur,inter tres libros Meteor. ac eos qui sunt de Animalib.non esse interponendum hunc librũ.Pręterea,inter libros tres Meteor.apparet magna euidẽnsq; connexio, quam Ari. apertissimis verbis facit & declarat primis extremisq; verbis cuiusq; libri;at inter hunc librũ & priores tres Meteor. nec est, nec fit ab Aristot. vlla connexio, nam in fine tertij libri proponit agendũ esse de metallis, in principio autem huius libri reuocat in memoriã quæ tractata fuerũt in 2.lib.de Generatione, de primis qualitatibus elemẽtorũ, & proponit se velle docere nõnullas affectiones, quæ ex actione perpessionẽque harũ qualitatũ existũt, vt vel ex hoc vno loco clarissimum sit, hunc librum connexum esse nõ cum Meteorologicis, sed cum his qui sunt de Generatione. Ad hæc,causa quæ mouet alios, vt hunc librum proximè subiungant aliis Meteorologicis, futilis est; siquidem aiunt in aliis tribus libris dictum esse de mixtis imperfectis, in hoc autem agi vniuersè de mixtis perfectis,quod profectò falsum est;nã neq; hic declarantur principia mixtorum,quę sunt quatuor elementa, nec eorum species, quæ sunt metalla & lapides, nec affectiones, quæ sunt tum aliq;tũ in primis qualitates sensibiles;sed in hoc libro scopus Aristotelis est(cùm in 2.libr.de Generatione docuisset esse quatuor primas qualitates, earumque duas esse actiuas,alteras verò duas passiuas)declarare ea, quę tã ex actione quàm passione

De quarto libro Meteorologico.

talium qualitatũ accidunt mixtis, ex actione enim caloris & frigoris, prouenit generatio, putrefactio, cõcoctio, & incõcoctio, earúmq; species, vti sunt maturatio, cruditas, elixatio, inquinatio, assatio, & tostio: Ex perpessione verò humoris & siccitatis, proficiscuntur, mollities, durities, concretio, liquefactio, incrassatio; tum prẽter hæc, flexibile, friabile, frangibile, & alia horum similia: vt nemo sit licèt parum acutè videat, qui cernẽs animo principium, finem, totúmq; cõtextum huius libri, non animaduertat eu dissentaneu esse libris Meteorologicis? his autẽ qui sunt de elemẽtis seu de Generatione, planè consequentem. His denique accedit locupletissimũ testimonium Alexandri, quem nos huius sentẽtiæ ducem & auctorem libenter sequimur: is enim in præfatione sua super hunc librũ sic ait, *Liber hi qui quartus inscribitur Meteorologicorũ Arist quidem est, verùm ad Meteorologicum negotium non attinet, nam quæ in ipso pertractãtur, huiusce theoriæ propria nõ videntur, sed magis quantũ ex his, quæ in ipso dicũtur, ratiocinari possumus, consequi habet ad lib de Generatione & corruptione: cum enim in ipsis pertractauerit de quatuor virtutibus tangibilib. caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate, ostendens ex combinatione harum virtutum elementa fieri, quin etiam aliquas ipsarum actiuas esse, aliquas verò passiuas, in præsenti modo libro, quænam sint ea declarat, quæ, vnaquaque dictarum virtutum facit aut patitur, & quæ ab ipsis geruntur ac fiunt.* Hæc Alexander.

Solutio trium dubitationũ.

Sed dicet aliquis. Hic liber inscriptus & habitus est Meteorologicus, etiam ante tempora Alexandri. Esto: sed Alexander improbat talem inscriptionem, nec est inusitatum vel adornare libros falsis inscriptionibus, vel eos adscribere alienis auctoribus. Sed cur, inquies, Arist. non meminit huius libri in enumetatione quam fecit in procemio opetis Meteor. An quia eum comprehendit sub opere de elementis & de Generatione? An potius, quoniam cum instituisset generalem diuisionem Philosophiæ naturalis in principales partes eius, sicut omisit opus de metallis, ita non est mirandum hunc vnũ librum fuisse ab eo prætermissum. Illudverò quod nonnullos deducit ab hac sententia, infirmũ sanè est. Aiunt quidam, hunc librũ non posse coniungi cũ his qui sunt de Generat. propterea quod Aristot. extrema parte ipsius, significat huic libro proximè succedere libros de partibus animalium, scribens, *Quoniam hic dictum fuit generatim de constitutione naturáque partiũ similariũ, deinceps agendũ esse sigillatim de vnaquaque ipsarum, tum de partibus dissimilaribus, ad extremum de animalib. quæ constãt ex huiusmodi partibus.* Sed hoc argumentũ, nec obest nobis, nec prodest his, qui cõtra sentiunt; nõ enim illis verbis Arist. indicat connexionem successionemq; librorũ, sed potius seriem, atque ordinem

nẽ rerũ cognoscendarũ, quasi diceret: Cũ hic declaratę fuerint nõnullæ affectiones quę insunt partibus animalium, eum qui vellet totã hanc materiã ad extremum vsque prosequi, oporteret specu lari hæc vel alia quæ ibi proponũtur, alioquin hic liber proximè anteit libros de Partibus animalium, ergo subsequitur libros de Metallis & de Anima, quoniã isti volunt libros de Anima præire eos qui sunt de Partibus animaliũ: Cum autem contendunt hunc librum proximè cõiungi cum aliis Meteorologicis, hinc necessariò concluditur libros de Metallis, & de Anima, priores esse libris Meteorologicis, quod nemo non videt falsum, & absurdum esse. Sed de his satis, veniamus ad libros de Anima & de Plantis.

De ordine librorũ qui pertinẽt ad doctrinam animaliũ.

De ordine quo libri qui pertinent ad scientiam animalium, ab Aristotele scripti aut euulgati fuerint, ponam in medio, quæ potui ex variis locis eius, cõiectura consequi. Primus locus assignari debet libris de Historia animalium, quibus Aristoteles tradidit rudem & adumbratam notitiam animalium, quam quia non demonstrando, sed veluti narrando exposuit, appellauit historiam: Secundus locus dandus est libris de partibus animalium: Tertius, libello de Incessu animalium: Quartus, libris de Anima: Quintus, libro de Sensu & sensili; de memoria & reminiscentia; de somno & vigilia; de somniis, de diuinatione per somnum; de communi motu animalium: Sextus, libris de Generatione animalium: Septimus, libro de Longitudine & breuitate vitæ; & de iuuentute & senectute, vita & morte, ac respiratione. Quod libri de Historia animalium primi omnium locari debeant, ex eo manifestum est, quod mos est Aristotęli primùm generalem & crassam notitiam rerum, quas diligenter tractare vult, proponere: tum subtilem & accuratam earúdem cognitionem tradere. Deberi autem secundum locum libris de Partibus animalium, declarat epilogus illius operis & libri qui est de Motu animalium, vbi Aristoteles, repetens, quæ ab eo tractata fuerunt de animalibus, semper memorat primo loco libros de Partibus animalium. His autem proximè succedere libellum de Incessu animaliũ indicat Aristo. extremis verbis quarti libri de Partibus animalium, scribẽs, *Quoniam actum fuit de partibus animaliũ sequi, vt de his quæ in cessu animalium deseruiunt, disseratur.* Huic libello consequens esse opus de anima, declarant vltima verba huius libelli quæ sic fere habent, *De partibus cùm aliis, tùm his quæ faciunt ad incessum animalium, hoc se habet modo: iis autem sic determinatis, proximum est de anima contẽplari.* Hos libros de Anima subsequitur liber de Sensu & sensili; quod ostedit Aristotelis in principio eius, coniungens ipsum cum libris de Anima. Huic lib. de Sensu & sensili adnectendus est

liber de Memoria & reminiſcentia: vt videre licet ex fine libri de Sẽſu ſenſibili. Porrò, librũ de Memoria & reminiſcentia, ſequuntur hi qui ſunt de Somno & vigilia, de Somniis, de Diuinatione, & de communi motu, poſt quos proximè numerantur libri de Generatione animalium, id quod liquidò perſpicitur ex epilogo libri de motu animalium, qui ſic habet, *De partibus igitur vniuſcuiuſque animaliũ, & de anima, præterea de ſenſu & memoria, & ſomno & cõmuni motu diximus: reliquũ autẽ eſt de Generatione dicere.* Quod autẽ liber de iuuentute & ſenectute, de longitudine & breuitate vitæ, de vita & morte atque reſpiratione, extremum locum teneant, apertè docet Ariſt. extrema parte libri de lõgitudine & breuitate vitæ, vbi ſic ait, *Dicta eſt cauſa de magnitudine & breuitate vitæ, reliquum autem nobis conſiderare de iuuentute & ſenectute, vita & morte, hic enim determinatis finem vtique habebit, quæ de animalibus methodus.* Si igitur hi libri terminant doctrinam animalium, neceſſe eſt his anteire eos qui ſunt de Generatione animalium. Hoc igitur ordine videtur Ariſt. eos libros qui continent ſcientiam animalium, aut ſcripſiſſe, aut in publicum edidiſſe.

Libros de Anima, ordine doctrinæ, poſteriores eſſe iis libris, quæ de anima traduntur, & rationes quæ ad eius ſubſtantiam pertinent, tractaturum, animaduertere præter cætera opus eſt id, quod in Partibus animaliũ.

Sed quæret aliquis, An ordine doctrinæ libri de anima præponendi ſint his, qui ſunt de partibus animalium, nec ne? Equidem vehementer aſſentior Alexandro, qui cenſet libros de Partibus animalium ordine doctrinæ prius explicandos eſſe, quàm libros de Anima, huius viri auream orationem hic adſcribemus; ſic enim ait in primo libro ſuo de anima capit. 2. *Ferè autem affectui natura ambitioſè elaboratum eſt. Cùm enim qualis, & quæ res ſit natura didicerimus, nobiſque perſuaſerimus quocunque opere, vel admirabili, quod intercedente arte confectura ſit, longè maiori admiratione digna eſſe effecta naturæ: facilè fidem præſtabimus iis, quæ à nobis de animæ ſubſtantia recenſenda ſunt. Nihil enim magis in cauſa eſt, vt cùm de anima diſſeritur, ambiguis difficultatibus inuoluamur, quàm quod difficillimum eſt illius poteſtates functioneſque iis quæ de ipſa dicuntur conſentanea, & concordi ratione coniungere, quaſi omni corporea virtute diuiniora, & maiora eſſe exiſtimentur. Quare ſi ea quæ commodè & aptè de animæ ſubſtantia proferuntur, contradictionibus implicare non volumus primo loco ipſe poſſidentis animam corporis apparatus contemplandus eſt: & internarum inuicem externarúmq; partiũ cum ipſo venuſtatis & pulchritudinis concentus, lex & diſpoſitio conquirenda. Simul enim atq; hæc ipſa ſpeculati fuerimus, haudquaquã vlterius admirabile, & noſtra opinione maius eſſe videbitur, vt in corpore ſupra quàm opinari poſſumus, mirabiliter atq; ambitioſè diſpoſito, anima tot in ſe motionũ principia poſſideãt, cõ-*

tineatur. Auerroes idem ſenſit & ſcriptum reliquit in principio Meteororum: idem quoque recta ratio ſuadet; nam ſi anima eſt actus corporis organici, ergo corpus organicum ordine generationis eſt priùs quàm anima, ac proinde prius declarari ac cognoſci debet. Deinde ſi in explicãdis diſciplinis incipiendum eſt ab his quę ſunt magis nota & manifeſta nobis, corpus autem organicum cum cadat ſub ſenſus noſtros, eſt nobis magis conſpicuum & familiare quàm anima, cur non doctrina corporis animati & partium eius prępõenda erit ſcientiæ animæ? & Ariſt. in 1. de Part. anim. diſputat an ſit Phyſici agere de omni anima, qua re innuit doctrinam animæ non ab eo fuiſſe præpoſitam libris de Part. anim. ſed magis poſtpoſitã. Sed Auicenna, nobis diſſentiens, vult libros de Anima priores eſſe his qui ſunt de Partib. anim. tribuens eis ſextum locum inter partes Philoſophiæ naturalis; eo maximè argumento, quòd anima ſit perfectior corpore & finis eius: & ſicut eſt præcipua cauſa ipſius animalis, ita in eo cognoſcendo priorem atq; potiorem eſſe debere. verùm dupliciter peccat Auicenna, primùm, quia putat in docendis rebus perpetuò tenendum eſſe ordinem naturæ ac perfectionis, cùm Ariſt. clamet in 5. Metaph. text. 1. non à primo & rei principio aliquando inchoandum eſſe, ſed vnde quis faciliùs diſcat. Deinde quoniam facit ſcientiam animæ, partem quandam Phyſicæ diuerſam à doctrina animalium: cum Ariſt. velit eſſe vnam methodum animalium, quę comprehendat lib. de Anima & de Partib. anim. & alios quos ſupra enumerauimus, vt apud eum videre licet in Proœmio Meteororum, & in fine lib. de Longitudine & breuitate vitę.

Opinio Auicennæ refellitur.

Libri de Anima. lib. præcedunt ordine doctrinæ libros de Plantis.

De Plantis autem ita dicendum eſt, Ariſt prius tractaſſe de animalibus, quam de plantis. vbi. n. commemorat hos libros, ſemper anteponit libros de Animalibus, his qui ſunt de Plantis, vt poteſt cognoſci ex his quæ ſcribit ipſe in proœmio Meteororum, in li. de Senſu & ſenſili, vbi loquitur de ſaporib. & in fine de Longitudine & breuitate vitæ. idq; Ariſt. nõ temerè ſed conſulto fecit: etenim ordine doctrinę priores ſunt libri de Animalib. quàm de Plantis, nam licèt plantæ quà ſunt corpora magis ſimplicia, videantur eſſe natura priores animantib, tamen horum doctrina antegredi debet, propterea quod facilior & manifeſtior eſt, & multum præbet adiumenti ad expreſſam ſcientiam plantarum operationes. n. animę, partes item & inſtrumenta plantarum, deprehenduntur, cognoſcuntur & nominantur per analogiã quandam ad ea quæ cernuntur in animalib. hoc autem perſpicuum fit ex verbis Theophraſti; quæ in 1. de Hiſtoria plantarum ſic habent. *Nec illud latere nos decet, quid ꝓportione intelligi debeat, vt in ani-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

malium genere,ad ea ſcilicet redigenda,quæ quàm ſimillima pe-fectiſſimá que cõtinentur ad ſummã omniũ quæ in plantarũ genere ſpectãtur,ſimilitudo petẽda ex iis eſt quæ in animalib.inſunt,quoad fieri poſſit Igitur hæc ita determinare libeat. De partib.igitur Philoſophię naturalis,earũque partiũ ordine ac diſpoſitione ita dictũ ſit,nũc pauca de vtilitate ac voluptate, quæ ex Phy.ſtudio capitur, ſtrictim attingamus.

De vtilitate & iucunditate Philoſophiæ naturalis.

CAP. IX.

Vtilitates Philoſophiæ naturalis.

ETſi Phyſica, quoniam, eſt ſcientia ſpeculatiua, non propter aliud, ſed per ſe, ſuiq́ue gratia quærenda & expetenda eſt, nihilominus tamen plurimas atque maximas commoditates & ornamenta præbet omnibus diſciplinis. Primùm, vtilis eſt Metaphyſicæ; propter cognitionẽ primi motoris,& intellectus humani,& propter cognitionem atq; cõtemplationem motuum cæleſtium,quęviam ſternit Metaphyſico ad perueſtigandam ſcientiam intelligentiarum Tum Medicinæ;propter doctrinam elemẽtorum,facultatum naturalium,ſtirpium,& corporis humani;&quia Phy.aperit primas cauſas naturales ſanitatis &ægritudinis,quòd pulchrè docet Ariſ. in lib,de ſenſu & ſenſili,ſcribens his verbis,*Naturalis autem eſt, & de ſanitate,& infirmitate prima cognoſcere principia:nec.n.ſanitatẽ,nec infirmitatem poſsbile fieri carentib.vita.Quare fere naturaliũ plurimi,& Medicorum,qui magis Phyloſophicè artẽ proſequuntur,illi quidem finiunt ad ea,quæ de Medicina,hiverò ex iis quæ de natura,incipiũt quæ de Medicina.* Poſtea conducit diſciplinis Mathematicis; Aſtronomiæ quidem propter ſcientiam luminis, coloris, ac eorum quæ attinent ad aſpectum;Muſicę verò,propter intelligentiam ſoni, vocis,eorúmq; quę ſpectant ad facultatem auditus.Deinde Philoſophię morali,propter ſciẽtiam hominis,potẽtiarũ eius,affectuum & operationum,quocirca Ariſt.in tractandis rebus moralib. multa ſumit ex lib.Phyſ.præſertim iis qui ſunt de Anima.Deniq; multum ſeruit Theologiæ;etenim multa ſunt in lib.Geneſeos,Eccleſiaſtæ,Iob & Pſalmorum,planè Phyſica,quæ ignarus Phyſicę,bene intelligere non poterit in Theologia etiam ſcholaſtica,quàm plurimas tractari quęſtiones Phyſicas manifeſtum eſt.Poſtremò, vtilis eſt cunctis artibus,tum quia omnis ferè ars in id comparata eſt,vt vel imitetur naturã,vel eam adiuuet,& perficiat ea quæ natura per ſe non poteſt efficere,tum etiã quia ſubiectum & materia omnium formarum artificialium,eſt corpus naturale. Sed immenſum eſſet,non modò dicendo amplificare,ſed numerando percenſere Phyſicę vtilitates,quæ latiſſimè ad omnes diſcipli-

nas

nas & omnes humanæ vitæ commoditates vſuſq; permanant.

Quanta voluptas ſit in ſtudio Philoſophiæ naturalis.

De voluptate autem,quæ eorum amicos afficit qui verè puréque philoſophantur, quis pro eo,ac res eſt, dignè eloqui valeat? Ariſt.in 1.de Part.anim.c.5. multis verbis egregiè declarat quantas voluptates adferat Phyſica, his qui rerum naturalium cauſas ſtudioſè accuratéq; contemplantur : quem locum hortor omnes vt totum diligenter legant, admirabiles.n.in animis legentium amores erga ſtudium cultúmq; Philoſophiæ naturalis excitabit: & in 10.lib.Ethic.ita ſcribit,*Videtur Philoſophia mirabiles quaſdam tum ſinceritate,tum ſtabilitate continere voluptates.* Cic.etiam in 2.lib. Acad.qu. cum dixiſſet res Phyſicas non firma cõprehendi ſcientia,ſed variis Philoſophorum opinionib.huc atque illuc probabiliter agitari,ſubiungit hæc,*Neque tamen iſtas quæſtiones Phyſicorum exterminandas puto: eſt.n.animorum ingeniorumq; naturale quoddã quaſi pabulum,conſideratio contemplatióq; naturæ;erigimur,elatiores fieri videmur,humana deſpicimus cogitãteſq; ſupera atq; cæleſtia,hæc noſtra,vt exigua,& minima contemnimus,indagatio ipſa rerum,tum maximarum tum etiam occultiſſimarum,habet oblectationem,ſi verò aliquid occurret quod veriſimile videatur,humaniſſima completur animus voluptate.* Sed quoniam expoſita ſunt quæ generatim & vniuerſè pertinere videbantur ad diſciplinam Philoſophiæ naturalis,nunc propiús accedentes ad ea quæ in hoc opere tractare cõſtituimus,pauca quędam explanabimus, quæ proximè attingunt doctrinã octo lib. Phy.& primùm omniũ declarãda eſt inſcriptio horũ 8.librorum quæ ſic habet, περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως,hoc eſt eſt de Phy.auditu.

Declaratur inſcriptio octo librorum Phyſicorum,quæ eſt περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως,hoc eſt de naturali auditu,& diſputatur de libris acroamaticis & exotericis.

CAP. X.

Opinio ueriorii.

QVid ſignificet hæc inſcriptio,& cur præcipuè attributa fuerit octo libris Phyſ. quales item ſint libri exoterici & acroamatici,nõſatis cõuenit inter omnes interpretes Ariſt. Ego primùm quidem exponam opiniones aliorum, tùm etiam ſententiam meam adſcribam. Auer.ait poſitum fuiſſe(de naturali auditione)pro eo quod eſt,de naturali ſermone, ſed quia accidit ſermoni vt audiatur,per metaphoram,loco ſermonis dictum eſt de auditione. Nam plerunque vt eſt apud Ariſto.in 3 lib.Rhethoricorum,maior quædam vis ac ſuauitas eſt in verbis tranſlatis quàm in propriis : ac tamen etſi naturales ſermones non modò his octo libris, ſed aliis etiam omnibus explicentur, tamen his

præcipuè hoc nomen tribuitur, quoniam sunt quasi ianua ad cæteros, vt quibus contineatur veluti radix & fundamentum vniuersæ Philosophiæ naturalis; itaque vt habent se elementa ad alia corpora, sic etiam huiusmodi libri ad reliquos huius disciplinæ. Hæc Auerr. Sed multis nõ probatur hæc interpretatio Auerr. talem. n. metaphoram, nõ solùm nõ putant venustam & iucundam esse, verùm etiam maximè duram insuauémq; vt nõ sit verisimile Arist. qui ab omni propemodum, in doctrinis tradendis genere translationum abhorreat, earumq; vsum in scientiis non semel reprehendat, translatione tam rudi & inusitata vsum esse in principio & inscriptione huius operis, Quis. n. ferret eum qui sic loqueretur, de naturali vsu, vel odoratu, vel gustatu; significare volens, de colore aut sapore? Sed expositionem Auerr. nõ esse penitus absurdam & remotam à ratione, perspicuum erit ex his quæ dicturi sumus extremo loco. Albert. Magnus tract. 1. Phy. c. 4. de inscriptione huius operis ita scribit, *Dicitur autem liber Physicorum, eò quòd ipse in vniuersali totum cõplectatur negotium Physicum. Dicitur etiam de Physico auditu, quia ibi tanguntur ea quæ auditu plus quàm demonstratione sciuntur de Physicis, hoc est principia Physica vniuersalia, ex quibus habent probari alia, propter quod aliquando intitulatur de principiis Phisicis.* Hæc Albertus. In cuius expositione, nõ video cur dicat quę de principiis traduntur in his libris, sciri magis auditu quàm demonstratione. An non Arist. ea quæ pertinent ad principia, firmissimis atq; pulcherrimis cõfirmat atq; communit rationibus? vt quod non sint infinita; quòd nõ vnum tantummodo, quòd inter se cõtraria; quòd opus sit præter duo cõtraria, tertiò quasi subiecto vtriusq; ; quòd materia sit ingenerabilis & incorruptibilis; quòd natura agat propter finem. Deinde, cur præcipuè auditu sciuntur principia, ac nõ etiã per alios sensus? Postea, hic titulus (de Physico Auditu) non tantùm pertinet ad duos primos libros, sed etiam ad alios sex in quibus disputatur de motu, maximè in 6. lib. in quo multa certissimis & exquisitissimis demonstrationib. explicantur vt eas Proclus, ob euidentiam & necessitatem concludendi, quodam libello reuocarit ad formulam rationum Mathematicarum. D. Th. initio suorum Comm. quid sentiat de huiusmodi inscriptione, exponit his verbis, *Hic autem est liber Physicorum, qui etiam dicitur de Physico auditu, quia per modum doctrinæ ad audientes traditus fuit.* Hæc illæ. Sed meritò quispiam dixerit, tradi per modum doctrinæ audientib. esse commune aliis libris, vt etiã in libros Logicos, Phys. & Metaph. cõuenire possit; nisi quis inscienter contendat hos duntaxat octo lib. ab Arist. doceri & in scholis explicari solitos fuisse: qui potest igitur quod est commu

Oppugnatur Auerroes.

Opinio Alberti.

Refellitur Albertus.

Opinio D. Thom.

est commune omnib. causa esse singularis & propriæ inscriptionis horum librorum? Sed neque hanc D. Tho. interpretationem procul esse à verò, ex iis quæ infra dicemus, perspicuum erit.

Alia est opinio Græcorum interpretum, peruulgata illa quidem & probata omnibus propè melioris notæ scriptoribus, duo fuisse genera librorum Arist. vnum, eorum quos ἐξωτερικοὺς vocant, quales sunt Historicæ, Poëticę, ac Rhetoricæ commentationes, demum ea quæ leuiter & populariter scripta sunt, nec ad tenuè auscultatorios, diligẽtioris atq; limatioris operæ, quibus grauior atque subtilior Philosophiæ disciplina cõtineatur; quos ideo putant sic dictos esse, quia sint tam difficiles ad intelligendum, vt sine voce operáque magistri vix percipi & comprehendi possint. Ex horum numero habetur hoc opus, vt ob id etiam talem acceperit inscriptionem. Hanc de scriptorum Arist. diuisione sententiam, plurimi & clarissimi viri memoriæ prodiderunt: Galenus in fragmento de substantiis naturalium facultatum, Plutarchus in vita Alexandri, Cicero in 5. lib. de finib. Ammonius in Logica, Simplicius in Procemio Physicæ, Aulus Gellius lib. 20. c. 4. Clemens Alexandrinus in 5. lib. Stromatum, & Alexander in 1. Topicorum libro, Themistius (siue auctor illius procemij vt ante dixi, Simplicius fuerit) hæc scribit, *Cum autem scriptorum commentationumq; suarum species duas haberet, vnam eorum quæ exteriora nominabat, quales erant Historicæ, & Rhethoricæ meditationes demum omnia ea, quæ minus tum curæ ac diligentiæ, tum intentioni ac studij requirebant: Alteram eorum quæ auscultatoria nuncupabant, in quibus Philosophia remotior subtiliorq; agitabatur, ex quorum numero habetur hoc opus, cui titulus est de Physica auditione, in auscultatoriis, data operaui voluit obscurus esse, ratus hunc in modum obiter posse rudiora ingenia ab huiusmodi studio quasi reiici deterrerique, vt pote quibus futurum sit perinde ac si neque scripta quidem vnquam fuissent.* Simplicius in 4. Phys. text. 87. vbi Arist. ait Physico agendum esse de tempore, his verbis. *Primùm bene habet dubitare de ipso per exteras rationes, &c.* Exponens illa verba (exteras rationes) *Externa*, inquit, *dicuntur quæ sunt communia & concluduntur per probabilia, non autem demõstratiua, nec acroamatica, hoc est, non ex accuratioris doctrinæ auditione desumpta.* Et in 1. de Cælo super text. 100. vbi Arist. citat ἐγκύκλια φιλοσοφήματα. Simplicius in terpretatur exoterica, hoc est scripta popularia: Auerroes quoque eundem locum interpretans, ita scribit; *Et intendit per extraneos, Logicos, sermones enim Logicos, vocat sermones extraneos: & Philosophiam, quæ cõponitur ex istis, vocat Philosophiã extraneam.* Quid multa? Eustratius, sub finem primi lib. Ethicorum

Opinio Græcorũ de diuisione librorum Aristotelis, in acromaticos & exotericos.

Quales putet Eustratius fuisse libros Aristotelis acroamaticos & exotericos.

exponens illa Aristotelis verba (*Dicuntur etiam de ipsa in extrariis disputationibus, nonnulla*) in hanc sententiam scribit, *Ex operibus Aristotelis, alia ad discipulos eius scripta sunt, qui ad eum audiendum simul conueniebant, quæ ipse in publicis scholis coram disserebat & exponebat, aliam priuatim ad aliquos extrinsecos illi argumento accommodata quod vnusquisque requisierat. Illa, ἀκροαματικὰ, hoc est auditoria vel auscultatoria appellantur, quippe quæ ad eos qui eum publicè audiebant, fuerunt conscripta: Hæc autem ἐξωτερικὰ vocantur, quasi dixeris extraria siue extranea, quia vnumquodque ipsis, ad priuatum aliquem extra publicum auditorium conscriptum fuit.* Hæc Eustratius. Ex cuius verbis licet intelligere, diuisionem librorũ Arist. in acroamaticos, & exotericos, fuisse Eustratio cognitam & probatam, eúmq; paulò aliter quàm cæteros, quales fuerint libri acroamatici, quales itẽ exoterici, interpretari. Manifestũ igitur est, diuisionem illam scriptorũ Arist. in acroamatica & exoterica, & vetustate illustrem, & eorum auctoritate qui eam tradiderunt, esse probabilem.

Opinio Ioannis Sepuluedæ.

Vnus memoria nostra Ioannes Sepulueda vir doctus ac disertus, huic tam veteri & receptæ opinioni dissentire & repugnare ausus est: Etenim in quibusdam scholiis quę scripsit in libros Polyticorum Arist. à se conuersos Latinè, lib. 3. c. 4. huiusmodi partitionem librorum Arist: reprobat his rationib. Primùm, quoniam Arist. interdum vocat exotericos libros. omniũ difficillimos, vt in extremo 1. lib. Ethic. ad Nichomacum. verba faciens de partibus seu potestatibus animi, citat hoc nomine libros de Anima: & in 1. lib. de Morib. ad Eudemum in q. de ideis, eo nomine citat libros Metaph. his verbis, *Sed de hac q. multifariam disputatum est in exotericis sermonib. quique habiti sunt de Philosophia*, significans proculdubio nomine Philosophiæ, Metaphysicam, quæ per excellentiam vocari solet & prima Philosophia & simpliciter Phylosophia; in cuius 1. 7. 13. & 14. lib. copiosè disseritur de ideis. Non igitur libri exoterici apud Arist. sunt libri populariter scripti, cum eo nomine, qui sunt subtiliter & accuratè scripti, ab Arist. censeantur. Ad hæc, Diogenes Laërtius in vita Arist. subtiliter cõmemorans libros ipsius, eorúmq; diuisionẽ prosequens diligentissimè, nullam huius partitionis memoriam facit, vt ea res magno argumento sit, illam nõ fuisse prætermittendã à Laërtio, si Aristotelica fuisset. Præterea, si acroamatici libri sunt, quicũq; politiorẽ & secretiorem Philosophiæ doctrinam cõtinent, cur id nominis tãtum ascribitur his 8. libris Physic. ac nõ etiam his, quos de Anima aut Metaph. Arist. scripsit accuratissimè? Hæc Sepulueda.

Ego

Vetus Græcorũ opinio defenditur contra Sepulvedã.

Ego autem (vt meum quoque hac de re iudicium interponã) censeo non temere discedendum esse à sententia tã grauium, & illustrium Philosophorũ, quippe quę si spectes auctoritatem eius atque vetustatem ab Arist. profecta, & deinde quasi per manus omnium Peripateticorum tradita ad nos vsque peruenisse videatur, præsertim cum rationes Sepuluedę non sint eiusmodi, vt nos ab ea debeant abducere. Nam loca Arist. ex primo Ethicorum ad Nichomachum, & primo moralium ad Eudemum, vbi citãs exotericos libros, videtur Sepuluedæ Aristoteles significare libros de Anima & libros Metaphysicæ, multò secus interpretãda sunt. Etenim Arist. (quod facile cognosci potest ex iis quę scribit Laërtius librorum eius prætexens catalogum) de eadẽ re multos ac varios libros conscripsit, vt de Bono, de Rep. de Anima, de Ideis nonnullos quidem pingui Minerua & populariter accõmodatéq; ad sensum captúmq; etiam hominum vulgariũ alios verò pressiori & limatiori opera, quibus diligenter exponit, maximè recõditas & arcanas Philosophiæ sententias, vt hac varietate scriptorum omni propè hominum generi satisfaceret earundem rerum tenuem quidem notitiã impertiẽs vulgo, perfectã autem explicationem & scientiam, suis modò reseruans auditoribus. Primò igitur libro Ethicorum, per exotericos, non intelligit Arist. libros Philosophicos de Anima, quos nũc habemus acutè, copiosè, doctéq; scriptos sed alios magis populariter, & ruditer compositos, quod non obscurè indicãt verba Arist. quæ sic habent, *Inquirere exactius* (videlicet de anima) *magis operosum est, quã conueniat rebus subiectis: dicũtur autem de ipsa etiam in exotericis sermonibus sufficienter quædam & vtẽdum est ipsis.* Accuratã igitur cognitionẽ animi, negat esse necessariam Philosopho ciuili, mediocrẽ verò satis esse, & peti posse ex libris exotericis in quibus etiam dicuntur de anima quædã sufficienter. Illud etiam ostẽdit Aristotelẽ scripsisse de Anima nõ vnos libros, scilicet Philosophicos, sed etiã quosdã exotericos, qui satis esse possint ciuili ad cognoscendũ de anima, quæ sint ipsi necessaria. Illa qnoq; verba (*sufficienter*) & (*quædam*) non possunt cõmodè referri ad libros de Anima qui nũc extant, in his enim nõ quædam tantùm, sed plurima non sufficienter aut ruditer sed copiosè subtilitérque disputantur. Vel fortasse per sermones exotericos de Anima, innuit dialogum eius de Animo scriptum ad Eudemum Cyprium familiarem suum, cuius meminit Cicero primo libro de Diuinatione, Plutarchus in vita Dionis, & in Cõsolatoria ad Apollonium, & Themistius in Paraphrasi super tertium de Anima capite trigesimoseptimo locus autem ex primo ad Eudemum, peruersè accipitur à Sepulueda, nam Aristo-

Dialogus Aristot. de Anima ad Eudemum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

teles illis verbis (*in exotericis*)& (*qui sunt secũdũ Philosophiã*)nõ significat eosdẽ libros,nõ enim cõgrueret cum eo quod proximè dixerat,multifariã à se disputatum esse de ideis,sed iudicat diuersos libros,quosdam exotericos & populares,alios autem Philosophicos.Hoc manifestè significat Aristot.in 13.lib.Metaph. vbi de ideis in principio libri scribẽs,ita ait,*Plurima nãque diuulgata sunt de ipsis etiam exotericis sermonibus.* Per libros autẽ de Philosophia, fortasse non Metaphysicos significat,sed exotericos libros,qui sic inscribebãtur,quos tres fuisse scribit Laërtius in vita Ari.sed vel alios eadẽ inscriptione ab Ari.diuulgatos esse,vel illos quos memorat Laërtius,plures tribus fuisse,colligi potest ex iis quę scribit Eusebius ie 11.lib. de Præparatione Euangelica, cap. 1.citans quẽdã locũ Arist.ex 7.lib.eius de Philosophia.Huiusmodi autem libros populares fuisse,cognosci potest ex his quæ ibi affert Eusebius,& Cic.lib.1.de Nat.Deorũ & in 2.lib.eiusdem operis,citãs tertium li.Arist.de Philosophia.Vel forte indicare vult duos lib. de ideis,quos separatim scripsit Arist.vt refert Syrianus in extremo suo commẽtario,quo explanauit librũ decimũquartũ Metaphysicę Aristotelis.Prętermissam autem esse huiusmodi partitionem à Diogene,non tanti æstimandum est,vt ob id planè repudianda sit:quin etiam si Laërtius negaret esse Arist.tamen deberet apud nos præponderare maior atque grauior auctoritas tot præstantium virorum,qui contra sentiunt. Titulum verò illum τοῦ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως præfixũ octo libris Physicorũ,equidem reor nõ esse Arist ducor autẽ cõiectura minimè (vt mihi equidẽ certè videtur) contemnenda:Etenim si Arist.talẽ hisce libris dedisset inscriptionẽ,certè aliquãdo eos citaret hoc nomine, vbi de his sermonem habet:at cum facit mentionẽ illorum , nunquam hoc titulo ipsos nominat,sed appellat vel de causis & principiis, innuens primos duos:vel vniuersales sermones de motu,aut simpliciter de motu,significans reliquos sex.Putarem igitur hũc titulum affixum esse huic operi à discipulis Arist.vel qui eũ posteà subsecuti sunt;aut quia hi libri,tũ propter multas magnásq; difficultates,tum quia continent principia totius Physice solerent ab Arist.præcipuè doceri,& ab aliis audiri:aut fortasse, vt significarẽt huiusmodi libros,quoniã sũt quasi ianua & aditus ad cęteros esse necessariò audiendos & perdiscendos à magistro, Atque hoc modo interpretatur Psellus in principio Physicorũ.Porrò scripta exoterica,tum aliis de causis,tũ etiã,quia Peripatetici ea fortasse parui pẽderẽt facile omnia fere interciderũt:cũ enim populariter & non Philosophicè essent cõposita , cámq; ob causa à Peripateticis haud magno studio & diligentia conseruarẽtur , quid mirũ est

Qui fuerint libri Aristotelis de Philosophia.

Titulũ illũ, de Physico Auditu, præfixum octo libru Physicorũ, non esse Aristot.

est,ea penè omnia excidisse?Acroamatici autem libri (quanquã ne hi quidẽ omnes) maiori studio & diligentia cõseruati,ad nos peruenire potuerunt:quorum tamẽ nusquam video Arist. facere mentionem prætĕquam in epistola,quã,auctore Plutarcho , rescripsit Alexandro querenti cum ipso de huiusmodi librorũ editione.Itaque quotiescunque vnum aliquem de acroamaticis nominat,nõ hoc communi nomine,veluti exotericos,sed suo & singulari quemuis titulo appellat,vt libros de Anima,de Cælo , &c. Verùm de inscriptione huius operis satis dictum est.

Quonã autẽ modo Arist.soleat appellare hos octo libros Physicorum , quoniam videtur res cognitione digna,ex variis libris eius,breuiter indicandum est.In 1.de Cęlo tex.20.citans primum librum Physicum,inquit*Quemadmodum in primis dictum est sermonibus* In 8.Physi.tex.23.volens significare secundum librum Physicorum,ait,*Posita enim est natura in naturalibus principium sicuti motus & quietus.*In eodem lib.text.quarto & vltimo,eodem modo nũcupat tertium librum Physicorũ scribens , *Sicut prius dictum est in physicis* , quanquam eundem librum aliter describit in primo de Cælo,textu 54.dicens.*Sicut ostensum est in his quæ circa principia dicta sunt à nobis.*In 2.lib.de Generatione & corruptione,tex. 61.loquens de 4.lib.Phy.sic ait,*Quemadmodum in his qui in principio sermonibus determinatum est.*Sextum porrò librum Physicorum variè designat scribens sicut dictum est,vel *in vniuersalibus de motu,* vt secundo libr.Post tex.14.vel,*in primis de motu sermonibus*,vt in 8.Phy. tex.68.*in his quæ de motu*,vt primo de Cælo 38. vel *in sermonibus de motu*,vt 3.de Cælo tex,5.& in lib.de Sensu & sensili ; vel *in his quæ vniuersaliter de natura*,vt libro Physicorum octauo,tex.40. Postremò,in 4.de Cælo tex.28,indicare volens octauum libr. Physicorum,ait*Quẽadmodum dictum est in primis sermonibus.* At in 1.de Generat.text.14.sermonem habens de eodem libro,inquit,*Sicut dictum est prius in de motu sermonibus.*Duorum autem librorum , hoc est quinti & septimi libri Physici , nusquam reperio mentionem factam esse ab Aristot.Ex his autem quæ memorata sunt, quiuis facilè intelliget,illam appellationem (*de motu*) Arist. tantummodo attribuere 6.& 8.lib.Phys.Illam autem (*Primo sermones*) communem esse omnium octo librorũ:At eam quæ est (*in Physicis*)vel(*in his quæ à principio*) aut(*circa principia*)propriè dari quatuor prioribus libris Physicis,vt non sine caussa veteres Peripatetici (vt refert Simplicius in Proœmio 5. & 6. libr.Physic.) bipartito diuiserint octo libros Phys.affirmantes in primis quinq; libris,vel vt placet aliis , in quatuor, tractari de his quæ pertinent ad principia rerum naturaliumjin ceteris autem posterioribus,

Quàm varie citet Aristoteles octo libros Physicorum.

de his quę ſpectant ad motum. Priores autē quatuor pertinere ad doctrinam principiorum veriſſimile eſt; nam in tertium & quartum librum agitur de infinito, loco, tēpore, & vacuo, motus gratia; de motu autem propter pleniorem cognitionem naturæ, in cuius definitione poſitum fuerat eam eſſe principium motus, id quod apertè indicat Ariſtoteles, initio tertij libri Phyſicorum. De quinto libro, vtrū prioribus quatuor, an tribus poſterioribus annumerari debeat, incertum eſt. Mihi quidem videtur aggregari debere ad tres poſteriores, tum quia totus eſt in explicando motu, tum etiam quia ſextus liber incipit à deſcriptionibus eorum vocabulorum, quę declarata fuerant in quinto libro. Sed huius ſecundi libri, hic finis eſto.

FINIS SECVNDI LIBRI.

DE VIA ET ORDINE DOCTRINÆ PHYSICÆ.

LIBER TERTIVS.

QVÆ ad generalem & rudem quandam, tum vniuerſæ Philoſophiæ, tum huius quam tractare volumus Phyſiologiæ præcognitionem pertinebant, ea ſunt, non, vt opinor, indiligenter ſuperioribus duobus libris explicata. Hoc autem qui illos proximè ſequitur tertio libro, propoſitum nobis eſt explanare Proœmium Ariſtotelis quod ponitur initio eius operis quod inſcribitur de Phyſico auditu. ſic enim nobis perſuaſimus, quemadmodum illud Proœmium eſt tanquàm illuſtre quoddam veſtibulum, & magnificus quidam aditus ad ea quæ illis octo libris Phyſicis edocentur, ita fore, vt eius Proœmij diligens accuratáque interpretatio, aperiat quaſi ianuā, & facilem det introitum ad ea quæ hoc opere tractanda ſuſcepimus. Quæ autem hoc tertio libro tractantur, vt hinc, velut intento digito lectori præmonſtrentur, hæc fere ſunt. Primò quid Ariſtoteles per illa tria vocabula, principia, cauſas, & elementa, ſignificare voluerit. Secundò, an omnes ſcientiæ tractent omnia quatuor genera cauſarum, & quæ ex his conſideret Metaphyſicus, quæ Mathematicus, quæ Phyſicus. Tertiò, an ad perfectam cuiuſlibet rei naturalis cognitionem, neceſſaria ſit omnium cauſarum, quas ea res habet, præcognitio. Quartò, quid ſit notius, ſecundum nos & ſecundum naturam, & cur via procedendi à notioribus ſecundum nos, dicatur innata nobis. Quintò, an idem notius ſecūdum nos & ſimul ſecundum naturam, reperiatur frequentius in Mathematicis diſciplinis, quàm in ſcientia Phyſiologiæ. Sextò, an quæ ſunt magis vniuerſalia ſint etiam magis nota ſecundum nos. Septimò, quæſtio de primo cognito latè tractabitur.

TEXTVS PRIMVS.

Quarum sunt principia, aut causæ, aut elementa.

Agitur de significatione illorum trium vocabulorum (principium) (causa) & (elementum)

CAP. I.

QVæ sunt in his quinq; primis textib. primi libri Physicorum, continent Proœmiũ, non quidem omnium octo librorum, sed priorum tantùm duorum, in quo proœmio Ari. non incipit à commẽdatione Philosophiæ naturalis, ostendens dignitatem aut vtilitatẽ eius, quomodo orsus est Metaphysicam & scientiam Animæ; sed primo textu, ait Physico dicendum esse primo loco de principiis rerum naturalium; tum, quia talia principia sunt nobis obscura & occulta; secundo & tertio textu, dat rationẽ perueſtigandi, demonstrandi, & pernoscẽdi ea ipsa principia. Ad extremũ, quoniã in principiis, alia sunt priora, alia posteriora, & alia magis cõmunia, alia verò minus, prçcipit 4. & 5. tex. in tractatione illorum eum ordinem atq; methodum seruare, vt à primis maximéque cõmunibus, initium sumatur. Verùm, quid significare voluerit Arist. illis tribus vocabulis, Principia, Causa, & Elementa, non conuenit inter eius expositores. Eudemus & Alexander, vt refert Simplicius, per Principium, exponunt efficiens, quoniam definitur primum principium vnde motus: per Causam, finem, quia est causa causarum, à qua pendent cæteræ causæ; & formam, quæ in idem numero recidit cum fine: per Elementum, materiam, vtpote ex qua cum insit, res naturales fiunt; quæ est definitio elementi: Hanc interpretationem etiam D. Thomas sequitur. Sed contra hos dici potest, si finis est prima omnium causarum, & primum mouens, cur non etiam vocetur principium, potiùs quàm efficiens? Præterea, Deus secundum Eudemum & Alexandrum, est principium omnium rerum etiam cælorum & intelligentiarũ, non quidem vt efficiens, sed vt finis, ergo nomen principij magis videtur conuenire fini, quàm efficienti: & Arist. 1. Metaph. cap. 2. ita scribit, *Deum etenim tum causa omnib. videtur esse, tũ quoddã principium.* Porphyrius vult nomẽ principij & causæ, çquè patere ac vicissim reciprocari. Sed nõ rectè, nam punctũ est principiũ lineæ; & terminus à quo, est principium motus, at neutrum propriè dici potest causa lineę aut motus. Licèt igitur omnis causa possit dici principium, non tamen

Opinio Eudemi & Alexandri.

Opinio Porphyrij.

tamen cõtrà, omne Principium potest rectè appellari causa. Simplicius putat nomen principij vniuersè positum fuisse pro omnibus quatuor causis, & postea per nomen causæ diuisum esse in causas externas, efficientem & finem; per nomen autẽ Elementi, in causas internas, materiam & formã. Verùm si nomen Causæ etiam dicitur vniuersè de quatuor, cur potius vocabulũ Principij generatim positum fuit pro omnibus quatuor: Causæ verò, tantùm pro duobus externis? Auerroes quem Albertus hoc loco sequutus est, vna re tantùm differt ab Alexandro, quòd formam non Causæ, sed Elementi vocabulo significari vult. Sed peccat dupliciter, primùm. quoniam hanc suam expositionem attribuit Alexandro, quem, ex his quæ antea dicta sunt, & referũtur à Simplicio, constat aliter fuisse interpretatum: Deinde quia non constat sibi in explanatione illorum vocabulorum; nam 12. Metaph. comm. 23. inquit, Aristo. hoc loco, per nomen Causæ, significasse communiter omnia genera causarum, in 6. autem Meta. com. 1. vbi Arist. simul etiam vsurpat prædicta tria vocabula, Auerr. vult Principium dici de omnibus quatuor, Causam interdum etiam de omnibus, sed maximè de agẽte & fine; Elemẽtum autem, non nisi de causis internis, hoc est, materia & forma: Idem denique in 5. Metaphy. in com. 4. scribit hæc tria nomina esse propemodum Synonyma, solere tamen ita distingui, vt elementum dicatur de internis causis, potissimùm autem de materia; Principium verò, maximè de causis externis, hoc est, efficiente & fine, latiùs tamen patere nomen Principij quam Causæ; quoniam illud dicitur etiã de principiis transmutationis, hoc autem minimè. Hæc Auerr. ex quibus intelligitur non semper eum idem sensisse de significato illorum nominum. Aduersus autem omnes has interpretationes, illud meo iudicio multum valet, quod Aristo. 1. lib. Phys. vbi agit de materia, forma & priuatione, indifferenter appellat hæc, vel Principia, vel Causas, vel elementa.

Opinio Simplicij.

Opinio Auerrois & Alberti.

Ego igitur vt aperiam quod sentio, altiùs repetã. Plato in Philæbo, vult causam & efficiens idem esse re, tantùm voce differre. vt omnis causa sit efficiẽs, & vicissim omne efficiẽs sit causa; In Timæo autẽ, citra vllum discrimen videtur vti his tribus vocabulis, quãquam Plutarchus in 1. lib. de Placitis Philosophorũ cap. 3. scribat veteres nomen principij & elemẽti non distinxisse, vt postea fecerunt Plato, & Arist. apud quos principiũ, est simpliciter primũ non ex aliis rebus conflatum, vt materia & forma; elementũ verò est primum quidẽ in genere compositorũ corporum, sed constat ex aliis prioribus initiis, vt ignis, aer, aqua & terra, idẽ quoque ait Galenus in primo de Elemẽtis. Simplicius autẽ hic nominat Eu-

demum,qui scribit nomen principij fuisse antiquissimũ,elemẽti verò nomen à Platone inuentum , & ante alios vsurpatum esse. Arist.lib.12.Metaphysicæ,tex. 23.inquit elementa esse ea,quæ insunt in re quæ generatur,causas verò & principia , esse tum hæc, tum ea quæ sunt extra rẽ,vti est efficiẽs, ita , vt elemẽta sint tria, causæ autẽ & principia,quatuor: Principia enim interna generationis,sunt materia,forma,& priuatio,his accedit extrinsecus efficiens, nã finis idem numeratur cum forma.At ex his quæ scripta sunt in quinto Metaphy.de distinctione horũ vocabulorum, cognoscimus Elementum dici de caussis internis; nomen Causæ,& de his,& de externis;vocabulum autem Principij,& de his omnibus,& de eo quod est primum in vnaquaque re , siue sit caussa illius,siue non,vt de pũcto cõparatione lineę, & de termino à quo, ratione motus.In principio libri 6.Metaphysicæ scribẽs Ari. tam in Mathematicis disciplinis,quàm in aliis scientiis, esse quædam principia,causas & elementa , videtur accipere nomina hæc pro initiis doctrinæ,quæ sunt propositiones quędam primę & immediatæ,quæ,Græcè dicuntur ἀξιώματα, Latinè effata , vel dignitates:non enim possũt illa vocabula, ibi significare quatuor genera causarum,quippe cum res Mathematicæ,aut nullũ propriè agnoscant genus causæ, vt paulò infra dicetur,aut certè(quod inter omnes ferme conuenit)careant materia efficiẽte ac fine.Initia igitur scientiarũ(cuiusmodi est in Mathematicis,Totum esse maius parte:& in Physicis, Naturã esse principium motus & quietis)dicuntur principia,quia sunt prima & immediata:Vnde Ari.1.Post. tex.5.*idem,inquit,dico primum & principiũ,principium autem est demonstrationis propositio immediata,immediata verò,qua nõ est alia prior.* Vocãtur,etiã causæ,ratione cõclusionis quã inferunt,& cuius pariunt scientiam,deniq; appellãtur elementa, quoniam ex illis componuntur demonstrationes,in eáque tandẽ retexuntur atq; resoluũtur.In tertio autem li.de Anima , t.17.videtur ponere nomẽ causæ,simpliciter pro efficiente,scribens in omni natũra esse aliquid tanquam materiam,& alterum tanquam causam , & factiuum,& paulo infra tex. 19.ponit nomen principij pro forma vel efficiẽte, scribens semper honorabilius esse agens patiente,& principium materia,Arist.4.lib.Metaph.tex.tertio ita se habere inquit vnum ad ens , vt se habet principium ad causam, nã hæc inter se distingui ratione,non re.sed quò pacto differant ratione,ibi non dicit, vide tu ibi Alexandrũ.At in 5.lib.Metaph.tex.primo scribit proprium esse principij,esse primũ,vnde aut est,aut fit,aut cognoscitur aliquid.Hoc autem loco,equidem arbitror tria hæc vocabula pro eodẽ fuisse posita, vt verborum Arist. hic sit germanus intelectus

lectus:In scientiis,quarum sunt aliqua initia, vel quæ tractant de rebus habentibus initia , siue voces ea Causas , siue Principia,siue Elementa (veteres enim alij alio modo hęc appellabãt) Primùm omnium agendum est de illis initiis.Huic interpretationi certissima fides fit ex eo quod in hoc 1.libr. Physico, in quo agitur de materia, forma , & priuatione , hæc interdum vocat causssas aliàs principia.nonnunquam elementa.quod apertè intelligit,qui considerabit tex. 48.& 65. primi Physici,quanquam ex toto processu libri id manifestum sit. Neque verò nos mouere debet quod hoc loco inquit Auerr.nimirum verba synonyma non adhiberi in doctrina demonstratiua ; id enim si prorsus fiat sine causa vitiosum est,sin autem,vt res de qua agitur, magis perspicuè,distinctè,grauiter,& ornatè declaretur,& licet vti verbis synonymis;& quidẽ persæpe vsus est Arist.Dixit autem Arist. illud (*quarum sunt principia.*)indicans,vt videtur ferè omnibus Expositoribus,non omnia causarum genera tractari in omnibus scientiis, sed in quibusdam omnia,in aliis autem minimè:Quæ res,vt melius intelligatur,latiùs explicandum est , quæ causarum genera ad vnamquamque scientiarum speculatiuarum pertineant; atque id quidem considerandum est primùm in Physica , tum in Metaphy.postremò in Mathematicis disciplinis.

Quæ genera causarum tractet Physicus.
CAP. II.

PHysicus cõsiderat omnia quatuor genera caussarum: sic enim Arist.scribit in 2.li.Physicorum text.70. *Cum Physicus autem causæ quatuor sint,de omnibus est Physici cognoscere, considerare & ad omnes reducens ipsum propter quid,assignabit Physici omnia quatuor materiam formam,ipsum mouens,& id cuius gratia.* Idẽ in 8.Metap.te. 12. *Cum*, inquit, *aliquis, quænam sit causssa quærat,quoniam multipliciter causssæ dicuntur , omnes contingentes causssas dicere oportet , vt puta rum, hominis quæ causssa,vt materia ? nempe menstrua,quæ vt mouens? semen, quæ vt forma? quod quid erat esse,quæ vt huius gratia ? finis(fortassis autem hæ ambæ idem sunt)in naturalibus igitur & generabilibus substãtiis necesse est ita procedere.si quis rectè procedet:siquidem hæ tótq; causæ sunt, & oportet causssas cognoscere.* Auerr.item in secũdo Phys.comm.70. idem confirmat ex eo , quoniam res Physicæ habent materiam, vbi autem materia est,ibi necesse est omnes alias causssas esse. Id quod secundum Auerroem verum est in rebus Physicis duntaxat corruptibilibus , nam in cælo,sicut negat Auerroes, propriè materiam esse,ita non vult esse aliquam formam cæli, aut efficiens physicum. Quòd autem perfecta cognitio rerum naturalium

requirat notitiam omnium causarū, ostendi potest hoc argumento. Qualis est natura cuiusq; rei, talis debet esse cognitio eius, sed res naturales cum sint generabiles & corruptibiles, indigét omnibus causis (materia quidē, quoniam est subiectum motus: forma quia est terminus illius, & propter quam res actu est id quod est: efficiente, propterea quòd est primum principium vnde fluit motus: finis autem, re ac numero idem est cum forma) ergo cognitio rerum naturalium requirit cognitionem omnium quatuor causarum. Deinceps autem videndum est, cum in vnoquoque genere causæ sit aliquid primum (vt pulchrè ostendit Arist. in 2. libro Metaphysicę) an Physicus speculetur omnes primas causas cuiusque generis. De materia prima, non dubium est, quin agat Physicus, vtpote de qua & Arist. tractet in 1. de Generat. (propriè autem atque copiosè in primo Physicorum.) & materia prima non existat nisi in rebus Physicis, neque vis, & (vt loquūtur alij) causalitas eius ad alias res pertinere atque permanare possit quàm ad res Physicas. Tota igitur potestas & amplitudo materię primę licet ea pateat lātissimè, tamē naturæ rerúmq; naturaliū finibus circumscripta est: De prima verò forma, vltimo fine, primo quoque efficiente, secus est: Etenim cum tria hæc sint idem re, atque Deus (de quo Physicus, aut nihil, aut valde tenuiter agit) perfectā eius contemplationem deserens atque relinquens Metaphysico, non possunt illæ tres primæ causæ tractari perfectè à Physico. Dicitur autem Deus prima forma, quoniam est prima substantia, primúsq; & purissimus actus, expers omnis materiæ, ac potētię, primúmq; intelligibile, & quia sicut forma ei materię in qua inest, ita Deus toti mundo cui assistit, largitur esse, incolumitatē, distinctionem, vim agendi, ornamētum atque perfectionē: Vocatur primum efficiens, quoniam ab ipso efficiuntur, conseruantur, & reguntur omnia, & cūctis rebus impertitur esse, quibusdam incorruptibile, & immediatè, & sine motu; aliis verò corruptibile per causas secundas, motúsque physicos: Appellatur deniq; vltimus finis, quoniam illius tandem gratia omnia fiunt, existūt, & agūt. Physicus igitur primā formā non attingit, quoniam ratio eius penitus abiuncta est, nō solùm à motu Physico, sed etiam ab omni respectu talis motus: quanquam in 8. Phys. Arist. exponat quędam attributa quæ videntur propria esse primæ formæ, vt esse æternum, vnum, expers materię, & magnitudinis, sed ea Physicus pertractat, quatenus æternitas motus ostendit primū motorem iis rebus seu attributis necessariò prędditum esse debere. De primo efficiente agit Physicus, vt est primū mouēs, à quo ceu primo perenníque fonte manant omnes motus Physici, & cęlum, naturáq; dependet. Vnde cum

An Physicus consideret primam formam, primum efficiens, & vltimum finem.

cùm Physicus agit de ordine naturalium mouentium, vel de perpetuitate motus, solet perducere disputationem vsq; ad primum motorem; vt videre licet apud Arist. in 8 Phy. & in extremo 2. lib. de Gener. De vltimo fine: nonnihil scribit in 2. de Anima, tex. 34. & 35. & in 2. de Gener. 59. affirmans, omnibus rebus innatum esse appetitum quendam perpetuitatis, vt sic valeant assimilari Deo, eiusq; Diuinitatis quodam modo participes fieri; sed quæ res naturales sunt a Deo valde disiunctæ & remotæ, non locorum spatiis, sed infinito nobilitatis perfectionisque interuallo, hinc fieri, vt obtinere nequeant perfectam, hoc est, vnam eandémque numero indiuiduorum æternitatem, sed contendant æternitatem speciei, perpetuā generatione propagationéque indiuiduorum, consequi & retinere. Verùm ad Metaphysicam veniamus.

Principio, Metaphysicus (vt est apud Auer. 2. Metaph. comm. 6. & Albertum 3. Metaph. tract. 3. c. 1. & lib. 12. Metaphysicę tract. 1. c. 3.) vniuersè agit de omnib. causis. Nam causa & causatum, sunt generales differentiæ vel modi entis vt ens est, siquidem omne ens aut est causa aut causatum; ratio item causæ latius patet, quàm Physiologia; quippè cùm nō modo cadat atque conueniat in res naturales, sed etiam in res cælestes. Hoc licet contemplari in Metaphys. Arist. in qua nō semel sed sæpius de causis differit: Etenim in 1. lib. Metaph. discutit opiniones antiquorum de causis & principiis: In 2. libro agit de nexu, & ordine causarum, docens in vnoquoque genere reperiri primum & vltimum, omnésque causas principio & fine circunscriptas esse, alioquin fore, vt causæ procederent in infinitum, quæ tamen infinitudo, necessario euertit ac penitus tollit omnem, vim rationémque causæ: In 5. lib. exponit significata causæ, genera, modos, definitiones, & proprietates vniuscuiusque. Vnde Arist. transtulisse videtur ad Physicam, quæ scripta reliquit de causis in libro 2. Phys. De quatuor autem primis causis, nullam prætermittit Metaphysicus, nam de primo efficiente, prima forma, & vltimo fine, nō obscurè tractat Arist. in 12. Metaph. Ratio autem primæ formæ, tota planè Metaphysica est, cum sit primus actus, primumq; intelligibile. De primo autē efficiente, & vltimo fine agit Metaphysicus, modo quodam magis generali & sublimi, quàm Physicus, hoc est, non solùm respectu rerum naturalium, sed omnium rerum omniumque mo-dorum quibus pendent à Deo; nam Physicus cōsiderat primum efficiens, vt dat esse de nouo, per causas secundas & per motum, rebus Physicis; at Metaphysicus, vt dat esse omnib. siue corruptibilibus siue non, siue de nouo, siue ab æterno, siue mediatè, siue immediatè, siue per motum Physicum, siue alio modo. De pri-

De quibus causis agat Metaphysicus.

Metaphysicus considerat omnia quatuor genera causarum & primam cuiusque generis causam.

ma verò materia, tametsi Physicus tractat, vt est primum subiectum transmutationum naturalium, nihilominus tamē etiam Metaph. agit prout est substantia incompleta, & pars substantiæ perfectæ, & ens in potentia. Cùm. n. Metaphys. disputet de actu, & potentia, & de substantia prædicamentali, materia autem prima, sit ens in potentia, atque adeo vt more loquar aliorum, radix omnis potentialitatis, sitque pars substantiæ prędicamentalis, non potuit ea præteriri & negligi à Metaph. nam quod aliqui sibi persuadent ea tantummodo per se tractari à Metaph. quæ sunt cogitatione réq; separata à materia & motu, superiori libro confutatum est, atq; sententiam hanc nostram expressam ab Auerroe inuenies in 7. Metaph. com. 9. & 12. lib. comm. 6. Verùm quid opus est tribus testib. in re tam aperta? cum Arist. multa scribat de materia prima in libris Meta. maximè verò in 7. & priori parte duo decimi. Sed dices cur igitur Auerr. in suo prolo. Physico ait contemplationem primę materiæ, & primi mouentis, esse Physicam primæ autem formæ, & vltimi finis, esse Metaph. An quia rationes, & causalitates illarum sunt magis Physicæ, & cōiunctæ cum motu, harum verò sunt potius Metaph. & plus remotæ à motu? An etiam, quia res Metaph. hoc est intelligentiæ, cum ab omni materia motúq: penitus segregatæ sint, propriè non habent nisi duas causas, nempe primam formam, & vltimum finem? nam licet Deus sit efficiens earum, nō tamen Physicum est efficiens, hoc est per motum, sed per creationem ex nihilo, quæ ratio efficiendi non est Physica. An potius, quia Physicus demonstrat per motum tum Physicum primam materiam esse, & primum mouens existere, quibus declaratis, atque patefactis, deinde Metaphysicus introducit nos ad cognoscendam & contemplandam primam formam, atque vltimum finem. Sed de his satis. Restat, vt dicamus de causis in quibus versantur disciplinæ Mathematicæ.

Dubitatio.

Solutio dubitationis

An scientiæ Mathematicæ tractent vllum genus causæ.

CAP. III.

In disciplinis Mathematicis (propriè loquēdo de causis) nullū genus causæ considerari.

REs Mathematicæ ea ratione vt sunt Mathematicæ & in doctrina Mathematica tractātur, (si de causis propriè loqui volumus) nullū habent genus causæ. Nam eas carere fine ac efficiente, auctor est Arist. in 3. Meta. tex. 3. Easdem porrò abiunctas esse à materia, scriptū est in 2. Phy. 18. & 6. Metaph. tex. 2. sublata verò materia formam quoq; auferri necesse est, cum ambę sint ad aliquid. Deinde, forma seu causa formalis, definitur ab Aris. 2. Phy. *quod quid erat esse rei*: at quātitas quę tractatur à Mathematico, nō est forma quidditatiua rei, quinimo nec cōsideratur ab illo vt est accidens substantię, nec Mathematicus speculatur essentiā quantitatis, aut proprias & naturales affectiones eius, quatenus fluunt naturaliter ex natura quantitatis; cuius rei certū argumentū est, quòd definitiones Mathematicæ. non sunt definitiones essentiales, sed descriptiones quędam accidentariæ; & affectiones quę demōstrantur in huiusmodi scientiis magna ex parte sunt respectus & relationes quædam extrinsecus aduenientes quantitati vel figurę. quod nō eget probatione, quoniam est per se manifestū consideranti definitiones demōstratio nésque Geometricas atq; Arithmeticas. Neq; verò mediū, quod ponitur in demonstrationib. Mathematicis, dici potest esse causa formalis ratione cōclusionis seu affectionis quæ demonstratur: Etenim oportet ipsum esse vnum tantummodo, & ptoprium, & per se ratione passionis; hæc. n. tria conueniunt in veram causam formalem, at vsuvenit quàm sępissimè apud Mathematicos, vt ad demonstrādam affectionem quampiam, accommodentur multa & diuersa media, & contrà, vnum idémq; medium adhibeatur ad demōstrandas multas passiones. Præterea, sæpe accidit, vt medium Mathematicum habeat se omnino per accidens ad passionem: An in prima demōstratione Euclidis, vt ostendatur triangulum super lineam datam descriptum esse æquilaterū, nōne prorsus est per accidens, quod pro medio assumitur? nimirum latera illius trianguli esse lineas ductas à centro ad circunferentiam, quas constat æquales esse inter se ex definitione circuli? Quid? in trigesimasecunda demōstratione, produci latus trianguli, ex eóque fieri angulum externum, nonne planè accidit triāgulo? & est quiddam externum & aduētitium cōparatione eius affectionis, quæ ibi demōstratur de triangulo, nimirum habere tres angulos æquales duobus rectis? Hæc qui videt, nō potest fieri quin etiam videat talia media nō esse verè formas, seu causas formales respectu cōclusionis: Sed nullum genus causę propriè tractari in disciplinis Mathematicis, potest etiam cōfirmari ratione & testimonio Arist. Ratio sit hæc. Res Mathematicæ abstractę sunt à motu ergo ab omni genere causæ: Antecedens per se clarum est; consequentia patet ex eo quia omnes causę sunt cōnexę aliquo modo cum motu, id quod apertè declarat definitio cuiusq; Materia. n. est id ex quo res fit: Efficiens, vnde est primū principium motus: Finis cuius gratia fit aliquid, vel terminus seu extremū motus naturalis nō impediti; Forma autē, re idem est quod finis, nec potest constare sine materia. Testimonium Aristotelis & quidem

luculentissimum ad ostendendum id de quo agimus, depromptum est ex 2.lib.Moralium ad Eudemũ c.7.vbi ait in rebus Mathematicis,verè ac propriè non inueniri causas vel principia, sed tantum ratione quadã&similitudine:quia sicut ex causa manat effectus,& remota causa necessariò tollitur effectus, sic apud Mathematicos,initio scientiæ ponuntur quædam generales propositiones,ex quib.postea deducuntur demonstrationes,& illis sublatis necesse est omnes demonstrationes conuelli & penitus euerti,scribit autem Arist.his verbis, *Immobilia autem vt in Mathematicis,non per se.sed similitudine quadã,principia appellãtur,hic.n.ipso principio labefactato,labefieri omnes quæ ab illo principio fluxere demonstrationes oportet, cum ipsæ inter se demonstrationes, altera alteram tantisper non euertant,quantisper illa communis suppositio vnde lucem istæ suam habent,nõ euertitur.*

Septẽ dubitationes.

Verùm quę à nobis dicta sunt,nonvacant dubitationibus,quas hoc loco ponere & diluere oportet.1.dubitatio est hęc,Arist.initio 6.lib. Metaphysicæ ait in scientiis Mathematicis esse principia,causas,& elemẽta,ergo,&c.2.Arist.in 2.Phy.tex.68. ait in Mathematicis ipsum propter quid reduci ad quod quid erat esse,hoc est ad causam formalem,ergo in Mathematicis est causa formalis.3. Idem in 2. Post.tex. 11. ait Mathematicos demonstrare per causam materialem,quod ostendit exemplo anguli,qui fit in semicirculo,quidemonstratur esse rectus,propterea quod est dimidium duorum rectorum, quę demõstratio ducta est ex causa materialinam partes sunt tanquam materia totius, eásque Arist.2. Phy.tex.31.reuocat ad causam materialem. 4. Mathematicus demonstrat aliquos duos angulos esse æquales duobus rectis, quia fiunt à linea recta cadente in aliam lineam:similiter ostendit aliquem angulum esse rectum,quia efficitur à linea recta, quę perpendiculariter incidit in aliam lineam rectam, etgo Mathematicus vtitur genere causæ efficientis.5.Bonum,& finis conuertuntur,sed in Mathematicis est bonum & pulchrum:etenim in 13.li. Metaph:c.3.ita scriptum est. *Qui dicunt Mathematicas scientias nihil de bono vel pulchro dicere,falsum dicunt, dicunt etenim & maximè ostendunt,nam etsi nõ nominant,cum tamen opera & rationes ostendunt, nonne dicunt de eis? pulchri namque maximè species sunt,ordo,commensuratio,& definitum,quæ maxime ostendunt Mathematicæ scientiæ.* Hęc ibi.Auer.in 3.Metaph.comm.3.inquit hunc locum indigere perscrutatione, videtur.n.pugnare cũ his quæ sunt apud Arist. in 3. Metaph.vbi ait in Mathematicis nõ esse finem, aut bonum; qua de causa Aristippus Sophista,tales disciplinas contemnebat, eásque postponebat cunctis artibus, etiam sordidis & illiberalib.6. Simplicius tum initio 1.lib. Physic. tum in 2. Phys. ;super tex.68.

Locus Arist. consideratione dignus.

contendit ostendere disciplinas Mathematicas habere finem, ni mirum vel vsum,& commoditatem;quæ ferè pendet ex Mathematicis demonstrationib.vel exercitationem atque præparationem mentis ad diuinas abstractiones. 7. Demonstrationes & scientiæ Mathematicæ,sunt limatissimæ & exquisitissimæ,ergo procedunt ex causis.nam 1.Post.tex.5.definitur scire,cognoscere rem per causam propter quam res est;& Demonstratio,Syllogismus constans ex causis cõclusionis,ergo in Mathematicis scientiis debet tractari & considerari aliquod genus causæ. Hæc ferè sunt,quæ dubitationem afferre possent,ad quæ tamen facillimè responderi potest sigillatim hoc modo.

Solutio dubitationũ.

Ad 1.Res Mathematicæ dicuntur habere causas &principia,nõ vt aiunt,essendi,sed cognoscendi, hoc est habent quædam axiomata quæ similitudinem & conuenientiam habent cum veris & naturalibus causis vt ex verbis Aristo.paulò antè ostendimus. Ad 2. Demonstrationes Mathematicæ dicuntur reduci ad ipsum quod quid est,quoniam resoluuntur tandem in illas generales dignitates quæ magna ex parte sunt definitiones:definitio autem & partes definitionis pertinent ad quod quid est, & causam formalem,vt traditur 2.Phys.tex.28.Id ipsum autem,quod nunc dictum est de rebus Mathematicis,nõ obscure indicat Arist.2,Phy. 68.hoc pacto scribens, *Ait enim ad ipsum quid est,reducitur ipsum propter quid vltimum in immobilibus,vt in Mathematicis, ad definitionem enim recti,aut commensurabilis aut cuiuspiam alterius, reducitur vltimum* Ad 3.Nomẽ materiæ dupliciter sumitur,vno modo prò priè,& significat materiam naturalẽ,quæ simul cum forma constituit substantiam rei,& talis materia verè facit causam materialem:hæc autem nõ inuenitur in rebus Mathematicis:Altero modo,nomen materiæ latiùs accipitur,nam & subiectũ dicitur materia earum passionum quæ insunt in ipso,& omnis pars componens aliquod totum,qualiscunq; fuerit ea compositio,siue sensibilis & Physica,siue tantum intelligibilis & abstracta:dicitur materia respectu totius,atq hoc pacto nõ est negãdum reperiri materiam etiam in rebus Mathematicis,nam quantitas Mathematica vocatur materia intelligibilis ab Arist.in 7.Metaph.35.videlicet,quoniam scientię Mathematicę versantur circa illam,& affectiones quas demõstrant,inhærent in ipsa;pari ratione quoniã res Mathematicæ sunt diuisibiles in partes,quę, vt diximus, sunt materia totius,mirãdum nõ est,cur demõstrationes quę sumuntur à partib.dicantur sumi à causa materiali. Huiusmodi autem materiam etiam in rebus Metaphy. reperimus;etenim dicimus

definitionē cōstare ex genere & differentia ,tāquam ex materia & forma. Ad 4. sicut Mathematicus vsurpat multa vocabula, vt lineas produci, secari, concurrere, quæ significant motum, nō quidem verum & naturalem, sed tantummodo imaginarium & intelligibilem; sic etiam vtitur verbis significantib. efficientiā quandam, quę tamen in sola informatione animi cogitationéq; consistit, etenim efficientia quæ pertinet ad veram causam efficientem, semper est coniuncta cum motu Physico. Ad 5. Ordo, & commensuratio, prout applicantur rebus, & inhęrent in ipsis, reddunt eas bonas & pulchras, verùm si ratio ordinis & commensurationis, præcisè & seorsim à rebus atq; per se consideretur, nō habent rationem boni aut pulchri; bonum.n. & pulchrum, cum moueāt appetitum & amorem, debent actu inesse in rebus, & nō sola intelligentia contineri: Quocrca Mathematicus, qui de ordine & commensuratione agit, abstrahendo ea à rebus, non secus atque, intellectu abstrahit quantitatem & affectiones Mathematicas non potest dici propriè agere de bono & pulchro, nisi quatenus agit de his quæ adiuncta rebus, faciunt eas bonas & pulchras. Ad 6. Aliud est loqui de scientia Mathematica, quæ est habitus quidam inhærens in intellectu, eúmque perficiens, cuius finis internus, sicut cæterarum scientiarū speculatiuarū, est cognitio veritatis, externus ãutem, vt placet Simplicio, vel vsus artiū mechanicarū, vel præparatio mētis ad Theologicas contēplationes: Aliud verò est loqui de rebus Mathematicis, quà tales sunt, quæ cū abiunctæ sint à materia, & (vt loquuntur) ab actuali existentia, non potest aut ratio boni, aut vis causſæ vllius in eas conuenire. Ad 7. Hęc dubitatio magnam continet difficultatē; valde enim obscurum est, nec satis adhuc diligenter explicatum, an species & forma demōstrationis & scientiæ, quam Arist. describit 1. Post. reperiatur magis expressa in disciplinis Mathematicis, quam in reliquis scientiis, ita vt demonstrationes Mathematicæ haberi debeant præstātissimæ omnium. Quocirca quid videatur nobis hac de re, paulò fusiùs & accuratiùs explanandum est.

An præstantissima illa demonstratio, quæ ab Aristotele describitur priori libro Poster. vel solùm vel maximè reperiatur in disciplinis Mathematicis.

CAP. IIII.

Opinio eorum qui cēsent demonstrationes Mathematicas esse omnium limatissimas & exquisitissimas, & cū tissimas vult indicare genus aliquod docendi certū & politū, vel aliquam præcipuè rationem demonstradi firmam atque robustam, consueuit eam reperiri in appellare Mathematicam. ergo, &c. 2. Auerroes 2. Metaphy. com. 15. ait demonstrationes Mathematicas esse in primo ordine certitudinis. 3. Demostratio potissima, debet procedere ex his, quæ probatur sunt notiora nobis & naturæ, sed talia non reperiūtur nisi in sciē sex rationiis Mathematicis. ergo: Maiorem & Minorem huius syllogismi, nibus. non solùm Auer. cōcedit, sed etiam inculcat multis locis. 4. Arist. 1. Post. tex. 31. volens ostendere primā figuram esse maximè sciētialem, id est accommodatam scientiæ, ostendit eo argumento quod Mathematicæ demonstaationes atque scientiæ, vtūtur hac figura. 5. Doctrinæ Mathematicæ appellantur per excellentiam resolutiuæ & disciplinæ; pręcipuus autem finis resolutionis est demonstratio potissima, quæ gignit perfectam disciplinam. 6. Præstantia demonstrationis, cōsistit in certitudine & euidentia ipsius; hęc autem vtraque excellit plurimùm in Mathematicis demonstrationibus, cuius signum est, in demonstrationibus Mathematicis, non esse eam varietatem, atque dissensionem opinionum, quæ reperitur in Physicis & Metaphysicis demonstrationibus. Hæc dicta sint in confirmationem huius sententiæ.

Cęterū licèt hæc opinio sit peruulgata & à multis recepta mihi tamen nullo modo probari potest: Censeo enim demonstrationem potissimā quæ depingitur ab Arist. 1. Post. aut nullo modo, aut vix reperiri in scientiis Mathematicis: quam sententiam cō firmo his argumentis. Prima ratio, medium demōstrationis potissimæ, debet esse definitio, siue sit subiecti, siue passionis. vt est apud Arist. in 1. lib. de Anima tex 11. & 2. lib. Post. cōpluribus locis, sed in demonstrationibus Mathematicis non assumitur pro medio vel subiecti vel quæsiti, definitio, vt patet consideranti demonstrationes Mathematicas, vt quæ sunt apud Euclidem, vel Theonem, Archimedem, Campanum, & alios. ergo, &c. Quòd si in aliquibus demonstrationibus adhibetur definitio, vt videtur significare Arist. 1. lib. de Anima, tex 11. & 1. lib. Post. tex. 29. tamen id fit perrarò, & non sumuntur definitiones internæ, hoc est subiecti, vel passionis in quibus versatur demonstratio, sed externæ & quæ extrinsecus attingunt id quod demonstratur. Secunda, signum huius rei est, quòd in Mathematicis scientiis reperiuntur quamplurimæ demonstrationes ducentes ad impossibile, quæ non sunt demonstrationes simpliciter, sed secundum quid, vt ait Arist. 4. Metaph. text. 9. Sunt item eiusdem theorematis cōplures

Universidad de Deusto Biblioteca

Ethic. cap. 3. & 2. Metaphysic. text. 15. significat demonstrationes *tiones pō-*
Mathematicas esse omnium limatissimas & exquisitissimas, & cū *tissimas*
vult indicare genus aliquod docendi certū & politū, vel aliquam *præcipuè*
rationem demonstradi firmam atque robustam, consueuit eam *reperiri in*
appellare Mathematicam. ergo, &c. 2. Auerroes 2. Metaphy. com. *Mathe-*
15. ait demonstrationes Mathematicas esse in primo ordine cer- *maticis,*
titudinis. 3. Demostratio potissima, debet procedere ex his, quæ *probatur*
sunt notiora nobis & naturæ, sed talia non reperiūtur nisi in sciē *sex ratio-*
tiis Mathematicis. ergo: Maiorem & Minorem huius syllogismi, *nibus.*
non solùm Auer. cōcedit, sed etiam inculcat multis locis. 4. Arist.
1. Post. tex. 31. volens ostendere primā figuram esse maximè sciētialem, id est accommodatam scientiæ, ostendit eo argumento quod Mathematicæ demonstaationes atque scientiæ, vtūtur hac figura. 5. Doctrinæ Mathematicæ appellantur per excellentiam resolutiuæ & disciplinæ; pręcipuus autem finis resolutionis est demonstratio potissima, quæ gignit perfectam disciplinam. 6. Præstantia demonstrationis, cōsistit in certitudine & euidentia ipsius; hęc autem vtraque excellit plurimùm in Mathematicis demonstrationibus, cuius signum est, in demonstrationibus Mathematicis, non esse eam varietatem, atque dissensionem opinionum, quæ reperitur in Physicis & Metaphysicis demonstrationibus. Hæc dicta sint in confirmationem huius sententiæ.

Cęterū licèt hæc opinio sit peruulgata & à multis recepta mihi *Opinio il*
tamen nullo modo probari potest: Censeo enim demonstratio- *la refelli-*
nem potissimā quæ depingitur ab Arist. 1. Post. aut nullo modo, *tur, &*
aut vix reperiri in scientiis Mathematicis: quam sententiam cō- *quinq; ra-*
firmo his argumentis. Prima ratio, medium demōstrationis po- *tionibus*
tissimæ, debet esse definitio, siue sit subiecti, siue passionis. vt est *probatur,*
apud Arist. in 1. lib. de Anima tex 11. & 2. lib. Post. cōpluribus locis, *nō inueni*
sed in demonstrationibus Mathematicis non assumitur pro me- *ri in Ma*
dio vel subiecti vel quæsiti, definitio, vt patet consideranti de- *thematicis*
monstrationes Mathematicas, vt quæ sunt apud Euclidem, vel Theonem, Archimedem, Campanum, & alios. ergo, &c. Quòd si in aliquibus demonstrationibus adhibetur definitio, vt videtur significare Arist. 1. lib. de Anima, tex 11. & 1. lib. Post. tex. 29. tamen id fit perrarò, & non sumuntur definitiones internæ, hoc est subiecti, vel passionis in quibus versatur demonstratio, sed externæ & quæ extrinsecus attingunt id quod demonstratur. Secunda, signum huius rei est, quòd in Mathematicis scientiis reperiuntur quamplurimæ demonstrationes ducentes ad impossibile, quæ non sunt demonstrationes simpliciter, sed secundum quid, vt ait Arist. 4. Metaph. text. 9. Sunt item eiusdem theorematis cōplures

Opinio eorum qui cēsent demōstrationes

Mathematicas esse omnium limatissimas & exquisitissimas, & cū tissimas vult indicare genus aliquod docendi certū & politū, vel aliquam præcipuè rationem demonstradi firmam atque robustam, consueuit eam reperiri in appellare Mathematicam. ergo, &c. 2. Auerroes 2. Metaphy. com. 15. ait demonstrationes Mathematicas esse in primo ordine certitudinis. 3. Demostratio potissima, debet procedere ex his, quæ probatur sunt notiora nobis & naturæ, sed talia non reperiūtur nisi in sciē sex rationiis Mathematicis. ergo: Maiorem & Minorem huius syllogismi, nibus. non solùm Auer. cōcedit, sed etiam inculcat multis locis. 4. Arist. 1. Post. tex. 31. volens ostendere primā figuram esse maximè sciētialem, id est accommodatam scientiæ, ostendit eo argumento quod Mathematicæ demonstaationes atque scientiæ, vtūtur hac figura. 5. Doctrinæ Mathematicæ appellantur per excellentiam resolutiuæ & disciplinæ; pręcipuus autem finis resolutionis est demonstratio potissima, quæ gignit perfectam disciplinam. 6. Præstantia demonstrationis, cōsistit in certitudine & euidentia ipsius; hęc autem vtraque excellit plurimùm in Mathematicis demonstrationibus, cuius signum est, in demonstrationibus Mathematicis, non esse eam varietatem, atque dissensionem opinionum, quæ reperitur in Physicis & Metaphysicis demonstrationibus. Hæc dicta sint in confirmationem huius sententiæ.

Cęterū licèt hæc opinio sit peruulgata & à multis recepta mihi *Opinio il*
tamen nullo modo probari potest: Censeo enim demonstratio- *la refelli-*
nem potissimā quæ depingitur ab Arist. 1. Post. aut nullo modo, *tur, &*
aut vix reperiri in scientiis Mathematicis: quam sententiam cō- *quinq; ra-*
firmo his argumentis. Prima ratio, medium demōstrationis po- *tionibus*
tissimæ, debet esse definitio, siue sit subiecti, siue passionis. vt est *probatur,*
apud Arist. in 1. lib. de Anima tex 11. & 2. lib. Post. cōpluribus locis, *nō inueni*
sed in demonstrationibus Mathematicis non assumitur pro me- *ri in Ma*
dio vel subiecti vel quæsiti, definitio, vt patet consideranti de- *thematicis*
monstrationes Mathematicas, vt quæ sunt apud Euclidem, vel Theonem, Archimedem, Campanum, & alios. ergo, &c. Quòd si in aliquibus demonstrationibus adhibetur definitio, vt videtur significare Arist. 1. lib. de Anima, tex 11. & 1. lib. Post. tex. 29. tamen id fit perrarò, & non sumuntur definitiones internæ, hoc est subiecti, vel passionis in quibus versatur demonstratio, sed externæ & quæ extrinsecus attingunt id quod demonstratur. Secunda, signum huius rei est, quòd in Mathematicis scientiis reperiuntur quamplurimæ demonstrationes ducentes ad impossibile, quæ non sunt demonstrationes simpliciter, sed secundum quid, vt ait Arist. 4. Metaph. text. 9. Sunt item eiusdem theorematis cōplures

demonstrationes,quarũ vna non est melior altera,nisi fortè quatenus est breuior,& paucioribus mediis rem conficit, vt inquit Proclus 1.lib.super Euclidem:at potissima demonstratio vna tãtum est,sicut etiam definitio vt scribit Philosophus 6.libro Topicorũ,quę omnibus aliis demõstrationibus,multis partibus antecellit.Tertia demõstratio debet cõstare ex propriis,nõ ex principiis cõmunibus,quæ in alias demonstrationes trãsferri queãt; at Mathematici,idem principium eandemque propositionem vsurpant in multis & diuersis demonstrationibus:etenim quàm sæpe adhibentur pro medio ad conficiendas demonstrationes illę propositiones,Totum esse maius sua parte:Si ab æqualibus æqualia demas,quæ remanent sunt æqualia:Lineæ à centro ad circumferentiam sunt æquales,& huius generis aliæ quamplurimæ?Quarta,potissima demonstratio constat ex his quæ sunt per se,& Mathematici demonstrant multa ex his quæ accidunt, vt patet in prima demonstratione Euclidis,vbi ostendit latera trianguli extructi seu erecti super datam rectam lineam esse æqualia inter se propterea quòd sint lineę ductę à cẽtro circuli ad circumferẽtiã, accidit autem lateribus trianguli æquilateri, esse lineas ductas à centro circuli ad eius circumferentiã.Quinta demõstratio potissima gignit scientiã perfectã,quæ est cognitio rei per causã propter quam res est,at Mathematicus non demonstrat sua theoremata per huiusmodi causas; nã mediũ quod assumitur in prima demonstratione Euclidis non est causa theorematis quod demonstratur similiter in illa celebri demonstratione, quæ est 32. primi libri,ostendit Euclides triangulũ habere tres angulos æquales duobus rectis ex eo quia angulus externus qui fit ex latere producto,sit æqualis duobus angulis illi oppositis: cõstat autẽ hoc nõ esse causã illius passionis nã tametsi talis angul⁹ nõ esset, & priusquam efficiatur ille angulus,iam triãgulus est triãgulus, & habet prædictam passionẽ;posset idem declarari pluribus exẽplis Mathematicis,quę ne longior sim enumerare supersedeo.Si autem quę suprà primo libro cap.12.de disciplinis Mathematicis disputauimus,ostendentes perfectam scientiæ rationem eis neq̃quam conuenire,coniungantur cum his quæ hoc loco docuimus magnam opinioni nostræ fidem astruent.

Solutio rationum prioris opinionis, quæ tota nititur pulchra & subtili quadã distinctione.

Argumẽta verò quibus cõtraria nititur sententia diluũtur hac distinctione:In medio demõstrationis aut cõsideratur certitudo & euidentia concludendi & demonstrandi secundum nos, & hęc vtraque virtus maxima est in demonstrationibus Mathematicis, quamobrẽ appellantur præstantissimę & exquisitissimę ab Auer. & aliis Philosophis;vel in medio cõsideramus alias proprietates, quæ magis attingunt & constituunt naturam demõstrationis potissimæ,nimirum vt sit primum & immediatum,vt sit proprium & per se,& vt sit causa non tantùm cognoscendi,sed etiã vt vocant,essendi.quæ cùm non insint, neque cernãtur in mediis demonstrationum Mathematicarum,vt ostensum fuit idcirco iudicantur à nobis non esse potissimę.Quod autẽ ex sententia Auerrois dictum fuit,demostrationem potissimam procedere ex notioribus nobis & naturæ,negandum est, nam demonstratio potissima vt auctor est Themistius,non quid ipsi possimus attẽdit, sed rectam tenet ad veritatem viam,naturam rei considerans & explorans.quamuis illa nobis ignota inconspectáque sit. qua de re alio loco à nobis disputabitur.Quòd si dicas Themistiũ 2.Post. cap.2.suæ paraphraseos velle demonstrationẽ potissimum declarare & quòd res sit & propter quid sit (quòd tamen solæ demonstrationes Mathematicæ præstare videtur) respondeo omnẽ demõstrationem quæ aperit veram & propriam causam rei,etiam simul declarare esse illius rei;quippe esse cuiusque rei vt pẽdet à sua causa ita propter illam per se declaratur & cognoscitur: Sed quoniam interdum accidit,vt rem esse,nobis notum sit antequã causam eius cognoscamus hinc fit per accidens, vt demonstratio.quæ postea procedit ex causa,non dicatur declarare esse rei vtpote quod antea notum esset, sed tantùm propter quid ipsius rei,quod nobis erat ignotum.Appellantur autem mathematicæ scientiæ,per ἀπονμάσιαν disciplinæ non propter excellentiam demonstrationum,sed ob maximam facilitatẽ discendi, & ob pulcherrimũ ordinem atque mirabilem cõnexionẽ demonstrationum inter se.Sunt autem demonstrationes mathematicæ certissimæ,euidentissimæ,& facillimæ ratione subiecti, nempe quantitatis:quãtitas enim est maximè sensata,quippe quæ percipiatur omnibus sensibus;& media seu principia demonstrationum Mathematicarũ possunt exponi & declarari, ita vt vel sensibus ipsis pateant,quod fieri non potest in rebus naturalibus aut diuinis. Præterea,principia Mathematicæ non exigũt longam experientiã & diligentẽ obseruationem,quemadmodum principia Physicæ vel Medicinę atque hãc causam affert Arist.in 6. Ethicorum, propter quam pueri possunt euadere Mathematici, non autem Physici,aut prudẽtes.Postremò,res mathematicæ habent facillimam abstractionẽ à materia,propterea quòd quãtitas nõ est alligata & pendẽs ab aliqua certa & determinata materia,sicut alia accidentia Physica,quocirca facile potest abstrahi & cõcipi ab intellectu.Hinc quoq; fit,vt res Mathematicæ nominẽtur ab Aristotele,entia ex abstractione,videlicet ob facilitatẽ abstractionis quod autem facilè abstrahitur à materia,facile etiam intelligitur

Cur disciplinæ Mathematicæ sint nobis facillimæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Relinquitur igitur, vt his de causis demõstrationes mathematicę sint certissimæ, euidẽtissimæ & facillimæ nobis, quamobrem vocantur à Philosophis perfectę, & absolutæ demõstrationes, loquimur autẽ in præsentia de disciplinis purè mathematicis, qualis est Geometria & Arithmetica, nam in Astrologia, Perspectiua & aliis quæ vocantur mediæ vel mixtæ, secus res habet. Sed de præsenti quæstione hæc satis sint. Deinceps videndum est an cognitio omnium causarũ quas res habet, ad eius rei scientiã sit necessaria.

An cognitio omnium causarum necessaria sit ad perfectam scientiam rerum naturalium, & primò agitur de cognitione substantiæ.

CAP V.

SEntentia huiuis primi textus videtur tota contineri hoc syllogismo: Omnis doctrina, quæ habet principia, vel quę agit de rebus habentibus principia debet primo loco ea declarare, sed talis est scientia naturalis, ergo debent in ea primò explicari principia: Cuius syllogismi Aristoteles hic non exprimit Minorem, sed de probatione ipsius dicam in extremo hoc capite; ponit autem Conclusionem & Maiorem, cuius etiam confirmationem adiungit his verbis, *Tũ enim putamus cognoscere vnumquodque cum causas primas cognouerimus, & principia prima vsq; ad elementa*: hoc est, cum cognouerimus omnes causlas tam externas quàm internas, tã proximas quàm remotas: Quæ verba magnam habent difficultatem, etenim viri docti in dubium vocare solent, an in cognoscendis rebus naturalibus necesse sit tenere omnes causlas earum. Quem nodum vt nos faciliùs dissoluamus, quædam ante declaranda sunt. Primùm hæc quæstio potest dupliciter intelligi, vel an cuncta genera causarũ pernoscenda sint, hoc est materia, forma, efficiẽs & finis: vel an in vnoquoque genere omnes causæ ad infima vsque ad supremam tenendæ sint. Deinde res quæ cognoscitur, aut est substantia aut accidens: substantia, vt talis est, per solam definitionem perfectè cognoscitur; Accidens verò si per se sumatur, etiam cognoscitur per definitionem, sin autem vt est affectio substantiæ inhærens in ea per demõstrationem. Ad hæc, perfecta cognitio duobus modis sumitur, vel absolutè, & omni ex parte, quæ tunc cõtingit, cum in re proposita cognita sunt quæcũque possunt cognosci, & quocunque modo possunt: Vel non simpliciter perfecta, sed tantummodo secundum materiam subiectam, aut secundum eam rationem, quę tractatur in aliqua scientia, vt dicatur perfecta, vel Physicè, vel Mathematicè, vel Metaphysicè, ita vt in tali scientia perfectior cognitio nec requiri

Dupliciter, cognitio alicuius rei dicitur perfecta.

requiri debeat, nec possit inueniri. Exempli gratia: Hominis perfecta cognitio simpliciter erit, si omnia quæ sunt homine & de eo dicuntur, siue Phyhca siue Metaphysica siue Theologica fuerint, perfectè cognoscantur: at Physicè perfecta hominis cognitio erit, si omnia quæ homini non quidem omni modo, sed Physico modo conueniunt, perfectè cognoscantur. Postremò, in substantia naturali potest cõsiderari essentia illius, vel precisè, ac syncerè, hoc est, solũ vt est nuda & pura quidditas, vel prout generatur, existit, & corrũpitur. His positis venio ad explicationẽ quæstionis. Si quidditas rei naturalis precisè definiatur, potest sciri perfectè sine cognitione aliarũ causarum, quàm materiæ & formæ, quippe cum hæ duæ causlæ sint tantum essentiales internæ: efficiens autem & finis nõ attingunt substantiã nisi extrinsecus, nec ab illis pendet, nisi cum fit aut existit. Ac de efficiẽte quidẽ, hoc apertè sentit, & scriptũ reliquit Arist. in 7. Metaphys. tex. 56. dicens, *Quãdo causa quæritur, interdũ quæri eam quæ est forma, & quod quid erat esse, aliquãdo verò eam, quæ est vt efficiẽs & primum mouens*, & post hęc subdit, *Causa nanque etiam hoc sed talis quidẽ causa quæritur, dũ quippiam fit vel corrumpitur, illa verò etiam dum est*. De fine idem iudicandũ est, qui in substãtiis naturalibus re idẽ est quod forma, sed differt ratione; dicitur enim finis prout est terminus generationis, atque motus naturalis nõ impediti. Sic enim definitur ab Arist. 2. Phys. 23. & 1. de Partibus anim. c. 1. in his autẽ quæ sunt instrumẽta ad aliquem vsum cõparata, siue à natura, vt sunt partes animaliũ, siue ab arte, vt malleus, securis & serra, videtur finis distingui à forma, quæ cõstituit huiusmodi res, & inhęret in ipsis, v.g. finis serrę est secare, forma autem eius, est figura quę cernitur in serra, vel facultas secandi; quãquam Arist. sæpe consueuit in talib. rebus finem appellare formã & rationẽ vocans definitiones quæ ducuntur à tali fine; vocãs, inquã, eas à forma & ratione, vt videre quisq; potest apud eũ, tũ in 1. de Anima 16. tũ in extremo libro 4. Meteorologico: Vnde si huiusmodi instrumenta careãt vsu, nec queant præstare id propter quod instituta fuerũt (vt si serra secare nequeat aut oculus uidere) quanquã retineant eandem naturã & substantiã, tamen solent ab eo dici æquiuocè talia. Vniuersè autem finis ita describitur ab Arist, *Cuius gratia aliquid fit*. ex quo apparet, neque finẽ neq; efficiẽs aliter pertinere ad substantiã rei, nisi prout versatur in generatione motúq. naturali. Potest idẽ cõfirmari hoc argumẽto. legimus apud Arist. in libris Posteriorũ, definitionem non significare esse aut nõ esse; & quæstionẽ quid est res, distingui ab ea qua quæritur an res sit, & item esse cuiuscunq; rei, differre à substantia eius; ex quib. sentẽtiis necessariò cõficitur, vt quoniã

definitio declarat essentiã rei nudam & abiunctã à motu seu existentia, tantùm cõtinere debeat eas causſas quæ talẽ essetia constituunt: Efficies autem & finis, cum non pertineant ad essentiam, nisi prout sit vel existit, remoueri debeant à definitione.

Sed dicet aliquis, etiam in pura quidditate rei naturalis continentur aliqua prædicata Metaphysica, vt actus vel potentia, substantia vel accidens, quę si Physicus cõsideret, transibit fines subiecti sui, sinautem omittat & ignoret, non perfectè definiet quid ditatem naturalem. Verùm soluitur hoc, nam si Physicus in definienda re naturali, exposuerit omnia prædicata essentialia eius quæ sunt Physica, tametsi prætermittat alia quæ nõ sunt Physica, tamẽ perfunctus erit munere suo, nec ab eo quicquã præterea iure desiderari poterit, talisque definitio cẽsenda erit perfecta, non quidẽ simpliciter, sed Physicè; nam absolutè & omni ex parte esse non poterit, nisi cognita & explicata fuerint quæcũque insunt in quidditate, quod fieri non potest sine scientia Metaphysicæ, sine cuius opera nulla res potest in aliis scientiis perfectè cognosci. quamobrem vocatur regina scientiarũ, & omnes disciplinæ pendent ab ipsa, tum quia docet primas causſas, hoc est intelligentias & Deum, à quibus manãt & pendent res omnes, tum etiã quia declarat attributa quædam fusa per cunctas res, vt est, ens, substãtia, accidens, actus, potentia. Sed de his latiùs disputatum fuit superiori libro. Atque hanc ego puto causſam esse, cur Plato in 7. lib. de Repub. scribat cæteras doctrinas non simpliciter demonstrare, sed procedere ex multis suppositionibus, solam autem Dialecticam, hoc est Metaphysicam, simpliciter, & sublatis cunctis suppositionibus, res ipsas contemplari atque demonstrare. Quas ergo causſas requirat cognitio puræ quidditatis, satis ostensum est. Si autem consideretur quidditas rei naturalis vt versatur in generatione, existentia, cæterisq; motibus & affectionibus Physicis, quę admodum ita pendet ab omnib. causſis internis iuxtà & externis, sic etiã non nisi per omnes perfectè cognosci & explicari potest. generatio enim & interitus, sine materia cõstare non possunt, vbi autem materia est (quod ante confirmauimus testimonio Auer.) necesse est alias causſas etiam requiri; ac vt de existentia loquar, ea profecto indiget forma, à qua proximè, intimè & continenter fluit; materia, qua nititur & sustentatur; efficiente, à quo primùm manauit vel à quo extrinsecus cõseruatur; deniq; fine, cuius gratia constat, qui finis est perfecta operatio, congruens ei naturę quę sic exiſtit; & quia Physicus nõ contemplatur essentiã rerum naturalium purè ac præcisè (hoc enim videtur potius esse quiddam Metaphysicum quàm Physicum) sed considerat eam mobilem, sensibilem

Explicatio sententiæ Platonis.

bilẽ, existentem in rebus, hinc fit, vt in definiendis rebus naturalibus, inserat etiam causas externas, motũ, & affectiones Physicas.

Ad id autẽ de quo addubitari solet, an in cognoscenda qualibet re sint pernoscendæ causæ primę, vt prima forma, vltimus finis, & primum efficiens, expeditè respondendum est, si loquamur de cognitione perfecta, non simpliciter, sed de ea, quam potest & debet quælibet scientia tradere, non esse id necessarium; nã Mathematici in rebus sibi subiectis explicandis & demonstrandis ac curatè versantur, sine vlla prænotione aut etiã mentione primarum causarum, hoc est Dei, & intelligentiarum. Quod si Physicus interdum sermonẽ habet de Deo, id sanè facit, quia Deus est primum mouens, à quo proficiscuntur & pendent omnes motus naturales; Simautem loquamur de cognitione rerũ, quæ sit omnibus expleta partibus cunctisque numeris absoluta, Proculdubio affirmandum est, sicut quælibet res habet esse à prima causſa, ita sine cognitione eius perfectè sciri non posse. quod facilè concedet, qui attendet animum ad definitionem ipsius Scire, quę traditur ab Arist. hoc modo, *Scire est rem per causſam cognoscere, propter quam res est.* non minus autem, quin etiam magis, quælibet res suũ esse acceptum referre debet causſis vniuersalibus & primis, quàm particularibus & proximis. Verùm de cognitione substãtiæ hæc dicta sint, deinceps agendum est de accidentibus.

An primas causas cuiusque generis cognoscendo sarum in qualibet re pernoscẽda scire oportet.

Definitio accidentis duplex est, vna essentialis, altera causſalis; illa continet genus accidentis & proprium subiectum eius, cuius generis sit hæc definitio, Eclipsis, defectus luminis in luna; vel Tonitru, sonus qui fit in nube: Hęc autẽ quæ dicitur causſalitas, sumitur ex causis externis, vt si priori definitioni adiũgas, ob interpositum terræ, posteriori autem ob extinctionem ignis. censetur autem à Philosophis perfecta definitio accidentis, quę complectitur essentialem & causſalem, hoc est, quæ continet omnes causſas per se illius accidentis, nam cum accidens non intrinsecè ac per se subsistat ceu substantia, sed à multis causſis extrinsecus pendeat, rectè faciunt, qui tales causſas adhibent in definiendis accidentibus: Vnde Arist. 8. Metaphys. text. 13. scribit rationem accidentis, quæ est definitio essentialis, sine causſa non esse manifestam: Causſæ verò, à quibus pendet accidens, vt minimum sunt tres, materia, quæ est subiectum in quo ineſt; forma, hoc est genus, vel categoria ad quam pertinet; efficiens, à quo efficitur & conseruatur. Non desunt etiam quædam accidentia, quæ ab omnibus causſis pendent, quare in perfecta definitione eorum, omnes pariter causæ cognoscendę & explicãdę sunt; quod videtur Galenus in definiendo pulsu egregiè præstitisſe ad hunc modum,

De cognitione accidẽtis perfecta.

Pulsus est actio peculiaris,primùm cordis,deinde arteriarum,quę distensione& contractione mouentur à facultate vitali,vt caloris innati mediocritas conseruetur,&spiritus animales gignantur in cerebro.De accidentiũ autem demonstratione, quid sentiendum sit facile est ex his,quæ nunc dicta sunt intelligere. Etenim cum Aristot.in 2.Post.compluribus locis auctor sit, medium perfectæ demonstrationis, idem esse quid & propter quid passionis quæ demõstratur,ita,vt idem medium mutato tantũ situ & formula verborum adhiberi queat,& tanquam definitio, ad declarandum quid sit talis passio, & tanquam medium ad demonstrandum propter quid insit subiecto.Hæc igitur cum ita se habeãt, palàm est,vt perfecta definitio accidentis ducenda est ab omnibus causis,à quibus per se ac necessariò pendet,ita quoque perfectam demonstrationem eius ex cunctis caussis petendam esse. Nec verò nos moueat, quòd Aristoteles definiens scire, ait ipsum esse cognoscere rẽ non per caussas,sed per caussam, nam tametsi multæ caussæ concurrunt ad definiendu , vel demonstrandum accidens, omnes tamen vnius caussæ integræ, perfectæ atque absolutæ locum tenent . quanquam non rarò accidit vt in definiendis atque demonstrandis rebus quædam caussæ taceantur , quòd sint per se manifestæ & à quouis facilè intelligantur. Atque hoc quidem est iudicium & sententia nostra de præsenti quæstione.

Elegans eorum,quæ in præsenti quæstio ne disputata sunt, epilogus.

Cæterùm,quę latiùs hic disputata sunt,quò facilius vniuersa cõprehendi & teneri queant,possunt breuiter ita colligi. Definitio purę quidditatis,tantùm materię& formę,at quidditatis vt est mobilis & in reb. naturalibus existens, omnium quatuor caussarum cognitionẽ requirit.Accidentis definitio duplex est, vna tantum essetialis,quæ solo genere & proprio subiecto accidẽtis quòd definitur,cõtinetur:altera caussalis,quæ præcipuè ducitur ex caussis externis, efficiente , inquã,& fine,sed perfecta definitio accidentis censetur, essentialem & caussalem complectẽs,solo situ differens à perfecta demonstratione. Demonstratio autem accidentis ex omnibus caussis,sumenda est à quibus per se ac necessariò pẽdet accidens.Porrò primæ caussæ cuiusq; generis,si quęratur perfecta simpliciter cognitio rerum,necessariò tenendæ sunt;si autem quęratur perfecta cognitio,non absolutè,sed aliqua ex parte vel secundum aliquam scientiam , aut non est necessarium illas caussas cognoscere,vt fit in Mathematicis,aut certè tantùm scire oportet quantum pertinent ad illam scientiam,id quod in Physica contingit,quæ agit de Deo,vt est primum mouens. Verùm de præsenti quæstione satis sit dictum.

Nunc doceamus cur Arist.non expresserit aut probauerit Minore m

norem illius syllogismi,nimirũ , res naturales habere principia, hoc enim à principio promisimus nos esse dicturos ad extremũ. Porphyrius, vt hic refert Simplicius & Auicẽna(vt inquit Auer.1. Phy.cõmen vltimo)putarunt non esse munus Phisici,sed potiùs Metaphysici, demonstrare res naturales compositas esse & habere causas:At hoc non placet Simplicio & Auerroi,nam vt Physicus supersedeat demonstrare id.perinde quasi per se notum atque manifestum sit,tamen non potest inueniri alia ratio,vel,vt aiunt, medium ad demonstrandum hoc,quàm Physicum,quod quidem mediũ est transmutatio:quicquid enim trãsmutatur simplex esse non potest,sed habet materiam, quæ transmutationi subiiciatur, & formam secundum quam transmutatio fit:ab hoc medio Physico cæteræ rationes , quæ ad idem ostendendum afferuntur,siue Physicæ siue Metaphysicæ fuerint , lucem atque robur accipiunt. Verùm Theophrastus,vt ait Simplicius,res naturales habere principia confirmabat hoc argumento,Omne corpus est compositũ, quod autem compositum est,habet partes & principia ex quibus componitur , sed res naturales sunt corpora vt clarum est , ergo sunt compositæ & habent principia ex quibus constant.Hæc ille. Sed hęc demonstratio non caret dubitatione,nam cum triplex sit compositio,vna ex substantia & accidente,altera ex partibus quas vocant integrales, seu quantitatiuas, tertia ex partibus essentialibus,nempe ex materia & forma:primã & secundam compositionem certũ est inueniri in omni corpore naturali,tã cælesti quàm sublunari:tertiam autem,vt perspicuum est inesse in cũctis corporibus sublunaribus,ita obscurum & dubiũ est an ea insit in cælo, Auerroes enim faciẽs substantiam cæli simplicem , non assignat ei talem compositionem , is igitur diceret prædictam rationem Theophrasti, aut esse intelligendam tantùm de duabus prioribus compositionibus,aut non habere locũ in omni corpore naturali. Arist. igitur hic non probauit res Phys.habere principia;vel omittens tãquam cuiuis norum,vel quia fusè in processu huius 1.libri ab ipso declarãdũ erat.Verùm hęc ad expositionẽ & intelligentiã primi tex.sint satis, deinceps ad explanãdũ secũdũ tex. veniamus.

Cur Aristoteles nõ probauit res naturales habere causas & principia.

Explanatio textus secundi primi libri Physicorum.

CAP. VI.

SEcundus textus primi libri Physicorum sic habet, *Innata est ex notioribus nobis via ad notiora naturæ.* Similẽ sententiam permultis locis apud Ari. reperire licet; veluti 1.li. Ethic.cap.4.li.5.Metaphysicæ t. 1.lib.secundo de Anima text.12. præcipuè autem 7.Metaphysicę tex.10.Apud Aristotelem

autem & Peripateticos, notius secundam naturā, natura vel naræ, idē plānè significant, quod notius simpliciter, vel notius secūdum rationem, vt ex supradictis locis colligi potest. Sed quoniam de eo quod est notū secundū nos & secundu naturam multa prę-

De eoquod est notius simpliciter vel secundum nos, pulchra Arist. sententia.

clarè scribit Arist. 6. lib. Topicorum, cap. 3. non alienum fore putaui si verba eius hic ascriberem. Primum igitur docet quid sit notius nobis & simpliciter, hoc modo: *Dupliciter contingit accipere notius, aut nobis aut simpliciter. Simpliciter igitur notius est, quod prius est posteriori, vt punctū linea, & linea superficie, & superficies solido, quemadmodū & vnitas numero, prius enim, & principium omnis numeri similiter autē, & elementum Syllaba. Nobis autem è conuerso quandoque accidit, nam maximè solidū magis sub sensū cadit, quàm superficies, & superficies quàm linea, & linea quàm signū, quare multitudo magis huiusmodi cognoscit, nā illa quidē quomodolibet, hæc autē subtili, & fœcūdo intellectu cōprehēdere oportet.* Deinde vtra docēdi ratio sit melior per notiora nobis, an, secundū naturā, declarat his verbis, *Simpliciter igitur melius, per priora, posteriora, tētare cognoscere, nā magis scientificū tale est, verūm ad eos qui impotētes sūt cognoscere per talia necessariū forte per ea quæ illis cognita sunt, facere orationē.* Postea ostēdit ea quæ sunt nota secūdum naturā, esse certa, definita, & immutabilia. quę autē sunt notiora secundū nos esse incerta & indeterminata, nō inquit, *Alia aliis & nō omnib. eadē cōtingit notiora esse. quin etiā eisdē alia interdū & alia magis nota, nam à principio quidē sensibilia, instructiorib. autē factū cōtrà quare nec eidē homini semper idē notius est.* Ex quo Arist. colligit perfectas definitiones & orationes scientificas assignādas esse non per ea quæ singulis quibusque sunt notiora, quippe quę sint varia & indefinitā. Postremò, explicat quod est notum simpliciter, quibus hominibus sit etiam notum & quibus nō, ita scribens, *Fortasse autem, & quod simpliciter notum, non est id quod omnibus notum. sed quod bene dispositus intellectu. quemadmodum & simpliciter salubre quod est salubre iis, qui bene affectum habent corpus.* Hæc Ari. in 6. Topicorum. Simile fere scribit in 1. Post. tex. 5. ad hunc modū, *Priora verò sunt & notiora bifariam, non enim idem prius aut notius natura & ad nos, dico autē ad nos priora & notiora, quæ sunt propinquiora sensui, simpliciter autem quæ longiùs sunt, sunt autē longissimè quidem ipsa maxime vniuersalia, proximè verò ipsa singularia.* Ex omnibus autem locis, quæ nūc commemorauimus, licet nobis elicere certam & generalē regulam internoscendi ea quæ sunt nobis nota, ab his quæ sunt nota secundum naturam, quę est hæc; Quęcunq; cadunt sub sensum, vel sunt propinqua sensibus, sunt nota nobis: quę verò à sensibus remota sunt, habentur ignota & quo magis minúsve sensus nostros attingūt vel refugiunt, eò magis minúsve nota aut

Regula in ternoscendi nota secundū nos, ab his quæ sunt nota secundum naturam.

aut ignota iudicari debent: At nota secundū naturam vel simpliciter, censeri debent quæcunque sunt priora, & à quibus pendent alia: è contrario verò quæ sunt posteriora, & manant atque pēndent ab aliis sunt ignota secundum naturam. Quamobrē causſę, partes, simplicia, magis vniuersalia, sunt priora & notiora secundum naturam: effectus verò, totum, compositū, & singularia, posteriora & minus nota: & quamuis hæc quoque possint dici aliquo modo notiora secundū naturam, quatenus sunt perfectiora illis & tanquam finis eorum, tamē in præsentia nō loquimur de prioritate naturæ, quæ est secùdum perfectionē vel intentionem eius, sed eo, quod dicitur prius esse ordine generationis, & temporis. Sed dicet aliquis Aristotelem in 1. de Anima tex. 8. affirmare vniuersalia aut nihil esse, aut posteriora esse singularibus, ergo qui facit ea secundum naturam priora singularibus apertè contradicit Aristot. Verùm soluitur hoc, nam vniuersale actu & (vt dicunt) formaliter sumptum, aut nihil est per se in rebus existēs, abiūctum à singularibus, vt Platonem sensisse multi opinantur, aut vt est vniuersale vi mentis, abstractum ab indiuiduis, posterius est singularibus, quippe cum nihil aliud sit, quàm notio quædam & similitudo singularium, quam ex eorum comparatione & conuenientia intellectus noster expressit. Vide quæ in hanc sententiam eleganter scribit Themistius, exponens supradictū textum octauum primi lib. de Anima in sua Paraphrasi: At si vniuersale sumitur pro natura (hanc multi appellāt fundamentum vniuersalitatis) vt animal pro natura sensitiua, viuens pro animata, corpus pro corporea, hoc pacto manifestum est magis vniuersalia priora esse minus vniuersalibus, nam illa sine his hæc autem non possunt esse sine illis: quod autē tale est, Arist. vocat prius simpliciter in Postprædicamētis; & 8 Phys. lib. Vide quę hac de re doctè scribit D. Tho. prima. part. q. 85. ar. 2. in responsione ad primum.

Dubium.

Confutantur qui aliter exponunt notum secundum naturam & docetur cur via procedendi à notioribus secundum nos, dicatur esse nobis innata vel naturalis.

CAP. VII.

SI igitur notum secundum naturā apud Arist. significat id quod paulo ante ostendimus ex multis locis eius, ergo fallitur Auerr. interpretās notius secundum naturā id quod natura prius cognoscere, si intelligeret ea quæ facit: nā quia putat naturā more Stoico esse intelligētē, vt ei falsò exprobrāt quidā recentiores interpretes, sed quia facit Aristo. vti metaphora &

analogia nimis dura & insolenti. Errant etiam, qui notius secũdũ naturam exponunt id quod habet naturam per se magis cognoscibilẽ & intelligibilem: etenim compositum notius esset secundum naturã, quàm materia prima, contrà quàm docet Arist. hoc loco: Compositum enim cum in se cohibeat formã & actum, qui est caussa atque ratio intelligendi vt dicitur 9. Metaphys. text. 20. proculdubio habet naturã magis intelligibilẽ, quàm materia prima, quippe quæ sit ens in potentia & (vt scriptum est 7. Metaph. text. 35.) per se ignota at materia notior est secundũ naturã quàm compositum, cum sit prior eo & eius principiu & caussa. Illi quoque decipiuntur, qui per notius secũdum naturã putãt significari id, quod est simplicius: Siquidem color & alia sensibilia accidẽtia sunt simpliciora quàm substantia composita, cum tamen hæc sit notior secundum naturam & ignotior secundum nos: illa verò è cõtrario notiora secundum nos & ignotiora secũdum naturam; sed cur hæc via procedendi à notioribus nobis ad notiora secundum naturam vocetur nobis innata vel naturalis, deinceps exponamus. Non dicitur talis via procedendi naturalis, quòd similis sit modo, quem natura tenet in procreandis rebus quinimo ei penitus cõtraria est; Etenim natura in fingendis operibus suis progreditur à simplicibus ad composita, à causis ad effectus, nos è contrario in iisdem cognoscendis procedimus. Nec vocatur naturalis, quoniã sit cõueniẽs naturæ ipsarũ rerũ; Nos enim multa prius cognoscimus, quæ si natura rerũ spectetur, põsterius cognosci deberent, siquidem ante percipimus accidens, quàm substantiam, at substantia per se ac suapte natura prior est quam accidẽs. Nec appellatur naturalis, quod sit congruẽs atque cõsentiẽs naturali appetitui hominis, quo is duce natura vehitur atque ducitur ad scié dum. Homo enim naturaliter expetit scire non quocunq; modo, sed per caussas, talis enim sciẽtia est perfectio intellectꝰ humani explens atque saturãs naturalem appetitũ eius. Itaq; homo naturaliter expetit res cognoscere, per ea quę sunt priora & notiora secũdum naturã ceu per caussas, potius quàm per ea quæ sunt notiora secundum nos, veluti per effectus. Nec denique nuncupatur naturalis, quod ita sit homini insita & infixa, vt ab ea nunquã diuelli & separari possit. Nam quamuis rudes & indocti cum primùm aggrediuntur ad cognoscendas res hanc intelligẽdi rationem sequãtur, tamẽ, qui sũt fœcũdo & subtili ingenio & in sciẽtiis exercitati, cognoscunt res conuenienter naturæ ipsarum, & quod secũdum naturã prius atque notius est, illi quoque prius & magis notum habetur. Cuius rei simile quiddam cernimus in his quæ pertinent ad gustatum; nam vt alia aliis dulcia & iucũda videantur

Cur via procedẽdi à notioribus secundũ nos ad notiora secundũ naturã, vocetur nobis naturalis.

deantur, tamen id, quod verè ac simpliciter est dulce, videtur etiã tale non quidem omnibus, sed his, qui sto machũ non habent labefactatum & corruptum, sed bene affectum atque constitutũ. Talis igitur via procedẽdi, est atque dicitur nobis naturalis; proterea quòd cum primùm duce magistráque natura accedimus ad cognoscendas & contemplandas res naturales, excitati aspectu & admirabilitate earum rerum quas hic mundus cõtinet, ità procedimus, vt primo quidem apulsu mẽtis incurramus in notiam effectuum compositorũ & accidentium, tum magis animo exardescentes ad interiorem & perfectionem earundem rerum scientiam capessendã, quasi per gradus quosdã progredientes tãdem perueniamus ad caussarum rerum simplicium & substãtiæ cõprehensionem. Cuius rei hanc ego quidem certè caussam esse arbitror; A principio enim donatur nobis à Deo animus, immortalis ille quidem & capax omnium disciplinarum, sed rudis expérsque scientiarũ, & vt pulchrè inquit Arist. ceu tabula quædam nuda, in qua nihil omnino pictum est. Quamobrem idem Arist. scribit illum esse in potẽtia ad omnia, nec aliã esse naturam eius quàm veluti potestatem & habilitatẽ quandã ad percipiendas omnes res, eúmq. locum esse formarum non actu, vt Plato existimabat, sed tantùm potestate. Is autem animus tanta necessitudine & tam naturali connexione iungitur atq; copulatur cum sensibus, vt dũ est in hoc corpore, nec sine adminiculo sensuum vitã suum agere & tueri, nec nisi per eosdem sensus, cognitionem & scientiam rerum possit adipisci. Itaq; vt in homine vitam hãc mortalem agente, esse intellectiuum, nõ potest separari ab esse sensitiuo, sic etiã functiones partis intelligẽtis, nõ possunt ab actionib. facultatũ sentientiũ penitus disiungi atque segregari. Atque hinc extitisse illas nobiles & illustres sentẽtias, quæ in scriptis. Arist. nõ secus, ac stellæ in cælo mirabili splendore collucent: Deficiente sensu, etiã deficere scientiam eorum quæ pertinent ad illum sensum: Omnes sciẽtias & artes ex sensibus, memoriis, experimẽtisque ortum habere: Intellectum nostrũ nihil vnquam speculari sine permixtione phãtasmatis: Cogitata & intelligẽtias animi nostri non esse quidem phantasmata, vel vt Latinè loquar cum Cicerone, visa, veruntamen non posse cõstare sine illis. si igitur prima humanæ cognitionis acquisitio sit per sensus, necesse est ea prius ab homine cognosci quæ priùs atque vehementiùs mouent sensus úsque obuia, & familiaria sunt, eiusmodi autem sunt singularia, accidens, compositum effectus, &c.

Ex his autẽ liquet, falsum esse id quod Plato habuit pro certo & explorato; Nostrũ scire nihil aliud esse, quam quoddã reminisci;

Digressio contra Platonẽ, scientiam nostram non esse reminiscentiã.

Nam (vt de hoc nonnihil etiam nũc attingamus) si animus noster olim habuit scientiam omnium rerum, quam postea dũ est in corpore, per disciplinã, institutionem, exercitationémque reminiscitur, cur ad reminiscendum adeo egemus sensibus, vt his sublatis nulla queat scientia comparari? Nos enim experimur, cũ quidpiam reminisci volumus quod antea cognouimus, non valde indigere aut vti opera sensuum exteriorum, & sine his non solum posse, sed interdũ etiam fieri solere multarũ rerum reminiscentiam sola vi & ope ĩmaginatricis vel cogitatricis facultatis. Deinde, qui fit, vt nemo vel priusquã addiscat sciẽtias, aliquo modo meminerit se quondã illas tenuisse, & per obliuionẽ amisisse: Vel postquã sciẽtias didicit, eas tanquã ante cognitas & perceptas recognoscat? Ad hæc, quemadmodum animus hominis, quia est immortalis, non solùm videt res præsentes, sed prouidet etiã futuras, multámque cogitationẽ & curam suscipit posteritatis, cur si idem animus fuit ante corpus florens scientiã cũctarum rerũ, maximísque circumfluens bonis, cur, inquam, non itidẽ cernitur in eo aliqua certa cognitio, cogitatio, memoria, aut denique vestigium aliquod præteritarum & antiquarũ rerũ, quas olim gessisse & tenuisse dicitur? Cur nullus in eo mœror & dolor de tantorum bonorũ amissione? Postea, si mẽs nostra haberet naturaliter sibi insitas scientias omnium rerũ, non posset esse capax errorũ & falsarum opinionũ. Etenim, quod per se atq; naturaliter inest, nõ potest mutari in contrariũ, sic enim Arist. 2. lib. Ethicorum docet virtutes non esse natura nobis innatas, quoniam nemo prauus & improbus euadere posset, siquidem quod natura ingeneratũ est, nulla consuetudine tolli potest, vt licet millies lapidẽ sursũ iactites, nunquam tamen assueseet per se sursũ tendere propter naturale pondus atque grauitatem. Sic etiam in 3. de Cælo 67. ostẽdit Arist. nullam esse definitam à natura figurã elementorum, vt ad omnes figuras facilè conformari & accommodari queant. Et iterum, Peripateticí disputãt primã materiam per se nullam habere formam, quam sibi præcipuè & sua natura vendicet, vt possit esse receptaculum omnium formarum etiã contrarium. Postremò, aut coniunctio animi cũ corpore, est naturalis aut præter naturã; si præter naturã, quo pacto efficitur à natura & à Deo? cur sẽper eodémque modo contingit? Nam quæ præter naturã sunt, & rarò & per accidens eueniunt. Cur dissolutio prædictæ vnionis, quam mors efficit, est adeo præter naturam & violenta, vt nos & metus futuræ mortis sollicitet, & dolor præsentis diserutiet? sin autem talis cõiunctio animi cum corpore est naturalis, tantũ abest vt possit tam insigne animo detrimẽtũ afferre, hoc est obliuionem

uionem omnium scientiarũ, vt ei debeat magnã adiungere perfectionem, maximúmque præbere adiumẽtum ad suas actiones ritè obeũdas. Forma enim, quæ est actus naturalis matetiæ, sicut per vnionem cum materia perficitur in esse, sic etiam perficitur in operando: Id quod lustranti animo cunctas res naturales in omni cõiunctione formæ cum materia perspicuum erit. Hæc autem quæ contra Platonem á nobis explicata sunt, docet etiã D. Thom. in 1. par. q. 84. art. 3. Sed de his rebus quoniam sunt extra materiã propositam, & ab instituto nostro remotæ, plura dicere non conuenit. Quoniã igitur intellectus noster ita cohæret cum sensibus, vt per eos ceu interpretes & nuncios rerũ omnium intelligendi materiam accipiat, nihílque sit in illo quod nõ in his aliquo pacto prius fuerit, hinc fit, vt quæ sensibus nostris magis propinqua, nota & familiaria sint, vt effectus, totũ cõpositũ, accidens, ea quoque prius ad intellectum perferãtur, eíq; prius innotescant. Quæ verò sẽsibus posteriùs cognita, aut penitus ingnota sint, vt causſa, partes, res simplices & intima cuiusq; rei subſtantia, eo tardiùs atque difficiliùs ad mentis nostræ intelligentiã perueniant. Ergo, cur ea quæ ordine naturæ posteriora sunt, plerũque sint nobis notiora iis, quæ sunt priora secundum naturam, & cur via procedendi ab illis ad hæc vocetur nobis innata, & naturalis hoc modo explicatum sit. Nunc videamus an in rebus Physicis sint aliqua, quæ eadem sint nota nobis & secundum naturam.

In rebus naturalibus permulta reperiri, quæ sint nota nobis simul atque secundum naturam.

CAP. VIII.

ARistoteles hoc 2. text. ait non eadem esse nota nobis & simpliciter; in primo autem lib. Post. text. 5. similẽ ponit sententiam, verùm aliis verbis, scribens hęc inuicem opponi, hoc est quæ sunt nota nobis, esse ignota secundum naturam, & contrà, quæ sunt nota secundum naturam, esse nobis ignota. Quæ sententia quo pacto intelligenda sit, pluribus verbis aperiendum est, ne quis putet fieri nunquam posse, vt eadem sint nota secundum nos & secundum naturam. Peruulgata est opinio apud Philosophos, in rebus naturalibus aut nihil aut perpauca reperiri, quę nobis sint nota pariter ac secundum naturam, propterea quòd rerum effecta & accidentia, quæ nobis manifesta sunt, habentur ignota secundum naturam, è contrario autem subſtantia & causſæ, quæ sunt notæ secundum naturam, nobis sunt ignotæ: At verò in disciplinis mathematicis, aut omnia, aut certè pleraque sunt nota nobis iuxta atque secun-

dum naturam. Etenim demonstrationes Mathematicæ procedunt ex primis principiis, quæ nobis sunt manifestissima veluti, Totũ maius esse sua parte,&, Si ab æqualibus æqualia demas, quę remanent sunt æqualia. Eadem quoque sunt nota secundũ naturam, quippe cum sint causſæ eorum, quæ postea demõstrantur à Mathematicis. Atque hoc ipsum videtur Auerr. sentisse multis locis scriptum & testatum relinquens. Verùm opinio hæc (aut ego penitus fallor) multos adhuc fefellit, vel inscitia vel negligentia perscrutandæ veritatis; etenim vtrumque reor esse falsum, sed de Mathematicis posterius diserã; nunc tribus rationibus ostendã multa in rebus Physicis eiusmodi esse, vt simul nobis nota sint, atq; secundũ naturam. Primò, naturæ magis vniuersales sunt notiores nobis & secundum naturam, quàm minus vniuersales, vt corpus quàm viuens, viuens quam animal, animal quàm homo; ergo, &c. antecedens secundum vtramque partem perspicue verũ est; Nam quòd magis vniuersalia sint notiora nobis, Arist. testatur hic tex. 4. & aliis cõpluribus locis, de quo etiam consentiũt omnes propemodum interpretes eius: idque confirmat experiẽtia, nam aspicientes id quod è loginquo accedit ad nos, prius agnoscimus esse corpus quoddã quam animal, & animal prius quã hominem; Infantes etiã (vt hoc loco inquit Arist.) primùm quidẽ appellant omnes homines vniuersẽ ac distinctè patrem, fœminas matrẽ, postea verò verumq; speciatim distinguũt. Ratio item hoc docet, nam signa & accidentia rerum vniuersaliorum sunt nobis notiora, cum enim insint in pluribus rebus, frequentiùs cadunt sub sensus; ex quo fit, vt illis magis obuia, familiaria & manifesta sint: paucioribus quoque signis opus est ad percipiendum magis vniuersale, vt aliquid esse corpus, viuens aut animal, quàm ad cognoscendum minus vniuersale, vt esse hominem vel Petrum. Quòd autem magis vniuersalia sint notiora secundum naturam, vel ex eo intelligi potest, quia simpliciter priora sunt minùs vniuersalibus, eorúmque principia, & quoniã minùs perfecta sunt, à quibus natura incipiens procedit ad minùs vniuersalia, tanquam perfectiora. Itaq; in procreatione hominis, primùm effingitur in fœtu natura viuentis, tum animalis, ad extremũ hominis, vt scriptum est ab Arist. in 2. de Gener. animal. ca. 3. Sed considerandum est hoc loco id quod D. Thom. scribit in 1. parte q. 85. art. 3. Nam cum vellet docere magis vniuersalia esse prius cognita nobis, quàm minùs vniuersalia, præmittit hanc obiectionem, *Non sunt eadẽ* (inquit) *prius nota nobis, & secundũ naturam, sed magis vniuersalia sunt prius nota secundũ naturam, quàm minùs vniuersalia quippe cũ illa sint priora simpliciter hus; ergo non possunt esse nobis quoque prius cognita:*

In rebus Physicis nõ pauca reperiri quæ sunt eadem nota nobis & secundum naturam.

Quam

Quã obiectionẽ deinde soluẽs in respõsione ad primum argumẽtũ scribit hæc, *Duplex est ordo naturæ, vnus secundum viã generationis & tẽporis secundum quã viã, ea quæ sunt imperfecta & in potentia sunt priora, & hoc modo magis cõmune est prius secundum naturã, quod apparet manifestè in generatione hominis & animalis, nã prius generatur animal quàm homo, vt dicitur in libris de Generatione animalium: Alius est ordo perfectionis siue intẽtionis naturæ, sicut actus simpliciter est prior secundum naturã quàm potentia & perfectum prius quàm imperfectum, & per hunc modum minus cõmune est prius secundum naturã quã magis cõmune vt homo quã animal; Naturæ enim intentio non sistit in generatione animalis, sed intendit generare hominem.* Hæc D. Tho. ex cuius verbis posset quispiã fortasse suspicari eũ verba illa Aristotelis, *Non sunt eadẽ nota nobis & secundum ordinẽ naturæ* interpretari nõ de ordine naturę, qui est secundũ generationẽ, sed de eo qui est secũdũ perfectionẽ, ex quo fieri vt magis vniuersalia nõ sint simul nota nobis & secundum naturam, quod tamen à principio aggressi sumus ostẽdere: sed nobis in præsentia quid D. Thom. senserit de intellectu illorum verborum Arist. nõ est curæ. Illud quidẽ pro certo affirmare possumus, Arist. hoc loco non loqui de prioritate perfectionis, sed generationis, & tẽporis: etenim docere vult primas causſas, primaq; principia rerum naturalium esse nobis obscura & ignota, tametsi secundum ordinẽ naturæ manifesta sint & magis certa, quàm ea quæ formãtur & efficiuntur ex illis. quod si loquatur Aristoteles de ordine generationis, magis vniuersalia erunt nota nobis & secundũ naturã, vt dictum est supra; Sin autẽ de ordine perfectionis, totũ cõpositum & secundum nos, & secũdum naturã erit notius quàm partes & principia eius. Quocirca vtrouis modo sumatur prius secundum naturã, vel ordine generationis, vt nos sumimus, vel ordine perfectionis, vt sumit D. Thomas, verũ est, quod instituimus demonstrare, in rebus Physicis multa reperiri quę sint nota nobis & secundum naturã. Scio Alexandrum, vt refert Simplicius, ipsúmq; Simplicium in expositione huius secundi textus, conatos esse hanc nostram rationem soluere: sed qui eorum verba legerit, facilè intelliget infirmã esse eorum solutionem. Deinde, potest hoc ipsum confirmari alia ratione. Ea quæ vocantur obiecta sensuum exteriorum, vt color, sapor, odor, ex se fundunt atque mittunt species quasdã (ita enim fert cõmunis omnium pene Philosophorum opinio) per quas à sensibus percipiuntur. His igitur formis (quas multi appellãt species intentionales) priora sunt obiecta tam secundũ naturã, quàm secundum nos; secundum naturã, quoniam sunt causſæ illarũ, secundum nos, propterea quòd obiecta vsurpantur sensibus eorũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem ſpecies intentionales minimè:Illa nemo ſanæ mẽtis negauit vnquam,has verò,nec pauci nec indocti viri de medio ſuſtulerunt.Conſtat igitur in hoc exemplo idem eſſe notius ſecundũ nos,& ſecundum naturam.Vide D.Thom.1.parte quæſt.85.in fine art.3.Poſtremò,idem poteſt comprobari hoc modo. Multa ſunt tam in Phyſica quàm in Medicina, quæ habent effectus quoſdam admirabiles,nobiſque abditos & occultos. Etenim cõplura ſunt medicamenta, quæ vel extrinſecus admota corpori humano,vel in ipſum intromiſſa,operantur intus permulta,quę per ſe latent nos,præuidentur autem atque cognoſcuntur ex ſuis cauſſis, quæ palam adhibitæ ſunt; itaque Medicus certo prænoſcit & prædicit tales effectus euenturos, manifeſtè cognoſcens cauſſas à quibus illi proficiſcuntur. Vbi manifeſtum eſt,talia medicamenta & ſecundum nos & ſecundum naturam eſſe notiora quàm ipſorum effecta.Sed quid dicendum eſt ad illa verba Ariſt: *Non ſunt eadem nota nobis.& ſimpliciter?* Mihi quidem videntur habere locum non in omnibus rebus Phyſicis,ſed in multis maximè verò in primis cauſſis primiſque principiis rerum naturaliũ: de quibus ibi ſermonem habet Ariſt.ſiquidem eiuſmodi ſunt,vt cum ordine naturæ præcedant cæteras res Phyſicas à nobis tamẽ poſteriùs cognoſcantur, & quæ ab ipſis eſſe habent, prorſuſque pendent,vti corpora & accidentia Phyſica ad eorum cognitionem nos perducant.Sed de rebus Phyſicis dictum eſt ſatis. Nunc diſquirendum eſt,An in mathematicis diſciplinis idem maxima ex parte,ceu multis viſum eſt,ſit notius ſecundum nos & ſecundum naturam.

An demonſtrationes Mathematicæ maxima ex parte conſtent ex his, quæ ſunt nota nobis, & ſecundum naturam.

CAP. IX.

AVerroes in primo Phy.cõmen.2.& in 1.de Anima cõmẽ.11.in cõmẽtariis etiã magnis ſuper libros Poſt.atq; in quęſtionib⁹ Logicis,ait demõſtrationes Mathematicas cõſtare ex propoſitionibus quæ ſunt notę nobis & ſimpliciter,& cũ ipſe putet demõſtrationẽ ſimpliciter, quã facit tertiã quãdã ſpeciẽ demõſtrationis lõgè principem omniũ, confici debere ex his quæ ſunt nota ſecundum nos & ſecundum naturam,affirmat talem ſpeciem demõſtrationis nuſquam reperiri aut crebriorem aut perfectiorem,quàm in diſciplinis Mathematicis.Multi quoque expoſitores Ariſt.(quod is ait tum hoc loco,tũ in primo Poſt tex.5.non eſſe eadem nota nobis & ſimpliciter) cenſent,id maximè locum habere in ſcientia naturali:in doctrinis

ctrinis autem Mathematicis idem planè notum eſſe nobis & ſimpliciter.Eſt itaque multorum Philoſophorum opinio demõſtrationes Mathematicas procedere ex præmiſſis, quæ ſint tam ſecundũ nos,quàm ſecundum naturam notiores cõcluſione.Quam ſententiam equidem arbitror aut falſam eſſe, aut certè recta quadam explanatione, vel potius correctione indigere; quare faciẽdum mihi putaui, vt quid ea in re verum aut falſũ eſſe ducerẽ, liberè ac ſincerè explicarẽ.Primùm igitur opinor,mediũ quod adhibetur in demonſtrationibus Mathematicis,ſi propriè & ſubtiliter rem ipſam expendamus,nec ſecundũ naturam, nec ſecũdum nos eſſe notius cõcluſione;id quod facilè cognoſci poterit ex his paucis,quę ſubiiciam.Primò.Si medium Mathematicũ eſſet notius ſecundum naturam cõcluſione,hoc ideo accideret,quia tale mediũ eſſet propria cauſſa eius, quod demõſtratur;at ſupra fuit oſtenſum Mathematicos non demonſtrare ex propriis& naturalibus cauſſis,ergo,&c.Deinde Mathematicus non conſiderat naturam ac eſſentiam quantitatis,nec affectiones eius,prout habẽt eſſe reale fluens ex natura quantitatis;ſed tãtũmodo prout habẽt eſſe intelligibile,& prout poſſunt euidenter ac certò ſciri,quocũque modo id cõtingat;ergo Mathematicus nõ curabit,an mediũ ſit prius ſecundum naturam nec ne; ſed an ſit euidens, certum & aptũ ad demonſtrandam propoſitam concluſionem.Præterea apud Mathematicos vna demõſtratio non habetur potior quam altera quoniam habeat medium prius ſecundum naturã, quinimo id nuſquam,& à nullo Mathematico conſiderari & perpendi ſolet,ſed ea demonſtratio melior ducitur,quæ ſimpliciter oſtendit rem,quàm quæ ex ſuppoſitione: & quæ directè ſeu oſtenſiuè, quám quæ indirectè, vel dicendo ad impoſſibile: ad extremum, quæ per pauciora media conficit rem propoſitam,quàm quæ per plura,quocunque modo id fiat,ſiue per media priora ſecundum naturam,ſiue poſteriora.Poſtea in 32. demonſtratione,quæ eſt in 1.elementorum Euclidis,oſtenditur tres angulos triãguli eſſe æquales duobus rectis,propterea quòd angulus externus,qui fit ex latere eiuſdẽ trianguli producto,æqualis ſit duobus angulis interni ſibi oppoſitis.Hoc medium perſpicuè conſtat non eſſe prius ſecundũ naturã,eo quod demonſtratur;quin etiam mihi quidem videtur eſſe poſterius ſecũdum naturã,nam productio lateris, & ortus illius anguli externi,neceſſariò conſequitur ſtructurã triãguli cõſtituti:ſimiliter in prima demonſtratione eiuſdem libri, Euclides docet latera eius trianguli quod ſuper datã lineam conſtitutũ fuit eſſe inter ſe æqualia,propterea quòd ſint lineæ ductæ ex centro ad circunferentiam,quis non videt cum hoc medium

Medium demõſtrationis Mathematicæ, nõ eſſe per ſe ac ſimpliciter notiꝰ ſecũdum naturam, concluſione.

omnino per accidẽs affectũ sit ad id quod demonstratur, nõ posse dici prius secundum naturã conclusione? Etenim planè accidit triangulo æquilatero, quod super lineam datam cõstitutum est, includi in circulo, & latera eius sic describi, vt existant lineæ à centro ad circunferentiã illius circuli ductæ. Quod autem à nobis ostensum est in his duabus demonstrationibus Mathematicis, si quis ad reliquas demõstrationes animum aduertat, idem pene in omnibus cõperiet. Postremò, quæ sunt verè priora secundum naturam, sunt per se definita, & pauca numero, & habent necessariam atque naturalem cognationẽ, connexionémq; cum his rebus, quibus dicũtur priora; at medium Mathematicum nõ est definitum secundum naturã, & est multiplex, nam quod ostenditur per vnũ mediũ, potest etiam probari per alia multa, & in cõuersione demonstrationum, vbi ex medio fit coucluſio, & ex cõclusione mediũ (quod fieri cernimus tu sæpe alibi, tũ in primo Euclidis in proposit. 18. & 19.) nullo modo fieri potest vt in vtraq; demonstrationemedium secũdum naturam, sit notius conclusione. Amplius, in 27. propositione eiusdẽ libri, Euclides demõstrat aliquas lineas esse parallelas, quoniã in eas incidẽs alia linea recta facit angulos coalternos æquales sibi inuicẽ, quoniã modo tale medium rectè dici potest prius secundum naturam conclusione, aut esse causã, cur lineæ quæpiã sint parallelæ vel æquidistantes, cum potius id videatur esse tãquam effectus, & quidpiam consequens, & per accidens se habens ad id, quod demonstratur, paruíq; referat quò lineæ aliquę sint parallelæ, vt in eas cadat alia linea recta, & tales anguli coalterni existant, nec ne? Itaq; reor ordinem, qui est in demõstrationibus Mathematicis nõ fuisse ductũ ex naturali prioritate aut posteritate earum rerum, quæ demõstrantur; sed ex maiori, minoríve facilitate doctrinę, atque ordine inuẽtionis. Etenim Euclides eas demõstrationes priores esse voluit, quæ vt demonstrentur, non egẽt declaratione aliarum: cæteræ verò demonstrationes, nõ possunt & facilè explicari, & intelligi nisi prius illę demonstratæ, cognitęque fuerint. Quarũ igitur cognitio adiumentum allatura erat ad explicationẽ & cognitionẽ aliarũ, eas demõstrationes priori loco ponere & declarare voluit: & quamuis eadẽ propositio per alia quoq; media ostendi potuisset, tamen elegit quędã faciliora, ac eiusmodi, vt in his teneri & conseruari posset perpetua & cõtinuata series atq; cõnexio omniũ demonstrationũ. Hac etiam de causa factũ existimo, vt Euclides multas propositiones cõsultò omiserit, vtpote quibus opus futurum non erat, ad explicationẽ aliarum demõstrationum, quę si fuissent interpositæ, admirabilẽ mathematici ordinis cõtinuationẽ interturbassent. Nam cur obsecro putamus Euclidem tantùm demonstrare voluisse super datam lineam rectam triangulũ æquilaterũ constitui posse, cum idem quoque de aliis speciebus trianguli ostendi queat, & quidem ostẽsum fuerit à Proclo? nisi quia demonstratio quæ fit de triangulo æquilatero, vtilis futura erat ad explicationem demonstrationémque allarum propositionum; quę autem fiunt de reliquis triangulis minimè.

Ratio ordinis & dispositionis propositionũ atque demõstrationũ Euclidis.

Cur Euclides multas alias propositiones demõstrare supersederit.

Quòd autẽ in demonstrationibus Mathematicis, medium non sit etiam notius secũdum nos conclusione, manifestum est ex eo, quia Arist. docet in 1. Post. tex. 5. id esse prius atque notius secundum nos, quod est propinquius sensibus, at si cui rudi & indocto Geometriæ proponatur quarta, & quinta demonstratio Euclidis, antequam explicatæ & demõstratæ fuerint, vna non erit notior & manifestior quàm altera, nõ enim vna est propinquior sensibus nostris quàm altera, vtraq; igitur per se ęquè obscura & ignota nobis erit. Dicitur aũt vna propositio Mathematica secũdum nos esse notior, quàm altera, non per se ac simpliciter, sed ob dispositionem, ordinémque doctrinæ, quem instituit Euclides: secũdum quẽ ordinẽ prius debet cognosci à nobis quarta propositio, quàm quinta: quoniã & hæc demonstratur per illam, vt necesse sit cum venitur ad quintam, antè cognitã fuisse quartam, atque hoc modo vna propositio Mathematica, quàm altera, & medium demõstrationis, quàm cõclusio põt appellari prius & notius secũdũ nos, non per se, sed propter doctrinæ, & demonstrationũ ordinem ab Euclide institutũ atq; descriptũ: Ergo ex his, quæ hoc loco disputata sunt à nobis, clarissimũ est, mediũ quod ponitur in demonstrationibus Mathematicis, per se ac simplicite, nec secundũ nos, nec secũdum naturam esse notius conclusione, ac proinde falsam esse peruulgatam illam opinionẽ eorũ qui putant demonstrationes Mathematicas procedere ex notioribus secundũ nos & simpliciter; Quanquam potest hæc sententia aliquomodo adduci ad bonum sensum: nam licèt propria cuiusq; demonstrationis principia non sint notiora vtroque modo ea cõclusione, quam inferũt; tamen prima illa initia, & axiomata Mathematica, quę in vestibulo Geometrię exponuntur, & postea in plurimis demonstrationibus adhibẽtur, sunt vtroq; modo notiora: secũdum naturam quidem, quoniam sunt prima, immediata & indemonstrabilia, ex quibus cæteræ propositiones Mathematicę oriũtur, pendẽt, atque demonstrantur; secundum nos autem, quia citra demonstrationem vllã nobis manifesta sunt, aut per solam cognitionem terminorũ, ex quibus cõstant, velut illa, Totũ esse maius sua parte &, Si ab æqualibus æqualia demas quæ remanent sũt æqualia &, Quęcũq;

Medium demonstrationis Mathematicæ, per se non esse cundũ nos notius cõclusione.

Quomodo possit verè dici demõstrationes Mathematicas procedere ex notioribus secũdũ nos & secundum naturam.

sunt æqualia vni tertio, sunt æqualia inter se: vel per solam descriptionem, aut leuẽ quampiã expositionẽ, cuiusmodi sunt definitiones triãguli, circuli, &c. Possunt igitur demonstrationes Mathematici constare ex notioribus secundũ nos & simpliciter, quatenus omnes, vel mediatè vel immediatè oriuntur ex illis primis principiis, & in ea tandẽ resoluuntur, quæ principia sunt (vt diximus) vtroq; modo notissima. Itaq; si demõstrationes Mathema. comparentur cum Phy. secundum prima generalia principia, ex quibus dicũtur, quoniam prima & generalia principia Psiy. siue incõplexa, (vt prima materia & primũ mouẽs, siue complexa; vt naturam esse principium motus in eo, in quo est, &c. & motũ esse actũ entis in potentia, prout in potẽtia) sunt quidem notiora secundum naturam, verũ non secundum nos, quàm affectiones Physicę & sensibiles, quæ de reb. naturalibus demõstrantur. ideo secundum huiusmodi comparationem, atque considerationem primorum principiorum, scientiæ Mathe. & Physicæ, rectè dici possunt demõstrationes Physicæ procedere ex notioribus. secũdum naturam, non autem secundum nos, Mathematicæ autem ex his, quæ sunt vtroque notiora. Sed de hoc satis dictum sit.

Expenditur interpretatio secundi textus & aliorum sequentium, tradita à D. Thoma & Alexandro Aphrodiseo.

CAP. X.

NOn est hic tacendum D. Thom. aduersari Auerroi & Græcis expositoribus. qui volũt hoc 2. tex. ab Ari. ostẽdi viã declarandi & demõstrandi principia rerũ naturaliũ, quæ latẽt nos, per ipsa cõposita, quę sunt quidẽ secundũ naturã illis posteriora, sed nobis notiora. Nã inquit D. Th. rationem demonstrandi qua vti debet Phy. explicari in 2. li. Phys. etenim in 19. tex. li. 2. Phy. datur via definiẽdi res Physicas per materiam & formã, in 70. tex. eiusdem libri modus demonstrandi, nimirum per omnes causas. Quocirca putat ipse à 2. textu hoc, vsque ad sextum, doceri ordinem seruandum in explicatione principiorum; vt videlicet incipiamus à principiis maximè vniuersalibus, quoniã sunt notiora nobis, idque probari hoc syllogismo; Procedendum est à notioribus, sed confusa, id est, magis vniuersalia sunt notiora nobis, quapropter incipiẽdũ est à magis vniuersalibus. Huius syllogismi Maior tãgitur tex. 2. Minor. 3. Cõclusio 4. & sequentibus planius explicatur Minor. Sed cõtra D. Thomam illud dici potest, si principia rerũ naturalium sunt nobis ignota, indi-

indicãda fuit via & ratio aliqua ea cognoscendi, quam viam Ari. ipse ingredi & insistere velit in eiusmodi principiis manifestandis; eiusmodi autẽ viam prædocere, maioris erat momenti, quàm declarare ordinem seruandum in principiorũ tractatione. in secũdo autem libro Physicorũ Aristoteles docet rationẽ definiendi & demonstrandi res naturales, nõ autem viam cognoscendi principia rerum naturalium, nam cum horum scientiam 1. libro Physicorũ tradidisset, absurdum fuisset tradere postea in 2. libro modum & rationem ea sciendi. Deinde si per (*confusa*) in tex. 3. accipit vniuersalia, necesse erit quod sequitur, *Ex his autem nota fiunt principia & elemẽta, in qui diuidũt hæc*, intelligere de singularib. vel de minus uniuersalibus: at quomodo inferius, & minus vniuersale est elementũ superioris, cũ è cõtrario res habeat? Amplius, si per viã procedendi à notioribus. secundũ nos ad notiora secundũ naturam intelligit ordinẽ & viam demõstrandi, non congruit præceptum cũ doctrina. Aristoteles enim procedit à principiis primis & maxime vniuersalibus, quæ sunt priora secundũ naturã, quàm principia minus vniuersalia, nam prima materia prior natura est quàm hominis, vel equi, vel alius cuiusuis rei materia: huiusmodi autem principia vniuersalissima, nõ sũt notiora secundũ nos quàm principia minus vniuersalia: prima namq; materia nõ est notior, quin imò longè ignotior nobis, quàm materia hominis vel equi, nec primum mouens, quàm secunda & particularia mouentia.

Alexander autem, vt hic refert Simplicius, voluit Ari. his textibus docere viam & rationem cognoscẽdi prima principia rerum naturalium; hanc autem viam non aliam esse, quam vt per quasdam vniuersales quæstiones seu pronunciata quædam generalia, quæ cum disiunctione efferuntur, gradatim veniatur in notitiam principiorum naturalium, generales autem illæ quæstiones, quæ per disiunctionem enuntiantur, sunt huiusmodi. Principia rerum naturalium, aut esse vnum aut multa: aut esse finita, aut infinita: aut mobilia, aut immobilia; & si multa atque finita, aut plura aut pauciora tribus: aut omnia inter se contraria, aut non omnia; per has enim quæstiones cernimus Aristot. in 1. Physicorum processisse ad explicationẽ primorum principiorum, quæ sunt tria: duo quidem inter se contraria, forma & priuatio, tertium verò subiectum illorum contrariorum, materia prima. Cum igitur Arist. in 2. tex. ait procedendum esse à notioribus nobis ad ea quæ sunt nota secundum naturam, Alexander interpretatur progredien-dum esse à tractatione illarum quæstionum vniuersalium ad demonstrationẽ seu explicationem principiorum naturaliũ: prædictas autem quæstiones inquit esse notas secundum nos, tum quia

constãt ex terminis vniuersalibus & notis, quales sunt, vnũ, multa, finitum, infinitũ, mobile, immobile, contrarium: tum etiã quia virtute continent illud primũ principium, Quodlibet est, vel non est. quod nemini hominum sanæ mẽtis obscurum aut dubiũ, esse potest. Nam hoc diſiũctum principium, Aut est vnum, aut multa, reuocatur ad hoc, Aut est vnum, aut non est vnum: idémque contingit in aliis diſiunctis. Similiter cũ in 3. tex. Arist. inquit primùm manifesta nobis fieri confusa, posterius autẽ his qui diuidunt hęc elementa & principia, Alexander exponit de illis vniuersalib. diſiunctis, quæ appellantur cõfusa, tum quia sunt vniuersalia (omne autẽ vniuersale potest vocari confusũ, propterea quòd multa continet potentia, hoc est confusè ac indistinctè) tum etiã quia ipsum diſiunctũ per se dici potest confusum, quoniã neutrã partẽ diſiunctionis determinatè enũciat de re subiecta, sed alterutrũ indefinitè: ex huiusmodi autẽ diſiunctis diligẽter explicatis, euadũt manifesta principia rerum naturaliũ per diuisionẽ illorũ diſiunctorũ hoc pacto. Principia rerum naturalium necesse est aut esse vnum, aut multa, sed non vnum, ergo multa: deinde si multa, aut finita, aut infinita, sed nõ infinita ergo finita: tum si finita, aut plura, aut pauciora tribus, sed neq; plura neque pauciora tribus, ergo tantum tria: postremò, vel omnia inter se contraria, vel nullum, sed neque nullum, neque omnia, ergo quędam contraria, quędã non. ex quibus omnibus tandẽ efficitur tria esse principia rerum naturalium, duo contraria inter se, tertium autem subiectum illorum contrariorum. Ad extremũ, cum Arist. scribit in tex. 4. procedendũ esse ab vniuersalibus, Alex. intelligit in explicatione illorum diſiunctorum, quæ viam muniũt ad intelligentiã principiorum naturalium, incipiendum esse à diſiunctis vniuersalioribus, quale est illud, principia aut esse multa, aut vnũ, hoc enim diſiunctum latius patet, quàm illa, aut esse finita, aut infinita, aut contraria, aut non. Atque hæc quidẽ est interpretatio Alex. quam Philoponus in commentariis suis aliquomodo sequutus est: Sed ea solum nõ probatur Simplicio, mihi autem videtur & subtilis, & nec absurda, nec inerudita, nec planè aliena verbis Arist. nec denique ab ipsius Simplicij explanatione multum diuersa.

EXPLANATIO TEXTVS QVARTI.

Qua propter ex vniuersalibus ad singularia procedere oportet.

CAP. XI.

ARi. in primo tex. docuit sciẽtiã rerũ naturaliũ perfectè tradi nõ posse, nisi antè earum rerũ causæ & principia cognoscantur. Scire enim (vt in priori libro Posteriorum Analyticorum scriptum est) est rem per causam cognoscere propter quam res est. Quocirca Philosophum naturalem, doctrinam Physicæ ab explicatione causarũ & principiorum exordiri oportet. Verùm, quia principia rerum naturalium, velut materia prima, forma, priuatio nec sunt nobis manifesta, quòd sensibus nostris minimè subiiciantur nec tamen, quia sunt prima principia demonstrari possunt eo demonstrationis genere quod ex causis ducitur, Aristotel. in 2. text. monet nos, hanc vnã nobis reliquã esse viam & rationẽ cognoscendi & declarandi principia, si ex iis quę sut nobis nota & cospicua (licet ea sint principiis posteriora, minúsq; secundum naturã nota) eorum, quæ ad principia pertinent, cognitionẽ indagemus. Quæ nã autẽ sunt hęc nobis nota, quæ nos ad principiorum notitiam perducere queãt, indicat tertio textu, affirmãs ea esse ipsa corpora & cõposita Physica, quæ quoniã multis accidentibus & mutationibus sensibilibus affecta sunt, sensus nostros mouent, nobísque perspecta & cognita sunt. Ex horum autem compositorũ manifesta in multis rebus transmutatione. Arist. in 1. lib. Phy. doctrinam principiorũ perue stigauit, docens eiusmodi principia necessariò esse mobilia, multa, finita. cõtraria: denique esse tria, materiã, formã & priuationẽ. Sed cur Arist. text. 3. non dixit cõposita, sed confusa? An Aristoteles quidẽ συγχεόμενα vel potius συγκεκεμένα hoc est composita, error autem scriptorum vel typographorum, propter vocum similitudinem mendosè suppositum est συγκεχυμένα, id est confusa. Quamquã Simplicius, & vetus & Græcus Aristotelis interpres legit confusa & non composita. An igitur cõfusa dixit, vt vna voce non modò cõposita naturalia, sed etiam vniuersalia, quæ potestate atque confusè multa continent, denotaret? An potius composita vocauit confusa quoniam multa in se vnitè & confusè cohibent? Homo enim, cùm sit vnum corpus vnúmque cõpositum naturale, in se tamen cõtinet materiã primam, elementa, partes similares & dissimilares, varias item potentias animæ alentis sentientis & intelligentis. Sed ad expositionem quarti textus, quem nunc interpretandum suscepimus, propius veniamus.

Aliud est via doctrinæ & aliud ordo doctrinæ.

Aliud est via doctrinæ, & aliud ordo doctrinæ: via doctrinę est ratio declarandi & probandi ex iis quæ nobis manifesta, certã, & cognita sunt, ea quæ sunt obscura, dubia & ignota. Est autem via doctrinę multiplex, quę. n. obscura & incerta sunt, interdũ probãtur demõstratione vel ex causis vel ex effectis ducta aliquãdo per babilib. modò & dialecticis rationib. nonnũquã inductione exẽplis, similitudinibus aliísq; argumentationis generibus. Ordo autem doctrinæ, est ratio ordinandi & disponẽdi ea quę in scientiis tractãtur, vt à partibus ad totũ, à simplicibus ad cõposita, à causis

ad effecta,à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia progrediamur:atque hunc ordinẽ doctrinæ,Philosophi partiuntur in compositiuum,diuisiuum,definitiuum,& resolutiuum.Aristot. igitur cum in 2.& 3.textu aperuisset viam percipiẽdi doctrinam principiorum naturalium,docens eiusmodi principia non aliter quàm ex ipsis cõpositis & effectis naturalibus,quę nobis perspecta & nota sunt,demonstrari posse,hoc quarto textu tradit ordinẽ doctrinæ,quem in principiis tractandis seruare oportet. Sed eius sententia potest hoc syllogismo cõprehendi; Bonus doctrinę ordo poscit,vt à notioribus procedamus ad ignotiora:Sed magis vniuersalia sunt nobis notiora quàm minus vniuersalia:ergo procedendum est à magis vniuersalib.ad minus vniuersalia. Huius Syllogismi Maior propositio,declarata est in secundo textu,Minor ab Aristotele probatur in textu quinto. Conclusio autem ponitur hoc textu quarto.Nec verò Aristoteles prꝫcepto suo non ipse paruit,& quod vere docuit,diligenter prꝫstitit.Nam in primo libro Physicorũ,primò de principiis disputat ea quæ sunt magis generalia,tũ quę sunt magis propria:primùm enim docet principia esse multa,tũ esse finita,postea esse cõtraria, deinde esse tria,ad extremũ,quid illorum triũ vnumquodq; sit propriè ac subtiliter exponit. Eius autem quod hic ait Aristoteles procedendum esse à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia, simillimum est,quod ipse scribit primo libro Physicorum textu,57.his verbis,*est secundum naturã,communia primùm dicentes, deinde circa vnumquodque propria speculari.*Et in tertio libro Physicorũ text. 2.*Posterior*) inquit) *est de propriis speculatio ea quæ de communibus est.* In primo autem libro de Partibus Animalium, argumentatur communia prius exponẽda esse quàm propria,& magis vniuersalia quàm minus vniuersalia,nam cùm communia sint in omnibus iis quæ illis subiiciuntur,vt animal in homine,leone,equo,&c. nisi cõmunia prius explicẽtur,necesse erit ea figillatim in cuiuslibet particularis tractatione(vt quę sint animalis,in doctrina hominis,equi &leonis) edoceri,& quod absurdissimum est,eadem sæpissimè repeti.Auerroes in Prologo super libros Physicorũ,& super lib.Posteriorum scribit,nisi cõmunia prius in scientia tractẽtur quàm propria, fore,vt doctrina demonstratiua vitietur atque corrũpatur. Etenim quæ sunt magis vniuersalia, cùm non de illis, sed de minus vniuersalibus,quibus non per se nec primò conueniunt,demonstrantur, efficiuntur demonstrationes vitiosæ, quippe quæ non constant ex prædicatis per se,primis & propriis.Sed dicet aliquis,cùm certum sit singularia excludi à scientiis, quomodo Aristoteles hoc tex.4.ait in scientia principiorũ procedendũ esse ab vniuersalibus

Cur magis vniuersalia prius tractanda sint.

salibus ad singularia? Respondeo Aristotelem & hic & alibi nomẽ singularis accipere, pro eo quod est proprium & minus vniuersale,præsertim autẽ pro specie vltima quã Logici vocant speciem specialissimam,nã quod est verè singulare; veluti Petrus & Paulus,non est,vt inquit Auerroes pars demonstratiuæ doctrinę, licèt principium sit eã acquirendi,ex singularibus enim sensu cognitis memoria conseruatis,experientia denique exploratis colligitur vniuersale,cuius est scientia: vt multis verbis docet Arist. in principio Metaphysicæ, & in fine libri secundi Posteriorũ: in quo li.tex.17.ait facilius definiri singulare quàm vniuersale.procul dubio intelligens per singulare,id quod est minus vniuersale, vel potius ipsam speciem vltimã,nã verè singularium neque definitiones neque demonstrationes esse constat. Verùm non est hoc loco prætereundum id quod rectè monet Aurroes initio Meteororũ,duplicem esse ordinem doctrinæ,vnũ necessitatis,alterum ob melius,secundum illum ordinem, priora posteriorib. & magis vniuersalia minus vniuersalibus præponẽda sunt.& vocatur(necessitatis,quia nisi quid obstet & ratio doctrinæ bene cõstitutæ & ipsa rerum natura necessariò deposcit, vt rerum magis vniuersalium tractatio minus vniuersalium rerum tractationẽ antecedat,cum illæ sint his priores &.notiores nobis,& sint eiusmodi,vt nisi prænoscantur,non possint quæ sunt minus vniuersalia perfectè cognosci,Alter autem ordo doctrinæ, qui vocatur propter melius,tunc seruatur,cum quæ minus vniuersalia & posteriora sunt,præponuntur & prius tractantur,quàm magis vniuersalia & priora.idque duas ob causas fieri solet,vel quando minus vniuersalia sunt perfectiora & præstantiora magis vniuersalibus,quã ob caussam putant nonnulli Aristotelẽ in secundo lib. de anima,prius egisse de visu quàm de tactu,licèt tactus & natura prior sit,& latius pateat quã visus.Vel quãdo minus vniuersalia sunt notiora nobis, atque ob hanc caussam prius egit Aristoteles de animalibus quàm de plantis,vt supra lib. secundo ostẽdimus;& Metaph.quæ agit de maximè vniuersalibus,ordine doctrinæ posterior est cæteris scientiis quæ in rebus minus vniuersalibus versantur.Semper enim præclaram illam Aristotelis sentẽtiam,quæ est initio libri quinti Metaphysicæ in memoria habere oportet, in doctrinis non à primo & rei principio aliquando inchoandũ esse.sed vnde quis facilius discat.Ergo huius quarti textus hæc erit propria & germana sententia: in tradẽda principiorum doctrina,primo de principiis esse disputanda & docenda ea, quæ vniuersè & generatim de ipsis quæruntur, deinde quæ speciatim & propriè eorum naturam attingunt,explicanda.

Duplex ordo doctrinæ alter necessitatis alter ob melius

Pulchra sententia Aristotelis.

Cur magis vniuersalia sint nobis notiora, & quomodo hic sumatur nomen vniuersalis.
CAP. XII.

Ratio & causſa cur magis vniuersalia sint notiora nobis.

CAVSSAM autem, cur magis vniuersalia sint nobis notiora quàm minus vniuersalia vt hoc quarto textu docet Aristoteles, nunc perscrutari volumus. Sed vt rem in pauca contraham, eius rei causſam hanc ego esse arbitror, quòd magis vniuersalia sunt in pluribus singularibus iisque magis sensibilibus, vt pote quorum accidentia prius crebriùs & fortiùs feriunt sensus nostros: etenim quanto agens è longinquiori loco potest agere in ipsum passum, tãtò valentius censetur ad agendum: accidẽtia autem sensibilia corporis & animalis è remotiori loco & citiùs mouent sensum quàm accidentia hominis vel Socratis, vt patet in eo, quem è longinquo cernimus aduentantem ad nos prius agnoscimus eum esse corpus vel animal quàm hominem, aut Socratem, vt quemadmodũ in ipsis sensibilibus, singularia rerum magis vniuersalium, vt corporis & animalis sunt notiora sensui, quam singularia minus vniuersalis, vt hominis & Socratis sic etiã in his quæ sunt intelligibilia, magis vniuersalia sunt intellectui notiora, quàm minus vniuersalia. Nam quamuis actus videatur esse ratio & causſa propter quam aliquid sit intelligibile simpliciter (vt innuit Aristo. 9. Met. text. 20.) tamen, vt aliquid sit nobis intelligibile, præcipua ratio est, vt sit sensatum, ex quo fit vt quæcunq; à sensibus nostris valde remota sũt, vti res diuinæ ea nobis sint perdifficilia cognitu de quo vide quæ scribit Arist. primo lib. de partibus animal. cap. 5. & 2. de Cælo tex. 17. atque 1. libro Metaph. ca. 2. è contrario autẽ faciliora sunt ad intelligendum quęcunque priora vicinioraque sunt sensibus nostris, de quo poteris videre quæ scribit Aristot. 1. post. tex. 5. & lib. Topicorum. Quod autẽ paulò suprà diximus magis vniuersalia esse notiora nobis accipiendum est cum adiunctione, videlicet fere & vt plurimum: interdum enim secus accidit,

Quomodo intelligẽdũ sit magis vniuersalia esse notiora nobis quã minus vniuersalia.

nam proximum genus equi & asini, vtroque quidem vniuersalius est, verum innominatum est & vtroque minus notum nobis. Lege quæ Arist. scribit 7. Meth. tex. 28.

Cęterùm cũ dubitatur inter philosophos, An magis vniuersalia, sint notiora nobis quàm minus vniuersalia, non est dubitatio de qualibet cognitione, sed de crassa & confusa, nã de distincta conuenit inter omnes, siquidẽ minus vniuersale nõ potest distinctè & perfectè cognosci, nisi ante cognita fuerit magis, vniuersalia, quę dicuntur de ipso, quippe cù sint quasi partes & principia eius. Nec quæritur de quacunq; cognitione hominis absolutè, sed tantũ de intellectiua. nam cũ in homine multo ante vigeat cognitio sensitiua, quàm intellectiua, non est dubiũ quin singulare, quod sensibus vltro occurrit & subiicitur notius sit homini quàm vniuersale, quod expressũ ex his quæ a sensib. percepta sunt, multò post ab intellectu cognoscitur. Neq; hic, sermo est de vniuersalibus, vt vocãt in causſando, quo nomine appellant Deũ, & intelligentias quoniã sunt causſæ vniuersales & communes omniũ rerũ; huiusmodi enim rerũ notitia magna difficultate, & non nisi post multam cognitionem, aliarum rerũ sensibiliũ, mortalibus cotingit. Nec quæstio est de vniuersalib. in prædicando sumptis (vt aiunt) formaliter, hoc est quatenus sunt vniuersalia, sic enim magis vniuersalia aut posteriùs, aut certè simul cognoscuntur cum minus vniuersalibus; exẽpli causſa genus ea ratione vt genus est, nõ potest bene cognosci, nisi vel ante, vel simul cognitis specieb. eius. idémq; cõtingit in quolibet superiori & magis vniuersali cõparatione eorum, quæ subiiciuntur ipsi. Nec loquimur in præsentia de magis vniuersalibus, prout sunt partes & principia minus vniuersalium, vt de animali quatenus est pars hominis cõponens definitionẽ eius, quæ est animal rationale, sic. n. posterius & minus nota nobis sunt, quàm minùs vniuersalia. nam sicut totũ sensibile cõsuſè prius notũ est sensui quàm partes eius, ita totũ intelligibile prius manifestũ fit intellectui, quã partes & principia ipsius, atque hoc quidẽ significat Arist. in tex. 5. scribens. Nomen, id est definitum, quia est quoddam totum, notius esse nobis, quam rationem hoc est definitionem, propterea quòd distinctè cõtinet partes illius. Licèt igitur priùs nõ cognoscamus animal simpliciter, quàm equũ: prius tamẽ cognoscimus equũ quã cognoscimus animal esse partem & principium equi; Postremò, nõ ambigitur de magis vniuersali, quatenus consideratur secundũ totã suã amplitudinem, & vt ita dicam, continentiam potentialẽ an sit prius & magis notũ nobis, quàm minus vniuersale, nã quãtò quidpiam est vniuersalius, tanto prædicta continentia & amplitudo maior, magisq; varia, & multiplex est, ac proinde etiã obscurior atq; difficilior ad intelligendũ: nam cum multò plura magisque differẽtia inter se subiiciantur generi, quàm speciei infimæ, quis nõ videt longè difficiliorem esse cognitu continentiam & potestatem generis, quàm speciei? Relinquitur igitur, cũ Arist. hoc loco affirmat magis vniuersalia esse notiora nobis, id esse intelligendũ de magis vniuersalib. quatenus sunt naturæ quædã, quæ actu insunt in pluribus, hisque magis sensatis singularib. & sunt affectæ conspicuis quibusdam atque Illustribus accidẽtibus, quæ vt ante dixi prius, vehementius atque frequentius feriunt sensus nostros.

Explicantur dubitationes duæ circa id quod dictum fuit (magis vniuersalia esse notiora nobis.)

CAP. XIII.

Quomodo intelligẽdum sit illud Arist. in 1. Metaph. maximè vniuersalia esse nobis cognitu difficillima optima D. Thomæ interpretatio.

SED existit hoc loco nõ parua dubitatio, quo pacto Arist. sibi constet, nam hic asserit magis vniuersalia esse notiora nobis, in 1. autem Metaph. c. 2. contra sentit, scribẽs maximè vniuersalia, quoniam à sensibus remotissima sunt, esse nobis cognitu difficillima; idemque confirmat in 1. libro Posteriorum textu 5. D. Thomas interpretans illum locum ex 1. Meta. & respondens ad hanc dubitationem inquit, duplicem esse cognitionem maximè vniuersalium, cuiusmodi est ens & alia transcẽdentia. Vnã incomplexam & confusam, secundum quam magis vniuersalia dicũtur in 1. Phy. ab Arist. esse prius, & magis nota nobis: Alteram cõplexam & scientificam, secundum quam omnes proprietates maximè vniuersalium per demonstrationem distinctè cognoscuntur, atque secundũ huiusmodi cognitionem, affirmat D. Tho. magis vniuersalia esse difficiliora minus vniuersalibus. Sed præstat hic adscribere verba ipsius vt eius sententia ab omnibus planiùs intelligatur. Cùm igitur supradictã dubitationem in medium produxisset, ad eam respondens ita scribit. *Sed dicendum est, quòd magis vniuersalia secundum simplicem apprehensionem sunt primò nota, nam primò in intellectum cadit ens. vt Auicenna dicit, & priùs in intellectum cadit animal, quàm homo. Sicut enim in esse naturæ, quod de potentia in actum procedit, prius est animal, quàm homo, ita in generatione scientiæ prius in intellectu concipitur animal quàm homo. Sed quantum ad inuestigationem naturalium proprietatum & causarum, prius sunt nota minus communia, eo quòd per causas particulares quæ sunt vnius generis vel speciei peruenimus in causas vniuersales. Ea autem quæ sunt vniuersalia in causando, sunt posteriùs nota quoad nos, licet sint prius nota secundum naturam: quamuis vniuersalia per prædicationem, sint aliquo modo priùs quoad nos nota, quàm minùs vniuersalia: non priùs tamen sunt nobis nota quàm singularia. nam cognitio sensus qui est cognoscituus singularium, in nobis præcedit cognitionem intellectiuam, quæ est vniuersalium.* Atque hæc quidem D. Tho. Sed posset quispiam occurrere D. Thom. in eo quod ait distinctam cognitionem magis vniuersalium esse difficiliorem, quàm minus vniuersalium, nam sicut se habet esse rerũ, ita se habet distincta & perfecta cognitio earũ; sed esse minùs vniuersaliũ pẽdet à magis vniuersalib. vt esse hominis ab animali, ergo distincta cognitio minùs vniuersaliũ pẽdet ex distincta cognitione magis vniuersaliũ, eamq; præsupponit, quare difficilior erit, etenim difficilius est cognoscere plura, quam pauciora; distincta aũt cognitio

gnitio verbi gratia hominis, cõtinet nõ modò cognitionẽ rationalis sed etiam animalis, ad cognitionem verò animalis, non est necessaria cognitio hominis. Verùm D. Thom. responderet huic obiectioni, bipartitò distinguens cognitionẽ distinctam alicuius rei, verbi gratia animalis, vnam quidem, per quam animal distinctè cognoscitur non modò secundum proprium & præcipuum gradum animalis, sed etiam secũdum omnes gradus superiores, & prædicata, quæ insunt in animali, vt secundum gradum viuentis, corporis, substantiæ, entis, atque hæc quidem cognitio tantò dificilior est in minus vniuersalibus quàm in magis vniuersalib. quanto illa continẽt plura quàm hæc. Alteram verò, per quam animal distinctè quidem cognoscitur secũdum proprium & præcisum gradum animalis passiones, quę animali qua tale est cõueniunt, at secundum superiores gradus solùm crassè & confusè cognoscitur, atque hoc quidem modo etiam Physica tradit distinctam cognitionem rerũ naturalium secundum gradus Physicos, secundum autem gradus superiores Metaphysicos, qui insunt in rebus naturalibus, minimè: etenim Physicus explicatè docet naturam hominis, animalis viuentis denique corporis naturalis, at corporis simpliciter vel substantiæ vel entis nequaquam: huiusmodi autẽ cognitio distincta lõgè difficilior est in maximè vniuersalib. quàm in inferiorib. tũ propter maximã amplitudinem eorum, tum etiam quoniam cum nõ dicantur vniuocè, difficillimũ est videre, an significent naturã quampiã cõmunem omnium rerum nec ne, quomodo ens habeat passiones, quomodo cõtrahatur & determinetur, & descẽdat ad inferiora, & alia innumera horum similia, quæ de ente disputari possunt. nam cum nec natura entis: nec affectiones eius per se cadant sub sensus nostros, quẽadmodũ cõtingit in homine & animali ideo necesse est scientiam entis cæterorũmque transcẽdentium nobis arduam & difficilem esse, id quod apertè docet nos experientia, nusquam enim plures aut grauiores difficultates inuenimus, quàm in tractatione trãscendẽtiũ, quã rectè dicere possumus, sicut est in prouerbio obscuriorẽ esse numero Platonis. Hinc igitur manifestũ est quomodo diluenda sit obiectio, quę contra solutionem D. Tho. allata est; quanquam non ignoro alios esse, qui existiment Aristo. in supradicto loco Metaphysicæ, nõ loqui de vniuersalibus in prædicando, sed de vniuersalibus in caussando, vt sunt intelligentiæ, quarũ cognitionem moralibus difficillimam esse, nemini dubiũ est. Sed D. Tho. vtramque interpretationem amplexus est, docẽs locum Aristotelis & de vniuersalibus in caussãdo, & de vniuersalib. etiam in prædicando, aliquo modo intelligi posse; præsertim

autem de maximè vniuersalibus velut est substantia, ens cæteráque transcendentia: quàm sententiam ego libenter sequor. Nùc locum alterum huius simile, qui est in 1. lib. Post. tex. 5. explicemus.

Porrò idē D. Thom. in 1. Post. exponens quintum tex. vbi Arist. ait: quæ lōgiùs absunt à sensu, vt maximè vniuersália esse minus nota nobis: quę verò propinquiora sūt nostris sensibus velut singularia notiora esse nobis: affirmat Arist. ibi non comparare inter se ea quæ percipiuntur tantùm ab intellectu, sed ea, quæ simpliciter á nobis præcipiuntur siue per sensum, siue per intellectū, & quoniam sensitiua cognitio in homine prior, frequentior, & facilior est quàm intellectiua: hinc necessariò fit, vt singulare, quod sensu percipitur, prius magisque notum homini sit, quam vniuersale, quòd sola mentis intelligentia comprehenditur. at si ea sola quæ intellectu percipiuntur, nec sub sensus cadunt, inter se cōferamus, in istiusmodi rebus magis vniuersales sunt nobis notiores, vt Arist. docet 1. libro Physicorū. Sed diceret quispiam cōtra D. Tho. quāuis singulare sit homini notius quàm vniuersale, cur tamen inter vniuersalia ea quæ sunt magis vniuersália dicuntur magis distare à sensibus, & nobis esse minùs nota? cum cōtrarios habeat, vt scribit Arist. in principio Phys. & ibidem in suis cōmentariis scriptum reliquit D. Thom. vel igitur recurrendum est ad superiorem solutionem illius loci Metaph. quam ex D. Tho. erutam paulò ante explicauimus, vel alia interpretatio huius loci Arist apertior atque verisimilior quęrēda est. Auerroes 1. lib. Post. commento 12. ait Arist. in illo tex. 5. non comparare intelligibile cum sensibili, vel vniuersale cum singulari, vtrum sit notius aut sensui, aut intellectui vt exposuit D. Tho. sed comparare inter se ea quæ sunt intelligibilia, & docere illud intelligibile, quod est rei sensibilis, esse notius nobis secundum intellectum, quam intelligibile eius rei quæ est remota à sēsibus, exempli causſa, quoniam accidens, effectus, totum cōpositum, sunt res quędam sensibiles, at substantia, causſæ & principia non cadūt sub sensus ideirco prædicata intelligibilia & vniuersalia illarū rerū sunt notiora nobis, quàm prædicata. harū posteriorū rerū, & inter ipsas causſas quò magis procedimus ad vniuersaliores, tāto obscuriores & difficiliores cognitu eas reperimus, donec perueniatur ad vniuersalissimas causſas, videlicet primam materiam & primum mouēs quarum causſarum cognitio nobis est longè difficillima. Arist. igitur Auer. putat in 1. Phys. loqui de vniuersalibus in prædicādo in 1. autem Post. de vniuersalibus in causſando etenim causſæ & principia rerū magna ex parte latēt sensus nostros, quocirca magna etiā difficultate animo & ratione cognoscuntur, atq; eo magis, quo magis proceditur ad causſas priores atq; vniuersaliores. Si quis autem est cui non probētur huiusmodi interpretationes, is, si quidē poterit, meliores afferat, quas fortasse nihil nēgotij erit eruere ex his quæ dicta sunt paulò supra, vbi docuimus magis vniuersália partim esse nobis cognitu faciliora, partim difficiliora minus vniuersalibus. Nā si Aristoteles eo loco de maximè vniuersalibus in causſando loquitur, res est manifesta, sin autem de maximè vniuersalib. in prædicando cuiusmodi sunt transcendētia, licèt hæc secundum crassam & rudem quādam cognitionem satis sint nobis nota, eorum tamen subtilis & limata cognitio est nobis valde obscura ægréque parabilis.

Restat nunc difficultatem alterā quæ nascitur ex eo loco Arist. qui est in 2. Post. vbi ait faciliùs definiri singulare quàm vniuersale, breuiter enodare. intelligit autem Aristoteles eo loco per singulare non id, quod est propriè singulare, huius enim neque definitionem nec demonstrationem esse ipse nō semel, nec vno loco ostendit: sed ea voce significat vel minus vniuersale vel propriè vt ego puto, ipsam speciem infimā, vel vt græci vocant, atomam, hoc est in alias species indiuisibilem. Tres sunt apud Arist. viæ inuestigādi definitionē, vna per diuisionem, altera per compositionem, seu resolutionem, tertia per demonstrationē. Priores duas ipse dedit in 2. Post. text. 17. Tertiā autem tradidit in eodem libro, vbi docet quo pacto per demōstrationem ostendi & colligi queat ipsum quod quid est. Via quæ est per diuisionem à summis descendendo per media vsque ad infima adeo manifesta est omnibus, vt explicatione non egeat. Tertia verò, quæ est per demonstrationē, maximè cōcludit ad colligendas definitiones accidētiū. Nam in perfecta demōstratione, mediū cōtinet propriā causſam eius accidentis, quod demonstratur: quare si medio adiūgatur definitio quid nominis, vel definitio essentialis eiusdē accidentis, quæ aut est in prōptu cūctis, aut certè nullo negotio cōfici potest per supradictā viam diuisionis, tunc paulatim cōmutata verborū formula mediū cum tali adiūctione euadet in perfectam definitionem causalem illius accidētis: quæ res vel vnius exēpli appositione perspicua erit; Quæritur cur eclipsis accidat lunæ? demonstratur eclipsim accidere lunæ propter interpositionē terræ, si quis præterea sumat definitionē quid nominis seu essētialē ipsi⁹ eclipsis, quæ est priuatio luminis in luna, ex his omnib. cōficiet perfectā definitionē eclipsis quę est defectio luminis in luna ob interpositionē terræ, idē potest declarari aliis exēplis, sed quia ex hoc vno q̄ posui, res planè intelligitur superuacaneū est vti plurib. Hoc igitur significare vult. Ari. in 2. Post vbi multis

Tres viæ inuestigādi definitiones.

locis scribit ipsum quod quid est nō propriè demonstrari, veruntamen per demonstrationem aliquo modo ostēdi & colligi posse, & idem esse propter quid, atq; ipsum quod quid est, eius quod demonstratur. Vide quæ his de rebus scripta sunt in 1. & 8. text. 2. libri post. Secunda via quæ est per compositionem, vel resolutionem hoc modo se habet. Cū definiēdū est aliquod superius, iubemur spectare definitiones omniū inferiorum eius, in quib. remotis his quæ sunt propria cuiusq; inferioris, oratio quæ remanet cō munis omniū erit propria definitio illius superioris; vel aliter oportet cōsiderare quid habeāt illa inferiora cōmune essentialiter cū aliis reb; quæ nō continentur sub illo superiori, & quid habeāt propriū quatenus participant illo superiori & per quod differunt ab aliis quæcunque non subiiciuntur illi superiori, nā oratio, quę constabit ex his quæ sunt communia & ex eo quod est proprium illorum inferiorū quatenus participāt ipso superiori, erit propria definitio illius superioris. Sed hoc præceptum faciliùs intelligetur proposito aliquo exemplo. Esto animal quod per hanc viā resolutionis definiēdū sit, primùm sumatur definitio hominis, quę est substantia corporea viuens, sentiens rationalis: & definitio bruti, quæ est substantia corporea, viuens, sentiens & rationis expers, è quibus definitionibus postea detrahatur quod est propriū hominis, rationale & quod est proprium bruti rationis expers; oratio quę relinquitur est germana definitio animalis, hoc est substātia corporea, viuens & sensus particeps, vel aliter, considerandum est quid habeant commune species animalis, cum aliis rebus, quę nō sunt animalia, quid item habeāt proprium quatenus animalia sunt per quod differant à nō animalibus. & cōmune quidē est, esse substātiam corpoream viuētem propriū autem habere sensum; oratio quæ conflabitur tum ex illis communibus, tū ex hoc proprio erit perfecta definitio animalis. Ex his autē clarū est fore longè difficilius per hanc viā resolutionis definire magis vniuersale quàm minus vniuersale, tū quia per hanc viam definitio superioris colligitur ex definitionib. inferiorū ante cognitis: tum etiam, quia multo plura & magis diuersa inter se subiiciūtur magis vniuersali, quam minus vniuersali, propter quam varietatē accidit, vt sub magis vniuersalibus lateāt æquiuocationes. Ergo sicut per viā diuisionis facilius est definire superiora, quàm inferiora quoniam illa prius occurūt ei, qui per diuisionē à summis descendit ad infima, & quoniam definitio superiorum pauciorib. rebus absoluitur. sic è contrario ascendētis ab imis ad sūma per viā resolutionis propior atq; facilior est definitio min⁹ vniuersalis, quam magis vniuersalis, ex quo patet, quomodo verū sit illud dictum

Quomodo intelligēda sit illa Arist. sententia quæ est in 2. l. post. text. 17. facili⁹ est definire singula ve quàm vniuersale.

ctum Arist. quod vertebatur in dubiū facilius esse definire singulare, quam vniuersale, ex quo effici posse videbatur magis vniuersalia nō esse nobis cognitu priora & facilia (vt in procemio Physicæ Aristoteles ait) quàm minus vniuersalia. Verùm hoc Aristo. præceptum & nostram explanationem, mirificè illustrabunt atq; cōfirmabunt verba Themistij, quæ apud ipsum 2. Post. super tex. 16. ita habent. *Ex iis delucet longè facilius speciem indiuiduam finiri quàm genus, ea enim, quæ singularibus insunt communia, magis quàm quæ speciebus. perspicua sūt. Definitio speciei ex singularibus, definitio generis ex speciebus colligitur. Præterea euidētior speciei, quā generis homonymia est: præterea quòd secundum speciē sensibilia dicuntur quæ facile dignoramus homonyma sunt nec ne, vt hominem pictum à vero, homonymia generum non nisi per collationem ad speciem discernitur: ideo animal dictū homonymōs, animal vocatur, quia & homo pictus homonymōs homo intelligitur.* Hæc Themistius. Sed de his satis; etenim concordictionem, quæ in variis locis Arist. inesse videbatur, his quę dicta fuerunt à nobis omni ex parte sublatam esse arbitramur. Quare absoluta huius procemij Physici Aristo. explanatione nihil amplius requiri, nihilq; obstare videretur, quominus huic tertio libro finem imponeremus, nisi hic admoneret nos vetus & communis omnium pene tam scriptorum, quàm professorum consuetudo, vt hoc loco etiā de primo cognito uerba faceremus; Cuius quæstionis explicatio, tametsi huic loco planè aliena & intempestiua est, eaque propriè pertinet ad libros de anima, à nobis tamen in præsentia nullo modo prætermittenda est, tum quia huius cōtrouersiæ disceptatio est per se grauis, illustris atq; imprimis scitu digna, tū etiā ne à veteri & peruulgata consuetudine aliorum temere discessisse videamur. Cum enim sit adhuc disputatū, quid sit nobis prius & magis notum, his affine ac proximè consequens videtur, vt quid sit nobis primum omnium cognitum disseratur.

Introducitur quæstio, de primo cognito & exponitur opinio Scoti.

CAP. XIIII.

QVæstio est, quid nam sit homini primo cognitum. Nō agitur hic de qualibet cognitione hominis, etenim apud omnes cōstat secūdū cognitionē sensitiuā primū omniū ab homine cognosci singulare. Nec quæstio est de cognitione distincta, sed de rudi crassa & (vt vocāt) cōfusa nec de cognitione cōplexa alicuius propositionis, sed de simplici apprehensione rerū, nec quæritur quid sit primò cognitum primitate dignitatis, aut perfectionis, quis enim nescit hoc modo lon-

Explicatur titulus quæstionis, primo cognito.

gè primam omnium esse cognitionem Dei? Sed quæritur de eo, quod est primò notum homini primitate originis vel durationis vel temporis, nam cum intellectus hominis non sit æternus sempiternam habens rerum cognitionem, sed aliquando cœperit, & esse, & intelligere, meritò ambigitur: quid nam primù occurrat, & se offerat intellectui ad intelligendum. Postremò non vocatur in dubium, quid sit primò notum huic, vel illi homini, id enim cum singulare, contingens, & per accidens sit, respuit scientia, sed cũ multa sint intelligibilia, quæ possunt ab intellectu apprehendi, dubitatur hoc loco; quod inter illa aptũ sit per se ac suapte natura primum mouere intellectum & ab eo cognosci. Ergo verus intellectus propositæ quæstionis hic est, quid sit illud, quod per se aptum est primitate temporis, vel originis primùm cognosci ab homine per cognitionem intellectiuam simplicem & confusam. Ego in hac controuersia tam graui & difficili enitar quoad eius fieri poterit, tum commemorandis, refellendisque opinionibus aliorum, tum etiam aperiendo & confirmando sententiã nostrã quidquid difficultatis est expedire, & huic tam obscuræ quæstioni lucem aliquam afferre. Quicquid ab intellectu nostro cognosci potest, id necesse est esse aut singulare, vt Petrus, aut vniuersale, vt animal: Rursus si est vniuersale, aut esse maximè vniuersale vt ens, aut minimè vniuersale vt species infima, aut medium inter hæc vt corpus viuens animal. Ex hac varietate rerum extitit magna varietas opinionũ de primo cognito. Sed neimo adhuc, quod ego sciam opinatus est quidpiam eorum, quæ media interiecta sunt inter ens & speciem vltimam esse primum cognitum. Quare tres tãtùm relinquũtur opiniones, vna eorum, qui singulare, altera qui ipsum ens, tertia qui speciem infimam volunt esse primò cognitum, à quà opinione libet mihi nunc ordiri.

Opinio Scoti, speciem specialissimam esse primum cognitum.

Scotus 1. sent. dist. 3. quæst. 2. ait inter vniuersalia, speciẽ specialissimã, cuius singulare fortius mouet sensum, esse nostro intellectui primò cognitã: idque confirmat hoc argumento. Agẽtia quę naturaliter agunt, nisi quid obstet atque impediat, producũt effectũ quàm possunt perfectissimũ. Etenim naturale agẽs ex necessitate agit, quare aget secundum vltimũ suę potẽtię, sed agẽtia quę producunt conceptum, vel speciẽ intelligibilẽ in intellectu possibili, videlicet intellectus agẽs & phantasma, naturaliter agũt, si quidẽ intellectus agẽs non ex cognitione, aut electione, sed per modũ naturę operatur illuminando phãtasmata ad modũ luminis quod illustras colores facit eos aliquo modo visibiles; de phantasmate autem, quod naturaliter agat, nemini dubium est, nec potest fingi quidquã, quod huiusmodi agẽtib. obstet, quominus efficiãt quod vi

vi sua possint efficere, ac si si quid impedimenti accideret, id per accidens esset. Ex his cõcludit Scotus primum omniũ in intellectu nostro produci perfectissimum conceptũ, qui non potest esse alius quã conceptus speciei specialissimæ, nã sicut species vltima perfectior est quàm ea prædicata, quæ supra ipsam sunt, quippe cũ ea cõtineat tanquàm partes sui, & plus habeat actus minus autem potentiæ, ita conceptus speciei infimæ perfectior erit quàm conceptus superiorum, hic igitur ante omnes alios producetur in intellectu, ac proinde primò cognitum erit species specialissima.

Hanc sententiã Scoti, eius sequaces cõprobant aliis rationibus. *Opinio Scoti oĉlo aliis Scotistis rationibus confirmatur.* Primò cum intellectus noster ex se indifferens sit ad omnia intelligibilia, quippe qui vt in tertio de Anima scriptũ est sit in pura potentia ad omnia, veluti tabula nuda in qua nihil pictũ est; illud intelligibile quod est magis intelligibile, magisque aptũ mouere intellectũ, id magis & prius ab eo intelligetur, sed species specialissima est huiusmodi, ergo &c. Minoris probatio patet ex eo quod ait Aristo. lib. 9. Metaphysicæ. actum esse rationem & causam intelligendi. Cùm igitur species vltima sit magis actu, quàm vllum aliud vniuersale superius, erit quoq; magis atq; prius intelligibilis. Deinde Metaphysica est posterior aliis scientiis secundũ ordinem doctrinæ & secundum nos, ergo termini Metaphysici qui sunt maximè vniuersales, vt ens, substantia & accidens, erunt posteriores secundum nostram cognitionem, ex quo sequitur speciem vltimam, quæ, est minus vniuersalis, esse priorem cognitu secundum nos. Postea cum intellectus intelligat res abstrahendo eas à singularibus, cuius erit facilior abstractio, eius quoque erit facilior & prior cognitio, sed speciei vltimæ, quàm generum facilior est abstractio. nam species vltima non debet abstrahi nisi ab indiuiduis, quorum maxima est conuenientia & similitudo, genus autem abstrahendum est ab indiuiduis & speciebus, in quibus inest diuersitas essentialis, ergo &c. Præterea illud vniuersale est magis & prius notum intellectui, cuius singulare fortius mouet sensus, propterea quod intellectiua cognitio oritur ex sensitiua, sed singulare speciei specialissimæ fortius mouet sensus: ergo &c. Minor probatur ex eo, quia idcirco aliquid est sensibile, quoniam est singulare existens hic, & nunc; vt docet Aristoteles in primo Metaphy. cap. primo, sed indiuiduum speciei specialissimæ est maximè singulare, vt patet, erit igitur etiã maximè sensibile. Amplius totum est notius partibus suis, & definitum his, per quæ definitur; vt est apud Arist. in hoc proœmio Physicorum tex. 5. sed species vltima est veluti totum quod piã ratione prædicatorũ magis vniuersaliũ, & definitur per ea, ergo erit nobis no-

tior. Ad hæc Arist. in 1. Metaphy. c. 2. & in 1. Post. tex. 5. inquit maximè vniuersalia esse difficillima cognitu, faciliora aũt esse minus vniuersalia, & quęcunque sunt propinquiora singularibus: sed species vltima est minimè omnium vniuersalis & omnium maximè propinqua singularibus, ergo &c. Item si cum intellectui verbi gratia occurrit homo, primùm omnium in eo cognosceret ens vt volunt Thomistæ, & non primò cognosceret ipsum esse hominem, ergo antequam deueniret eò, vt cognosceret ipsum esse hominem, oporteret pertransire omnia prædicata, quæ sunt media inter ens & hominem, quamobrem à cognitione entis ad cognitionem hominis multum temporis intercederet, quod est contra experientiam, ergo &c. Postremò si ens esset primò cognitum, vtiq; primum cognosceretur ab intellectu confusè, sed ens non potest cognosci confusè, nam id dicitur confusè cognosci quod ita cognoscitur, vt partes & principia eius non penetrentur, & quasi introspiciantur ab intellectu, sed ens non habet partes & principia propter quarum ignorationem, cum à nobis apprehenditur, dici possit apprehendi confusè, ergo ens non potest confusè cognosci, quare non erit primum cognitum. Atque hęc quidem dicta sint pro expositione & confirmatione opinionis Scotisticæ.

Verùm huic sententię non solùm insensè aduersantur Thomistę quibus perpetuum certamen est cum Scotistis, sed eam quoque grauiter oppugnat Gulielmus Ocham vir cæteroquin non abhorrens à doctrina Scoti. Is enim in 1. libro sent. dist. 3. q. 5. redarguit prædictam opinionem partim soluẽs rationes Scoti & quasdam in eum retorquens, partim docens singulare esse primò cognitum. Nos igitur quo pacto alij tentent soluere supradictas rationes Scoti, hic breuiter subiiciemus.

Rationes Scoti. & Scostitarũ diluuntur

Ad primã respondent eam rationẽ, tripliciter esse cõtra Scotũ. Primò quia eadem ratione posset cõcludi primùm produci cõceptũ speciei vltimæ non confusum sed distinctum, nã si agens naturale primùm producit perfectissimũ effectũ: sed distinctũ conceptus speciei vltimæ est perfectior, quã cõfusus, ergo is primùm produceretur in intellectu, quod est contra Scotũ & per se falsum. Deinde sensibile multum distans prius cognoscitur ab itellectu (etiam secundum Scotum) sub prædicatis magis communibus vt corporis & animalis, quàm sub minùs cõmunibus vt hominis & Socratis, ergo non semper species vltima est primũ cognitũ. Sed ipse diceret id contingere tùc per accidens, nimirum propter nimiã distantiam, nam si sensibile esset indebita distantia, prius moueret intellectum ad cognoscendũ prædicatũ speciei vltimæ quã prædi-

prædicata superiora. Contra, omne agens naturale quod ex maiori distantia prius agit & fortiùs, etiam in minori distantia prius & fortius aget: vt si essent duo ignes, vnus maior, qui è longiori spatio posset còburere aliquid, alter verò minor qui ex tali distantia non posset comburere illud, si ambo ignes ponerentur in æquali distãtia respectu eiusdẽ passi; nõ dubiũ est, quin prior & maior ignis fortiùs & prius cõbureret quàm minor: Similiter si sensibilia rerũ vniuersaliorũ, è longinquo prius mouẽt intellectum quàm sensibilia speciei vltimæ, ergo etiam cum prope sunt ac in eadem distantia, prius mouebũt: vel aliter, sensibilia rerum magis vniuersaliũ mouẽt intellectũ in ea distãtia, in qua mouẽt sensibilia speciei vltimæ, nã si mouent in maiori distantia, multò magis mouebunt in minori, veluti si aliquis ignis potest è longinquo cõburere quidpiã multò magis poterit cõburere è propinquo: at nõ è conuerso: nõ. n. sensibilia speciei vltimæ possunt mouere intellectũ ex ea distantia, ex qua possunt mouere ipsum sensibilia rerũ magis vniuersalium, ergo hęc apta sunt priùs mouere intellectũ, quàm illa, nã secundũ Arist. prius est, à quo non conuertitur subsistendi consequentia. Præterea inquit Ocham, si ratio Scoti valet concludet primò cognitũ esse singulare, quippe cũ sit perfectius quàm vniuersale, etenim singulare cõtinet in se vniuersale, & per se existit in natura, quamobre etiam Arist. in Categoria Substãtię, primam substantiã longè præfert secundis. Adhæc etiã prædicta ratio Scoti ob id reprehendenda est, quia cũ ipse ait omne agens naturale primùm producere perfectissimũ effectũ, aut intelligit simpliciter perfectissimum, & hoc falsum est, nã ignis non statim producit calorẽ perfectissimũ, qui est vt auctor sed primùm calorem imperfectum, deinde perfectiorem, tandem perfectissimum: Aut intelligit perfectissimum non absolutè, sed quem potest in illo principio efficere: at sic non concludit ratio Scoti, nam dicet Thomista perfectissimum conceptum, qui potest primùm effici in intellectu nostro esse conceptum entis, non autem speciei vltimæ, vt quęmadmodũ virtus formatiua hominis in principio nõ producit perfectissimũ effectum, hoc est formã hominis, sed primum formam viuentis tũ animalis tandem hominis, ita se habeat intellectus agens in efficiendo conceptu entis corporis, animalis & hominis. Ad secundam respondent. Cum Scotistæ aiunt intellectum nostrum per se indifferentem esse ad omnia intelligibilia, id posse accipi dupliciter: vno modo, quoniam intellectus nosster ex se non habet actum vllum intelligibilem, & hoc verũ est: Altero modo, quoniam intellectus indifferenter & citra vllũ diserimẽ prioritatis & posterioritatis recipit quodlibet intelligibi-

le & hoc partim falsum est,nã vt materia prima;licèt per se indifferens sit ad omnes formas naturales , tamen non accipit eas indifferẽter & sine ordine,sed prius(authore Auerr.1. Metaphysicæ com.27.)accipit formas magis vniuersales vt elemẽtorũ & mixtorũ,deinde magis particulares vt viuentiũ &animaliũ,ita quoq; se res habet in nostro intellectu:partim est contra ipsos Scotistas, nam si intellectus indifferenter se habet ad omnia intelligibilia, ergo primũ cognitum non magis erit species vltima,quàm quod libet aliud vniuersale.Quod autem ad confirmationem huius rationis adiunctũ est,nimirum speciem vltimam esse magis intelligibilẽ,quia est magis actu & perfecta,nihil valet,alioquin Deus qui est purissimus actus ensque perfectissimũ esset primũ intelligibile secundum nos.Etenim aliud est loqui de eo,quod est simpliciter intelligibile , & aliud de eo quod est intelligibile secundũ nos,nã illud existit tale,propterea quod est actu ens perfectũ, hoc autem,quia est sensatum,hoc est propinquũ & familiare nostris sensibus.Ad tertiam ita respõdẽt,primũ,Metaphysica dicitur esse postrema secundũ nos, non propter cognitionẽ illorũ terminorũ maximè vniuersalium,sed propter doctrinam intelligẽtiarum,quæ est principalis pars eius habens obscurissimos atq; difficillimos explicatus. Deinde Metaphysica non est difficilis secundũ incomplexã & rudem notitiam illorũ terminorũ maximè vniuersalium:sed secundũ complexã & distinctam scientiam earũ veritatum,quæ circa illos existunt:nam fieri potest,vt termini alicuius propositionis per se sint manifesti,veritas autẽ eius propositionis sit per quam obscura: etenim cælũ,astra,par & impar voces sunt nemini non manifestæ , at sint astra cæli paria nec ne, quis obsecro mortalium planè cognitum & exploratum habet? Præterea,si termini vniuersaliores sunt posteriores secundũ nos, ergo malè præcipit Aristot.in hoc proœmio Physicæ,ordiendum esse à magis vniuersalibus,quia sunt notiora secũdũ nos ; hûc accedit quod in tractadis disciplinis prius explicanda esset doctrina speciei quam generis , & libri de cælo deberent præcedere octo lib.de physico auditu,quod qui non videt esse contra omnẽ ordinẽ doctrinæ, nihil plane videt. Ad quartã. Negandũ est simpliciter difficiliorẽ esse abstractionẽ magis vniuersaliũ quã minus vniuersaliũ,nã verbi gratia animal potest cõsiderari dupliciter,vel vt genus quoddã est,& sic difficilior est abstractio eius quàm hominis, siquidẽ genus vt genus est , debet abstrahi nõ solùm ab indiuiduis,sed etiã à speciebus,quæ sunt multæ & variæ:homo aũt & quæuis species vltima tantum abstrahitur ab indiuiduis: vel considerari potest animal,vt natura quædam,quę in plurimis indiuiduis

duis:existit,vt in hoc & illo & aliis animalibus & sic totum abest, vt sit difficilior abstractio eius ab indiuiduis,vt etiã prõptior atq; facilior sit;etenim cũ indiuidua animalis plura sint quàm hominis& accidentia illius sint magis sensibilia quàm huius,palàm est phantasmata animalis esse paratiora vt ab ipsis abstrahatur natura vniuersalis animalis,quàm sunt phantasmata hominis:& cum Scotus etiam putet vniuersale fieri ab intellectu agente & phantasmate,intellectus autem agens per se indifferens sit ad fingendum quodlibet vniuersale , determinetur autem per phantasma ad effectionem huius vel illius,hinc necessariò fit,vt eius vniuersalis prior atque facilior sit abstractio & effectio , cuius habemus plura,acriora & magis familiaria phantasmata:huiusmodi autem constat esse animal potius quàm hominem. Ad quintam.Hęc ratio supponit quidpiam quod est falsum , etenim falsum est ideo aliquid esse sensibile,quia est singulare , nam singularitas reperitur in Deo,intelligentiis,substantiis,aliisque rebus similibus,quę tamen sunt à sensibus nostris remotissimæ & cognitu difficillimæ. Ad sextam. animal vt est pars hominis, & principium per quod definitur homo,est ignotius nobis quàm homo, & hoc pacto procedit ratio Scotistarum,sed nullã vim habet contra Thomistas:quippe qui,cum aiunt animal esse notius homine , sumũt animal , non vt est pars hominis , sed prout est natura quædam communis existens in homine & bruto , secundum quam acceptionem tantùm abest vt sit pars hominis,vt potius appellari debeat totum. omne enim superius(vt innuit Arist.hoc loco) est veluti totum quoddam comparatione suorum inferiorum.Ad septimam. Arist. in illis locis vel loquitur de maximè vniuersalib.in causando non autem in prædicando, vt permultis expositoribus visum est ; vel intelligit maximè vniuersalia in prædicando esse difficillima secundum cognitionem eorum complexam,scientificam,atque perfectam,non autem secundum notitiam eorum rudem atque confusam , de qua non disputatur. Ad octauam. Hæc ratio retorqueri potest in Scotistas, nam pari ratione si primum cognitum est species vltima , si occurrat intellectui homo,is prius cognoscet eum esse hominem , deinde animal vel corpus,itaque non nisi multo tempore post animaduertet ipsum esse ens,nam sicut Scotistæ aiunt,Thomistas descendentes ab ente ad hominem oportere diu commorari in prædicatis mediis,ita Thomistæ vicissim dicent Scotistas ascendentes ab homine ad ens, multò tempore commorari debere in prædicatis intermediis:præterea dicent Thomistæ , ens quidem esse primò cognitũ in omnibus quæ occurrunt intellectui, quia cùm sit obiectum

intellectus,& ipsum esse sit basis atque fundamentum aliarũ perfectionum,ideo conceptus entis debet esse fundamentũ omnium aliorum conceptuum : Post apprehensionem autem entis,intellectus indifferenter se habet ad apprehensionem aliorum prędicatorum,præter, quam cum adest impedimentum aut distantiæ, aut ætatis , tunc enim priùs cognoscuntur prædicata magis vniuersalia,quàm minùs vniuersalia , vt patet in exemplo rei, quæ è longinquo cernitur,& in infantibus;quorum exemplo etiam hic vtitur Arist.quippe qui primum omnes viros appellant patres, omnes item fœminas, matres, deinde verò hæc distinctiùs discernant & appellant. Ad nonam. Si hæc ratio valeret,etiam concluderet , ens neque distinctè cognosci posse à nobis, nam cum distinctè cognosci , oppositum sit ei quod est confusè cognosci , si confusè cognosci est apprehẽdi aliquid ignoratis partibus & principiis eius,ergo distinctè cognosci erit rem intelligi cognitis partibus & principiis eius:quare cum ens careat partibus atque principiis, quemadmodum propter hoc non potest secundum Scotistas confusè cognosci, ita quoque propter idem nec distinctè cognosci poterit.Sed soluitur,nam tametsi in his quæ habent partes & principia ipsum confusè cognosci tale quidpiam sit, quale volunt Scotistæ,tamen simpliciter & vniuersè res ita non habet,sed confusè cognosci rem, est non intelligi eam omni modo quo apta est intelligi,sed tantùm ruditer,hoc est vel secundum simplicem significationem nominis, vel secundum accidentia, vel alio modo,atque hoc pacto dicitur ens confusè cognosci. Atque hæc quidẽ,vt diligenter examinaretur opinio Scoti,à nobis in vtramque partem disputata sunt ; deinceps ad cæterarum opinionum enarrationem veniendum est.

Disputatur opinio Thomistarum,qui volunt primò cognitum esse ens.

CAP. XV.

Opinio D. Thom. ens esse primò cognitum.

Duus.Th.1.p.q.85.ar.3.& super proœmiũ Phys.& in opusculo de ente & essentia, atq; aliis complurib.locis scriptum reliquit,secundũ nos,priora & notiora esse magis vniuersalia quàm minus vniuersalia : ex quo Thomistæ colligũt,& tãquã principale dogma doctrinę Thomisticę tradũt, ipsũ ens,qđ est maximè vniuersalè,esse nobis primò, & maximè notũ.In qua opinione multò ante fuisse videtur Auicẽna, quippe qui in sua Meta.inquit ens prima impressione imprimi in animã nostram. Ratio,quam ferè semper adhibet D. Tho.vbicunq; loquitur

quitur de hac re ad comprobandam opinionem suam,hæc est. Quidquid de pura potentia erit ad actum , prius venit ad actum imperfectum quam ad actum perfectũ,exempli caussa, quod ex nõ calido fit callidũ , prius suscipit calorem imperfectum quam perfectum ,idémque manifestè cõspicitur in generatione hominis nõ enim subitò sanguis mẽstruus accipit vltimã & perfectam formam hominis,sed priùs recipit alias formas imperfectas , per quas fit quasi gradus & trãsitus quidã ad perfectam formã hominis.Cum igitur intellectus noster sit in pura potẽtia ad intelligẽdum & ad omnes cõceptus rerũ intelligibilium,necessariò priùs accipiet conceptus imperfectos quàm perfectos;sed cõceptus rerum magis vniuersaliũ est imperfectior , quàm minùs vniuersaliũ,vt per se clarũ est;est enim magis potentialis,ac proinde conceptus entis est imperfectissimus omnium,ergo intellectus priùs accipiet conceptum rerum vniuersaliorum,atque, omnium primò recipiet conceptum entis , ens igitur est primum cognitum. Hæc D.Thom. Thomistæ autem aliter formant prædictã rationem ad hũc modum.In formis subordinatis,semper quæ est imperfectior atq; vniuersalior,priùs inducitur in materiam,vt patet in vegetatiuo sensitiuo & intellectiuo,quæ hoc ordine producũtur in fętu;ergo pari ratione cõceptus talium formarum seu prędicatorum,erunt inuicem subordinati,quare cõceptus rei vniuersalioris prius recipietur in intellectu:& cum ens sit maximè vniuersale, conceptus eius primus omnium gignetur in nobis.Aliàs itẽ rationes in eiusdem sententiæ confirmationẽ Thomistæ conferunt.Prima est, Omnis potentia primũ fertur in suũ obiectum adæquatum;& in aliis omnib.primùm apprehendit rationem illius obiecti,sed ens est obiectum adæquatũ intellectus,ergo primũ apprehẽdetur ab intellectu.Secunda.Primum cognitum cõplexũ est illud principiũ. Quodlibet est vel non est; nam cum sit certissimum , euidentissimum & regula cæterorum principiorũ, vt est apud Arist.in 4.Metaphysicæ,erit quoq; primò notũ intellectui,ergo pari ratione primum cognitũ incomplexũ , erit ens, nam termini ex quibus componitur illud principium sunt ens & non ens.Tertia,Aristo.1.Phys.text.3. inquit confusa esse magis nota nobis,sed quo aliquid est vniuersalius,eò est magis cofusum tum quia,plura continet;tum quia continet ea in potẽtia,quę est caussa confusionis,sicut è contrario actus est caussa distinctionis, vnde species vltima,tametsi multa continet in se,tamẽ quoniam ea cohibet actu,idcirco minorem habet confusionem.Cum igitur ens sit magis vniuersale,erit quoque maximè confusum , ac proinde maximè primóque notum nobis.Hæc Thomistæ.

Opinio Zimaræ de primo cognito.

Zimara in illa sua prolixa quæstione de primo cognito, partim suffragatur, partim autē refragatur Thomistis: etenim assentitur illis magis vniuersalia vt plurimùm esse priùs & magis nota nobis, propterea quòd sunt magis sensata, hoc est quoniā singularia & accidentia sensibilia illorum, magis mouēt sensus nostros: verū in tribus dissentit ab illis, primùm quia Thomistæ simpliciter & vniuersaliter asserunt magis vniuersalia esse notiora nobis, quod quidem licet maiori ex parte verum sit, tamen semper non est verum si quidem existunt quædā vniuersalia incognita & innominata, quale est proximum genus equi & muli, quod est quidem magis vniuersale, sed minus notum quàm illorū vtrunq; vt innuit Aristot 7. Metaph. tex. 28. Deinde quia Thomistæ dicunt magis vniuersalia simpliciter esse notiora nobis, non declarando cur hoc eis conueniat, non enim id contingit illis, quatenus sunt magis vniuersalia, sed quatenus sūt magis sensibilia, hoc est quatenus habent singularia & accidētia magis sensata. Arist. enim in 1. Post. tex. 5. ad discernendum & diiudicandū quid sit prius & notius secundū nos, tradidit hanc veriſſimam & certiſſimam regulam. Illud esse prius & notius secūdum nos, quod est propinquius sensibus, qualecūque fuerit, id verò quod à sensibus nostris remotius est, difficilius, atque posteriùs cognosci à nobis. Atque hęc regula Arist. est valde congruens tum experientiæ, tum naturæ intellectus nostri, & modo intelligendi eius, etenim vnusquisq; experitur sibi faciliora & promptiora ad intelligendum esse ea, quę cadūt sub sensus, quàm ea, quæ nullo modo sensibus subiiciūtur, intellectus etiā noster nihil intelligit nisi speculando phātasmata, à quibus accipit materiam intelligēdi & omnia semina artiū & scientiarum. Postremò Thomistæ volūt ens esse primò cognitum, quod non placeret Zimaræ; quippe qui significat sibi valde probari opinionem Heruæi quolibeto 3. q. 12. qui censet concretum accidētis sensibilis esse priùs notum secundū nos, quam substantiam. Quare si ex multis verbis Zimaræ, velimus colligere in pauca opinionē eius, dicendū est primum cognitū esse vniuersale: nā fortiter repugnat his qui volunt esse singulare, affirmās huiusmodi opinionem è diametro aduersari doctrinæ omniū Peripateticorū, sed inter vniuersalia primum cognitū nō erit substātia, sed vt diximus cōcretū accidētis sensibilis, inter huiusmodi aūt accidētia, id quod erit maximè sensatū, quod fortasse diceret esse accidēs sēsibile corporis vti est figura, quātitas, color motus, assereret esse primò cognitum. Atq; hæc cōmemorata sint secūdum opinionē Zimaræ. Nūc ad opinionem D. Tho. reuertamur.

Opinio Thomistarum, multis, hísq; nō infimæ classis Philoso-

phis

phis, minimè probatur. In primis autē Ochan. duobus argumentis oppugnat eam in eo loco, quē paulò supra comemorauī. Primùm enim inquit, si magis vniuersalia sunt notiora nobis, ergo non posset cognosci vllū minùs vniuersale, nisi prēuia cognitione eorum quæ sunt magis vniuersalia & superiora illo; sed hoc apertè falsum est; nam multæ species gemmarū & herbarū sunt notæ etiam non doctis; qui tamen proxima genera illarū penitus ignorant, idem quoque patet in mulo & equo, quorum proximū genus, vt ante dictum fuit nobis ignotu est. Deinde, obiectum terminans primum actum intellectus, vel erit aliquid reale existēs extra animam, vel aliquid ens rationis, vel aliquod ens reale adiunctum habens ens rationis, duo posteriora dici nō possunt, siquidem talia consequuntur actum intellectus iat obiectū terminans primum actum intellectus præcedit omnem actionē eius, quare primùm dicendum est, nimirum obiectum primi actus intellectus esse aliquid reale actu existens extra animam, hoc autem non potest esse vniuersale, vt pote quod habet esse per operationem intellectus. Quare est falsa opinio eorum qui volūt magis vniuersalia esse notiora nobis, Hæc Ochan. Cuius argumentum non propriè impugnat opinionem Thomistarū, sed communiter tenuit contra Thomistas; & Scotistas, & si qui sunt alij, qui volunt primum cognitum non esse singulare, nec ipsum argumētū est valde firmū, respōderi enim potest, vniuersale esse obiectū intellectus possibilis, & præcedere oēm eius actū, vniuersale verò nō fieri ab intellectu possibili, sed ab intellectu agente. Alij etiam conātur eandem sententiam euertere his argumētis. Primò. Aut ens est primū cognitū prout est quoddā transcendēs habēs vnum conceptū diuersum à conceptib. inferiorū, aut prout ineſt in cunctis inferiorib. sed neutro modo potest esse primū cognitum, nō quidē priori modo, si quidem quod est primò notum necesse est, vt sit cunctis euidens, certum & indubitatū, at ens habere vnum aliquē conceptum siue formalē (vt vocant) siue obiectiuum, distinctū à cōceptibus omniū inferiorum, valde obscurum & dubiū est; quin etiā id negant permulti haud vulgares Philosophi. Neque posteriori modo potest esse primum cognitum, etenim ipsum ens cum dicitur de rebus sibi subiectis, nō significat naturam quampiam illarum omnium communem, eisq; adiunctam ceu animal significat naturā quampiā sentientem, communem hominis & bruti, quocirca vnū quodq; per quod est aut homo, aut animal, aut aliud quidpiā per idē prorsus & non per aliū naturæ gradum & est & dicitur ens, quocirca qui enūtiat hoc totum homo ens, nihilo plus dicit quam si tantūmodo enūtiaret

Ochan refellit opinionem D. Thomæ.

Eiusdem opinionis secundum alios refutatio.

hominem;hæc autem quæ de ente dicimus, manifestis & prope conceptis verbis scripta testatáque reliquit Arist.plurib. locis vt in 4.Metaph.tex.3.in 5,Meta.tex.14.in 8.Metaphysicæ, tex.16.in 10.Metaphysicæ,text.8.Auerr.item in 3.Metaphysicæ,comm.10. & in lib.10.Metaphysicæ,cõm.8.Cũ igitur ens non habeat in rebus propriã aliquam naturã, qui fieri potest vt aut efficiat in intellectu proprium aliquem conceptũ sui,aut certè si id quod primùm omnium mouet intellectum ad intelligendum?Deinde si cognitio intellectus nostri nascitur ex his quæ cadũt sub sẽsum, ergo quod est maximè sensibile,id necesse est vt sit maximè atq; primum intelligibile,sed ens neque est sensibile per se, siquidem sensus proprie est accidentium, neque vendicat sibi aliqua propria & peculiaria accidentia sensibilia,veluti corpus & animal habent quædam accidentia sensibilia,propter quæ facilè etiam penetrant & peruenium vsque ad intellectum,ergo non potest ens esse primum intelligibile. Amplius phantasma vnà cum intellectu agente efficit rem vniuersalem & intelligibilem, nam intellectus agens determinatur à phantasmate ad affectionẽ huius vel illius vniuersalis, ergo phantasma id primum faciet intelligibile & vniuersale cuius est per se primò phantasma,ergo primum intelligibile,quod efficietur in intellectu non erit ens: nam cum entis non sit aliquod per se primo phantasma, ipsum non erit primò cognitum.Præterea si ens est primum cognitũ, ergo in quacunque cognitione cuiusque rei semper primùm omnium occurreret intellectui,Sed hoc est absurdum,ergo, &c, Maior patet ex eo,quia cum intellectus agens & phantasma naturaliter agãt, semper agent,nisi quid obstet,eodẽ modo, quare si in prima cognitione intellectus,primũ omnium producũt in eo conceptum entis,in qualibet etiam alia cognitione eundẽ cõceptum primo loco efficiẽt,falsitas autẽ & absurditas minoris per se clara est,sępenumero enim cogitãtes de homine,equo,vel alia quauis re,nihilplanè cogitamus de ente,quinimò cõceptus entis & rarò & nõ nisi de cõposito effingitur in nostro intellectu, nec nisi à viris doctis.Postremò,videtur Thomistæ sine causſa opinari, ens quidẽ necessariò primùm omnium cognosci ab intellectu,cætera verò prędicata vniuersalia,nõ debere necessariò cognosci cõfusè priusquã minus vniuersalia, nã cuæ causſæ mouẽt eos vt ita sentiãt & dicãt de ente,eædẽ planè deberẽt eos mouere, vt idẽ sentirent de aliis prædicatis superiorib.primũ.n. si ens ideo primo debet cognosci quia est maximè vniuersale,ergo similiter corp⁹ &animal debẽt priùs cognosci quã homo,quia sunt magis vniuersalia,deinde si quia cõcept⁹ entis cõfusus,est imperfectissimus oĩm,ideò priùs gignitur in intellectu,ergo cũ animalis & corporis cõcept⁹ sint imperfectiores,quàm cõceptus hominis, propter eãdẽ causſam prius etiã inducẽtur in intellectum.Postremò vtemur argumẽto eorum;nam si ita se habẽt prædicata vniuersalia secũdum cognitionẽ intellectus,quẽadmodum se habent formę naturales à quibus sumũtur illa prædicata,secundũ generationẽ naturæ,ergo sicut non potest in materiam induci forma minus vniuersalis vt forma hominis, nisi prius (prius inquã vel tẽpore vel natura, nã vtrũuis dixeris parum refert ad id quod nunc agitur) inductæ fuerint formæ magis vniuersales,vt animalis,viuẽtis,corporis.ita quoque nõ poterit in nostro intellectu gigni cõceptus hominis, nisi ante in eo extiterint conceptus rerum magis vniuersalium.

Soluũtur rationes Thomistarum.

Hæc contra Thomistas à viris doctis disputantur,à quibus quo pacto etiam soluantur rationes eorum, deinceps ostendendum est.Ad primam ita respondent.Hęc ratio valet tantùm in actibus & formis,quæ per se inuicẽ sunt subordinatæ, ita vt posteriores nequeant existere sine prioribus: at licẽt in prædicatis vniuersalibus,distincti conceptus & perfectæ cognitiones eorum sint inuicem subordinatæ, ita vt minus vniuersale distinctè ac perfectè cognosci nequeat sine præuia cognitione magis vniuersaliũ quę dicuntur de illo;nam sicut se habet esse cuiuslibet rei;ita quoque se habet perfecta & distincta cognitio eius, quare sicut esse minus vniuersalis dependet à magis vniuersali,ita distincta cognitio illius pendet ex cognitione huius,nihilominus tamen cõfusa cognitio rei minus vniuersalis non necessariò præsupponit in intellectu cognitionem magis vniuersalis,nã cum nihil aliud sit confusè cognosci quam cognosci secundum quid & tantùm aliqua ex parte,si verbi gratia homo cognoscatur tantùm secundũ corpus,vt quòd sit erecta statura,vel tantùm secundum animam vt quòd habeat animam immortalem, vel secundum accidẽtia, vt quòd sit irrisibilis,vel capax disciplinæ, vel secũdum aliquam causſam extrinsecam,vt quòd sit à Deo effectus ad perfruendum bonis sempiternis,dicetur sic cognosci confusè, cum tamen hoc modo non consideretur,prout est animal, viuens,corpus, substãtia & ens,ergo potest aliquod inferius cognosci confusè nõ pręuia cognitione,vel consideratione superiorum.

Ad secundã,si intelligunt ens esse obiectum adæquatum intellectus,prout est quoddã transcendens:falsum est;alioquin cæterę res quæ non sunt transcendẽtes,nõ cognoscerẽtur ab intellectu; Quòd si intelligant ens,esse obiectũ adæquatũ intellectus, hoc est omnes res,prout tamen participant rationẽ entis,quod habet diuersum cõceptum ab inferioribus;sic etiam falsum est etenim

homo nō modò est intelligibilis,quatenus in se habet rationem entis,sed etiam quatenus habet rationem substatiæ,corporis,viuētis,animalis & hominis;Sin autem intelligāt ens esse obiectū adæquatum intellectus,hoc est quidquid est ens reale,vel aliquid quomodocunque existens,& secundum quemcuque gradum naturæ,id esse intelligibile,sic verū quidē est,sed nihil facit pro opinione ipsorum.nā ita nō significatur ens, vt quid distinctum ab animali,homine,cæterisq; rebus.Ad tertiam,nō valet similitudo complexorū,& incomplexorum,nam cognitio horu est simplex apprehēsio,illorum autem est iudicium &assensus continens verū vel falsum.Deinde licèt inter cōplexa quæ sunt principia scientiarum,illud cōplexum,quodlibet est,vel non est,sit maximè notum,tamen non simpliciter inter quelibet cōplexa;diceret enim quispiam eas propositiones,quæ cōstāt ex terminis sensibilibus maximè quorū vnus sit singularis alter vniuersalis, vt hoc corpus est quātum figuratū,coloratum,motum,vel quiescens, primum versari in nostro intellectu. Præterea non sequitur,vt si quid est maximè notū intellectui iam instructo,& exercitato,illud etiam fuerit primo notū ei ab initio,nam in principio , intellectus per sensus cognoscit,atque ideo res sensibiles habet maximè notas, & familiares,deinde vero accessione doctrinę excitatòque naturali lumine animaduertens in quibusdam primis principiis,cōtineri immutabiles quasdam veritates quæ sint veluti regulę aliarum veritatum,postea habet illa principia pro certissimis,& euidentissimis,nihilque ducit clariùs,manifestiúsque illis:atque hoc quidem apertis verbis docet Aristoteles 6.libro Topicorum. Ad quartam Aristoteles ibi per confusa (vt placet Auerroi & Græcis expositoribus) intelligit composita in quibus principia & partes eorum confusè & permixtè continentur.Atque hoc quidem modo rationes Thomistarum à viris doctis diluuntur.

Opinio aliorum qui volunt singulare esse primo cognitum.

CAP. XVI.

Opinio eorum qui putant singulare ejse primò cognitum.

EST alia opinio valdè celebris Durādi Ochā,Gregorij Ariminēsis,Burlæi aliorūq; grauiu,atq; sapientu virorū, qui arbitrātur singulare esse primo notum intellectui nostro.Quibus autē rationib vnusquisq: eorū quos cō memorauī hanc opinionem corroborat,eas nūc sigillatim exponam.Durandus.2.Sen.dist.3.q.7.probat singulare primu omnium cognosci ab intellectu,his argumetis.Primò cū intellectus sit potentia passiua,primum obiectū terminās primum actum eius,nō potest

potest fieri ab ipso,sed necessariò præcedere debet omnē operationē eius,& hoc per se patet; sed nihil est,quod sit ante omnem actū intellectus,prēter singulare,nam vniuersale fit ab intellectu iuxta illud Auerrois in primo de Anima com.8. *Intellectus est qui facit vniuersalitatem in rebus*,Si quis autē dicat vniuersale fieri quidem ab intellectu agēte & prēcedere omnem actum intellectus possibilis,hoc nihil valet,nam Durādus antea demōstrauit, intellectum agētem esse merum figmētum cūctáque vniuersalia effici ab intellectu possibili.Quare ex hac ratione licet cōcludere id quod primò notū est intellectui,nihil aliud esse posse,quam singulare.Deinde in potentiis subordinatis,vbi desinit inferior,inde incipit superior,vt patet in sensibus exterioribus,& interioribus, sed sensus est potētia quędam subordinata intellectui, ergo cum sēsitiua cognitio desinat in singulare.ab eo vtiq; incipiet cognitio intellectiua.Prēterea in omni motu terminus à quo prēcedit tēpore terminū ad quē, in eo quod moueturised intellectus abstrahit vniuersale à singularibus quæ abstractio est veluti mōtus quidā ipsius intellectus,cuius motus,terminus à quo est singulare,terminus autē ad quē vniuersale,ergo notitia singularis in nostro intellectu anteire debet cognitionē vniuersalis. Amplius si intellectus noster nō cognoscit primo singulare,hoc fortasse cō tinget,vel quia nihil est,quod intellectui repręsētet singulare,vel quia intellectus nō potest cognoscere ipsum,vel quia nō vult cognoscere,sed nihil horū cōsentaneum est rationi, nā existit phātasmata quę vèrè repręsētāt res singulares,& per absurdū est singularia nō cognosci ab intellectu,tollerētur enim omnes actiones humanæ,& morales propter quas dicimur boni aut improbi, quippe cum proficiscantur à volūtate,& intellectu: nolle autem intellectum,& quasi fastidire, atque respuere cognitionem singularis,planè ridiculum est: nam , cur non velit cognoscere singulare? Primus item actus mentis non est volūtarius,sed naturalis,nam cum omnem actum liberum volūtatis præcedat aliquis actus intellectus,si primus actus intellectus,esset volūtarius,ante ipsum esset actus voluntatis,quam cū necessariò prēcedere debeat aliquis actus intellectus,sequeretur,vt ante primū actum intellectus,esset alius actus eiusdē;nihil igitur obstat quo minus singulare queat esse primo notum intellectui.Hæc Durandus.

Ochan lib.1.Sent.dist.3,quæst.5.tangit etiam secundā rationem Durādi,adfert prēterea tres alias,quarū Prima est hæc.Intellectus noster prius cognoscet res prout sunt in se actu,& naturaliter extra animā,quā prout habēt esse in anima,sed singularia sunt actu extra animā,quidquid enim est actu extra animam singulare est;

Tres rationes Guielmi Ochan.

at vniuersale, vt tale est nõ habet esse nisi obiectiuè in in anima, ergo illud prius cognoscetur ab intellectu quàm hoc. Secũda ratio. Non dubium est quin singulare cognoscatur ab intellectu: si autem non primò cognoscitur, hoc erit, quia singulare non posset ab intellectu cognosci per se, & per proprium conceptum, sed per conceptũ & speciẽ vniuersalis quasi indirectè; si igitur ostensum fuerit hoc esse falsum, simul etiã demõstratũ erit nihil obstare quo minus singulare primũ cognosci queat ab intellectu; non posse autem singulare cognosci distinctè per cõceptum, seu speciem vniuersalis liquidò patet ex eo, quia cum vniuersale sit indifferens ad omnia singularia, quemadmodum confusè representat omnia ita distinctè nullum, qua re per conceptum vniuersalis, non potest distinctè & determinatè cognosci hoc vel illud singulare, quo modo tamen nos ipsi experimur multa singularia cognosci à nobis, absurdum igitur est commẽtum eorũ, qui proinde negãt singulare primum omniũ cognosci posse, quia putãt ipsum nò aliter cognosci à nobis, quàm per conceptum vel speciem vniuersalis. Tertia ratio. Tritum est axioma illud, quidquid potest virtus inferior, id totum etiam posse virtutem superiorem & eò ampliùs, quare cum intellectus sit virtus superior sensu, poterit cognoscere quidquid, cognoscit sensus nimirum singulare, quin etiã priùs cognoscet illud, nam sicut anima rationalis priùs dat esse sensitiuum quam intellectiuum, ita quoque priùs cognoscet res sensibiles, & singulares, quàm vniuersales.

Tres rationes Gregorij Ariminẽsis.

Gregorius Ariminẽsis 1. sent. dist. 3. quæ. 3. in eiusdẽ opinionis defensionem atque confirmationem, affert, tum aliquas de supra dictis rationib. tum etiã has. Primùm vniuersale efficitur ab intellectu per cõparationem atque collationẽ singulariũ cõsiderando similitudinem, & cõueniẽtiam quæ est inter illa ergo singularia prius cognoscuntur ab intellectu, quàm vniuersalia. Antecedens patet tripliciter, primo, quoniã ita sentit Themistius in 1. de Anima super Text. 8. & Auerroes in 12. Metaph. com. 4. tum quia hoc ipsum vnusquisq; experitur, se non aliter venisse in primam cognitionem vniuersalis, quàm ex cõparatione singulariũ: ad extremum, quoniã idem etiã innuit Arist. in 1. Metap. ca. 1, & 2. Post. cap. vltimo; idque apertè quoq; indicat. 1. Post tex. 43. scribẽs his verbis. *Sensus nõ est ipsius vniuersalis, sed ex eo quod speculamur hoc plerunq; cõtingere, venamur vniuersale, ex singularib. enim plurib. vniuersale manifestũ est.* Consequentia verò per se manifesta est, nõ enim potest intellectus facere comparationem inter singularia, nisi cognoscat ea, quare cum ex tali cõparatione eliciatur vniuersale necesse est singularia prius cognosci ab intellectu, quã vniuersale saltem

saltẽ negari nõ potest, quin cũ noster intellectus possit per talẽ cõparationẽ singulariũ colligere aliquod vniuersale, quin inquã necesse sit singularia distinctè cognosci ab eo: quod, si concedant aduersarij, nulla causa est, cur non etiam fateãtur singulare primò cognosci ab intellectu, Deinde necesse est intelligentiã phãtasmata speculari, vt est apud Arist. 3. de Anima 39. sed phantasmata sunt imagines rerũ singulariũ, ergo intellectus necessariò prius cognoscet singulare. Postremò pur⁹ cõcept⁹ vniuersalis difficilis est, siquidẽ non nisi hominibus prouectæ ætatis perfectéq; intelligentię contingit separatim cõprehendere viuersalia. Itaq; multo tempore, etiam post vsum rationis, maxime nisi accedat informatio doctrinę humanus intellectus aut non nisi singularia perscrutatur aut si considerat vniuersalia, non nisi permixta & complicata cum singularibus: cũ igitur notio, & informatio rerũ vniuersalium sit difficilis, id autẽ quod est primũ cognitũ oporteat esse clarissimũ, facillimũ, & promptissimum ad intelligendũ, relinquitur id quod est primò notũ intellectui non esse vniuersale.

Burlæi & aliorũ, ad idẽ probãdum rationes sex.

In eadem opinione fuit Burlæus vir solo nomine ridiculus, cęterò quin autẽ peracutus, & imprimis doctus. Is 1. Phys. in enarratione tex. 4. partim confirmans singulare esse nobis primò notum, partim etiam occurrens argumentis eorum, qui contra sentiũt, multa reliquit subtiliter, & præclarè scripta, ex quibus tũ nõnulla eorum, quæ ante commemorauimus, tum etiam quædam alia depromuntur argumenta. Primùm enim, inquit Burlęus, si singulare potest distinctè cognosci ab intellectu, nihil videtur obstare, quominus queat esse primo notũ, sed põt distinctè cognosci, ergo erit primò notum. Minor probatur quadrupliciter. Primò, quia facultas distinctè cognoscẽs discrimẽ quod est inter duas aliquas res, debet vtrãque distinctè cognoscere, vt docet Arist. lib. 2. de Anim. tex. 146. sed intellectus distinctè cognoscit discrimẽ, quod est inter singulare, & vniuersale, hoc est inter hominem, & hunc hominẽ; ergo distinctè cognoscet vtrunque, non modo vniuersale sed etiam singulare. Secundò. Intellectus format hãc propositionẽ, Petrus est homo, distinctè cognoscens veritatem eius, sed hoc fieri non posset, nisi etiam distinctè cognosceret terminos ex quibus constat talis propositio, quorum vnus est singularis, ergo distinctè cognoscet singulare. Tertio. Operationes artis & prudentiæ versantur circa singularia, vt per se clarum est, & apertissimis verbis declaratur ab Arist. in 6. Ethicorũ: sed huiusmodi actiones proficiscuntur ab intellectu, quippe cum manent ex arte & prudentia, qui sunt habitus intellectuales, ergo intellectus cognoscit singulare. Quartò. constat singulare cognosci ab in-

rellectu,aut igitur per proprium conceptum seu speciem,aut tãtummodo per conceptũ vniuersalis, hoc posterius dici nõ potest; nam paulò supra,cũ exponeremus rationẽ ipsius Ochan,ostẽsum fuit nullum singulare determinatè cognosci posse per solũ conceptum,vel speciẽ vniuersalis.sin autem prius dixeris, necessariò etiã habes cõcedere, singulare cognosci per se ac distinctè ab intellectu,quare obtinuimus quod volebamus: ex quo etiam conficitur id quod principaliter intẽditur,nimirũ singulare primò notũ esse nobis.Deinde Arist.1.Metap.cap.2.ait maximè vniuersalia esse difficilia cognitu,quia sunt remota à sensibus,si igitur esse remotũ à sensu facit aliquid difficile cognitu, & esse propinquũ sensui,vt dicitur 1.Post.tex.5.reddit facile cognitu, cum singulare sit propinquissimũ sensui erit maximè,& primò notũ nobis.Postremò,prior est cognitio directa quàm reflexa,sed intellectus nõ cognoscit se,aut ea quæ obiectiuè sunt in ipso.cuiusmodi est vniuersale,nisi reflexè;directè autẽ ea quæ sunt extra animã,qualia sunt singularia,ergo cognitio singulariũ prior est quàm cognitio vniuersaliũ.Alij prædictis rationibus adiũgũt quasdã alias.Primùm, inquiunt,imponere nomina rebus esse munus ipsius intellectus, quinimò Socrates apud Platonẽ in Cratillo , ait imponere nomina rebus esse propriũ sapiẽtis,quẽ ibi designat nomineDialecticũ, at nomina priùs imponũtur,rebus singularibus,quàm vniuersalibus,ergo prius illa,quã hæc cognoscũtur ab intellectu. Præterea Arist.in 1.deAnima tex.8.auctor est,vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse.Cũ igitur & ordine naturę, & secundũ nos vniuersale posterius sit quã singulare,consequens est, vt posteriùs etiam cognoscatur ab intellectu nostro.Postremò,intellectus practicus secundũ nos prior est quàm speculatiuus , & habitus practici ferè sunt priores quã speculatiui, necessitas enim , aut cõmoditas,aut etiã voluptas earũ rerũ,quę pertinent ad humanæ vitæ,ciuilisque societatis cõseruationem & administrationem cogunt homines priùs animo versari,atque occupari in rebus quæ sub actionẽ cadũt,actionémq; cadunt,quã in his , quæ nuda contemplatione & perspicientia veri continẽtur:Cũ igitur actiones practicæ,priores sint secundũ nos,quàm speculatiuę,illæ autem,& ab intellectu proficiscãtur,& versentur circa singularia necesse est vt singularia sint priùs nota intellectui.Quibus igitur argumentis innitatur, atque corroboretur opinio eorũ,qui existimãt singulare primò notum esse intellectui nostro,satis diligenter & copiosè à nobis declaratum est.Et quia cæteris opinionibus hanc vnã præfero, & verisimiliorem iudico,tentabo ego etiã quibusdam aliis rationib.eam communire,& paulò apertiùs atque distinctiùs explicare.

Secundum

Secundum propriam opinionem ostenditur,singulare posse distinctè cognosci ab intellectu.

CAP. XVII.

Probatur septem rationibus.

singulare per se distinctè cognosci posse ab intellectu nostro

propriè ac distinctè & ab intellectu no

stro cognosci.

Mihi valde probatur singulare esse primò notũ intellectui nostro,sed quia huius rei explicatio atque confirmatio,ferè pẽdet ex demõstratione illius,Anvidelicet singulare per se distinctèq; cognosci queat ab intellectu:Age nos etiã huic rei,nouis quibusdã argumentis euidentẽ, certámq; fidẽ faciamus.Primùm . Intellectus noster distinctè cognoscit hominẽ esse quoddã vniuersale,& speciẽ vltimã ; cui igitur vniuersale,& species habeant in se relationẽ ad singularia, nõ poterunt illa distinctè cognosci sine his:quare necessariũ est singularia distinctè cognosci ab intellectu.Præterea,argumẽtari est mũnus ꝓpriũ intellectus.sed quæda species argumẽtationis, nempe inductio versatur circa singularia,siquidẽ inductio describitur ab Arist.1.lib.Topicorum cap.10.esse quædam progressio à singularibus ad vniuersale,ergo intellectus interdum versatur in cognitione singularium. Maior huius Svllogismi per se manifesta, & certa est:Minor autẽ dubitationem habet; nam ei posset occurri dupliciter;primùm cõcedendo singularia quæ numerãtur in antecedente inductionis, cognosci quidem ab intellectu , veruntamen nõ distinctè:sed confusè:deinde etiam negando ea cognosci ab intellectu,sed tantum à sensu,ita vt inductio sit opus duarũ facultatum animæ,& antecedens quidẽ, habens enumerationẽ singularium,cognoscatur & formetur à sensu ; conclusio autẽ colligens vniuersale,comprehendatur efficiatúrque ab intellectu:cui sentẽtiæ,aptissimis verbis suffragari videtur Themistius in 2.lib. Post.36.c. siue Paraphraseos , scribens; antecedẽs inductionis pertinere ad sensum,conclusionẽ autem eius,ad intellectu; quod caput,quia cõtinet multa de inductione pulchrè, & eleganter dicta, dignũ est quod legatur ab omnibus. Verùm neutra respõsio vim atque robur rationis nostræ,aut penitus tollit , aut etiã aliqua ex parte imminuit;non prior, nã cum in inductione ex antecedente distinctè colligatur & inferatur consequens , id nullo modo fieri posset,nisi antea distinctè cognitum fuisset antecedens.etenim si cognitio antecedentis , vel per se , vel certè secundum nos , est caussa efficiens notitiam consequentis , qui fieri potest , vt si illa fuerit cõfusa & indistincta,hæc aperta & distincta esse queat?Neque verò posterior responsio minori reprehensione videtur esse digna , siquidem inductio prout continet antecedens & consequens,est vna quædam argumentatio , vnus discursus , vnusque

Nota de hanc de inductione.

numero motus ipsius intellectus, quamobrem in ea quoque erit vnũ idémque mobile,quod à termino à quo id est ab antecedente & cognitione singularium , procedet ad terminum ad quem, hoc est ad consequens, in quo cognitio rei vniuersalis continetur huiusmodi autem mobile,quodnã aliud esse possit , quàm intellectus,ne fingere quidẽ licet,is igitur antecedens iuxta & consequens inductionis cognosceret.Præterea,argumentari,est ex vno inferre aliud , non potest autẽ ex vno inferri aliud,nisi vtrunque cognoscatur,quare cũ in inductione , intellectus ex singularibus inferat vniuersale(talẽ.n.illationẽ non potest facere sensus,quippe cum non attingat vniuersale) necessariò debet vtrunque cognoscere.Falsum item est,antecedẽs inductionis posse cognosci & formari à sensu,tum quia in tali antecedente,licèt subiectũ sit terminus singularis,tamen prædicatũ est terminus vniuersalis,cũ sit etiam prædicatum consequentis,exempli causſa , in hac inductione.Petrus est risibilis,& Ioannes,&c. ergo omnis homo est risibilis,illi termini Petrus & Ioannes,quia sunt singulares possunt cognosci à sensu ; at ille terminus , risibilis,quatenus absolutè & simpliciter dicitur de Petro,& Ioanne,nõ cadit sub sensum,ergo sensus non potest conficere antecedens inductionis:Tum etiam, quia cũ in antecedente inductionis dicitur,Petrus est risibilis,distinguitur risibile à Petro,tanquam prędicatum à subiecto,talem autem distinctionẽ nullo modo sensus facere potest , relinquitur igitur ab eadem facultate, hoc est,ab intellectu cognosci & effici tam antecedens, quàm consequens inductionis. Ad illud autem testimonium Themistij , respondemus eum significare voluisse illis verbis , antecedens inductionis cognosci quidem ab intellectu,sed non nisi coniuncto & complicato sensibus,at consequens cum sit vniuersale,ab intellectu tantùm percipi, nec sensum vllo pacto admitti ad notitiã eius.Manet igitur firma , & inuicta hæc secũda ratio nostra,qua docuimus singulare distinctè cognosci ab intellectu,Amplius,omnis potẽtia quæ ponit discrimẽ inter duas aliquas res, necessariò debet cognoscere vtranq; illarũ,sed intellectus noster ponit, & cognoscit discrimen quod est inter singulare & vniuersale,vt inter hũc hominẽ & hominẽ,ergo is non solùm cognoscet vniuersale sed etiã singulare: Maior nõ eget probatione,siquidẽ perspicuè colligitur ex his quæ de sensu communi Ari.scribit in 2.de Anima tex.146. Minor autẽ per se clara est, nã differẽtia,quę est inter vniuersale,& singulare,nullo modo cognosci põt à sẽsu,quare manifestũ est singularia distinctè cognosci posse ab intellectu. atq; hoc qdẽ argumẽtũ supra enumerauimus inter ratiões Burlęi, sed hoc loco repetere voluimus vt ostẽderemus

deremus respõsiones eorũ,qui prædictæ rationi occurrere conati sunt imbecillas esse. Quidã igitur nostra memoria magni nominis egregiæque eruditionis Philosophi. cõfitentur quidẽ hoc nostrũ,argumetum esse perquàm efficax,sed negant ex eo concludi necessariò,id quod intendimus. nõ enim si quid ponit discrimen inter duas res cõtinuò necessarium est, vt cognoscat vtrãque illarum per eandẽ potentiam , sed satis est si per vnam potentiã cognoscat alteram illarũ rerum,& alterã similiter per aliam potentiam:atque hoc pacto homo quidem ponit discrimen inter singulare & vniuersale, non cognoscẽdo vtrunque per intellectum, sed vniuersale quidẽ per intellectum , at verò singulare per sensum:hoc igitur modo putãt & argumẽto nostro respõsum esse,& satisfactum Aristoteli. Verùm hoc respõsum valde infirmũ est, veritati enim & Arist. plane repugnat;etenim quærerem ex illis, an potentia,quæ ponit discrimen inter duo , id est quæ cognoscit hoc esse aliud ab illo,sit vna an multę,multas esse impossibile est, nã discernere vnum ab alio,est vnus actus,vna cognitio,vnũque iudicium,ergo erit vnius potentiæ ; cum enim illa differentia,seu (vt ita loquar)alietas sit vnum quoddã intelligibile, & vno actu, & ab vna potẽtia cognosci necesse est, quæ potẽtia procul dubio erit intellectus,sed fieri non potest, quin si intellectus cognoscat hoc esse aliud ab illo, etiã apprẽhẽdat vtrunque;nã alietas est relatio,& nõ potest distinctè cognosci,nisi cognitis simul terminis eius;quo pacto enim intellectus verè ac securè iudicare poterit, hoc esse aliud ab illo , si vel neutrum , vel certè nõ vtrunque cognitũ & perspectũ habeat? Porrò eiusmodi responsionem cõtrariã esse doctrinæ Aristot.luce clarius est his , qui diligenter cõsiderãt verba eius posita in eo loco,quẽ ante nominaui , quę libuit hic apponere, vt liquidò intelligãt omnes rationẽ nostrã firmam esse. *Neque itaque(ait Ari.)separatis cõtingit discernere,discernẽs quòd aliud sit dulce ab albo,sed oportet aliquo vno vtraque manifesta esse, sic enim,& si hoc quidem ego, illud autem tu sentires,manifestum vtique esset, quod alia ab inuicem,oportet autem vnum dicere quòd aliud , aliud enim dulce ab albo.dicit ergo idẽ,quare,vt dicit,sic & intelligit,& sentit.Quòd igitur non possibile sit separatis diiudicare separata,palàm est.* Hæc Aristoteles.Quibus verbis significat differentiã, seu alietatẽ aliquarũ rerum non separatis:hoc est diuersis potentiis,sed vna eadémque cognosci & iudicari;relinquitur igitur,cum prędicta ratio nostra vim atque robur suum retineat, rectè concludi ex ea, singularia distinctè cognosci ab intellectu. Postea,cum voluntas nõ possit, quicquam velle , quod non fuerit antea cognitum ab intellectu, quemadmodum appetitus sensitiuus non potest ferri nisi in ea,

An ponẽs discrimen inter duo aliqua,debeat vtrũque illorũ per eandẽ potentiam cognoscere.

quæ sensibus percepta sunt, omnes autem propè dixerim, volunta-
tatis actiones versentur in rebus singularibus, hinc necessariò effi-
citur huiusmodi singularia debere cognosci ab intellectu. Dein-
de supponimus duo, quorum vnum est, nullam facultatem sensi-
tiuam reflecti in seipsam, hoc est posse cognoscere se suámq; ope-
rationem, de quo inter omnes fermè conuenit, idque manifestè
docet Arist. in 1. de Anima tex. 46. ita scribens. *Primùm igitur non bene est dicere animam magnitudinem esse, eam enim quæ vniuersi, talem esse vult qualis est vocatus intellectus, non enim qualis sensitiua est, nec qualis desideratiua, harum enim motus; non circulatio est.* Hæc Arist. quibus verbis docet solius intellectus esse, moueri circulariter, hoc est reflecti posse in seipsum, se suámque operationē cognoscendo, idq; minimè conuenire in facultates sensitiuas. Vide quę eo in loco Philoponus, & Auer. in Commētariis suis scripta reliquerut. Alterum autem quod supponimus est, inter facultates sensitiuas, principem atque supremum locum tenere, eam quæ vocatur cogitatiua, quod quia apud neminem in dubio est, in præsentia probare supersedeo. ex his duabus suppositionibus conficimus hanc rationem. Facultas cogitatiua, & operatio eius, sunt res quædā singulares, nec possūt per se cognosci ab ipsamet cogitatiua, vt antè diximus, cum sit facultas sensitiua quæ in seipsam nō reflectitur; nec ab inferiori aliqua facultate sensitiua, non enim potestas inferior habet vim, & ius in superiorem, reliquum igitur est, vt cognoscantur ab intellectu. Ad hæc, confutatio, electio, liberum arbitrium, artis prudentiæque actiones, laus, & vituperatio operationum humanarum, proficiscuntur ab intellectu, ad eúmque pertinent; cū igitur hæc præcipuè versentur circa singularia, quis sanæ mētis negare ausit singularia posse cognosci ab intellectu? Postremò, Arist. in 3. de Anima text. 39. auctor est, intellectu nostrum non posse quidquā intelligere nisi speculando phantasmata, & quemadmodum se habent sensibilia ad sensum, ita etiā habere se phantasmata ad intellectum, ex quo loco planè intelligitur, phantasmata quæ sunt singularia, & rerum singularium imagines, cognosci ab intellectu, nō secus quàm sensibilia à sensu, sed aduersarij respondent, singulare cognosci ab intellectu indirectè reflexè, per accidens, secundum quid, non autem per se, simpliciter, & directè. Verùm hanc responsionem quæ multorū cōmunis est, nihil aliud esse, quàm effugiū difficultatis, nos planissimè ostendemus, etenim quærendum est ex illis, quid intelligant, cum aiunt singulare cognosci indirectè, nam hæc oratio illorum, habet triplicem sensum, vnus est, singulare non esse directum obiectum intellectus, hoc est principale, & ad quod cognoscendum per se dirigitur, & ordinatur intellectus, & in cuius cognitione perficitur, & conquiescit. Alter sensus est, singulare idcirco cognosci indirectè ab intellectu, quia intellectus non cognoscit ipsum, prout intellectus est, & in se manens, sed prout applicat, & aggregat se ad sensus, & conuertit ad phantasmata: Atque hi duo sensus, veri sunt, nihilque obstant quominus singulare distinctè cognosci queat ab intellectu, nam etiam accidens, non est principale obiectū intellectus, nihilominus tamen distinctè cognoscitur ab eo. Tertius sensus est, singulare indirectè cognosci ab intellectu, hoc est non determinatè & per se, nec per conceptum, aut speciem propriam, sed per aliud; & hic sensus falsus est, tùm quia est contra experientiam, vnusquisque enim experitur se determinatè cognoscere hoc & illud singulare, tum etiam quia est contra rationem, nam si verbi gratia, Petrus cognoscitur ab intellectu, non per proprium conceptum eius, sed per conceptum alterius; aut igitur per conceptum alterius singularis, vt Pauli, vel Ioannis, at fieri non potest, vt conceptus Pauli cum sit singularis, & proprius eius, representet Petrum: aut per conceptum vniuersalis, nempe hominis; sed cum vniuersale per se indifferens sit ad omnia singularia, confusè & indistinctè representat ea, quare per conceptum eius, non potest intellectus perduci in determinatam notitiam huius singularis potius quàm alterius: Quocirca manifestum est responsionem eorum, qui aiunt singulare cognosci indirecte ab intellectu, aut penitus inanem & absurdam esse, aut certè non obstare, quominùs singulare distinctè determinatéque cognosci queat ab intellectu. In hac sentētia fuit etiam Philoponus, id quod manifestè licet cernere in commētariis eius super lib. de Anima, tam in 2. lib. super tex. 136. quàm in 3. lib. super tex. 9. vbi dupliciter probat singulare cognosci ab intellectu, tum quia intellectus ponit discrimē inter vniuersale & singulare, quare debet vtrunque cognoscere, tum etiam, quia rationis est corrigere sensum in his rebus, in quibus sensus fallitur, vt patet in eo iudicio, quod visus facit de magnitudine solis, iudicans eum multo minorem esse tota terra, in quo emendatur à ratione, quæ certissimis argumentis docet solem multis partibus maiorem esse terra; nō posset autem sensus corrigi à ratione, nisi quòd sensibus percipitur, etiam cognosceretur ab intellectu.

Nulla potentia sensitiua in seipsam reflectitur.

An verū sit singulare indirectè cognosci ab intellectu nostro.

Philoponus probat duplicitersingulare cognosciab intellectu.

Explicatio sex poopositionibus, cōcluditur atq; decernitur, quod nam sit primum cognitum.

Sed his rebus expositis, restat vt explicatiùs ostēdamus atq; decernamus, quid nā sit primò notum intellectui; ad id autem benè declarandū adhibere oportet eam regulam. quam Aristo tradidit 1. Post. text. 5. scribens id esse prius & notius secundū nos, quod est propinquius sensibus: id autem quod est remotius ab ipsis, esse po

Universidad de Deusto Biblioteca

posterius & ignotius secundum nos. Adhibita igitur hac regula facillimũ est secundum eam diiudicare, quid sit priùs aut posteriùs notum secundum nos, & quid etiam sit primò notum, hoc autem quo planius & apertius sit, appositis nonnullis propositionibus explanabimus.

I. Propositio. Intellectus noster priùs intelligit alias res quàm seipsum. & ratio est, quia cognitio directa prior est quàm reflexa, sed intellectus directè cognoscit res alias, seipsum autem non nisi reflexè, ergo, &c. Hoc etiam docet Arist. in 3. de Anima tex. 8. scribens; Cum intellectus factus fuerit singula intelligibilia, tunc & ipse potest seipsum intelligere.

II. Propositio. Res materiales sunt priùs notæ secundum nos, quàm immateriales, cuiusmodi sunt intelligentiæ. Hoc experientia declarat, & ratio docet, nam res immateriales sunt remotiores à sensibus & nobis difficiliores ad intelligendum.

III. Propositio. In rebus materialibus, ipsa composita priùs nota sunt, quàm partes & principia eorum. quoniam hæc vel solùm, vel præcipuè obiiciuntur sensibus, idque confirmat Arist. 1. Phys. text. 3. affirmans cõfusa, id est composita, primùm nobis dilucida & manifesta esse, posteriùs autem ex his nota fieri elementa & principia eorum. cui enim non notus est lapis aut ferrũ proprium autè lapidis & ferri materiam atque formam, quis nisi apprimè doctus, cognoscit.

IIII. Propositio. Accidens priùs notũ est secundum nos quàm substantia: hoc egregiè probat Herueus in 3. Quodlibeto q. 12. & quidè per se clarum est: siquidè accidens est sensibile per se, substantia autem minimè; quin etiam substantia vel nõ cognoscitur ab intellectu, nisi per speciem accidentis, vt multis visum est; vel si cognoscitur per propriam speciẽ, certè posteriùs cognoscitur.

V. Propositio. Inter accidentia, singulare est priùs notum secundum nos quàm vniuersale. Hoc non eget probatione, cum paulò ante plurimis argumentis demonstratum, atque confirmatum fuerit, singulare cognosci distinctè & priùs, quàm vniuersale.

VI. Propositio. Inter singularia verò accidentium, illud est magis notũ, quod est magis sensatũ, huiusmodi ferè sunt accidentia rerũ magis vniuersaliũ, notiora enim secundum nos sunt accidentia hominis, quàm Socratis: & animalis, quàm hominis; & corporis quàm animalis: de qua re, quia supra latius dictum est, non attinet hic plura verba facere. Itaque probabiliter statui posset, primum cognitum esse accidens, vel accidètia corporis, qualia sunt, Quantitas, Figura, Motus, Quies, Color & cæteræ qualitates sensibiles nam vnũ aliquod horum determinatè cõstituere primum cognitum fortasse impossibile est, aut certè per quàm difficile, Sátis in præsentia sit, ac enodandam quæstionem de primo cognito quam nunc tractamus demonstrasse, primum cognitum esse singulare accidentis concreti & maximè sensibilis, qualia videntur esse accidentia corporis. Sed opinio nostra de primo cognito ita declarata & probata sit.

Quibus rationibus ostendant aliqui, singulare non cognosci per se ac primò ab intellectu nostro.

CAP. XVIII.

QVONIAM ad confirmandam veritatẽ non satis est eã firmis rationib. cõmunire, sed etiã oportet, quæcunq; possunt ei obiici atque opponi, funditus demoliri; idcirco, postquam multis argumentis docuimus, primò notum intellectui nostro esse singulare, faciendum nobis est, vt quæ huic opinioni aduersari, & officere videntur, diligenter explicemus, atq; diluamus. Quidã conantur probare singulare non priùs cognosci ab intellectu quàm vniuersale, ad hunc modum. Primum Arist. in 1. Phy. tex. 49. inquit, alia esse notiora secundum rationẽ, & alia secundũ sensum; secundũ rationẽ quidem vniuersalia, secundum sensum verò singularia; ergo vniuersale est magis, priúsq; notũ secũdum rationẽ, & intellectũ, quàm singulare. Deinde in 5. Metaph. cap. de Priori scribit, vniuersalia esse priora cognitione secũdum rationẽ, singularia autem secundũ sensum. Postea in proœmio Physicæ, & plurib. aliis locis ait magis vniuersalia esse notiora secundum nos: ex his autem omnib. locis Arist. manifestum est vniuersale notius & prius esse secundum intellectum, quàm singulare. Amplius, omnis potentia priùs fertur in suum obiectum, quàm in alienũ. sed vniuersale est propriũ obiectũ intellectus, quẽadmodũ singulare ipsius sensus, ergo, &c. Præterea. Intellectus possibilis eget opera intellectus agentis ad intelligẽdas res, ergo maximè indigebit eo in prima cognitione, quia tũc maximè intellectus possibilis est in potentia nudus, & expers omnis præsidij: at si prima cognitio eius esset rerum singulariũ, non esset ei necessarius intellectus agẽs, siquidè munus eius non est aliud quàm facere, res vniuersales & immateriales, & vt ab eo intellectus possibilis intelligẽdi materiã accipiat. Ad hæc, singulare non cognoscitur distinctè ab intellectu, ergo non est primò notũ illi, Antecedẽs multis modis probatur; etenim Arist. 1. Phy. 49. & aliis locis inquit intellectũ esse vniuersaliũ, sensum autem singulariũ: at si intellectus & vniuersale & singulare cognosceret non rectè Arist. illo modo distinxisset intellectum à sensu

Notæ argumenta, eorum qui conantur probare singulare nõ esse primũ cognitum, nec distinctè cognosci ab intellectu.

ex quo loco licet etiam hoc pacto argumentari, sicut se habet intellectus ad vniuersale, ita sensus ad singulare, ergo secundum permutatam proportionem sicut sensus ad vniuersale, ita intellectus ad singulare, sed sensus nullo modo apprehendit vniuersale, ergo intellectus aut nullo modo, aut saltem nō per se cognoscet singulare. Amplius, inter obiectum & potentiam debet esse proportio; at inter singulare & intellectum no v detur esse legitima proportio cum intellectus sit immaterialis, singulare autē materiale: ex quo etiā fit: vt intellectus non possit moueri à singulari, nec recipere in se propriam speciē eius, quippe cum sit materialis; his accidit, quod Arist. in 3, de Anima tex. 16. ait ea, quæ habent materiam, esse tantùm potestate intelligibilia; cum igitur singulare sit penitus materiale, nō erit actu & per se intelligibile. Quod quòd ibidem tex. 18. dicitur intellectus agens facere omnia intelligibilia; quod profectò verum non esset, si singulare esset per se intelligibile; nam cum singulare actu tale sit, nō fit singulare ab intellectu agente: ac ideo per se & actu esset intelligibile nec fieret intelligibile ab intellectu agente, quin etiā sine caussa. Arist. eo in loco tantopere commendaret vim atque præstantiam intellectus agentis, eiúsque necessitatem frustra persuadere nobis cōtenderet; si quidem is ponitur necessarius esse, propterea quòd cum intellectus possibilis sit in pura potentia ad intelligendum, nec possit recipere nisi species rerū immateraliū & vniuersalium intellectus agens trāsfert res (vt verbis vtar Auerr.) de ordine singularium, materialium & sensibilium ad ordinem vniuersalium immaterialium atq; intelligibiliū: vt ita percipi queāt ab intellectu: at si potest singulare per se cognosci ab intellectu possibili, quorsum opus erit intellectu agente? Hæc afferri possent contra sententiam nostram, quæ sigillatim enodanda & dissoluēda sunt.

Soluuntur supradictæ rationes.

CAP. XIX.

De duplici statu & cōsideratione animæ, rationali, vera & præclara doctrina.

SED quædā ante declarāda sunt, ex quibus facilis existat solutio argumentorū. Primùm igitur sciendū est, animā rationalē dupliciter cōsiderari posse. Vno modo, vt est substantia quædā immaterialis per se subsistens, similis intelligentiarum, cuius summa perfectio in rerum vniuersaliū diuinarum cognitione consistit. Altero modo, vt est ἐντελέχεια corporis. actus materiæ, pars hominis, & naturaliter connexa atq; copulata cum facultatib. sensitiuis, per se omnis scientiæ & cognitionis expers, omniúmque rerū notitiam quasi aucupans & acquirens per sensus. Ex qua distinctione (quā Philoponus etiā tetigit in 2. de Anima super tex. 136.) perspicuum est, primùm quidē, animā rationalem nec esse penitus immaterialē, nec prorsus materialem, sed quasi mediam & vtriusque naturæ aliquo modo participē, quocirca interdū posse operari immaterialiter, nonnumquā verò etiā materialiter. Deinde duplicem esse statum animæ rationalis vnū in quo adhæresces ad sensus, versatur circa res corporeas, materiales, & sēsibiles, & in his reb. quę sub sensus cadūt perscrutādis discernendis, atq; diiudicandis occupatur; alterum verò in quo animus noster se ipsum colligens & excitans, vim illā immaterialē & prope diuinā cognoscēdi res vniuersales & immateriales, quæ antea veluti sopita erat, intēdit & defigit in perueſtigationē atq; contemplationem rerum vniuersalium & immaterialium; atque hac ratione omnes artes & scientias adipiscitur. Horum statuum, licèt posterior hic potior & nobilior sit & dignitati animæ rationalis congruentior: tamē ille prior & ordine temporis antiquior est, in eóq; animus noster multos annos ante versatur, quàm perueniat ad hūc posteriorem. Priorem enim statum tenet, cum incipit intelligere, tunc rerum singularium & sensibiliū, quæ primæ omnium sese ad intelligēdum offerunt, notitias accipit, quibus excitata & illustrata mens nostra, ad rerum vniuersalium & immaterialium cognitionem deinde prouehitur.

Sed iam his rebus expositis, fidenter aggrediamur solutionem argumentorum. Ad primum vniuersale dicitur notius secundum intellectum prout intellectus est, nam intellectui vt intellectus est magis congruit cognitio vniuersalium, quàm singularium, at secundum intellectum, vt est coniūctus cum sesibus multo notius est singulare. Vel aliter vniuersale dicitur notius secundū intellectū, quia cognitio illius est perfectior, distinctior & certior; nam quāuis singulare cognoscatur euidenter ab intellectu, quòd sit, tamen hæc cognitio est imperfecta & instabilis, siquidem cū singulare abest à sensu, intellectus non habet euidentē & certam cognitionem eius, sed tantùm opinionem quandam & leuē coniecturam: vniuersale autem non modò cognoscitur, quòd sit, sed distinctè perfectèque comprehenditur secundum essentiam suā secundum principia & causſas omnes, denique secundū proprias affectiones tam per definitionem, quàm per demonstrationem; & cognitio eius per se constans & immutabilis est; hac igitur de causſa vniuersale potest dici notius esse secundum intellectum, cum nihilominus tamen secundum nos, singulare sit notius. Ad secundum. Vniuersale est prius secundum intellectum quàm singulare, prioritate perfectionis, & quia eius cognitio est priùs & principaliùs intenta secundum naturā, & quatenus singulare non

Quomodo vniuersale dicatur notius ab Arist.

quàm singulare.

potest perfectè cognosci nisi præcognito vniuersali: at prioritate generationis & temporis, priùs notum est singulare cognitione crassa & confusa. Ad tertium. magis vniuersalia dicūtur ab Arist. esse notiora nobis, non quidem comparatione eorum quæ sunt verè singularia, sed ratione eorū quæ sūt minus vniuersalia: quēadmodū enim nos arbitramur singulare esse priùs notum nobis quàm vniuersale, sic etiam existimamus inter ipsa vniuersalia, ea quæ sunt magis vniuersalia notiora esse secūdum nos, quàm minus vniuersalia, propterea quòd, vt antè diximus, illorū singularia & accidētia sunt magis sensata quàm horum nobisq; notiora. Ad quartum falsum est quod assumitur, vniuersale esse proprium obiectum intellectus, nisi per proprium intelligant principale, nam obiectum adæquatum intellectus, est omne ens, siue vniuersale siue singulare. Vel aliter, licèt vniuersale sit propriū obiectū intellectus, vt est intellectus, tamē ipsius intellectus proutiest cōiunctus cū sensib. & versatur in illo priori statu, quē supra descripsimus, etiam singulare est obiectū. Ad quintū. Quod in hoc argumento tangitur de intellectu agente, cum etiā tangatur in alia ratione, idcirco vtriusque solutio latiùs infra explicanda est.

Ad ea verò argumenta, quibus videtur ostendi singulare non cognosci distinctè ab intellectu, respondendum est hoc modo. Ad. 1. dicitur sensus esse singularium, quia tantùm cognoscit singulare intellectus autē vniuersaliū, quia licet is, vt est coniunctus cum sensibus etiam percipiat singulare, tamen intellectus per se & vt intellectus est, nō habet cognoscere nisi vniuersale. Vel aliter. Dicitur intellectus esse vniuersalis, nō quia nō cognoscat singulare, sed quia cū sensus non ascendat altiùs quàm ad cognitionem singularis, intellectus peruenit vsque ad cognitionem vniuersalis. Quoniam igitur cognitio vniuersalis est propria intellectus propter quā antecellit facultates sēsitiuas, & ab his differt, ideo intellectus per vniuersale, tanquam per id quod est summū & vltimum, distinguitur à sensu, etenim potentiæ distinguntur, & æstimantur per summū & vltimum quod præstare possunt: Exēpli causſa, Sint duæ potentiæ mouētes, A. & B. & A. habeat vim mouendi pondus vt octo. B. autem vt quatuor, si quæratur, quanta sit vis motiua ipsius A. respondebitur esse vt octo. quia potest mouere pondus vt octo, & hac re differre à B. quod tantùm mouere potest pondus vt quatuor, non quin A. mouere queat etiam pōdus vt quatuor sicut B. sed quia summum quod potest A. est vt octo quod autem B. vt quatuor, idcirco per hæc diiudicātur atq; distinguntur. Atque hanc rem Arist. in 1. de Cælo text. 116. pulchrè declarat his verbis. *Si igitur aliquid potest mouere per stadia centum, aut*

Potentiæ virtus æstimatur ex summo & maximo quod potest.

tū, aut leuare pondus, semper ad plurimū dicimus, vt talenta leuare centū, aut per stadia ambulare centū, quāuis & partes quæ infra sunt possit. Sī & excessum, tāquā oporteat definire potentiā ad finē excessus. Necesse est igitur id quod secūdū excessum tot potest, & quæ infra sunt posse, vt si talēta centū leuare, & duo. & si per stadia cētum, & per duo posse ambulare. Pōtētia autem ipsius excessus est. Hæc Arist. Ad eā autē rationē quę huic argumento subnectitur, ductam ex permutata proportione respondendum est; talem modum argumentandi non valere in his rebus, quæ sibi inuicem subordinatæ sunt. hoc est quarum vna ab altera continetur & includitur, sicut prior à posteriori, & inferior à superiori, id quod dilucidè ostendi potest hoc exemplo: Sicut se habet homo ad non hominem, sic animal ad non animal; ergo secundum permutatam proportionem, sicut homo ad non animal, ita animal ad non hominem; hoc tamen falsum est, nam homo ita se habet ad non animal, vt verum sit nullum hominem esse non animal; non sic autē habet se animal ad non hominem, non enim est verum dicere, nullum animal esse non hominem, siquidē equus est animal, qui est nō homo. non valet autē in huiusmodi terminis modus argumētandi secundū permutatā proportionem, quia sunt sibi inuicem subordinati: homo subiicitur animali, & non homo non animali; cum igitur sic etiā se habeant sensus ad intellectū, & obiectum sensus ad obiectū intellectus, nō est mirum in his etiam infirmā esse prædictam argumentādi rationē. Sēsus enim inferior & angustior in cognoscēdo est, quàm intellectus; non ergo si sensus nō potest apprehēdere vniuersale, ex eo concludi potest intellectū non posse cognoscere vniuersale. Ad secundū. falsum est inter intellectū & singulare non esse debitam proportionē, nam si non potest singulare cognosci ab intellectu; hoc accidet aut quia est singulare, aut quia est materiale; nō quia singulare; sic enim nullū singulare cognosci posset quare nec Deus: nec quia materiale, quod patet tripliciter, primū quia sic nec vniuersale posset cognosci, quippe cum sit etiā materiale, vt homo, & animal & materia prima: Deinde quia licèt intellectus per se, & vt intellectus est, sit immaterialis, tamen vt est forma corporis est quodāmodo materialis, & prout cōiunctus cū sensibus versatur in illo priori statu, quē ante diximus: est quodque materialis quodammodo in operando, & sic habet similitudinem & proportionem cū singulari. Postremò cum perspicuum sit, & in confesso apud omnes, singulare aliquo pacto cognosci ab intellectu, & quidē distinctè, vt ante docuimus eadem planè difficultas vrget & premit aduersarios, quo pacto id quod est materiale cognoscatur ab eo quod est immateriale. Nec possū satis

Quando valet argumentatio à permutata proportione.

Non est contra naturam & cōditionē intellectus nostri, vt u cognoscat res singulares.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mirari eorum,qui contra sentiũt,opinationem;quippe qui cum velint vnã tantummodo esse animam rationalem in homine(id quod nobis etiã,quia verissimum est,maximè probatur)in cuius substãtiã quæ est immaterialis &indiuisibilis,vel immediatè vel mediatè fundentur,atq;inhæreant omnes potentiæ eius:siue immateriales vt intellectus & volũtas;siue materiales vt omnes potentiæ sensitiuæ,ac vegetatiuæ;cum inquã hoc teneãt & profiteãtur,tamen pro absurdo habeant conceptum seu speciem singularis posse recipi in intellectu. Ad tertium.Quod habet materiam, cuiusmodi est singulare,potest dici partim esse intelligibile,partim nõ;sumendo enim intelligibile pro eo quod est propriũ obiectum intellectus & nullo modo percipitur à sensu, & refertur ad intellectum prout intellectus est:sic res materiales, & singulares secũdum Arist.nõ sunt actus intelligibiles:at sumẽdo intelligibile pro eo,quod est per se primò quidem sensibile, secũdariò autem & ex aliqua parte etiã percipitur ab intellectu, nõ vt intellectus est sed prout est cõiunctus sensibus,sic & verum est,& à nobis asseritur singulare esse intelligibile.Ad quartũ.Intellectus agens dicitur facere omnia intelligibilia,nõ simpliciter & absolutè,sed ea tantùm quæ sunt propriè & verè intelligibilia,quales sunt res vniuersales.Quamquã nõnulli putãt (in quibus est Burlæus eo loco quẽ ante citaui)intellectũ agentem necessariũ esse duplici nomine,tũ vt efficiat res propriè & perfectè intelligibiles,hoc est vniuersales,atque hoc est principale munus eius: tum etiã vt ea quæ sũt per se materialia & singularia illuminet, & reddat apta,vt si non perfectè,saltem aliquo pacto sint intelligibilia & moueãt intellectum:negãt enim res singulares sine lumine & beneficio intellectus agẽtis habere posse vllã vim mouẽdi intellectũ possibilẽ. Sed licet hæc opinio nõ probetur nobis, tamen eam impunè nũc abire sinamus.Sed dicet aliquis,Arist. aduersari nobis,quippe qui in 3.de Anim.tex.9.scribit,res materiales & singulares cognosci ab intellectu reflexè,vniuersales verò & immateriales directè:quid autem aliud est reflexè cognosci, quàm nõ distinctè;& nõ per se cognosci?Verùm hoc soluitur,nam reflexè cognosci nõ est indistinctè cognosci,sed cognosci ab intellectu, non prout intellectus est in se manens,sed prout est cõuersus, demissus,& quasi inflexus ad sensum.Nec verò latet me, Gregoriũ Ariminẽsem,& Burlæũ,in his locis quæ supra in mediũ protuli, multò secus interpretari hũc locum Arist.quàm explanare solẽt cæteri expositores:aiunt enim Arist.eo loco docere velle res singulares directè cognosci ab intellectu, vniuersales autẽ reflexè; na cũ intellectus possibilis cõuertit se ad sẽsus, vt ab his accipiat ma-

Quomodo intellectus agẽs secũdũ Burlæũ sit necessarius non modò respectu vniuersalium, sed etiam singularium.

Secũdum Gregoriũ Ariminẽ sẽ & Burlæum singulare directè, vniuersale autem nõ nisi reflexè ab intellectu nostro cognoscitur.

materiam intelligẽdi,primò & directè incurrit in ipsa phãtasmata,quę sunt singularia,& rerum singulariũ simulachra,nõ autem in vniuersalia,quippe cum ibi nõ sint expressa,sed tantũ potestate inuoluta in ipsis singularib.lateãt:sed postea reflectẽs se ad cõsiderationẽ & cõparationẽ singularium,quæ anteà seorsim cognouerat per phãtasmata & intuẽs similitudinem & conuenientiam eorum inter se,ex illis illicit notionẽ vniuersalis, atq; hoc pacto quasi per quandam reflexionem & facit,& cognoscit vniuersale.

Quomodo autem qui faciũt primò cognitum singulare, tueri queant necessitatem intellectus agentis,quem Aristoteles introduxit & deinde omnes fermè Peripatetici admiserunt atque defenderunt.paucis est in præsentia à nobis explicandum. Tametsi ponatur non modò singulare cognosci à nostro intellectu, sed etiam priùs cognosci quàm vniuersale nihilominus tamen intellectum agẽtem necessarium esse homini ad intelligẽdum hac vna & breui ratione ostendi potest.Intellectus humanus eò differt & præstat sensibus.quòd sensus quicquid percipit, id omne actu est in rebus nec rem vllam accipit, quæ non sit actu in rebus, & quã necesse sit fingi & infirmari ab animo.Etenim quicquid sẽtitur (Aristoteles ait prioris libri Posteriorum Analyt. tex.43.)id necesse est,hoc aliquid esse & alicubi & nunc,quod autẽ eiusmodi est,id actu esse in reb.nec ab animo nostro fingi, manifestum est:ex quo Aristoteles cõcludit,vniuersale,quòd est vbiq;& semper,sẽtiri nõ posse.Sed dicet aliquis Aristotelem extremis propè verbis,secũdi libri Posteriorum & perspicuè & affirmatè docere, licèt quod sentitur sit singulare,sensum tamen esse ipsius vniuersalis:cum autem vniuersale nõ sit actu in rebus, consequens est, aliquid sub sensus cadere,quod non est actu in rebus.Verùm hoc facilè soluitur:Actio sentiendi ea re differt à potentia sensitiua, quòd sensatio est vnius determinati singularis : cernitur hoc coloratum,auditur hic sonus,nec potest indifferẽter actu sẽtiri vel cerni quodlibet coloratũ. At potentia sensitiua vt visus ex se nõ est determinata ad hoc vel illud coloratum,sed pro obiecto adæquato respicit quodlibet coloratum;quoniam igitur actus sentiendi semper est determinatus ad vnum aliquod singulare potẽtia verò sensitiua ex se indeterminata est ad quodlibet singulare cõtẽtum sub obiecto suo adæquato:ideirco Aristoteles dixit, sẽtiri quidẽ singulare,sẽsum autẽ esse ipsius vniuersalis,verũ igitur est quod demonstrandum suscepimus,nihil percipi à sensu quod nõ sit actu in rebus,vel quod necesse sit:de nouo ab animo fingi & informari,Ex quo licet intelligere,quãuis sensus & dici queat, & verè sit agẽs respectu sensationis quã efficit(sensationẽ nãque

Obserua diligenter doctrinã hãc de necessitatem intellectus agentis.

tum quia est actio vitalis seu viuentis, tùm quia est actio immanens necesse est produci à sensu, à quo recipitur) non esse tamen necessarium ponere sensum aliquem agentem respectu obiecti sensibilis, vt nimirum vel species sensibiles effingat, vel de nouo formet aliquod sensibile, quod non est actu in rebus; omne enim sensibile, cum sit hoc aliquid & alicubi & nunc, actu est in rebus & per se sufficiens ad mouendum sensum. Non sic est in intellectu: Intellectus enim humanus non modò singulare, sed etiam vniuersale cognoscit; quinimo vniuersale est præcipuũ ac principale intellectus nostri obiectum. Vniuersale autem (vt Ari. ait 8. tex. primi libri de Anima, aut nihil est, aut posterius est, reuera enim nihil est ante singularia, vel in singularib. actu existens ante omnem animę operationem, sed posterius est, vt potè ex ipsis singularibus, vi & functione animi elicitum & effectum. Cum igitur præcipuum intelligibile sit vniuersale, nec id actu sit in rebus sed ab animo nostro formari debeat, quis non videt necessariam, esse in animo nostro vim quãdam & facultatẽ effectricem vniuersalium, quæ intellectus agens expellatur? nihil autem ad id quod nunc agimùs refert siue intellectus agẽs re differat ab intellectu possibili, siue eadem re sit potestas animi, ratione tantùm & munere differens: Et siue intellectus agens efficiat vniuersale per abstractionem à singularib. vel per singulariũ inter se comparationẽ: quibus de rebus in libris quos de Anima iuuãte Deo æditurus sumus, tempestiuè latéque disputabitur. Manifestũ igitur est eos qui censent singulare cognosci ab intellectu, per belle tueri necessitatem, vim & dignitatem intellectus agentis. Atque his expositis, huic Tertio libro finis imponatur.

FINIS LIBRI TERTII.

DE ANTIQVIS PHILOSOPHIS, EORVMQVE variis circa rerum naturalium principia, opinionibus,

LIBER QVARTVS.

QVæ viam munire poterant & aditum patefacere ad faciliorem intelligentiam explanationémq; earum rerum quas hoc opere docere volumus, ea ferè superiorib. libris complexi sumus. Quam obrem sequitur vt ad id, quod est principalis materia huius operis, tractandum aggredientes, de communibus omnium penè rerum naturalium principiis & affectionibus agamus. Sed quia vis & scientia naturalium affectionum, tota proficiscitur ac pendet ex principiis earum antè cognitis & perceptis, de his priori loco dicendum erit. Sex igitur, qui proximè sequuntur libri, in explicandis generalibus principiis & causis rerum naturalium consumuntur. In hoc autem quarto libro, arbitrati sumus fore lectoribus iucundissimum atque vtilissimum, si priusquàm veram & Aristotelicam naturalium principiorum doctrinam tradamus, omnes propemodum opiniones, quæ de principiis rerum naturalium apud veteres Philosophos olim floruerunt, commemorantes & velut ante oculos ponentes, diligenter & accuratè pertractemus. Vix enim credi potest, quantas multarum & discrepantium inter se opinionum diligens enarratio atque diiudicatio, vtilitates habeat, quantúmque præbeat adiumenti ad perueſtigandam, reperiendam, tuendámque veritatem. Quæ res, licet per se manifesta sit, libet tamen eam hoc loco nonnullis testimoniis Aristotelis illustrare.

Quàm sit vtilis consideratio variarum opinionum.

CAP. I.

Septem vtilitates, quæ ex diligenti variarum opinionũ tractatione, percipiuntur.

PRimum igitur docet Arist.1.li.Topicorum, habere cognitas & notatas cõplures sententias & rationes illustrium Philosophorũ,suppeditare magnam vim& copiã ad disserẽdum probabiliter deomni re propsita.siquidẽ hoc ducitur probabile,quod videtur aut omnib. sapientib. aut multis,aut etiam vni,si modo is præcellẽs fuerit.Deinde multitudo & varietas opinionũ quę in re quapiã versantur, faciũt nos dubitare & animaduertere difficultates quæ in ea re latẽt:nam vt est in 1.de Cælo,t.100 *Contrariorum demonstrationes dubtationes sunt de contrariis.* Quid autem vtilitatis sit scire bene dubitare, & perspectas habere difficultates, quibus id quod disputatur implicatũ atque inuolutũ, est pulchrè declarat Arist.initio 3.lib. Metaphys. his verbis: *Est autem operæpretium aliquid facultatis habere volentibus, bene dubitare: Nam posterior facultas,solutio eorum est quæ antè dubitata fuerunt:illi enim qui quærũt, nisi primò dubitent,similes illis sunt qui quonam ire oporteat ignorant. & adhuc neque vtrum inuenerint quod quæritur an non, cognoscere possunt. Finis etenim his quidem non est manifestus,illi autem qui antea dubitauerit,patescit.* Postea,diligenter enarratis opinionibus aliorũ,facilè intelligimus quid in illis probandum est, & sequèndum:quid item fugiendum & reiciendum sit id quod Aristot.indicat in 1.lib.de Anima,tex.19. *Oportet*, inquit, *percurrere opiniones priorum,qui de anima aliquidenunciauerunt,vt bene quidem dicta accipiamus,si quid autem est non bene,hoc euitemus.* In 13. lib.Metaphysicæ simile quid habet*que ab aliis dicuntur*, ait, *primò speculandum est,vt tum si quid non rectè dicant, non simus eisdem consci, tum si quid nobis & illis communè decretum est, hoc separatim non contra nos grauiter feramus,sufficiẽs enim erit,si quis quædam melius dicat, quædam non deteriùs.* Præterea, Philosophi est,veras opiniones à falsis internoscere & secernere, has condemnare, illas approbare: hoc autem rectè facere non potest, nisi vtrasque bene perspectas explicatásque habeat, nam vt est apud Aristotelem 1.li.Ethicorum, vnusquisque rectè iudicat ea quæ nouit, atque eorũ bonus iudex est:si quidem,vt dicitur 3. Metaphys.text. 1. melius se habere necesse est illũ ad iudicandũ,qui tanquàm aduersarios,omnes vtrinque rationes oppositas audit.quare ne quemquam absentem,aut indictâ caussa videamur condemnare, eorum sententias atque rationes in medium producere ac enarrare oportet. Quod Aristotel. elegantissimis verbis ostendit in 1. de Cælo text. 101. ita scribens: *Narratis opinionibus aliorum, magis vtique credibilia erunt dicenda, iis, qui ante audierint dubitatorum sermonum iustificationem*

nã videri indicta causa condẽnare,minùs vtique nobis inerit,etenim oportet eos arbitros esse nõ aduersarios,qui veritatẽ sunt iudicaturi sufficienter.

Postremò,ex tractatione atque refutatione aliarum opinionum firmior atque illustrior sententiæ nostrę veritas existit.Non enim veritas satis munita & tuta esse,aut lucem suam ostendere potest nisi priùs dubitationum tenebris dicussis & aduersariis opinionibus reiectis atque profligatis.Porrò,commemorandis aliorũ sententiis, non solùm id consequimur vt redarguamus eas quæ falsæ sunt,verumetiã aperiamus causas cur illæ sint falsæ, & cur si falsæ sunt, veræ tamen multis magnísque Philosophis visę fuerint. Quæ res quantum valeat ad confirmationem veritatis præclarè ostendit Arist. 7. lib. Ethicorum cap.vltimo hoc modo scribens; *Non tantùm opus est vt verum dicamus,sed etiã oportet vt falsi causam explicemus:hoc enim ad fidem faciendam conducit,nam cum rationi consentanea visa fuerit causa, cur verum appareat esse quod verum nõ est,facilius vt vero magis fidem adhibeamus.* His accedit,quòd ex cõparatione nostræ sentẽtiæ cum aliorum opinionib, clariùs apparet quãtò probabilior & verisimilior sit nostra sententia:secundum illud quod vulgò dici solet, oppositа iuxta se posita magis elucescere hoc est clariùs discerni ac dignosci.Nos igitur propositis tot tantísque vtilitatibus,fidẽter aggrediamur(opus sanè arduũ,à paucis susceptum,à nullo elaboratum, desideratũ à plurimis)ad pertractandas opiniones antiquorum de principiis rerũ naturaliũ;cásq; vel ex illorum libris qui adhuc extant,vel ex scriptis aliorum qui eas memoriæ prodiderunt,perspicuè ac diligẽter exponamus.

De variis sectis Philosophorum.

CAP. II.

ENarraturis opiniones veterum Philosophorum de principiis rerum naturalium; paulò altiùs repetendũ est, & nõnihil dicendũ de variis eorũ sectis, quę olim prę cipuè floruerunt, tum quò meliùs intelligantur ea quę hoc loco docere volumus,tum etiam vt aliquam lucẽ afferamus quàm plurimis locis Arist. in quibus prisca Philosophorum decreta,nimis pressè & obscurè perstringit. Itaque varietatem & progressionem omnium ferè sectarum, quasi in tabella quadam adumbratam, omnibus inspiciendam proponemus.

Sciẽdum igitur est duas fuisse principes Philosophorum sectas, è quibus reliquæ propagatæ ac proseminatæ sunt; vnã Ionicã, alteram Italicam; vtramque ex locis in quibus floruerunt,nominatam:id quod facilè colligi potest ex iis, quę scribit Arist.1.Metap,

Augu.8.de Ciu. Dei,& Laërtius in Proœmio sui operis.Tertia verò secta,quæ à Clemente 1.Strom.Euseb.10.lib.de præpar. Euāg. & Theorodoto 1.lib. de Curatione Græcanicarum affectionum dicitur Eleatica,ab aliis subiicitur Italicæ,sub Thelauge filio Pythagoræ. Ionicæ autem sectæ princeps fuit Thales Milesius, cui successit Anaximāder,quē subsequutus est Anaximenes cuius auditor fuit Anaxagoras:Anaxagoram autē audiuit Archelaus, qui primus memoratur ex Ionia Athenas Philosophiā trāstulisse: hic magister fuit Socratis,qui relicto studio Physiologiæ tāquā magis curioso quàm necessario vel vtili ad priuatā ciuilémque vitā informādam & ad beatitudinem cognoscēdam atque comparādam,se totum dedit ad tractādam & explicandam Philosophiam moralē.Socratis porrò multi fuerūt auditores, sed in primis nobiles Aristippus auctor sectæ Cyrenaicę,Antisthenes Cynicæ:Plato Academicæ ; & Xenophon magis studiosus vitæ militaris & historicæ ac politicæ facultatis,quam theoricę Phylosophiæ.Post Platonem autem Philosophia in quatuor celebres disciplinas & sectas diuisa est Academicam,Peripateticam , Stoicam Epicureā. Academicæ,quę à loco nomē accipit,princeps fuit Plato;cui successerunt Speusippus sororis filius,Xenocrates , Polemō Crantor & Crates.Atque hi ad veterem Academiam pertinent.

An fuerit triplex Academia.

Mediam Academiā (si Laërtio creditur)instituit Arcesilas; Lacydes Nouam inuenit,Eusebius lib.14.de Præparat Euang.cap.2. testimonio Numenij Pythagorici confirmat tertiam quandam Academiā à Carneade fuisse excitatam.Cicero duas Academias, Veterem & Nouam agnoscit:Mediam,ceu tertiam quandam &à Noua diuersam,nusquā,quod ego sciam,nominat.Quāquàm , is lib.2.Academicarum quæstionum,Carneadem nonnihil ab Arcesila discrepasse,non obscurè significat.Cum enim hęc quatuor essent Arcesilæ decreta:vnum Nihil posse comprehēdi:Alterum: Sapiētem nulli rei vnquam assensurum:tertium: Omnia esse æqualiter incerta obscura,incognita & improbabilia : Quartum: Sapientēm nihil probaturum nihilque opinaturum:Ex his, Carneades priora duo probabat,placebat enim ei , nihil posse comprehendi,& sapientem nulli rei tanquam perceptæ atque planè cognitæ assensurum:in duobus autem posterioribus,Arcesilę dissentiebat:nam inter omnino incertum & omnino comprehensum,medium ponebat ipsum probabile & id quod esset simillimum & proximum verò:atque hoc probaturum & opinaturum,& sequuturum sapientem tam in agendo quàm in disserendo:ita tamen,vt se non scire , sed opinari non verum comprehendere , sed veri similitudinem sequi & intelligat ipse,& simpliciter

Dissensio inter Arcesilam & Carneadem.

pliciter apertéq; profiteatur.Hāc ego doctrinā, cū media sit inter veteris Academiæ disciplinā & Arcesilæ sententiā, veriùs Academiam Mediā,quam illam Arcesilæ appellari posse cēseo. Sed qui disciplinam Arcesilæ Mediā Academiam nuncuparunt, non tam spectarunt rationem doctrinæ,quàm ordinem temporis quo Arcesilas medius fuit inter veteres Academicos & inter Lacydem atque Carneadem:illis posterior,his autem prior. Porrò Carneadis sententiam & doctrinā multis locis Cicero tam studiosè amplectitur,támque pugnaciter defensitat, vt eam sibi præter cæteras placuisse, satis aperte declaret. Eam tamen & Luculus apud Ciceronem libro 2.Academicarum quęstionum,& D.Augustinus tribus libris quos contra Academicos scripsit , accerrimè oppugnarunt.Numenius Pythagoricus de horum Academicorum varietate,inconstantia & dissensione librum scripsit elegātissimum, cuius etiam nunc apud Eusebium lib. 14. de præparat. Euangel. nonnulla extant vestigia. Sed omissis Academicis ad Peripateticos veniamus.

Carneadis sententia veriùs quā Arcesilæ ad Mediā, Academiam pertinet.

Aristoteles quamuis discipulus fuerit Platonis,tamen secedens in Lyceū,diuersam institutit sectā,quę,quòd is obambulās,audito res suos docere soleret,Peripatetica dicta est. In hac,post Aristotelem illustres fuerunt , Theophrastus Aristotelis discipulus & in schola successor.Theophrastū audiuit Eudemus , qui (vt Simplicius ait 1.lib.Physicorum super text.30.& lib. 6. super text.51.)in omnibus sequutus est Aristotelē,eiúsque decreta & sententias,omnium eius interpretum optimè cognitas & perspectas habuit. Theophrasti auditor fuit Strato Lāpsacenus, cognomento Physicus:quamquā hunc,quod multa à magistris suis bene cōstituta,loco mouerit atque deturbauerit,Cicero neget germanū fuisse Peripateticū.His adnumerare oportet Lyconē, Critolaū, Diodorū, Demetriū , Phalereum,Dicearchum,Hieronymum,Cratippum. Eusebius quoque lib.9.cap.3.de Præparat.Euang.nominat quendam Clearchum Peripateticum.Hæc disciplina postea iacuit sine cultu & honore,vel iniuria temporum,vel hominū indiligentia, eámque longo post interuallo excitauit & illustrauit Alexander Aphrodiseus,qui explanandis omnibus penè libris Aristotelis id consecutus fuit,vt nemo suo tēpore,ac etiam multo pòst,auctore Auer.3.de ānima com. 14. habetur Philosophus & Aristotelicus qui non esset Alexandræus.Nā Porphyrius,Syrianus,Ammonius, Philoponus,Simplicius,Themistius,aut magis fuerunt Platonici, quàm Aristotelici:aut certè vtriusq; sectæ studiosi,vtramque conciliare atque permiscere studuerunt. Auerroes autē inter Arabes, & inter LatinosAlbertus& D.Thomas digniſſimi sunt,qui in Ly-

Secta Peripatetica.

ceum ascripti,in primis Peripateticis numerentur. reliquos autē propemodum infinitos, qui postea Peripatetici videri voluerunt, quia vel minuti & obscuri sunt,si conferantur cum superioribus, vel quia solo nomine Peripatetici sunt, re ipsa autem minimē, hoc loco prætereundos esse duximus. Sed quantum Aristotelis disciplina cæteris omnibus præstet, vel hoc vnum indicio & argumento esse potest, quòd posthabitis & pene deletis aliis, hæc vna iamdiu vigeat apud omnes & maximè colatur à Christianis: licet Eusebius in lib.de Præparat.Euangel.& D.August.l.8.de Ci. Dei,affirment doctrinam Platonicam reliquis omnibus disciplinis,& veritati,& religioni Christianæ longe propiorem esse.

Secta Stoica. Stoicæ disciplinæ princeps fuit Zeno Cittycus, auditor Cratis Thebani, quanquam is dicitur etiam operam dedisse Xenocrati & Polemoni.Præfuit scholæ duos & viginti annos;post quem numerantur illustres Stoici, Cleantes, Chrysippus,Diogenes Babilonius,Antipater,Panætius,Possidonius.Vide Ciceronem in Proœmio lib.de Diuinat.in cuius operis 1.li.Boetium quendā appellat Stoicum.His quoque annumerari potest Seneca & Epictetus, cuius extat pulcherrimū Enchiridiū Simplicij commentariis illustratum Epicurus auctor sectæ Epicureæ,secundū Gellium æqualis fuit Zenonis Cyttici.in Physicis quidem ferè Democritum sequutus est;in his autem, quæ ad summum bonum pertinent, ab Aristippo Cyrenaico & Eudoxo (cuius de summo bono sententiam Arist.commemorat.10. li. Ethicorum)aliquantulū quidem; sed non multum abhorret. Huius præcipui sectatores fuerunt, Metrodorus, Hermacus & Zeno, quem Philo, vt est apud Ciceronē in 1.de Natura Deorū Coriphęum Epicureorum solebat appellare,ad quorū societatē nō video cur nō sit aggregādus Lucretius,vir Romano genere clarus & in hac disciplina valde probatus & nobilis;qpe qui totā Epicuri Physiologiā latinis versib. diligēter exposuit.Hęc de Philosophia Ionica, nūc de Italica,dicēdū est.

Secta Epicurea.

Secta Pythagorica. Pythagoras Samius venit in Italiā regnante Tarquinio Superbo:tantāque cum disciplina & auctoritate tenuit magnam illam Græciam, multāque secula sic viguit Pythagoræorum nomen, vt nulli alij docti viderentur: cuius sapientiæ præiudicata opinio tantùm valuit apud eius auditores,vt cum quid affirmarēt,si quęreretur ex ipsis cur ita esset? nihil aliud responderent, quàm ipse dixit;ipse autem erat Pythagoras.Præceptor eius fuit Pherecydes Syrus.qui & primus Philosophorum, quod literis extet,dixit animos hominū immortales esse, & nō fabulosè more antiquorum (vt Arist.docet 14.Metaph.c. 6.)sed grauiter & seriò philosophari cœpit;quem apud sapientes sui temporis magni nominis & auctoritatis fuisse,perspicuu est ex Thaletis vita, quę est apud Laertium.Pythagoras igitur auctor fuit eius Philosophiæ quæ dicta est Italica,propterea quòd eā docuit in Italia maximè verò Crotone,magna frequentia & nobilitate discipulorū. Sectatores eius memorantur,Theano vxor,Thelauges filius,Empedocles, Epicharmus,Architas Tarentinus,Alcmæo Crotonitates(quā Arist.1. Metaph.c.3 cōfirmat fuisse tępore Pythagoræ iam senioris)Hyppasus Metapontinus & Philolaus.In secta autem Eleatica (quam initio diximus à multis subtici & subiecti disciplinæ Italicæ) hi ferè numerantur,Xenophanes,Parmenides, Melissus,Zeno Eleates,Leucippus, Democritus,quo tempore fuit etiam Hippocrates Medicorum princeps,& Heraclitus.De variis igitur sectis Philosophorum pro eo, ac visum est instituto nostro consentaneum, est vt opinor,dictum satis.Sua porrò cuiusq; sectę dogmata planè cognosci possunt,ex iis quæ de sectarum principibus Laertius,& alij memoriæ prodiderunt.Quanquam Platonis doctrinam breuiter & distinctè vno libello complexus est Alcinous:Epicuri autem Physiologiam (quæ tota,etiam pene Democriti est) Lucr. vt sup.diximus,elegāti & copioso poemate subtiliter explicauit.

Secta Eleatica.

Neque vero apud Græcos solùm Philosophia viguit,sed etiam apud Barbaros,atq; adeo multo priùs & purius:quod indicat Plato multis locis,vt initio Timæi,in Cratylo,in conuiuio & in Epimenide:& item Arist.in 1. Metaphy.loquēs de Ægyptiis Quamobrem Pythagoras,Democritus, Plato studio ac ipe addiscendi, externas & barbaras nationes adierunt,longinquásque terras peragrarūt.Quin etiā Aristotelē multa didicisse à quodam Iudæo & à Theophrasto magnopere laudatam esse Philosophiā Hebræorū,Eusebius confirmat lib.9.de Præparat. Euang.c. 1.& 3. testimonio Porphyrij, & Clearcæi Peripatetici; id quod Eusebius accepisse videtur ex Iosepho,libro primo aduersus Apionē.Illos etiam quos tanquam sapientes venerata est antiquitas, non Græcos, sed magnam partem Barbaros fuisse constat. Etenim Orpheus, Thrax fuit,Thales,Phœnix,Mercurius, Ægyptius;Zoroastes,Persa;Athlas,Lybicus,seu Phryx; Anachasis, Scyta; Pherecydes, Syrus: Deinde apud Hispanos, olim magistratus gerebant viri sapientia clari,differentes de natura,Deo & moribus. Apud Gallos sapientes habebantur Druidæ:Apud Ægyptios,Sacerdotes; Apud Babylonios, Caldæi, Apud Persas,Magi;Apud Iudos,Gymnosophistæ;Apud Hebræos,Prophetæ.Quinimo cunctarum pene artium, & scientiarum originem, & inuentionem multi antiquitatis scientissimi,& maximæ auctoritatis viri referunt ad Barbaros,& imprimis ad Hębreos:cuius rei nō parua nec obscura extāt

Philosophiā prius floruisse apud Barbaros quàm apud Græcos.

in sacris literis argumẽta. Verũ hac de re copiosissimè scripserũt, Iosephus duobus libris contra Apionem, Iustinus Martyr. in sermone Exhortatorio ad Gentes, Clemens 1. lib. Stromatum, Eusebius lib. 9. & 10. de Præparat. Euangel. Cyrillus 1. lib. contra Iulianum, Theodoretus in lib. de Græcanicis affectionibus. licet Diodorus. Siculus 1. lib. cap. 1. putet Græcis non esse Barbaros antiquiores, & Epicurus, vt in aliis, sic in hoc etiam delirans dixerit, neminem nisi Græcum, idoneum esse ad philosophandum. De Latinis autem nihil dicendum est, quippe cum Philosophiam à Græcis acceperint, eorúmque sectas alij alias secuti fuerint.

Illud etiam his quæ dicta sunt adiungi potest, Philosophorum sectas nomen sumpsisse vel ab eo qui instituit, vt Pythagorici, dicti sunt à Pythagora; vel à patria illius, vt Cyrenaici à Cyrene quę fuit patria Aristippi; vel à loco vbi philosophabantur, vt Academici, & Stoici; vel ab actione aliqua, vt deambulatione, vnde Peripatetici nomen inuenerunt; vel à genere vitæ, vt Cynici; vel ab electione & iudicio in philosophando, vt Ephectici vel Sceptici, qui auctore Pirrhone nullum esse certum iudicium rerum affirmabant. Quoniam verò multi in vna potissimum Philosophiæ parte fuerunt occupati, hinc alij dicti sunt Physici, vt ferè qui ante Socratem; alij Ethici vt ipse Socrates; alij Dialectici, vt Megarenses, Ex Priscis item Philosophis, quidam nihil in scriptis reliquerunt, vt Socrates. licèt D. Augustl. libro de Consensu Euang. cap. 7. affirmet Socratem impulsu dæmonis, quem sibi ipse familiarem esse iactabat, scripsisse fabulas Æsopi. alij vnum tantum opus, vt Parmenides, & Anaxagoras; alij multos libros, vt Plato & Aristoteles. Sed quia de sectis philosophorum dictum fuit: de tempore quo quisque eorum vixit ac floruit, etiam dicamus; est enim tractatio hæc, nec instituto nostro aliena, & scitu dignissima, certè studiosis philosophiæ non minùs vtilis quàm iucunda.

Explicatur, quo tempore floruerint nonnulli ex præcipuis Philosophis: sed prius agitur de ratione Olympiadum, quarum cognitio ad exponenda illorum Philosophorum tempora, mirificè confert.

CAP. III.

QVo tẽpore vixerint ac floruerint nõnulli ex iis Philosophis, quos paulò antè memorauimus; nẽpe qui in singulis sectis sapiẽtię nomine ac fama cęteris antecellue rũt, deinceps ostẽdamus. Verũ quoniã in descriptione & expositione horũ tẽporũ, nõ alia vtemur chronographia, quãe quę notatione Olympiadũ nititur, q, ea sit omniũ maximè certa & explorata, & ab antiquis scriptoribus Græcis iuxta & Latinis pro-

probata & vsurpata; necessarium esse duximus, quo melius intelligantur, quæ dicere voluimus, pauca quędam de ratione Olympiadum prædocere.

Vnde sũptum sit nomen Olympiadis

Nomẽ Olympiadis ductũ fuit ex ludis Olympicis, qui sacri Ioui Olympico, in Elide, maximo totius Græciæ, cõcursu, quinto quoque anno fiebant: spaciũ.n. eorũ quatuor annorum, qui inter vnã celebrationem ludorum Olympicorũ inclusiuè & alteram celebrationem proximè cõsequentẽ exclusiuè, interiecti sunt. Olympiadem appellarunt. Et quia id temporis spaciũ quadrienniũ cõtinens, erat tum maximè certum, fixum & immutabile, tũ etiam notissimum omnib. non Græcis modò sed quibusuis etiã Barbaris & externis gentib. propter famam illorum ludorũ ad omnes pene regiones peruagatã, & apud omnes gẽtes peruulgatã: idcirco historiographi & chronographi rationem & vsum Olympiadum ad constitutionẽ Chronographiæ, & ad notationem distinctionémq; tẽporum, meritò adhibuerunt. Sed quamquã nomen Olympiadũ ex Olympicis ludis sumptũ est, non idẽ tamẽ vtriúsque rei initiũ fuit: ludos namq; Olympicos multo priores & antiquiores fuisse quàm Olympiades, norunt quicunque memoriã antiquitatis vel leuissimè tenent. Legimus enim ludos Olympicos etiam ante bellum Troianũ magna celebritate fieri solitos: vsum autẽ Olympiadum, non ante quadringentos annos, post excidiũ Troiæ transactos, cœpisse constat. Verùmsquo tempore primùm instituti sint ludi Olympici, quisue primus eorũ auctor & inuentor fuerit, non idem sentiunt & scribunt omnes.

Ludi Olympici multò antiquiores Olympiadibus.

Velleius paterculus priore libro suæ Historiæ, certamen Ludicrũ Olympiorũ ad corporis animíq; virtutẽ excitandã efficacissimum, institutũ esse ait ab Iphito Elio, annis ante consulatũ Marci Vinicij (ad quem Velleius illã scripsit historiã) octingentis viginti tribus incidit autẽ Consulatus Vinicij (vt ipsemet Velleius paulò infra scribit) in annũ ab vrbe cõdita septingentesimũ octogesimum quintum, quare institutio ludorũ Olympicorum facta ab Iphito Elio, pręcessit vrbẽ Romã annis triginta octo. Sed cum eodem in loco Velleius dicat, certamen Olympicũ fuisse institutum ab Atreo, cũ is Pelopi patri funebres faceret ludos, in quib. omnis generis certaminũ Hercules victor extitit, annis ante sua tẽpora mille ducẽtis quinquaginta, hoc est antè Iphitũ annis plus quàm quadringentis; manifestum est Iphitum nõ fuisse primum Ludicri Olympici auctorẽ; sed vocari auctorẽ à Velleio, fortasse quod is ludos Olympicos iampridẽ intermissos, renouauerit, auxerit & illustrauerit: vel quod ab illo tẽpore initiũ acceperit vsus Olympiadum. Quamquam si descriptionẽ tẽporum eo loco po-

A quo instituti sunt ludi Olympici variæ opiniones.

sitam à Velleio subtiliter expẽdere voluerimus,cõperimus ludos Olympicos institutos fuisse ab Iphito annis sexdecim ante initiũ Olmpiadum:quod verũ sit nec ne,postea declarabitur.Permulti alij scriptores in primis nobiles auctorem primũ horum ludorum faciunt Herculem, qui socius fuit Iasonis in expeditione Argonautica ad rapiendum vellus aureum, Plutarchus quidẽ certè in Theseo ait Theseum constituisse ludos Isthmicos æmulatione Herculis,qui Olympicos constituerat: idẽ scribit Plinius lib.7.cap.58.Solinus cap.2.Diodorus Siculus lib.5.ca.2. & 4.fusius docet quemadmodũ Hercules ludos Olympicos in Eleorum regione iuxta Alphæum fluuium instituerit:Eusebius idem sentiẽs in chronicis, addit ex quo tempore Hercules hos ludos instituit, vsque ad primã Olympiadem, annos fluxisse quadringentos triginta: quamobrem initium certaminis Olympici præcessit, auctore Eusebio,excidium Troiæ,annis vigintiquinque; nam ipse in eodem opere, ab excidio Troiæ vsque ad primam Olympiadem numerat annos quadringentos & quinque,vel quadringentos & sex.Clemens quoque Alexãdrinus 1.li. Stromatum, auctorem Olympici certaminis facit Herculẽ: vide etiam Strabonem lib.8. Sed cum Pausanias omniũ subtilissimè & accuratissimè his de rebus scripserit,libentiùs opinioni eius accesserim:Is igitur in priori Eliacorum libro Herculem Idæum auctorem facit Olympici certaminis huius autem Herculis fratres quatuor fuere,quib. Hercules natu maximus huiusmodi certamen quasi per ludum proposuit,victorémque Oleastri corona donauit, & quia quinq; fratres erant,hos ludos quinquennales esse placuit.licet D.Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 12. ludos Olympicos quoliber quadriennio fieri solitos dicat, propter quadriennalem solis cursum,qui singulis annis tres horas adiiciens,quarto quoque anno diem integrum addit.Quoniam autem hos ludos qui postea cõsequuti sunt,vel intermissos renouarunt, vel imperfectos auxerunt & illustriores atque celebriores fecerunt,idcirco alij hoc inuentum tribuunt Pelopi & Peliæ,alij Climeno,alij Herculi Amphitrionis filio,alij Oxillo,alij Iphito Elæo.Victores huius certaminis Oleastro coronabãtur, quòd ea arbor cariem vetustatémque minimè sentiat,cui rei fidem facit Oleaster quo Hercules in hoc certamine victor coronatus fuit,ad Plinij vsque tempora religiosè custoditus.Statuæ etiam victoribus dicabantur.Vide Plinium lib.15.cap.4.& lib.6.40.& cap.vltimo.Quæ autem genera certaminum in eo genere ludorum exercerentur & quo tempore quodque inuentum & exhiberi cœptum fuerit, disertissimè Pausanias eodem in libro exponit.

Cur ludi Olympici quinquẽnales fuerint.

Cur victores in ludis Olympicis coronabantur Oleastro.

Fiebant

Fiebant autem ludi Olympici circa æstiuum solstitium,quo tẽpore & Olympiades & anni Olympici initium habebant: tunc enim apud Athenienses illos veteres & anni & primi mensis, cui nomen Hetacombœon, initiũ erat,vt testatur Simplicius Philosophus,explanans textum vigesimum quintum libri quinti Physicorum Arist.& copiosè demonstrat Theodorus Gaza in eo lib. quem de mensib.Atticis scripsit.His consentaneum est quod Herodotus ait lib.8.Xersem qui cum innumerabili propè exercitu innuente ætate maria transmisit ad debellandã Græciam repetisse Græcos in celebrandis Olympicis ludis occupatos.Non me fugit Ioannem Lucidum libro primo de Emendatione temporũ cap.8.& in libro de vero die passionis Domini, Hypothesi septima & octaua;pugnacissimè cõtendere,initium ludorũ Olympicorũ,& Olympiadũ,fuisse circa æquinoctiũ autumnale: Sed vir ille frustra & temerè communi veterum scriptorũ sententiæ repugnat;cui in iis quæ ad fidẽ veteris historiæ & chronographiæ pertinent,parum est credendũ,vt homini & antiquitatis minimè docto,& speciosis.Ioannis Annij figmentis,decepto.Verùm quæ de ludis Olympicis adhuc dicta sunt satis esse debent:deinceps ad Olympiades,quarũ gratia illa tractauimus veniamus. Ac primũ videamus quo tẽpore initiũ habuerint Olympiades.Initiũ Olympiadum ad tria tempora quæ maximè illustria & memorabilia fuerunt referri potest;ad tempus excidij Troiani;ad originem vrbis Romæ,& ad sacram chronographiam hoc est ad ea tempora, quæ in sacris literis describuntur:ũ referatur principium Olympiadum ad excidium Troiæ,Eusebius in chronicis,ait Olympiades incepisse annis post Troiam captam quadringentis quinque, vel quadringentis sex;idem sensit ante ipsum Iulius Africanus,& post ipsum idem quoque sensit D.Cyrillus primo lib.cõtra Iulianum.Velleius Paterculus priori libro suæ historiæ,initiũ Olympiadum facit posterius excidio Troiæ,annis quadrigẽtis & quindecim:Eutropius initio primi libri, anno post euersam Troiam trecentesimo septuagesimo secundo inchoat Olympiades. Sed longe probabilior eorum est sententia,qui ponunt initiũ Olympiadũ anno quadrigẽtesimo septimo vel quadringẽtesimo octauo post euersum Ilium. Hoc sẽtit Diodorus Siculus initio primi libri secutus Appollodorum. idẽ affirmat Clemẽs Alexandrinus primo lib.Stromatum;idẽ se comperisse,collatis Græcorũ & Romanorum tẽporibus,testatur Solinus capite secũdo:his adnumerare oportet M.Varronẽ,Dionysium Halicarnasseũ & alios, qui ab excidio Troiæ,vsq; ad originem Romę,recensent annos quadringẽtos trigita duos,vel quadringẽtos triginta tres:Romã au-

Quo tẽpore fiebant ludi Olympici & vndè inchoabãtur anni Olympiadum.

Contra Ioannem Lucidum.

Quot annis post excidiũ Troiæ ceperint Olympiades.

tem cõditam esse censent,primo anno septimæ Olympiadis. Ab hac sententia prope nihil discrepat Eusebius, quippe qui in chronicis(vt supra ostendimus)ab eo numero non nisi vno vel altero anno discedat:quãquam is in decimo libro de Præparatione Euãgelica capite tertio,à Troia capta vsq; ad primam Olympiadem annos quadragintos quinquaginta ex Græcorum historia colligi affirmat,nisi fortè mendum sit in illo numero,vt pro 405.trãspositio, o,post,5, mendose scriptũ sit 450.licèt ratio temporum quam ibi describit & subducit Eusebius, hanc nostram suspicionem refellat,nam vt ea constet,illum numerum annorum, 450. deposcit,vt promptius sit opinari errorem esse in sententia Eusebij,quàm mendum in scriptura. Cæpit autem prima Olympias Iphito Elio certamen Olympicum iampridẽ intermissum renouante,in quo certamine victor extitit Coræbus Elæus.Putarunt autem nonnulli,Iphiti in reuocando certamine Olympico socium & adiutorem fuisse Licurgum, qui Lacedæmoniis leges tulit: id quod Plutarchus in Lycurgo confirmat testimonio Aristotelis Philosophi,& eo argumẽto,quod discus Olympicus,Lycurgi prẽse ferat inscriptionem. Sed tũ eodem in loco Plutarchus multos ex veteribus testes excitat,qui Licurgum longè antiquiorem faciunt:tum Eusebius in libro decimo de præparatione Euãgelica ca.3.scribit Lycurgũ leges tulisse Lacedæmoniis annis cẽtũ ante primam Olympiadem:Cyrillus primo libro cõtra Iulianum,vetustiorem eum facit Olympiadibus, annis centum quadraginta. Eusebius in Chronicis,annis paulò pluribus quàm centum: Solinus capite 53.suæ historiæ ait Hesiodum mortuũ esse in auspiciis primæ Olympiadis, eo autem antiquiorem fuisse Homerum annis centum triginta & octo.Sed tam multę ac discrepantes inter se veterum de ætate Homeri,& Hesiodi apud Clementem in primo Stromatum,& apud Eusebium in decimo libro de Præparatione Euangelica capite 3.extant sententiæ,vt ea de re nihil certi decerni queat.Ergo si spectemus tempus excidij Troiani, oportet initium Olympiadum,annis post euersam Troiam quadringentis & septem vel quadringentis & octo collocare.

De tempore Licurgi.

De tẽpore Hesiodi & Homeri, opinio Solini.

Quot annis Olympiades præcesserint Romam cõditam,variæ opiniones.

De initio autẽ Olympiadum relato ad originẽ vrbis Ro.variè scripserũt veteres,aliis duodecima,aliis octaua,aliis septima,quibusdã sexta Olympiade Romã condentib Verũ Solinus ca.2.vbi hãc opinionũ varietatẽ memorat,Romã esse conditã primò anno septimæ Olympiadis,probat ea ratione quod cõsultauit. G.Pópeij Galli,& Q.Verannij,qui gestus est anno vrbis conditę octingẽtesimo primo,annotata est in publicis actis Olympias ducẽtesima septima,ex quo manifestũ fit,exordiũ vrbis cõditæ in principio

cipio septimę Olympiadis esse collocandum.Eandem sentẽtiam alio valde probabili argumento confirmat Dionysius Halicarnasseus,quod nũc cõsultò breuitatis causla,prætermitto. & certè si ab excidio Troiæ vsque ad initium Olympiadũ fluxerunt anni quadringenti & septem, vel quadringenti & octo , vt suprà docuimus,cũ plurimi grauissimique scriptores affirment,ab euerso Ilio vsque ad Romam conditam, præteriisse annos quadringentos triginta duos,vel quadringẽtos triginta tres (hoc enim fefit. M.Varro,Messala,Dionysius Halicarnasseus, Strabo,Solynus, & alij complures)necesse est exordiũ vrbis Romæ ponere in principio septimæ Olympiadis.principium igitur Olympiadum exordia vrbis Romæ.annis viginti quatuor antecessit.

Restat vt ad quod tẽpus eorũ quæ in sacra Cronographia recensentur,referendum sit initium Olympiadum breuiter videamus.Equidẽ arbitror Olympiades cœpisse regnãte in tribu Iuda Achaz octauo nimirum regni eius anno,quod ne longus sim,hac vna ratione demõstro.Cyprus primus Persarũ Rex,cœpit regnare anno primo Olympiadis quinquagesimæ quintæ , hoc est annis post initiũ Olympiadum,ducẽtis & sexdecim,id enim probat Euseb.in 10.li.de Præpara.Euang.cap.3. testimonio plurimorum & nobilissimorum scriptorum; sed ab octauo anno regni Achaz vsque ad primũ annũ imperij Cyri , intercedunt anni ducenti & sexdecim;etenim ab octauo anno Achaz, vsque ad vltimum annum Sedechiæ vltimi reges Iudæ colligũtur ex scriptura quarto libro Regum,anni cẽtum quadraginta sex:ab vltimo autem anno Sedechiæ, vsque ad primum annum Cyri, interceserunt septuaginta illi anni captiuitatis , solitudinis & vastitatis Iudæorum prędicti à Hieremia & toties in scriptura memorati:quos incœpisse ab vltimo anno Sedechiæ, & manifestũ est ex sacra scriptura,hoc confirmant Iosephus Iudæus , Clemens Alexandrinus Iulius Africanus,Eusebius,D.Hieronymus, D.Augustinus , Seuerus Sulpitius,Isidorus & Beda : desiisse autem eos primo anno Cyri, clarissimis verbis testatum habemus in sacris literis , in fine secũdi libri Paralipomenõ,in principio primi libri Esdrę,apud Hieremiam cap.25,& 29.& apud Isaiam ca.45. septuaginta verò annis prioribus centum quadraginta & sex additi,efficiũt annos ducentos & sexdecim, nẽpe tot quot ab initio Olympiadum vsque ad primum annum regni Cyri supra diximus interfluxisse.Habemus igitur constitutum initiũ Olympiadum,ostensum enim est cœpisse Olympiades annis post excidium Troiæ quadringentis septem,vel quadringentis octo,antè originem autem Romę,annis viginti quatuor; denique secundum Chronographiam sacræ

Quo Rege apud Iudæos regnãte cœperint Olympiades.

scripturæ anno octauo regis Achaz,li cèt Iulius Africanus, & Eusebius in chronicis;exordium Olympiadum referant ad tempus Ioathan regis Iudæ;& in 10.lib.de Præparatione Euang. cap.3.Eusebius inconstanter scribat de Olympiadum initio primò quidē ipsum ponens in anno quinquagesimo primo Oziæ Regis Iudæ, paulò autem infra ipsum reiiciens ad tēpus regni Achaz.Sed nobis,quibus quod supra docuimus,optima ratione conclusum videtur,nihil horum curę est.Quàm sit autem vera,exacta,expedita,fidéque digna ea Chronographiæ ratio quæ Olympiadum descriptione nititur,magno iudicio est,multitudo & præstātia scriptorum,qui hanc vnam numerandi &distinguendi tempora viā, atque rationem maximè probarūt & scriptis suis vsurparūt? Polybium dico,Diodorum Siculum,Dionysiū Halicarnasseum, Plinium,Solinum,Pausaniam,Diogenem Laërtium,Iosephum Iudæum,Clemētem Alexādrinum,Iulium Africanium,Eusebium D.Hieronymum,D.Cyrillum &alios quamplurimos.Scitum est illūd Iuli Africani & Iustini Martyris, de Olympiacæ Chronographiæ certitudine elogium:Ante Olympiades nihil in Græcorum historia exploratum inueniri,sed esse omnia cōfusis scripta temporibus:post Olympiades autem,quoniam quadriennio dili gentissimè cuncta notabantur,nullam temporum confusionem extitisse,Hæc Iulius Africanus in 3.libro Annalium,referēte Eusebio in decimo libro de Præparatione Euangelica cap.3. idémque ante Africanū, Iustinus Martyr in exhortatorio sermone ad gentes scriptum reliquit.Eusebius in chronicis ait,à tempore Olympiadum Græcam de temporibus historiam veram credidisse Olympiades autem,scriptores,vt cuique visum & libitum est, variās protulisse sentētias.Quocirca Marcus Varro apud Censorinum,totum illud tempus quod Olympiades anteceſſit fabulosum appellat.Sed quæ de ratione Olympiadum prædocere volebamus,ea sunt à nobis quantum putauimus satis fore ad id quod tractandum est,explicata.Sequitur igitur vt ad exponendā chronographiam eorum Philosophorum de quibus dicere instituimus,aggrediamur.

Quā præstās sit supputatio tēporum per Olympiades.

Exponitur duodecim clarissimorum Philosophorum Chronographia.

CAP. IIII.

CHronographiam duodecim Philosophorum,qui singulis in sectis splendore nominis,& opinione sapientiæ,cęteris eiusdem sectæ Philosophis præstiterūt,enarrandam susce-

dam suscepimus:eo,de singulis ordine dicturi,vt qui priores ęta te fuerūt, priorem quoque in explanatione huius chronologiæ locum sint habituri.A Thalete igitur qui vetustissimus Philosophorum est habitus ordiemur.

THALES.

THaletem,natū esse primo anno trigesimæ quintæ Olympiadis obiisse autem Olympiade quinquagesima octaua, ita vt ad nonaginta vixerit annos,confirmat Diogenes Laërtius primo lib.in vita Thaletis,testimonio Appollodori & Soficratis.Idē plane de ortu & obitu Thaletis scribit D.Cyrillus 1.lib.contra Iulianum,Tatianus apud Eusebiū lib.10.de præparatione Euangelica cap.3.Thaletem vetustissimum facit septem sapientū,quos Græcia coluit, vixisse autem eum circa Olympiadē quinquagesimā quod etiā affirmat Clemens Alexandrinus primo libro Stromatum. Ab his parùm diserepat Plinius lib.2.naturalis historiæ cap. 12.faciens eum sapientiæ fama florentem,Olympiade quadragesimaoctaua,Herodotus primo lib.& Eudemus, in historiis Astronomicis narrāt,quo tēpore Cyaxares penultimus Medorū Rex, cum Alyatte Lydorum Rege prælium volebat cōmittere, repētè solem,die in noctem verso defecisse. Eamque defectionē solis Thaletem Ionibus prædixisse.Clemens autem Alexandrinus primo lib.Stromatum illam solis Eclipsim euenisse dicit Olympiade quinquagesima:sed fallitur,nam Cyaxares obiit circa Olympiadem quadragesimam quintam:ei namque successit Astyages regnum tenens annis triginta quinque:post quē regnum accepit Cyrus anno primo Olympiadis quinquagesimæ quintæ. Hæc autem nota sunt & manifesta ex his,quæ cū ab aliis tum ab Herodoto memorię sunt prodita.Plinius in 2.lib.ca.12.& Euseb. in Chronicis,Eclipsim illam contigisse aiūt quadragesima octaua Olympiade:sed Plinius refert illam ad quartum annū Olympiadis quadragesimæ octauæ,qui fuit Romæ cōditæ annus cētesimus septuagesimus regnāte Alyatte Lydorum Rege: Eusebius verò eam inquit accidisse regnante apud Medos nō Cyaxare,sed Astyage eius filio,atq;ea ratione illud incōmodū quo Clemētem vrgebamus& redarguebamus,euadit.idē scriptū reperimus apud Ciceronē in 1.lib.de diuinatione Solinus cap. 20.eius belli quod inter Medos & Lydos gestum est memoriam faciēs ait ipsum inter Aliattem Lydorum,& Astyagem Medorum Reges factū esse, Olympiade nona &quadragesima,anno autem post Iliū captum sexcētesimo quarto.Verùm insigne mēdū, quod est in chronicis

De eclipsi solis quam prædixit Thales.

Insignemẽ dũ in chronicis Eusebij.

Eusebij,non debet à nobis silentio præteriri.ponitur.n. ibi Thales Milesius Physicus,iam sapientiæ fama conspicuus & illustris sub Olympiade octaua,eiꝰ autẽ obitus lõgissimè post denotatur, in Olympiade nimirum quinquagesima octaua,vt eum,ducentis&eo amplius vixisse annis,necesse fuerit;quod præterquãquòd perspicuè falsum,& absurdum est,aduersatur etiam iis,quæ idem Eusebius ait 10.libro de præparatione Euangelica cap.3.scribens Thaletem Cyri Regis tempore floruisse.D.Augustinus libro decimooctauo de ciuitate Dei capit.37.ait Thaletem vixisse regnãte apud Romanos Romulo,qui à septima Olympiade vsq; ad decimam sextam regnauit:quain re eum quem proximè refutauimus Eusebij errorem,secutus est.Thaletis æqualem fuisse Pherecydem Syrum Pythagoræ magistrum,satis declarant eorum epistolæ vltro citróque missę,quę etiam nunc extãt apud Laërtium. Pherecydem autem floruisse regnante Cyro Persarum Rege,auctor est Plinius libro 6.cap.56.cum autem ex epistola Pherecidis ad Thaletem,liceat intelligere,Pherecidem mortuum esse ante Thaletem cuius obitũ Laërtius ponit in quinquagesima octaua Olympiade,nescio cur postea Laërtius describens vitam Pherecydis,affirmet eum vixisse,circa Olympiadem sexagesimam nonam;cum si vera sũt quæ ipsemet antea scripserat,plusquam decem Olympiadib.ante obiisse eum necesse sit.Auditor Thaletis, & in Philosophia successor fuit Anaximãder quem ponit Euseb. in chronicis sub finem Olympiadis quinqũagesimæ.Laërtius,ait eũ Olympiade quinquagesima octaua egisse ætatis annũ sexagesimum quartum.Plinius lib.2.cap.8.Anaximandrum,inquit,primũ omnium aperuisse obliquitatem zodiaci.Olympiade quinquagesima octaua.Post Anaximãdrũ in eadem Philos.Ionica floruit Anaximenes,natus vt scribit Laërtius, Olympiade sexagesima tertia.cui successit Anaxagoras,de quo infra suo loco dicemꝰ.

Ex his igitur quæ à nobis adhuc cõmemorata sunt,licet cõcludere Thaletem floruisse circa Olympiadẽ qũinquagesimã:in hoc enim omnes ferè,quos supra citauimus scriptores, consentiunt.

Tempore Thaletis qui floruerint apud varias gẽtes præstãtes autẽ apud Hebræos.

Hoc autẽ tẽpore Iudæi erãt in captiuitate Babylonica quæ captiuitas initiũ habuit Olympiade trigesima septima, finẽ verò Olympiade quinquagsima quinta. Floruerũt tẽpore Thaletis apud varias gẽtes multi omnigenere laudis præstãtes viri:apud Iudæos quidẽ duo eximij Prophetæ Ezechiel,& Daniel,qui etiã vsque ad tertiũ Cyri Regis annum vixit,vti scriptũ est in lib.Danielis cap. 10,Apud Athenienses,eorũ legislator Solõ:qui leges scripsit anno trigesimo tertio Tarq.Prisci Romanorũ Regis.vt refert Gellius lib.17.cap.21.Apud Syros Pherecydes Pythagoræ magister: Epime-

nides apud Cretenses:denique septem illi Græciæ sapientes Tunc regnabat apud Lydos Crœsus:tunc Monarchia Medorum euersa est à Cyro,& ad Persas ttanslata.Postremò,Thales natus est sub initium regni Anci Martij,qui quartus fuit Romanorum Rex.floruit regnantibus Romæ Tarquinio Prisco, & Seruio Tullo quo Rege è viuis excessit,anno vrbis conditæ,circiter ducentesimo octauo.Hæc autem tum ex his quæ nos supra docuimus,tũ ex eis quæ scribit Solinus cap.2.facilè possũt intelligi.

PYTHAGORAS.

FVit quidẽ Pythagoras,ætate posterior Thalete, sed claritate nominis & doctrinæ,ac sapientiæ fama discipulorũmq; multitudine atque nobilitate,non prioribus modo Philosophis lõgè præstitit,sed posteriorum etiam summis,vel maior vel par fuit, inferior certè nullo.De cuius ætate tam varié scripserũt veteres, vt non decem aut viginti,sed centum & eo amplius annis, inter se differant.Etenim Plinius lib.2.c.8.facit eum iam doctrina florentem Olympiade circiter quadragesima secunda,anno autem vrbis conditæ centesimo quadragesimo secũdo.Eum autẽ fuisse in Ægypto,regnante ibi Semnesertæo,scribit libro 36. cap. 9. illius autem Regis principium regnandi facit Eusebius in chronicis;Olympiade quadragesima tertia, finem verò quadragesima quinta.At Diodorus Siculus lib.12. scribit eũ claruisse Olympiade octogesima tertia,nempe posteriorem eum faciens quàm Plinius annis cẽtum viginti. Verùm neutra opinio probabilis. Titus Liuius primæ Decadis libro primo ait Pythagorã regnante Romę Seruio Tullo floruisse in Italia cœpit autem regnare Seruius Tullus circa Olympiadem quinquagesimam.Liuio consentit Dionysius Halicarnasseus lib.2.dicens eũ vixisse in Italia post Olympiadẽ quinquagesimam.Idẽ sentit Eusebius 10.lib.de Præparatione Euangelica cap.3.quanquam in Chronicis scribit eum floruisse sexagesima quarta,obiisse autem Olympiade septuagesima,Clemens Alexandrinus 1.libro Stromatum,ait eum vixisse circa Olympiadem sexagesimam secundam.D.Augustinus li.18. de Ciuitate Dei cap.37.affirmat Pythagoram eo tempore Philosophatũ,quo soluta est Iudæorum captiuitas,hoc est Olympiade quinquagesima quinta.Laërtius eum floruisse ait Olympiade sexagesima & venisse in Ægyptum Amasíde apud Ægyptios regnãte,qui initiũ regnãdi fecit Olympiade quinquagesima tertia; finẽ autem sexagesimatertia,vt in Chronicis notat Eusebius, Ego miror Laërtiũ,ortũ Anaximenis Philosophi ponere in Olym

De ætate Pythagoræ variæ admodum sententiæ.

Quo tẽpore Pythagoras venerit in Italiam.

piade sexagesima tertia, quem tamen æqualem fuisse Pythagorę, eique familiariter notum, vtriusque epistolæ quas Laertius refert apertè declarant, Cicero in prima Tusculana ait Pythagoram venisse in Italiam, regnante Romæ Tarquinio Superbo, qui regnare cœpit circa Olympiadem sexagesimam primam: idemque confirmat Gellius lib. 17. cap. 21. at Solinus ca. 16. ait Pythagoram venisse in Italiã Bruto, qui reges vrbe exegerat Consule. In quarta Tusculana Cicero scribit Pythagoram floruisse in Italia, eo tempore, quo Brutus Romam dominatu regio liberauit, quod tempus Dionysius Halicarnasseus docet incidisse in Olympiadẽ sexagesimam octauam. Meritò igitur Cicero, Liuius, & Dionysius, locis supradictis opinionem eorum refellunt, qui Numam Pompilium, secundum Romanorum Regem, Pythagoræ, auditorem & sectatorem fuisse existimarunt. à qua opinione non videtur Clemens 1. lib. Stromatum abhorruisse, nec Plinius, aliique quos ipse memorat lib. 13. cap. 13. sed ex his quæ diximus, constat. Numam plurimis quàm centum annis Pythagora fuisse vetustiorẽ. Quin etiam Dionysius ostendit Crotonem vrbem, ad quam multis iam ante annis conditam, Pythagoras venit, regnãte ipso Numa fuisse ædificatam. Cicero libro primo de Oratore, Numam significat duobus ante Pythagoram seculis, fuisse. Plutarchus in Numa, scribit eam vulgi opinionem de Numa, quòd is Pythagoreus fuerit, inde fortasse ortam, quòd tempore Numæ floruerit Pythagoras quidam Spartanus, qui veniens in Italiam Numæ familiarissimus fuit; verùm hoc refellit Dionysius Halicarnasseus, affirmans id futile esse, cum à nullo veterum scriptorum fuerit memoriæ proditum. Probabilior illa Ciceronis coniectura, tantã fuisse in tota Italia de Pythagorę orum doctrina & sapientia famã & existimationẽ. vt qui sapiens haberetur, is contiuuò Pythagoræus putaretur: Numam igitur quod eum sapientẽ virum fuisse à maioribus accepissent, temporum vero, & ætatum differentiam, propter vetustatem ignorarent, quidam Pythagoræ auditorem crediderunt. Hanc Ciceronis coniecturã confirmant ea, quę scribit Plinius li. 34. c. 6. cum enim bello Samniti, consultus à Romanis Pythius Apollo, iussisset duobus Græcorũ gentis, vni sapientissimo, alteri fortissimo, statuas in vrbe, celebri loco dicari, Romanos vnã Pythagoræ, alteram Alcibiadi dicasse. vt mirũ sit eos vel sapientia Pythagorã Socrati, eiusdẽ Dei sententia sapientissimo omniũ pronũciato, vel fortitudine, Alcibiadẽ Themist, prętulisse.

Numam Pompiliũ secundum Regẽ Romanorum non fuisse Pythagoræ auditorem.

Omnibus igitur veterũ scriptorũ de Pythagoræ ætate sententiis inter se collatis, illud ceu similimum & proximum vero, constitui potest. Pythagorã eo tẽpore floruisse, quod inter sexagesimam & septuagesimam Olympiadem interiectũ fuit: in hoc enim conueniunt, atque consentiunt plerique nobiles scriptores, Cicero, Liuius, Dionysius Halicarnasseus, Clemens Alexãdrinus, Eusebius in chronicis & Diogenes Laertius. Diodorus Siculus lib. 12. Milonem illum Crotoniatem incredibili corporis robore præditum, æqualem facit Pythagoræ, vtrunque autem circa Olympiadem octogesimam tertiã floruisse: sed fallitur. Verius Herodotus, qui lib. 3. Milonẽ eo tempore vixisse significat, quo Darius Hystaspis filius regnum Persarum administrabat regnauit autem Darius ab Olympiade sexagesima quarta, vsque ad septuagesimam tertiam. Solinus cap. 4 ait Milonem enituisse tempore Tarquinij Romanorum regis, quod in idem tempus recidit. Aulus Gellius lib. 15. cap. 16. mendosa nescio quæ secutus chronica, falsò putauit, Milonem prima Olympiade floruisse. Eo autem temporis interuallo, quo vixit & floruit Pythagoras, multa, eáque illustria, & memorabilia contigerunt. Romani exactis regibus, potestatem Cõsulum instituerunt: Persæ, rege Cambyse victã armis Ægyptum imperio suo adiecerunt: Hebręi, Darij Persarum regis qui Cãbysi successit & cuius in priori libro Esdræ, & apud Zachariam prophetã sit mentio permissu & liberalitate, templum Hierosolymitanum instaurarunt Zorobabele principatum populi, summum aũt Pontificatum Iesu filio Iosedech regente, prophetantibus verò Zacharia, & Aggæo qui cum Malachia vltimi fuerũt Prophetarum; quorum in sacris libris extant scripta. Atque hoc loco velim lectorem considerare (id quod perutilem, atque periucundã habet contemplationem) quemadmodum quo tempore apud Græcos propè infans erat philosophia, & sapientia. eo tempore fuisse eam apud Hebræos vetustissimam, & (si fas est ita loqui) penè decrepitam: nouissimos enim sapientum, & prophetarũ qui fuerunt apud Hebræos, cõstat fuisse συγχρόνους antiquissimis, atque adeo primis Græcorum sapientibus.

Error Diodori Siculi.

Quę memorabilia in orbe cõtigerint tẽpore Pythagoræ.

Nota.

HERACLYTVS.

EXtant duæ apud Laertium epistolæ, vna Darij Persarum regis Heraclytum ad se humanissimè accersentis, eiúsque se auditorem & discipulum esse cupientis, multáque ei benigne pollicẽtis: Altera ipsius Heraclyti profectionem ad Persas abnuentis, & tanti Regis promissa literarum otio & studio Philosophię postponentis. Idem cõfirmans Clemens 1. lib. Stro. ita scribit, *Heraclytus posterior fuit Pythagoræ, vtpote cuius ipse meminit in suis scriptis, hic despexit Darium regem adhortantem se, vt ad Persas veniret.* Hęc Clemens.

Ex quo licet intelligere, vixisse Heraclytum, eiúsque nomen in Philosophia clarum fuisse regnante apud Persas Dario Hystaspis filio, regnauit autem Darius ab Olympiade sexagesima quarta vsque ad septuagesimam tertiam. cum quo Laertius consentit, scribens eum claruisse circa Olympiadem sexagesimam nonam. Eusebius in chronicis de ætate Heraclyti inconstanter scribit, nam cum dixisset eum floruisse Olympiade septuagesima, postea inquit, eum clarum in Philosophia fuisse habitum Olympiade octogesima. Vixit autem Heraclytus annos sexaginta.

ANAXAGORAS.

ANaxagoram æqualem Pythagoræ facit Eusebius lib. vltimo de Præparatione Euangelica cap. 4. in chronicis autem paulò posteriorem eum facit Pythagora, scribens floruisse illum defuncto Pythagora circa Olympiadem septuagesimam. Fuit Anaxagoras magister Archelai Philosophi, Euripidis Poetæ, & Periclis Athenienſium principis, qui ob incredibilem eloquẽtię vim, dictus fuit tonare, fulminare, totam Græciam permiscere. Hunc Periclẽ Diodorus Siculus lib. vndecimo affirmat Olympiade octogesima prima floruisse. Plin. lib. 2. cap. 58. ait Anaxagorã Olympiadis septuagesimæ octauæ secundo anno, cœlestium literarum scientia prædixisse, quo die casurus esset è sole lapis, quod ita euenit, vt ab eo prædictum fuerat. Auctor est Diogenes Laertius, Anaxagoram vigesimum ætatis annum egisse, quo tempore Xerses in Græciam transiit; eius autem Regis in Græciam transitum Eratosthenes apud Clementem primo lib. Stromatum, & Diodorus Siculus lib. 11 notarunt in primo anno Olympiadis septuagesimę quintæ. Apollodorus in chronicis refert Anaxagorã floruisse Olympiade septuagesima, obiisse autem septuagesimæ octauæ Olympiadis anno primo. De hoc igitur ferè conuenit inter omnes, Anaxagoram vixisse, & claruisse, eo tractu tẽporis, qui inter Olympiadem septuagesimam & octogesimã, interiectus fuit. Hoc temporis spatio, regnarunt apud Persas Xerses, & filius eius Artaxerses cognomento Longimanus. Hic Esdram, & Neemiam, (vt scriptum est in 1. & 2. lib. Esdræ) misit Hierosolymam, ad corrigẽdos mores populi Iudaici, ad constituendum, & ornandum cultũ diuinum, & ad muros eius verbis extruẽdos atque muniẽdos. quę murorũ ędificatio cœpit anno regni huius Artaxersis vigesimo. hoc est anno quarto Olympiadis octogesimæ tertiæ, nã regnare cœpit (auctore Diodoro lib. vndecimo) anno primo Olympiadis septuagesimæ nonæ. Ab hoc autem tempore initium sumere oportet numerandi septuaginta illas Danielis hebdomades: id quod video & ipsum Danielem satis perspicuè indicare cap. 9. & non paucos eósque in primis graues atque præstantes scriptores Ecclesiasticos memoriæ prodidisse. Hoc etiam tempore Athenienses nobilissimas illas, maximéque memorabiles de Persis victorias, Marathonicam, Salaminiam & Plateæniem, ducib. Miltiade, Themistocle, & Aristide retulerunt. Ferunt primos Philosophorum, Pherecydem Syrum & Anaxagoram, illum quidem, immortalitatem animi nostri, hùc autem, Deum quem ipse Mentem vel Intellectum vocabat, esse mundi cunctarúmque rerum opificem, Græcos docuisse: vt permirum sit, priores Philosophos qui hæc ignorarunt, sapientum nomen, & honorem habuisse; & duas has res, quarum cognitio cunctis mortalibus optatissima est & ad bene piéque viuendum maximè necessaria, tã serò ad Græcorum notitiam peruenisse.

Vnde initium numerandi septuagintã hebdomadesDanielis sumendum sit.

Qui primi Philosophorũ animi nostri immortalitatẽ et Dei efficientiã Græcos docuerint.

DEMOCRITVS.

DEmocritus in eo opere, quod inscripsit paruum Diacosmũ; ait se iuuenem eo tempore fuisse, quo iam senex erat Anaxagoras, vt pote minorẽ natu, quàm ille erat, annis quadraginta; addit etiam se opus illud cõposuisse, anno post excidium Troiæ quingentesimo trigesimo: quod si verum esset, vixisset Democritus circa trigesimam Olympiadem, hoc est multo ante Thaletem & septẽ sapientes: quod cum perspicuè falsum sit necesse est, vel errasse Democritum in Chronographia, vel, quod est credibilius, numerum illum annorum postea fuisse vitiatum, vt legendum sit, itáque à Democrito scriptum fuerit (anno post excidiu Troiæ septingentesimo trigesimo) cum quo consentit id quod scribit in Chronicis Apollodorus, affirmans eum floruisse circa Olympiadẽ octogesimã, & Plinius lib. 30. cap. 1. dicens eũ floruisse circa bellum Peloponesiacum, hoc est ab vrbe condita anno trecentesimo, quod tempus incidit in octogesimam primam Olympiadem: Ab excidio autem Troiæ vsque ad octogesimam primam Olympiadem fluxerunt anni septinginti trigenta. Trasyllus in eo lib. qui inscribitur de legendis Democriti lib. memorat Democritum annis septuaginta septem maiorem natu fuisse quàm Socratem. Herodotus inquit (auctore Laertio) Xersem regem hospitatum esse apud patrem Democriti tunc temporis pueri, eíque reliquisse Magos quosdam & Chaldæos, à quibus Theologiam, & Astrologiam didicit. Hippocratem Medicorum principem ęqualẽ fuisse Democriti, & Plinius lib. 30. c. 1. testis est, & confirmat apud Laertiũ Athenodorus, scribens Hippocratem cum ad curandum

Tempore Democriti floruit Medicorũ princeps.

ceps Hippocrates.

Democritum morbo laborantem veniſſet, multis in rebus explo ratam & cognitã eius ſapientiam fuiſſe demiratum: quare cõſtat falſam fuiſſe eorũ opinionẽ, quos Cornelius Celſus initio ſui operis ait credidiſſe. Hyppocratem fuiſſe Democriti diſcipulum. Gloriatur Democritus apud Clementem primo lib. Stromatum, & apud Euſeb. 10. de Præparatione Euang. c. 2. ſe octoginta annis abfuiſſe à Patria, plurimas, longiſſiméq; diſſitas regiones peregrinando atque perluſtrando, quo maiores ſapientiæ opes vndique conquiſitas ſibi compararet. Obiit centeſimũ nonum ætatis annum agens. Euſebius in Chronicis facit eum æqualem Anaxagoræ, & floretem circa ſeptuageſimam Olympiadem: ſed falſo, nam ſupra demonſtratum eſt, Anaxagoram initio ſeptuageſimæ quintæ Olympiadis, fuiſſe viginti annorum: quare natus fuerat initio ſeptuageſimæ Olympiadis: dictũ etiam fuit Democritum annis quadraginta minorem natu fuiſſe, quàm Anaxagoram. Ergo tantum abeſt vt floruerit Olympiade ſeptuageſima, ſicut ait Euſebius, vt natus fuerit octogeſima: quanquam ne hoc quidem verũ eſſe videtur, nam ſi natus eſt Olympiade octogeſima, vixit autem centum & nouem annis, ergo peruenit vſque ad Ariſtotelem annos iam circiter triginta natum, quod apertè falſum eſt, quare vel quod dicitur de tempore ortus eius, vel quod de longitudine vitæ affirmatur, pro vero habendum non eſt.

Equidem cum opiniones veterum de ætate Democriti conſidero, eas tam varias & diſcrepantes inter ſe reperio, vt ea de re nihil certi habeam conſtituere. probabile tamen eſt Democritũ circa ſeptuageſimam ſecundam Olympiadem eſſe natum. ſiquidem is puer erat Olympiade ſeptuageſima quinta, quo tempore Xerſes Perſarum Rex in domo eius eſt hoſpitatus, vt memoriæ prodidit Herodotus, qui eodem illo tempore floruit, vt docet Diodorus Siculus lib. 3. cap. 9. quanquam Plinius lib. 12. cap. 4, ait Herodotum Thuriis in Italia compoſuiſſe hiſtoriam ſuam anno vrbis conditæ trecenteſimo decimo, nempe circa octogeſimam tertiam Olympiadem. Veriſimile igitur eſt ætatem Democriti, cuius prope æqualis fuit Herodotus, meliùs ipſi Herodoto, quàm poſterioribus hiſtoriographis, fuiſſe cognitam, illud quoq; quod Plinius, Apollodorus, Thraſyllus, aliíque prodiderunt, cum circa Olympiadem octogeſimam, hoc eſt ab octogeſima, vſq; ad nonagesimam floruiſſe, probabile eſt. Illud certe video inter multos ſcriptores conſtare, Democritum & Hyppocratem tempore belli Peloponeſiaci floruiſſe, quod geſtum eſt circa Olympiadem octogeſimam primam, vt ſupra ex Plinij ſententia docuimus. Quod autem affirmat Euſebius lib. 10. de Præparatione Euangelica

De ætate Herodoti Hiſtorici.

lica cap. 3. Democritum fuiſſe Olympiade quinquageſima, annis poſt Troiæ excidium ſeptingentis, id duplicem cõtinet errorem; nam Olympiade quinquageſima, ne pater quidem Democriti natus erat, & ab excidio Troiæ, vſque ad quinquageſimam Olympiadem, non plures quàm octo & ſexcenti anni numerantur.

PARMENIDES.

VIdetur fuiſſe Parmenides paulo antiquior Democrito: Nam Clemens Alexandrinus primo libro Stromatum; eumque ſecutus Euſebius decimo libro de Præparatione Euangelica cap. 3. & Ariſtoteles lib. 1. Metaphyſicæ, aiunt Parmenidem Xenophanis auditorem fuiſſe, Parmenidis Zenonem, Zenonis Leucippum Leucippi Democritum; itaque Parmenidem non paucis annis faciunt Democrito priorem, Deinde Plutarchus in Pericle, ſcribit Periclem non ſolum Anaxagoræ, ſed etiam Zenonis, qui fuerat diſcipulus Parmenidis, auditorem fuiſſe, ergo Zeno æqualis fuit Anaxagoræ, quo Democritum minorem natu fuiſſe quadraginta annis, ſupra oſtendimus; ſi Zeno prior fuit Democrito, Parmenidem Zenonis magiſtrum, eo antiquiorem fuiſſe neceſſe eſt. Ad hæc ſiue Parmenides auditor fuit Xenophanis Colophonij, vt tradunt Clemens Alexandrinus, Euſebius, & Ariſtoteles locis ſupradictis & Laertius in Parmenide: ſiue vt cenſet Theophraſtus apud Laertium Anaximandri diſcipulus fuit, neceſſe eſt eum floruiſſe circa ſeptuageſimam Olympiadem, Nam & Xenophanẽ, & Anaximandrum circa ſexageſimam Olympiadem claruiſſe, manifeſtum facit Laertius, Clemens, & Euſebius, Democritum autẽ ſeptuageſima Olympiade, ne natum quidem fuiſſe, ex his quæ ſupra diximus cum eius Chronographiam exponeremus, perſpicuum eſt, Verumtamen Parmenidem non eſſe adeo antiquum, ſed fuiſſe propemodum æqualem Democriti. & vtrunque poſt octogeſimam Olympiadem floruiſſe, vel eo argumento probari poſſet, quòd Plato in eo dialogo, qui inſcribitur Parmenides, indicat Socratem iuuenem colloquentem atque diſſerentem cum Parmenide iam quidem ſene, ſed non decrepito, quin etiam eo tempore, opinione & fama ſapientiæ multùm florente. Natus eſt autem Socrates Olympiade ſeptuageſima ſeptima, vt illum eius ſermonem, quem is iuuenis cum Parmenide habuiſſe dicitur, veriſimile ſit circa Olympiadem octogeſimam tertiam, vel quartam, fuiſſe habitum. Non me latet quoſdam arbitrari totum illum Socratis cum Parmenide ſermonem à Platone contra Cronographiæ rationem & veritatem fuiſſe confi-

De ætate Parmenidis diſceptatio.

ctũ Parmenidémve ante Socratis ortum vita fuisse defunctum. Sed de his opinetur quisque quod ei magis libuerit. Illud certè non ferendum quod ait Laertius Parmenidem floruisse circa Olympiadem nonagesimam nonam, cum proximè post, discipulum eius Melissum florentem faciat Olympiade octogesima quarta. Socrates sane qui iuuenis erat sene iam Parmenide, obiit septuagenarius Olympiade nonagesima quinta. Insignior alter eiusdem Laertij error, Zenonem Eleatem, minorem natu quàm Parmenidem, eiusque discipulum, circa sexagesimam Olympiadem, clarum in Philosophia fuisse affirmantis; cum id temporis Zenone natus quidem esse potuerit. Sed sint hæc non Laertij, sed scriptorum, vel Typographorum errata, à quibus numeros vitiari & corrumpi solere, notissimum est atque vsitatissimum.

EMPEDOCLES.

EMpedocles Xenophanis, vel vt aliis placet, Parmenidis æmulus, secta Pythagoreus æqualis Zenonis Eleatis. Magister Gorgię insignis admodum tempore Socratis, sophistę ac rhetoris, descripsit transitum Xersis in Græciam, qui fuit septuagesima quinta Olympiade. Hæc Laertius ex antiquis scriptoribus accepta memoriæ prodidit; à quo parum discrepat Eusebius in chronicis, scribens Empedoclis nomen Olympiade octogesima prima clarum & illustre fuisse. Arist. primo libro Metap. ait, Empedoclem ætate quidem inferiorem fuisse Anaxagora, operibus verò superiorem. Ex his autem licet intelligere, quatuor proximè memoratos Philosophos, Anaxagoram, Democritum, Parmenidem, & Empedoclem, vel eadem plane ætate, vel certè haud lõgo temporis interuallo disiunctos; hoc est ab octogesima, vsque ad nonagesimam Olympiadem floruisse.

SOCRATES.

NAscitur Socrates anno quarto Olympiadis septuagesimæ septimę, moritur septuagenarius anno 1. Olympiadis nonagesimæ quintæ, quemadmodũ Apollodorus in chronicis, & Demetrius Phalereus tradiderũt. Eusebius in chronicis, ortũ Socratis ponit in anno secũdo Olympiadis septuagesimæ octauę, quo anno Themistocles interiit. obitũ autem refert ad annum 3. Olympiadis nonagesimæ quintæ, annos vitæ duos & sexaginta ei assignãs. Paucis aliquot annis ante Socratis obitũ, hoc est circa Olympiadẽ nonagesimã tertiã, imperium Persarum suscepit Artaxerses cognomẽto Memnon, vir lenitate ingenij, beneficentiæ splẽdore, amplitudine imperij, secundóque rerũ successu maximus omnium qui in Perside regnarunt, vel certè maximis par: cuius res gestas Ctesias Gnidius, Dinon, Xenophon & Plutarchus perscripserunt. Hic est, vt placet Eusebio, & vero mihi sit verisimile, ille maritus Hester fæminæ Hebreę qui in libro Hester primùm quidem vocatur Assuerus, postea verò, sub finem eiusdẽ libri nominatur Artaxerses: sub hoc Rege tota prope Iudæorum gens, opera & beneficio Hester atq; Mardochęi, liberata est à supremo exitio & interitu, quem ei Aman primus apud Regem Satrapa, odio Mardochæi fuerat machinatus. Non ignoro Iosephũ lib. vndecimo antiquitatũ, & D. August. li. 18. de Ciu. Dei c. 36. in ea esse sententia, vt Assuerum illum maritum Hester, Artaxersem Lõgimanũ filium Xersis, eius inquã Xersis, qui Græciæ tãto apparatu bellum intulit, fuisse arbitrentur. Sed ego vt id credam in animũ inducere non possum: si enim regnante Longimano Hester & Mardochæus florũissent, non est dubitandũ quin Esdras, qui eodẽ illo tempore vixit, eiúsque temporis historiã pertexuit, & illi Regi in primis charus fuit, aliquam tantæ fæminæ, tãtique viri mẽtionem fecisset. Nã quod ait Iosephus lib. vndecimo antiquitatũ, Regem illum à quo Esdras & Neëmias cũ amplissimis muneribus Hierosolymã missi sunt, fuisse Xersem patrem Longimani, falsum esse declarat posterior Esdræ liber cap. 13. in quo trigesimus secundus regni Artaxersis annus memoratur Xersem aũt, vel viginti vel vno & viginti dũtaxat annis regnasse, inter oẽs fere historicos cõstat, certè ad trigesimũ annũ nemo eius regnum produxit. Verùm de his quæ ad sacram chronographiam pertinent, alio quodam libro in hoc separatim à nobis elaborato copiosè disseruimus. Erat iuuenis Socrates florentib. apud Hębreos Esdra & Neëmia. Etenim vigesimo anno Artaxersis Lõgimani: quo Neëmias à Rege missus ad erigendos muros Hierosolymitanos, Socrates annum vigesimum quintum agebat: Socrates enim natus est Olympiadis septuagesimæ septimæ anno quarto, Artaxerses aũt regnare cæpit, vt ait Diodorus Siculus li. xj. anno 1. Olympiadis septuagesimæ nonæ. Quocirca quod scribit D. Aug. lib. 18. de Ciu. Dei cap. 37. Socratẽ fuisse post Esdram, sic interpretari oportet, vt illos eodẽ quidẽ tempore vixisse, Socratẽ tamen ipso Esdra ceu iuuenem viro, aut etiam sene, posteriorẽ fuisse intelligamus.

Reprehẽditur Iosephus Iudæus.

Qui floruerint apud Hebræos tẽpore Socratis.

PLATO.

EVsebius in 10. lib. de Præparat. Euangelica extremo cap. 3. ait Platonẽ clarum fuisse, eo tẽpore quo desiit Imperiũ Persarũ,

Error Eusebij circa ætatẽ Platonis.

vel paulò antè Alexandrum, & quadringentis annis ante Augustu Cæsarem, vt paulo amplius. In quibus verbis eminet adeo manifestus & insignis error, vt eum no vidisse Eusebiu, qui alia permulta in Chronographia vidit, non satis mirari queam. Etenim ab Alexandri Magni ortu, qui fuit centesima quinta Olympiade, vsque ad ortum Augusti, qui fuit Cicerone Consule, anno vrbis conditæ sexcentesimo nonagesimo & Olympiade cetesima septuagesima nona, non interfluxerunt anni trecenti. D. Augustinus lib. 9. de Doctrina Christiana cap. 28. D. Ambrosij testimonio cõfirmat. eo tempore Platonem venisse in Ægyptum, quo tempore ibi erat Hieremias Propheta. & ab hoc multa illum de reb. diuinis fuisse edoctum: sed postea cognoscens id esse falsum) Hieremias enim fuit in Ægypto eversa vrbe Hierosolymitana, & populo Hebræo in captiuitatem Babylonicam abducto, quod circa Olympiadem trigesimam octauam euenit: Plato autem natus est Olympiade octogesima octaua nempe ducentis annis post Hieremiam (idem August lib. 2. Retractationum cap. 4. & li. 8. de Ciuit. Dei cap 11. scribit Platonem annis post Hieremiam centũ esse natum: sed vera Chronographiæ ratio ducentos circiter annos inter Hieremiam & Platonis ortum intercessisse docet. In li. autem 18. de Ciuit. Dei cap. 37. scriptum reliquit, non multo post Esdram. Platonem esse natum: & rectè quidem non multò post, nam Esdras in posteriori libro mentionem facit trigesimi secundi anni regis Artaxersis, qui incidit in Olympiadem octogesimam sextam, vna autem Olympiade post, ortus est Plato.

Opinio D. Aug. de Platonis ætate.

Ergo Platonem natũ esse Olympiade octogesima octaua, tradidit Apollodorus in Chronicis, quo anno Pericles obiit, Isocrate sex annis minor natu vigesimũ annũ agẽs, Socratẽ audire cœpit, quo defuncto, Cratylo Heraclitì & Hermogeni Parmenidis discipulis operam dedit: nondũ triginta annos natus, peregrinari cœpit & varias regiones discẽdi cupiditate, peragrauit. obiit octogenarius Olympiade cetesima octaua, Plato (inquit Tullius in li. de Senectute) vno, & octogesimo anno. scribẽs mortuus est. Reliquit successorẽ Speusippũ ex sorore nepotẽ, qui scholæ præfuit octo annis: post quem Academiã tenuit Xenocrates annis viginti quinque vsq; ad Olympiadẽ centesimã decimã sextã, post Xenocratẽ Polemon, Crates & Crantor in Academia floruerũt. His successit Arcesilas Mediæ inuentor Academiæ, florens circa cetesimã vigesimã Olympiadem, cuius in eadẽ schola successor fuit Lacides circa Olympiadem centesimam trigesimã quartam, hic Nouæ Academię auctor fuisse dicitur: post quẽ Carneades floruit circa centesimam sexagesimã secundã Olympiadem defunctus: vir

Successorũ Platonis ætates.

vir toties, tantúmq; à Cicerone laudatus. Et quia principatus Machabęorũ (de quo scriptum est primo lib. Machabæorũ) circa Olympiadem cetesimam quinquagesimam quartam initiũ habuit videtur hic Philosophus illo eodem tẽpore floruisse. Multo post hos tempore, Plotinus fuit, Imperante Galieno, magister Origenis & Porphyrij, à quo eius vita diligẽter perscripta est, quinquaginta quatuor libros scripsit, Platonicè sanè, hoc est obscurè, apud eius sectæ amatores, post Platonẽ, primas Plotinus tenet. Verũ ad Platonẽ reuertamur: Eius tẽpore Artaxerses, vel vt alij vocãt, Darius Ochus, Persarũ regnũ accipit, vir ingenio ferox, æuus atque in Iudæos crudelis: id quod ex his quæ Iosephus lib. 11. antiquitatũ, & Eusseb. in Chronicis scribũt manifestum est. Huc regẽ Seuerus Sulp. li. 2. sacræ historiæ, putat esse illũ Nabuchodonosor, cuius sacræ literæ initio libri Iudith, mentionem facit: ex quo efficeretur: Iudith quæ obtruncato Holopherne, & patriã liberatissima obsidione, & vniuersã Hebræorũ gẽtẽ ab vltimo exitio liberauit, æqualẽ fuisse Platonis: sed fallitur Sulpitius, Iudith namque multò antiquiorẽ fuisse, quinetiam ante Babylonicam Iudęorum captiuitatẽ extitisse, multis & quidem probabilibus argumentis probari potest: Verum his de rebus, alio loco disputandum est.

Refellitur opinio Seueri Sulpitij.

Illud in præsentia taceri non potest, florente Platone, Romam captam, & vastatam esse à Gallis, Capitoliũmq; septem mensibus obsessum, sed Camillo Imperatore, nõ ab vrbe solum pulsi sunt, sed etiam cæsi, atque profligati. Hoc autem euenisse anno vrbis conditæ trecentesimo sexagesimo quarto, testatur Plinius lib. 33. cap. 1. Eutropius lib. 1. Orosius lib. 3. Dionysius Halicarnasseus lib. quinto ait, constare inter omnes scriptores Romam captam esse à Gallis, anno Primo Olympiadis nonagesimæ octauæ quod in idem recidit. Quare miror, Eusebium in Chronicis hoc ad initiũ Olympiadis nonagesimæ septimæ retulisse: sed quatuor vel quinque annorum erratum dissimulari & condonari potest, *Roma capta est à Gallis anno vrbis conditæ* (inquit Plutarchus in Camillo) *trecentesimo sexagesimo & aliquanto amplius, atque id audisse testatur Aristoteles.* Hæc Plutarchus. Platonis tẽpore multi in omni genere laudis excelluerũt: in re bellica Agesilaus, Epaminõdas, Philippus pater magni Alexãdri: in Historia Xenophõ: in Astrologia Eudoxus: in Rhetoricę arte Isocrates: in Philosophia Pythagorica, Archytas Tarentinus: in Cynica Diogenes: tuc vterq; Dionysius Siciliam tyrannide oppressam tenuit. quam excussit Dion Syracusanus, victo eiectóque ex insula Dionysio iuniori: quo tempore etiam Transibulus Athenas, oppressas à Tyrannis in libertatem pristinam restituit.

Tempore Platonis Roma capta est à Gallis.

Qui floruerint tempore Platonis.

ARISTOTELES.

NAscitur Aristoteles primo anno Olympiadis nonagesimæ nonæ. Platone minor natu, paulò amplius quadraginta annis anno primo Olympiadis centesimæ tertiq, cum is esset annorũ decem & septem, ad Platonem iam sexagenarium audiendũ accessit, apud quẽ annis circiter viginti, hoc est ad quartum vsque annum Olympiadis centesimæ septimæ, est cõmemoratus, anno secundo Olympiadis centesimæ nonę, ad Philippũ Macedonium Regem se contulit, à quo filium eius Alexandrum annos natum quindecim Philosophiæ prçceptis imbuẽdum, annum ipse agens quadragesimum secũdum, accepit. in quo munere quinquennio consumpto postea secundo anno Olympiadis cẽtesimæ vndecimæ, Athenas cõcessit, & in Lycæo tredecim annis Philosophiam docuit. erat autem annorum circiter quinquaginta cum ibi docere cæpit. tandem profectus Chalcidem anno tertio Olympiadis centesimæ decimæ quartæ, tres & sexaginta annos natus, biẽnio post mortem Alexandri Magni, eodem autem anno quo Demosthenes orator interiit. Hæc Apollodorus, Hermippus, Trogus Pompeius, Plutarchus, Eusebius, & Laërtius, tradiderũt. Aulus Gelli. lib. 17. cap. 21. scribit Aristotelem natum, post recuperatam, & à Gallis liberatam Romam anno septimo, qui incidit in annũ tertium Olympiadis nonagesimæ nonæ. D. Iustinus Martir in sermone exhortatorio, quem scripsit ad gẽtes, ait Aristotelem, quod quæstionem de admiranda vi, & natura Euripi propositam sibi, explicare non posset, pudore simul atque tædio victum ex hac vita migrasse. Plinius lib. 29. ca. 1. ait ex filia Aristotelis, genitum esse insignem illum medicum Erasistratum, cuius in sanãdo Antiocho rege Seleuci Nicanoris filio, multùm spectata & nobilitata solertia & prudentia est, quique sanati regis mercedẽ à Ptolemæo eius filio centum talenta accepit. Hunc Erasistratum Plinius Chrysippi discipulum facit: sed haud scio, an ei constet ratio temporum cum Chrysippus circa Olympiadẽ centesimã quadragesimã floruerit: probabilius est quod alij prodiderũt, Theophrasti eum fuisse auditorem, quibus Laërtius in Theophrasto non dissentit: quanquam idem Laërtius in Chrysippo, ait, alium quẽdam Chrysippum Gnidium medicum fuisse, à quo Erasistratus testatur se multa didicisse.

Quomodo Arist. obierit secũdum Iusti num Martyrem.

Erasistratus medicus. Arist. fuit ex filia nepos.

Memorabilis historia.

Floruit autem ætate Aristotelis apud Hebræos, Iaddus summus Pontifex, qui habitu & ornamentis Põtificiis obuiã processit Alexandro Magno hostiliter Hierosolymã petenti: cuius Pontificis aspectu solo, vsq; adeo Regis animus ad benevolentiã eius gẽtis, & Pontificis reuerẽtiã fluxus est: vt Iudæis amicè consalutatis honoratóque

noratóque Pontifice, nomen Dei, quod is capite gestabat laminæ aureæ insculptum supplex adorauit, affirmans sibi eodem illo habitu Deum, in Dio Macedoniæ apparuisse, pollicẽtem se illius Dei ductu Persarum imperio potiturũ. Alexander igitur veniẽs Hierosolymam, templúmque ingressus, Deo sacrificauit, templũ amplissimis muneribus. maximo honore Pontificẽ, plurimisque beneficiis Iudæos afficiens, ostẽsóq; ei libro Danielis, in quo prædictũ erat fore, vt Persarũ imperium à quodã Rege Græcorũ funditus euerteretur, eum se Regem esse interpretatus, læto fidẽtíq; animo aduersus Darium exercitũ mouit, nõ dubiã habẽs victoriæ spem, duplici oraculo, Dei, & Vatis, sibi promissæ. Hæc ex Iosephi vndecimo antiquitatũ libro descripsimus. Aristotele philosophãte, regnãtéq; Alexãdro, Græcia clarissima fuit, totóq; terrarũ orbe potẽtissima, vt ait Plin, lib. 18. c. 7. Tũc enim fuit Atistoteles Philosophorũ facile princeps, tũc efflоruit Demosthenes eloquentiæ parens, tũc quasi sol exoriens, & sua luce reliquas stellas præstingẽs. gloria rei bellicę excelluit Alexãder ob incredibilẽ rerũ, tanta celeritate felicitatéq; gestarum cognomentum Magni apud gentes omnes adeptus: quem nisi temulentia, & ex hac efferuescẽs in amicos crudelitas, sępe vicissent, omnes ipse quotquot ante eum, póstq; fuere Reges, & Imperatores, proculdubio vicisset. Huius rei tam subitæ mortis, conscių fuisse Aristotelem, quin etiam excogitato in id veneno, auctorem, ob Callisthenem Aristotelis cõsobrinæ filiũ ab eo rege ignominiosissimè crudelissimęq; necatũ, multi memoriæ prodiderũt. In qua sentẽtia Plinius fuisse videtur, cuius extrema trigesimi lib. verba, hæc sunt, (*Vngulas tantũ mularũ repertas, neque aliã vllam materiam, quæ nõ perroderetur à veneno stygis aquæ, cũ id dãdũ Alexãdro ãMagno Antipater mitteret memoria dignũ est, magna Aristotelis infamia, excogitatũ.*) Hæc Plinius, Plutarchus etiã in Alexãdro, opinionem illa veneni ab Antipatro missi, & ab Aristotele excogitati, Antigoni Regis testimonio confirmat: quamuis ipse susпitionem veneni tollat, vel eo argumẽto, quòd certum sit, neque tunc mortuo Alexãdro vllam in exercitu veneni susпitionẽ fuisse, neque tot diebus, quibus inter Principes de successore Alexandri præsente eius corpore, disceptatum est, vllum in cadauere tumorem, aut liuorem aliúdve veneni indicium aut vestigium, extitisse.

Tempore Aristotelis in Græcia fuit florẽtissima.

Infamia Aristotelis.

Purgatur Aristoteles ab infamia.

Moriens autẽ Aristoteles, & schołã & Bibliothecam suam reliquit Theophrasto, sed quã lepidè, simul & verecundè, Aristoteles duos & sexaginta annos natus, Theophrastũ sibi successorẽ elegerit, eũ Menedemo eius condiscipulo præferens, pulchrè narrat Gellius lib. 13. cap. 5, Quæ verò, & quãta calamitas scriptis Aristo-

Calamitas scriptorum Aristotelis.

telicis post Theophrast mortẽ acciderit adscriptis hoc loco Strabonis verbis, commemorandũ est: id enim nosse, studiosis doctrinæ Aristotelis perutile fuerit. Strabo igitur li. 13. ita scribit. (*Aristoteles & schol⁹ Bibliothecam suam Theophrasto reliquit, primusque omniũ quos scimus, & libros cõgregauit, & Aegypti Reges Bibliothecæ ordinem docuit, Theophrastus eã Neleo tradidit, Neleus Scepsim deuulit, & posteris dedit hominibus sane imperitis, qui libros inclusos & neglig̃ter positos habeãt, cũq; Attalicorũ regũ, sub quibus erãt studium sentirẽt conquirendorum librorum ad instruendã Bibliothecam, quæ Pergami erat eos in fossa quadam sub terrã occuluerunt, quos partim tineis, partim humiditate labefactos, tãdẽ qui ex eo genere erãt Apelliconi Teio tradiderũt, magno emptos precio, Aristotelicos scilicet atq; Theophrasticos. Apellicõ, vt qui librorũ magis studiosus esset quã sapiẽtiæ, volẽs corrosiones emẽdare, eos trãscribendos dedit, scriptura nõ recte suppleta: quapropter libros edidit errorib. plenos. Perepatetici igitur qui post Theophrastũ fuerũt, cum librũ omnino carerent, paucis duntaxat exceptis exteriorum sermonũ nihil habebãt in quo firmiter philosopharẽtur, sed positiones quasi tãlucubrabãt. Posteriores autem, postquã hi libri in lucẽ editi sunt, Aristotelem imitãtes multo melius quam illi philosophati sunt. Multum ad hoc Romani cõtulerunt. Nam continuo post Apellicons obitũ Sylla qui Athenas cæpit, allata eius Bibliotheca, Romam eam transtulit. Tirannion quoque Grãmaticus, cũ Aristotelis amãtissimus esset, eo sibi cõciliato qui præfectus erat Bibliothecæ, incœpit eos describere, item librarij quidã, scriptoribus tamẽ vtẽtes nõ bonis nec scripta cõferẽtes, quod in iis libris præsertim fieri solet, qui vendẽdi transcribuntur: tum Romæ, tum Alexãdriæ.*) Hæc Strabo. ex quo licet suspicari, no pauca in scriptis Aristotelis fuisse vitiata, quæ cum indocti homines, vel supplere, vel corrigere voluissẽt, ab his magis esse corrupta. Quid ergo mirum si quosdã in libris Aristotelis, præsertim Logicis, Metaphysicis, atque Physicis, locos offendamus, difficillimos ad intelligẽdum, & prope inexplicabiles? Quid etiam mirum, aureum illud (vt Cicero vocat) eloquẽtiæ flumen, interdũ lutulentum, atque sordidum fluere videatur? verũ de his hactenus, & ad successores Aristotelis veniamus.

Veracausa cur Aristotelis scriptamultifariam sint vitiata.

Describũtur ætates insignium Peripateticorum Theophrastus.

Defuncto Aristoteli proximè successit Theophrastus, tãta auditorũ multitudine nobilitatus, vt ad duo millia discipulorum schola eius frequẽtarent, vixit ad octoginta quinque annos. Hoc tempore apud Hebræos clarus fuit Simõ Oniæ filius sumus Põtifex, qui ob singularẽ eius erga Deum pietatem, ac religionẽ, & erga ciues suos beneuolentiã, atque charitatem, cognomentum, Iusti, promeruit. Hic nepos fuit Iaddi Põtificis, de quo paulò supra diximus & auus eius Põtificis qui etiã Simõ Oniæ filius appellat⁹ est, cuius eximias laudes prædicat Iesus filius Sirach quinquagesimo

capite

capite eius libri, qui Ecclesiasticus nuncupatur. Vterq. autem, hoc est Iesus filius Sirach. & posterior ille Simon, Ptolemæo Euergete in Aegypto regnãte floruerunt. Post Theophrastum insignes fuerunt Strato Lampsacenus cognomento Physicus, & Demetrius Phalereus; ille magister fuit Ptolemæi Philadelphi secundi post Alexandrum Magnũ Aegypti regis à quo talentis octoginta donatus est; cœpit autem præesse scholæ Olympiade centesima vigesima tertia, quam annis decẽ & octo tenuit, Demetrius autem ob præclara eius in Rempublicam Athenienſium merita, decẽna lis virbis prẽfectura, & trecẽtis sexaginta ẽreis statuis honorat⁹ est, sed quas mox Athenienses lacerauerunt, nondum anno hũc dierũ numerũ excedente, vt ait Plin. lib. 34. c. 6. Hic Demetrius, Bibliothecã Alexandrinam, cui augendæ ac locupletandæ à rege præfectus fuerat, quingentis circiter librorum millib. instruxit & ornauit, eiusq; suasu rex Philadelphus, duob⁹ & septuaginta viris, sapientia & linguæ Græcæ ac Hebreæ peritia apud Iudæos præstantissimis, ab Eleazaro tunc Pontifice ad ipsum missis, mandauit, vt sacram scripturam ex Hebræo in Græcum sermonẽ quam fidelissimè verterent, quæ postea Septuaginta translatio appellata est. Demetrij prope æqualis fuit Hyeronimus Peripateticus sæpe à Cicerone nominatus. Multi deinde diuersis temporib. in secta Peripatetica excelluerunt. Circa Olympiadem centesimam quinquagesimam primam, paulò ante Machabæorũ principatum, clarus fuit Aristobul⁹ Iudæus cognomẽto dictus Peripateticus, cuius initio posteriores libri Machabęorũ fit mentio. Hic in libros Mosis scripsit commentarios ad regem Ægypti Ptolemæum Philometiora, in quib. docet scripta Mosis ante Alexandrũ & Persarum imperium, in Græcam linguã, licet non bene fuisse traducta, eaq; à Pythagora, Platone, aliisq; Philosophis esse lecta, vt mirũ videri non debeat, si multa tùm in disciplina Pythagorica, tum verò in Platonis libris, eorum quæ leguntur in sacris literis, simillima reperiãtur: affirmat etiã Philosophiã Aristotelis pleriſq; reb. cum Mosis doctrina consentire. Hæc de Aristobulo Clemẽs primo li. Stromatum, & Eusebius in libris de Præpara. Euange. tradiderũt. Cicerone iam sene, princeps Peripateticorum illius temporis, erat Cratippus, quo magistro, filius Ciceronis Philosophiæ operam dedit; Boëthus Peripatetici æqualis fuit Strabonis Geographi, qui li. 13. ait se cum Boëtho Aristotelica dogmata esse Philosophatum vixisse autem Strabonem imperante Tiberio Cæsare, ipse testis est li. 13. sed veniam⁹ ad Perip. nobis notos & familiares.

Strato.

Demetrius Phalereus.

Deseptuaginta duobus sacræ scripturæ interpretibus Hieronymus.

Aristobulus Iudæus cognomento Peripateticus.

Cratipus Boethus.

Alexan. Aphrodiſæus.

Alexander Aphrodisæus omnes pene libros Arist. diligenter & accuratè interpretatus est; qua re tantùm nomen, tantámque au-

ctoritatem est consecutus, vt nemo olim Aristoteleus haberetur, qui non esset Alexãdræus, Æqualis fuit Galeni Medici, Ptolomæi Mathematici & nostri Iustini, nobilis quidem Philosophia, sed Martirij gloria longè nobilioris. Floruisse Alexãdrum tempore Antonini Imperatoris, prodit liber ei⁹ de Fato. Sed quia in Præfatione eius libri, Alexander Imperatorem ad quem scribit vocat Antoninum Seuerũ, Politianus in Miscellaneis opinatur fuisse Septimum Seuerum, qui regnauit circa annum ab ortu Domini ducentesimum, quo tempore in schola Alexandrina Clemens Alexandrinus & Panthenus & paulò post Origines excelluerũt. Porphyrium, licèt quidam in Peripateticis numerẽt, eum tamen Platonis magis quàm Aristotelis fuisse studiosum, eius scripta declarant. Ego ne Philosophum quidem appellandũ cẽseo, hominem vsq; adeo impiis superstitionibus, & magicis fallaciis deditũ: fuit certè Christianæ religionis nequissimus Apostata, & hostis acerrimus. Præceptorem habuit Plotinum, cõdiscipulum Originem, discipulum Iamblychum, vt, Eunapius in eius vita scribit D. Hieronimus in supplemento Chronicon Eusebij ait, eũ misso ad Cõstantinum Magum libro, ab exilio fuisse reuocatũ, extremam senectutem attigit, quinimo amplius quàm centum annis vixit; nam Origenem cuius condiscipulum fuisse Porphyrium dixit Aunapius Eusebius in Chronicis, clarum iam & illustrẽ facit, anno ab ortu Domini nostri, ducentesimo trigesimo secundo: reuocationem autẽ Porphyrij ab exilio, notat D. Hieronymus anno Domini trecentesimo trigesimo secundo, centum annis interlapsis. Themistium Philosophũ, qui paraphrastica, eáque perspicua & eleganti multorum librorũ Aristotelis explanatione, magnã laudem inuenit. tempore Valentis Imperatoris floruisse, ęqualem D. Basilij Magni, & Gregorij Naziãzeni, demonstrat Ecclesiastica historia Socratis lib. 4, cap. 27. idémque confirmat Nicephorus Calistus lib. 18. cap. 50. Nec ab his differt Suidas, scribens eum vixisse sub imperio Iouiniani. Etenim Iouinianus octo dũtaxat mẽsibus imperauit, post quem proxime Valẽtinianus & Valens imperium acceperunt. D. Augustinus in eo libro quem de Categoriis Aristotelis scripsit, Themistium eximium Philosophum appellat, eúmque & suæ ætatis & Magistrum suum fuisse significat. Simplicius in exponendis Aristotelis scriptis, nulli secundus, Iustiniano Imperatore vixit, vt Suidas inquit, vbi de Damascio Philosopho verba facit, quo ferè tempore floruit Seuerinus Boëtius, vir genere, dignitate poëseos, philosophiæ, ac Theologiæ præstãtia clarissimus, Ioãnẽ autẽ Philoponũ, haud ignobilẽ Philosophum, nec obscurũ Aristotelis interpretẽ, sub Phoca Imperatore vixisse signifi-

Porphyrius.

Themistius.

Simplicius Ioannes, Philoponus, Seuerinus, Bœtius.

significare videtur Nicephorus lib. 18. cap. 46. sed eum antiquiorem esse vel æqualem Simplicij vel etiam aliquãto priorem, magno est argumento, quòd Simplicius non raro eum acerbè mordet & conuiciis lacerat, eiúsque sententias, decretis Aristotelicis cõtrarias, non sine hominis odio, & execratione confutat. Verùm de Peripateticis, hactenus.

EPICVRVS.

Detestatio Epicuri.

NEc ingenij magnitudine, nec doctrinæ præstantia, nec splendore virtutum, nec vllius rei quæ laudem aliquam meretur, excellentia, sed sola mortalium ad peiora semper ruentium vanitate quadam, & insania factum est vt Epicurus in Philosophia clarus & illustris haberetur: eiúsque sectę princeps & auctor esset quæ sectatorum multitudine, nobilitate, mutuáque eorum inter se concordia, atque cõsensione, cæteris omnibus sectis longissimè antecelleret: & quemadmodũ Herostratus ille fertur incendendo Dianæ fano: quod erat templum totius Asię celeberrimum, æternam sibi nominis famam comparare voluisse, sic etiã Epicurus, euertendo Dei prouidentiam, tollendo nostrorum animorum immortalitatem, conculcando virtutis & honestatis dignitatem, denique in vna corporis voluptate summum hominis bonum collocando immortalem doctrinæ ac nominis sui memoriam cõsequi se posse sperauit. Heu cæcum genus hominum suis blãdientium cupiditatibus, & quæ iucũda sunt sensibus vera esse cupientium. Ergóne ad fœlicitatem cõparãdam, eum ducem sequi lubet, qui ex homine pecudem faciat, nõ aliud ęstimãs bonum, quàm quod pecudum est, voluptatẽ? Siccine iuuat desipere, vt qui nihil homine, ne dum Deo dignum ſapit, eum nobis sapientiæ magistrum atque doctorem eligamus? Sed quãdoquidẽ stultitia nostra hoc monstrum Philosophiæ in album Illustrium Philosophorum ascripsit de eius quoque ætate hoc loco nobis dicendũ erit. Epicurus igitur otij magister, vt inquit Plinius, hoc est vt ego interpretor, malorum omniũ seminariũ (quę enim mala non parit otiũ:) nascitur (Appollodoro in Chronicis auctore,) cẽtesimæ nonæ Olympiadis anno tertio, septẽ nimirum annis post Platonis obitũ: vixit annis duobus & septuaginta obiitque anno primo Olympiadis centesimæ vigesimæ septimæ. Eusebius in Chronicis, insigni Cronographię errore, Epicurum florentẽ facit Olympiade centesima duodecima, quo tempore vix pueritiám exegerat Epicurus tredecim dũtaxat annos natus. Si scriptorum multitudine æstmari deberet Philosophi præstantia, fuisset pro-

culdubio Epicurus omnium Philosophorum præstantissimus, quippe in infinita prope volumina, vt Laertius refert, posteris reliquit, certè plura eum, quàm vllum priorum scripsisse, in confesso est. Habuit quamplurimos suæ doctrinæ studiosos & defensores, in quib. primas, meo iudicio tenuit Lucretius Romanus, qui eleganti poemate totam Epicuri disciplinam quæ ad Physicen pertinet, diligenter exposuit, natus Olympiade centesima septuagesima prima, annos vixit tres & quadraginta, vir omni laude dignus, si ad meliorem Philosophię disciplinam, tantum ingenium tantúmque studium ac diligentiam contulisset.

ZENO CITTICVS.

STOica disciplina, multis rebus Christianæ religionis, vt D. Hieronymus ait, quàm simillima, Epicureę autẽ sectę omnino contraria fuit, vtraque tamen eodem fermè tempore nata est. Nã vtriusque parentes, Epicurum, & Zenonem, eadẽ, propemodum ætate floruisse constat, etenim Olympiade centesima trigesima, senem fuisse Zenonem, Laertius veterum testimonio confirmat. Non rectè igitur Eusebius in Chronicis obitum Zenonis signat in Olympiade centesima vigesima nona. Aulus Gellius lib. 17. c. 21. ait quo tempore Romani bellum gerebãt cum Pyrrho rege, anno nimirum vrbis conditæ circiter septuagesimo & quadringentesimo, quod tempus incidit in Olympiade centesimã decimam octauam, Epicurum, & Zenonẽ Cittiensem, celebres fuisse. Duorum & viginti annorum erat Zeno cum Athenas concessit, annis octo & quinquaginta scholæ præfuit: cúmque annorum esset duorum & septuaginta, vel vt docent alij, nonaginta octo, nullo conflictatus morbo, ex hac vita decessit. Multa scripsit, tãta subtilitate, vt Carneades, quò subtilius eius scripta refelleret, Elleborũ ante sumpsisse dicatur, quod pleróque alios etiam fecisse studiorum gratia, ad perutendenda acrius quæ commentabantur, testis est Plinius lib. 25. ca. 5. Plurimi clarissimique viri huius sectæ studiosissimi fuerunt. Cleanthem, maiorũ gentium Stoicum Cicero appellat, ex Romanis proceribus eminent, Cato Vticensis, & qui Cæsarem occidit, Brutus; inter Philosophos, Coriphæus Stoicorum, eorúmq; porticum humeris suis fulcire, ac sustentare dictus est Chrysippus; infinitorum prope librorum scriptor, quocirca non insulse Carneades, eum Parasitum librorum vocare solebat; quãquã pleróq; libros alienis modò testimoniis & sentẽtijs refersit. Floruit, (vt Apollodorus in Chronicis ait) Olympiade centesima quadragesima tertia. Africani & Lęlij ęqualis & familiaris fuit Panætius, nobilis in primis Stoicus, quẽ Cicero sequutus est in libris quos de officiis scripsit. Nerone Imperãte, duo præstantissimi Stoici fuerunt, vnus Epictetus, in cuius librũ, qui etiam nunc extat, Simplicius Philosophus eruditos edidit Commentarios: Alter Seneca: non solũ doctrina, & pręclaris ingenij monumentis, sed etiam familiaritate, quam cum Apostolis habuisse dicitur, illustris. Huius Nero imperator discipulus fuit, & carnifex. Epictetũ, Domitiano Imperãte, Roma Nicopolim decessisse, propter Senatusconsultũ id temporis editum quo Philosophi ejecti, vrbéque, & Italia interdicti sunt, auctor est Gellius lib. 15. cap. 11.

Carneades quo subtilius scripta Zenonis refelleret, Elleborũ ante sumpsit.

Insignes Stoici Cleanthes, Chrysip. Panætius, Cato Vticensis, Brutus, Epictetus, Seneca.

Sed his de Philosophorum Chronographia explicatis, iã tempus est, vt ad enarrandas & discutiendas veterum Philosophorum de principiis rerum naturalium opiniones, propiùs accedamus.

Opinio eorum qui dicentes omnia esse vnum ens immobile, omnem principij rationem de medio tollunt.

CAP. V.

SEntentias veterum de principiis rerum naturalium, Plato, & Arist. multifariam commemorat; Ille in Theęteto, & Sophista: Hic in 1. Phy. & de Generat. in 3. de cęlo. & 1. Metap. Plutar. 1. lib. de Placitis Philosophorum, vt omittam Clementem Alexandrinum, Eusebium, Theodoretum, D. Augustũ, & alios, tum sacros, tum prophanos scriptores: possũt aũt omnes de principiis sententiæ ad hanc breuem, & generalem diuisionem reuocari. Alij enim nullum videntur facere principium, nempe ij, qui aiunt omnia esse vnum ens immobile: Alij quidẽ faciũt, sed vel vnum, vel multa & vnum vel finitum magnitudine, vel infitũ, & item, vel vnum ex quatuor elementis, vel quidpiã illis prius, aut medium: similiter qui multa faciunt, aut ea statuunt numero finita, aut infinita, si finita, vel duo, vel tria, vel quatuor, vel decẽ, vel alio quopiam numero circunscripta, si infinita, vel omnia vnius generis, ac naturæ, vel specie diuersa & contraria. Verũ hæc enucleatè pertractanda sunt, vnamquamque harum opinionum propriè, ac sigillatim explicãdo. Qui igitur putarunt, id quod est, vnum tantummodo esse, atq; immobile, hos necesse est omnem principij Physici rationem funditus sustulisse. Etenim cum nihil sit principium sui, sed aliorum, nihil item possit effici ab vllo principio Physico sine motu (siquidem natura definitur esse principiũ motus) hinc fit vt sublato motu, & rerum multitudine, nihil loci principiis naturalibus relinquatur.

Opinio Xenophanis.

Tres autem huius sententiæ principes fuisse memorantur, Xenophanes, Parmenides, & Melissus, de quibus eodem ordine dicendū est. Xenophanes Colophonius magister Parmenidis, ipse autem vel nullius secundū aliquos, vel secundū Alios Archelaii seu Botonis cuiusdam Athenienſis auditor, existimauit (vt refert Arist. in eo libello qui inscribitur de Xenophane, Zenone, & Gorgia) id quod est, æternum esse, infinitum, vnum, omniquaque sui simile, & immobile. Æternum, quoniam si factum esset, aut ex nihilo, quod est impossibile, nec posset reddi ratio, cur tunc, & non ante factum fuisset: aut ex aliquo; vel igitur simili, vel dissimili, non simili, nam similium eadem est vis & ratio, quare nō conuenit vni eorum potius quā alij, aut fieri, aut facere: neque ex dissimili, nam sic fieret ex eo, quod non est. Denique cum quicquid fit de nouo, antea non fuerit, necesse est id fieri ex nihilo, quod cum sit impossibile, rectè se habet arbitrari, id quod est, æternum esse. Si autem æternum, ergo infinitum, nam neque habet principium vnde extiterit, neque finem in quem possit desinere: si infinitum ergo vnum; nam si multa, ergo inuicem terminata, & vnū extra aliud, quod est contra rationem infiniti. Si vnum, ergo vndique sui simile, nam vbi dissimilitudo, ibi multitudo: His etiam consequens est, vt immobile, tum quia, nec á se moueri potest, cum sit omnino simplex, & vndique sibi simile, nec ab alio, si enim id quod est, vnum est, nihil aliud erit, à quo moueri queat. quid? quod vel moueretur in plenum, at nō est aliud ens præter ipsum, vel in vacuum, sed vacuum nihil est in rebus. Ex quo fit vt neque dolori, neque morbo, neque vlli planè commutationi sit obnoxium. Hæc Aristoteles de Xenophante: à quo Theophrastus (referente Simplicio 1. Physicorum supra tex. 6.) in eo dissentit, quod putat Xenophanem illud suum vnum Ens, neque finitum, neque infinitum fecisse. Alexander autem Aphrodisæus (vt ibidem memorat Simplicius) inducit Xenophanem facientem id quod est, finitum, & sphæricū. Laertius verò in vita Xenophanis, scribit eum constituisse quatuor principia omnium rerum, mundósque innumerabiles; quæ non videntur congruere cum his quæ dicta sunt. Cicero etiam 2. Academ. Quæst. confirmat eum sensisse habitari in Luna, eámque esse terram multarū vrbium, & montium. Vixit annos centum, atque eo amplius; scripsit carmine, acerrimúsque fuit insectator Homeri, & Hesiodi.

Parmenidis opinio.

Parmenides Eleates arbitratus est (quamuis secundum fallacē sensum, & vulgi opinionem multæ sint res, earúmque duo principia esse videantur, terra loco materię, & ignis loco efficiētis) tamē secundum rationem & veritatē, id quod est vnum tantummodo esse.

esse. Hoc autē ita concludebat; Quod est præter id quod verè est, id non est, alioquin non esset diuersum ab eo quod est, at quod non est, nihil est, ergo id quod est, vnum tantummodo est. nam si ea quæ sunt, multa essent. ea profecto differrent inter se: aut igitur in eo quod nō sunt, aut in eo quod sunt, non in eo quod sunt, in hoc enim sunt similia, quę autē sunt similia, non sunt alia, quæ non sunt alia; sunt vnum & idem; nec in eo quod non sunt, quod enim non est, nihil est, per id autem, quod nihil est, nulla fit differentia: si igitur quæ sunt, nullo modo differre possunt inter se, necessariò conficitur, id quòd est, vnum esse. Hæc est ratio Parmenidis secundum Porphyrij explanationem, quam refert Simplicius 1. Physico. super tex. 25.

Opinio Melissi.

Melissus auditor Parmenidis existimauit id quod est, ingenitum, infinitum, vnum, & immobile esse: Ingenitum quidē, vnum, & immobile, propter easdem rationes, quas vt ante diximus, asserebat Xenophanes; esse autem infinitum hoc modo demonstrabat, si quod est genitum habet principium, ergo quod non est genitum carebit principio: similiter, & quod est mortale habet finem, ergo quod est ab interitu liberum, carebit fine, sed id quod est, nec est genitum, nec mortale, si enim interiret, necessarium esset in nihil recidere, ergo id quod est caret principio, & fine, quamobrē oportet esse infinitū; id. n. appellamus & intelligimus esse infinitū, quod principio vacat & fine. Ergo hi tres Philosophi Xenophanes, Parmenides & Melissus, facientes vnum tātùm esse vere ens, nullū faciunt principium rerū naturaliū. Sed veniamus ad eos qui faciunt vnum principium rerum omnium naturalium vel vnum ex quatuor elementis, vel quippiam ab illis diuersum.

Opinio eorum qui faciunt vnum principium omnium rerum naturalium.

CAP. VI.

Opinio Thaletis.

THales Milesius, vnus de septē sapientibus, eorúmque lōge sapiētissimus, & Philosophię naturalis, vt est apud Arist. 1. Metaph. primus apud Græcos auctor & illustrator, sensit principiū omniū rerū esse aquā, vel ipsū humidu, motus fortasse eo argumento (vt est apud Ari. & Plutarchū) quod cerneret semina, & alimenta rerū, esse humida, ex quo autem res gignuntur & aluntur, id esse principiū earum rerū. Calorem item, cuius vi omnia tenentur & conseruantur, humore pasci atque sustentari. Verisimile autem est, inquit Ari. Priscos viros, Theologos, & Poetas, vt Orpheum, Homerum & Hesiodum,

canétes Oceanum,& Thetyn parétis esse generationis,& aquam, quæ Styx appellatur, iuiiurandum esse Deorum,ceu quippiã vetustissimum,& honorabilissimum,in eadem fuisse sententia: Hipponem quoque qui teste Alexandro dictus est Atheos, idem sensisse ferunt,sed eum Arist. contemnit propter mentis vilitatem. Thales autẽ,auctore Simplicio,nihil scripsit præter Astrologiam nauticam,quanquã Laertius ait,eam referri ad Phocum quẽdam Samiũ. Atque hoc innuens Arist. quotiescunque de Thalete verba facit,sic fere loqui solet,*Fortasse,vt memorant,dicitur*, Quæ verba in hanc sententiam recte ponderauit Alexander 1. Metaphys.

Opinio Anaximenis.

Anaximenes,auditor Anaximandri, & doctrinæ Thaletis perquàm studiosus fuit,vt ipse ostẽdit,quam (vt Laertius refert) scripsit ad Pythagoram. Is principium omniũ rerum dixit esse Aerẽ: hanc enim opinionem eius fuisse testatur Arist. 1. Metaphysicæ & Theophrastus. Simplicius quoque confirmat idem se in illius scriptis comperisse: Nicolaus autem Damascenus in opere,quod fecit de Diis,scriptum reliquit. secundum Anaximenem principium rerum esse non Aerem,sed quiddam mediũ inter Aerẽ,& Ignem. Verùm præponderat superiorum auctoritas,quam Cicero etiam & Laertius secuti sunt Putatur autem ratio principij rectè comme nire Aeri propterea quòd is facile accipit quancũque vim, actionem,& qualitatem aduentitiam,& in omnes formas, atq; figuras paruo negotio sese induit,nec habet qualitates naturales,siue quę ad motum loci,siue quæ ad alterationem pertinent, nimium, vt cætera elementa,insignes,aut ægrè mutabiles. Eiusdem sentẽtiæ fuit Diogenes Apolloniates discipulus Anaximenis & Anaxagoræ æqualis,vir eloquentia & sapientia clarus, cuius decreta, teste Laertio,sunt,elementum omnium esse Aerem,ex quo densato & rarescente gigni mũdos innumerabiles;esse infinitum, inanemque rotundam,& in medio locatam fixámque semper hærere. Is scripsit opus quoddam cuius fuit huiusmodi principium; *Qui decet aliquid instituit,eum in primis debere certum aliquod, & indubitatum principium ponere,tum simplici,& pudica oratione vti.*

Heraclyti opinio.

Heraclitus Ephesius,vir animi & ingenij magnitudine,humanarúmque rerum despicientia valde memorabilis,quò magis soluto & vacuo animo philosophari posset, regnum concessit fratri & à Dario Rege Persarum magnis opum,& honorum promissis accitus,cum suis Ephesijs apud quos obscurus, & contemptus erat,viuere maluit. Hic,cum Hyppasso Metapõtino sensit initiũ cunctarum rerum esse Ignem, ex quo nascerentur omnia, & in quem cuncta tandem occiderent: cũque omnes res densatione,& rarefactione fiant,putabat eas more fluminis continenter labi,& fluere:

fluere: videtur etiam amicitiam,& litè similiter, vt Empedocles, causſas efficientes rerum constituere. At porrò ignem cum densatur humescere,& aerem fieri: hunc item,cum magis cogitur & concrescit,aquam effici: quàm densatam verti in terram, & vicissim ex terra fusa atque rarescente aquã, & similiter reliqua deinceps elementa renasci: atque hoc modò mundum perpetua vicissitudine gigni,& interire. Visum est autem illi,ignem præ cęteris elementis constituendum esse principium omnium,quia est maxime mobilis,& minutissimarum, ac subtilissimarum partium, tum etiam quia multiplex eius vis per omnia permeans, cunctas res gignit,auget,substentat,perficit,atque moderatur: quę res latè tractatur apud Ciceronem secundo libro de Natura Deorum,à Balbo Stoico: nam in 3. eiusdem operis libro Cotta disputat,Stoicos in hoc esse germanos Heraclytæos. Quanquam id quod ipsi dicunt de igne, potius declarat ei competere rationem causæ efficientis,quàm materiæ,aut elementi. Scripsit autem Heraclytus librum de natura,incredibili breuitate,& obscuritate,quamobrẽ dictus fuit σκοτεινὸς. quem librum cũ legisset Socrates sibi datũ ab Euripide,ferunt dixisse,quæ in eo intellexisset præclara sibi videri,quæ autem non intellexisset putare se non dissimilia esse, sed omnia Delio quopiam natatore indigere. Arist. verò in lib. Rhetoricis auctor est,obscuritatem,quæ erat in scriptis eius, propter difficultatem interpungendi dictiones accidisse. Habuit multos, nec sanè minutos viros sectatores, & interpretes suæ doctrinæ, quamuis Lucretius paruipendat ipsum,& acerbè mordeat his versibus.

Quapropter qui materiam rerum esse putarunt
Ignem,atque ex igni summam consistere solo,
Magnopere à vera lapsi ratione videntur.
Heraclytus init quorum Dux prælia primus:
Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes,
Quàm grauior,Graios inter,qui vera requirunt:
Omnia enim stolidi magis admirantur,amántque,
Inuersis quæ sub verbis latitantia cernunt,
Veráque constituunt quæ bellè tangere possunt
Aureis,& lepido quæ sunt fucata sonore.

Terram autem Hesiodus fortasse principium fecerit fingens primam omnium ex Chao natam extitisse, sed Philosophorum nemo solam posuit initium rerũ, ob eius crassitiem, duritiem, atque immobilitatem, coniunctam verò, & consociatam cum aliis corporibus, principium statuerunt Empedocles, ac Parmenides. Alij faciunt vnum quidẽ principium, diuersum tamẽ à prędictis rerum.

Solam terram primam omnium ex Chao natam extitisse, nemo Philosophorum fecit principiũ rerum.

quatuor elementis,hoc est, vel medium inter ignem, & aerem, illo densius, hoc rarius, vel quippiam prius quatuor elementis, quod fortasse idem est. Hanc opinionem Nicolaus Damascenus, fallò,vt supradictum est,attribuit Anaximeni. Simplicius autem 3.Phy.& Philoponus in 2.lib.de Generat. (quibus in locis Aristo. mentionem facit huius opinionis) eam ascribunt Anaximandro Milesio, qui, vt narrat Laertius, elementum omnium dixit esse quippiam infinitum prius quatuor elementis. Hic primus Gnomonem inuenit,eumque Lacedæmone in loco vmbræ captandæ idoneo fixit,quo solis conuersiones & æquinoctia notaret; primus etiam maris,& terræ circuitus descripsit,& sphæram construxit,quin etiam putauit,vt est apud Ciceronem natiuos esse Deos, longis interuallis,orientes,occidentésque,eósque innumerabiles esse mundos.Porrò Arist.1.Phy.54. verisimiliorem inquit esse opinionem eorum,qui faciunt principium omnium quippiam diuersum ab elementis,quàm eorum,qui pro initio cunctarum rerum ponuntvnum aliquod eorum quatuor corporum:propterea quod principium debet esse vacuum, & nudum iis omnibus rebus quas in se accipit,at quoduis illorum quatuor elementorum habet suam,sibique connatam qualitatum vim, qua, sine sui exitio priuari non potest.Adde,quod illi,per huiusmodi principium videntur esse subodorati materiam primam,eámque adumbrare& posteris innuere voluisse.

Anaximandri opinio.

Opinio eorum qui faciunt principia multa quidem,sed finita, præcipuè autem Pythagoræorum.

CAP. VII.

QVi multa inuehūt principia, necesse est ea faciāt mobilia,tū quia nō possūt multa principia sine motu, aut simul cogi & cōgregari ad efficiendā generationē, aut inuicē dissolui & disiūgi ad interitū afferendū: tū etiā, quia multitudini principiorum,semper adiuncta est aliqua repugnantia & contrarietas, quæ nunquàm esse potest absque motu. Qui autē multa principia ponunt,ea statuūt vel finita, vel infinita.qui finita,vel duo,vt Parmenides in his, quę scripsit secundū iudicium sensuū & opinionē vulgi nimirū ignē,& terrā: vel lucē,& tenebras:vel calidū,& frigidū,vt refert Arist. 1. Metaph. & 1.Phytex.41.Plato etiam,vnum tāquàm formam,& magnū,ac paruum tanquàm materiā,vt ei Arist.multis locis imponit. Stoici quoque secundum Simplicium,Deum,& materiam: vel faciūt tria,vt Arist. Materiam, Formā, & Priuationem: & Plato (secundū Plutarchū) Mentem,Ideam,& materiam: Vel quatuor vt Empedocles quatuor elementa,quibus loco efficientis adiunxit Litem, & Amicitiam.Quàmquàm Arist.in 1.Metaph.auctor est,eum non vt illis, nisi tanquam duobus:Igne quidē per se,reliquis verò tribus tanquàm vna natura; id quod apertè cognosci potest ex ipsius carminibus.Alij produxerunt numerum principiorum vsque ad denarium:quam perhibet fuisse opinionem Pythagoræorum. Etenim cum faciant numeros initia rerum naturam autem numeri,cernerent denari compleri & absolui, siquidem omnes gentes numerant vsque ad denarium,quo cum peruenerint,redeunt ad vnitatem eam iterantes, idcirco rationem principij donario maximè tribuerunt, cuius numeri vim cum animaduerterent totam quaternario contineri in eo enim includuntur,1.2.3.4.quæ simul iuncta faciunt denarium,ob eam causlam existimabant, quaternarium esse numerum sanctissimum,quo cum quippiam sanctè confirmare volebant, tanquam iusiurando vtebantur dicentes, (*Iuro per omnipotentem,animæ qui tetrada nostræ,perpetuos fontes naturæ infudit habētem.*) fingebant enim animum nostrum ex quaternaria constare,ita vt μόνας sit mens,δίας scientias,τριας opinio,τέτρας sensus, qua de re legi possunt quæ scribit Plutarchus primo lib.de placit.Philosophorum cap.3.& D.August.in lib.de Musica. Quoniam igitur Denarius est numerus perfectissimus induxerunt tanquam initia rerum omnium decem coniugationes vel oppositiones,vnam formarum,habituum,& bonorum; alteram priuationum,malorum,ac eorum,quæ habēt indefinitam, & indeterminatam naturam.

Diligēter ac subtiliter exponitur opinio Pythagoræorum de Numeris quos rerū omnium initia faciunt.

Denarius.

Bonorum	*Malorum*
Finitum	Infinitum
Impar	Par
Vnum	Multiplex
Dextrum	Sinistrum
Mas	Fœmina
Quies	Motus
Rectum	Curuum
Lumen	Tenebræ
Bonum	Malum
Quadratū	Longius altera parte

Opinio Manichæorum secūdum aliquos fluxit ex Py

Ab his Pythagoræis, nonnulli arbitrantur fluxisse opinionem Manichæorū,qui ponebāt duo æque prima,& immutabilia,& potentia principia;vnum bonum,omnium bonorū: alterum malū, omnium malorum,quam sententiā diligenter pertractat Simpli-

thagoræorum fontibus.

cius in iis commentariis,quos scripsit in Epictetum & D. Augustinus cum aliis multis libris,tum maximè iis duobus,quos scripsit de Genesi contra Manichæos.

Cur autem Pythagorici fecerint numeros principia rerũ naturaliũ,Arist.videtur reddere duas causſas,vnam , quia numeri sunt priores omnibus corporibus quippe cũ sint ex abstratione , hoc est,quia numeri sine corporibus Physicis animo concipi,& intelligi possunt;corpora vero sine illis minimè:alterã autẽ , propter magnam similitudinem,quam putabãt esse inter numeros,& res naturales:omnia enim,vt sacris literis etiam proditum est,cõdita sunt à Deo in numero,pondere,ac mensura. Et sicut Musicus (vt Syriani vtar similitudine) per numeros Mathematicos Lyrã , sic natura per naturales numeros,suos componit & modulatur effectus.Verũ,age quomodo vis & similitudo numerorũ in rebus naturalibus & moralibus efficta,& expressa sit, Pythagorica memorantes dogmata,breuiter ostẽdamus.Ac cur menti attribuãt monada,sciẽtiæ diada,Triada opinioni , Tetrada sensui explicatur à Plutarcho eo quem supra posuimus,loco.Quaternarium autem, vel Nouenarium assignabant iustitiæ,propterea quod ille est primus numerus quadratus & pariter par,hic autẽ est primus numerus solidus,ex ternario in se ipsum ducto existẽs , atq; hoc modo parilitatem & æquabilitatẽ Iustitiæ repræsentant,Quinarium vocabant nuptias quæ conflãtur ex maris,& fœminæ cõiunctione: nam Quinarius constat ex pari,cui assimilabãt fœminã, & impare,cui marẽ similẽ esse dicebãt.De præstantia & mysteriis numeri Quinarij,multa reperies apud Plutarcũ,in libello de Particula, u,acutè doctéq; disputata. Septenarium vocabãt tempestiuitatẽ, quoniam multa tempestiuè,cũ in aliis rebus, tum in homine fiũt per numerum septenarium.Etenim homo,septimo à conceptione mẽse,vitalis editur,septimo anno dentescit, altero septenario pubescit,tertio barbam emittit,& semen maturum generationi. Sol quoque qui est princeps causſa rerum sublunariũ, apud ipsos septimum tenet locum, videlicet post orbem stellarum,& quinque planetas.His accidit,quod solus septenarius , neque generat vllum numerum eorum,qui denario continentur,neque ab vllo eorũ generatur.Nam binarius bis sumptus facit 4.ter.6.quater8. quinquies x.ternarius bis terue acceptus facit 6. & 9. bis quaternarius 8.bis quinarius 10.At senarius,Octonarius,& nouenarius, licèt non generent numerum vllum eorum qui sunt intra decẽ, generantur tamẽ ab illis,nimirũ à binario,vel ternario, vel quaternario : Septenarius verò,neq; generat alium numerũ, neq; ab alio generatur , vt per se patet. Quare Pythagoræi appellabant septe-

Quomodo Pythagoræi numeros accõdabant rebus naturalibus.

De præstantia numeri septenarij.

septenarium,Mineruam,quę fingitur ex nulla matre nata esse,& virgo perstitisse.Aulus Gellius lib.3.ca.10. virtutes potestatésque septenarij,plurimis & disertissimis verbis M. Varronẽ declarat. Sed reuertamur ad denarium, quẽ quia perfectum numerum iudicabant, nouẽ autẽ existimabant esse corpora quæ in orbẽ mouerentur,nimirũ septem planetas , orbẽ stellarum,& terram,quã nõ secus ac cęteros planetas dicebant in orbẽ volui circa Vestam; hoc est ignẽ,quem vt dignitate præstante aliis elementis, in medio mundi,tãquam in loco maximè nobili collocabãt; his igitur nouẽ corporibus ad explendum denarium numerũ adiunxerunt etiam aliud corpus,fingẽtes,nescio quam Antichthona hoc est terram,huic nostrę aduersam,& quæ motu opposito circa terram huiusmodi autẽ corpora putabant distare inter se certis quibusdã harmonijs,& interuallis,vt verbi gratia, solis interuallum à terra,sit in dupla proportione,quàm lunæ,interuallũ autẽ Veneris in tripla:Mercurij in quadrupla, idẽ simili proportione contingere in reliquis superioribus cælis.Quin etiã prędicta corpora existimabant moueri certis quibusdã harmonicorum numerorũ proportionibus,vt quæ mouẽtur celerius,acutiorẽ,quæ tardius grauiorem efficiant sonum:ex quo incredibili suauitate concentu quẽdam existere,qui à nobis vtpotè iam inde ab ortu assuefactis , nõ exauditur.quoniam autẽ omnis cõcentus ad numerum aliquem constituitur;nam Diapason cõsistit in proportione dupla,Diapẽte in sexquialtera, Diatesseron in sexquitertia,idcirco totum cælum,totúmq; mundum,qui mirabili tenetur concentu,numerũ, & ex numeris esse affirmabant.sed de his vide Arist.lib.2.de Cælo,text.51.& 72.Syrianus in extremo penè commentario suo quo explanauit librum quartumdecimũ Metaph.Arist. refert,Pythagoram in quodam sermone de numeris,qui à Pythagoræis propter eius diuinitatem,sacer dicebatur, aperuisse mirabilia quędã mysteria , & occultas proprietates eorum numerorum , qui sunt vsque ad Decem.Neque vero Aristoteli displicuisse videntur huiusmodi dogmata;siquidẽ is,quæ à Pythagoræis de vi , & natura numerorum prædicabantur,interdum sequitur, & vsurpat,vt cernere licet nõ semel in Ptoblematibus & in principio,lib.de Cælo vbi agit de ternario.Sunt igitur numeri secũdum Pythagoræos, initia omnium rerum. Sed in quo genere causſæ ? Arist. n.1.Metaph.refert ad materiam,illi enim dicebant omnia confici,& cõponi ex numeris, constat autem id,ex quo aliquid fit,& componitur,materiam esse. Sed Pythagorærum alij numeros referunt ad causſam exemplarem, & ad rationes opificias , quæ sunt in primo summóque opifice , quæ non re , sed ratione tantùm ab

In quo genere causſæ,numeri (secundũ Pythagoræos) sint rerũ principia.

Ideis differunt:Alij ad formam,vnde Arist.li.8. Metaphysicæ tex. 10.ait formas esse numerorũ similes,vnitas porrò est principium numerorum,cuius vis nullo vnquam numero exhauriri,& absumi potest,quin alium semper numerum creare queat, in quo mirificè repræsentat immensam Dei potentiã,quæ nullius rei molitione,ita finitur,& terminatur, vt non semper possit aliud maius,& perfectius moliri.Vnitatem autem Pythagorei vocabãt parẽ imparem;quatenus pari addita gignit imparem. huic vero adiuncta creat parem;atque ob hanc caussam par,& impar faciebãt principia omniũ numerorum,& par vocabant infinitum , impar autem finitum , propterea quod numeri impares per seriem dispositi,si addantur quadratis numeris , semper retinent formam quadrati; quocirca Pythagoræi appellabant eos Gnomones, ad similitudinem Gnomonis Geometrici:qui adiectus quadrato nõ variat formam:at numeri pares, si addantur numeris quadratis, semper mutant formam numeri.Hæc tangit Arist.3.Phy.tex.26. Latiùs autẽ explicãt Simplicius & Themistius,in supradicti textus explanatione:Sed qui de Pythagoricis numerorum mysteriis plura scire auet,legat eos qui in his enarrandis diligenter, & copiosè versati sunt. nam hic omnia propriè & subtiliter persequi velle magis operosum,atque curiosum est,quàm vel vtile,vel nostro congruens instituto.

De præstantia vnitatis.

Decreta Pythagoræ.

De Pythagoræ autẽ decretis ita scribit Laërtius. *In Pythagoricis commẽtariis hæc notata sunt.Vnitatem esse principium omnium:Ex vnitate indefinitam dualitatem processisse, & tanquam materiam ei subiectã esse:Ex Monade porrò, & indeterminata dualitate numeros gigni: ex numeris,puncta:ex punctis,lineas:ex lineis planas figuras:ex plannis solidas,ex quibus corpora:quorum esse quatuor elementa.Terrã,Aerẽ,Aquam,Ignẽ,quæ per omnia se mutant,& vertunt:Ex his constare mũdum rotundum,animatum, & intelligentem.* Hæc ille.D. Augustinus in extremo 2.li.de ordine multis laudibus effert Pythagoræ disciplinã.Sed his postea 1.lib.retract.cap.3.religioni habuit,tantũ se honoris detulisse homini ethnico,qui multa,multisque modis peccauit.Verũm de his,qui multa & finita posuerunt initia rerũ naturalium,hactenus dictum sit: deinceps agendum est , de his qui fecerunt infinita,initium ab Anaxagora sumendo.

Declaratur opinio Anaxagoræ.

CAP. VIII.

ANAXAGORAS Clazomenus Anaximenis discipulus,Magister autem Archelai,& Periclis summi apud Græcos oratoris , & Euripidis Poëtæ, tanto Philosophiam studio complexus est, vt derelinquẽs patriam, & patrimonium negligens,se totum Philosophiç cognitioni deuouisse videtur.Hic pro initio rerum naturalium , statuit infinitatem quandam partium similium,quam Arist.1. de Genera.tex. 1.vocat παντοιμοίαν licèt in 3.Physico,tex.27.& 3,de Cælo,text.36. hoc nomen referat ad opinionem Democriti. Lucretius autem & alij nominant, ὁμοιομερείαν. Vnaquæque igitur res secundum Anaxagoram fit ex partibus similibus atque eiusdem naturæ , vt caro ex multis carunculis,sanguis & os ex aliis similis naturæ particulis,quarum congregatione res gigni,segregatione autem interire dicitur.has verò particulas necesse erat infinitas esse,ne videlicet vnquam cessaret segregatio , & aliquando tandem penitus deficeret generatio. ac tametsi in qualibet re permixtæ sint infinitæ cuiuslibet rei particulæ,nominatur tamen aliquid,verbi gratia aurum vel caro potiùs quàm aliud quidpiam , non quia sit purum, & sincerum aurum , vel caro , sine vlla concretione, & admixtione aliarum rerum;sed quod in tali re particulæ auri, vel carnis sint maiores , & magis in fronte locatæ appareant. hanc sententiam pulchrè describit Lucretius primo libro his versibus.

Opinio Anaxagoræ.

Nunc & Anaxagoræ scrutemur ὁμοιομερείαν
Quam Græci memorant.nec nostra dicere lingua
Concedit nobis patrij sermonis egestas.
Sed tamen ipsam rem facile est exponere verbis.

Et quæ deinceps sequuntur.Et paulò infrà subdit.

Hoc & Anaxagoras sibi sumit,vt omnibus omnes,
Res putet immixtas rebus latitare,sed illud
Apparere vnum,cuius sint plurima mixta,
Et magis in promptu primaque in fronte locata.

Præter hanc infinitam partium similium , quæ ad materiam pertinet,loco efficientis adiunxit mentẽ,seu intellectũ, qui confusam illam partium similium congeriẽ segregãdo distingueret. & ornaret,Quamobrem sola mens non erat mixta: vt dominari possit mixtioni:quam non ab æterno,sed ab aliquo principio digerere,& in ordinẽ cæpit adducere , vt docet Aristoteles lib.3.de Anima tex.4.li.8.Physicorum,tex.15. Cum autem priores Philosophi materiã tantùm,ex quâ omnia conficiuntur , tradidissent, caussam autẽ efficientẽ aut nullo modo, aut per obscurè attigissent,quæ certè nõ minus necessaria est,quã materiam:nã vt ex nihilo,sic à nihilo nihil potest effici , nec materia põt ipsa per se sinè agẽtis vi & efficientia quicquã mouere vel agere,nõ secus quàm lignũ fabricari lectũ,vel mensam,sine opificis arte: Anaxagoras aliis Philosophis sobrius , (vt verbis vtar Arist.lib.1. Meta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

physicę) visus est, sic enim de eo scribit, *Quare qui vt in animalibus, ita in natura intellectū esse causam mundi, totiusq; ordinis dixerat quasi sobrius cōparatus ad antiquiores vana dicentes apparuit.* Simile quidpiā legimus apud Platonē in Phædone, vbi Socrates narrat se cū iam penè desperasset intelligere posse causas eorū quę sunt: propterea quod ex aliorū Philosophorū scriptis nihil certi elicere potuisset, audita sententia Anaxagoræ, qui faceret omnes res, totumque mundū, à mēte diuina designari, confici, exornari & regi magno studio, & sese addiscēdi ea, quę antea nō potuerat, erectum ac elatum fuisse, De hoc intellectu Anaxagoræ sic ait Laërtius: Primus materiæ, quam ὕλην appellant, mentē adiecit in principio operis sui ita scribens; *Omnia simul erant deinde accessit mēs, eáque composuit.* Quamobrē cognominatus fuit mēs, siue animus. Apud Ciceronē etiam in primo de nat. Deorū, ita scriptū est: *Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinā primus omniū rerum descriptionem & modū, mētis infinitæ vi, ac ratione designari & confici voluit:* Quid autē Anaxagoram in prædictam sententiā induxerit, breuiter exponit Arist. primo Phys. 33. lib. 3. 28. Is enim hoc modo ratiocinabatur, quod fit, necesse est, aut nihil fuisse antea, at ex nihilo nihil fieri posse communi sapiētum decreto ratum, & constitutum est: aut priùs quidē fuisse, sed occultum, & cum aliis rebus permixtum latitasse: ita vt nihil aliud sit res generari, quàm eas ex admixtione, & cōfusione aliarum rerū segregatas manifestari, & in lucē proferri: Et quoniā cernimus omnes res inuicem posse commutari, vel proximè vel interiectis aliquot aliis mutationibus: concludebat necessariū esse, vt in quauis re sint omnes aliæ res. quæ tamē ob paruitatem atq; permixtionem, à nobis deprehendi nequeāt. hoc etiam illustrabat accretionis exemplo: nam cum ex alimēto gignatur caro, vena, os, neruus & alia corporis membra: nec ea queāt ex nihilo creari, necessariò efficitur, vt ipsa præfuerint quidem in alimento inuicē admixta & confusa, per accretionem autem secreta fuerint, & animantium partibus adiuncta & adglutinata. ac quemadmodum particularis generatio cuiusli bet rei, fit per secretionem eius ex aliis, similter etiā putabat Anaxagoras totum mundū non aliter fuisse perfectum, quam per segregationem omnium rerum ex infinita quadā & indigesta cōgerie; vbi prius infinito tempore sine distinctione & ordine iacuerunt. talem autem segregationem partium mundi, nullo modo fieri potuisse, nisi à mente: tum quoniam id quod ex illa mixtione segregare debebat, nullo modo in ea contineri opportebat, vt posset ei præesse, atque dominari, quamobrē necessariū erat, vt esset quidpiam immateriale, impartibile, ac diuinū cuiusmodi est sola mēs: tum

Quid Anaxagorā in suā illā sententiam impulerit.

tum etiam quia distinguere, exornare, disponere & suos cuíq; rei fines, & munera præscribere, omniàque ad perfectionē & pulchritudinem vniuersi dirigere, proprium est mētis. Verùm de sententia Anaxagoræ hactenus: ad Democritū, & Epicurum veniamus.

Opinio Democriti, Leucippi & Epicuri.

CAP. IX

SEntentia horum Philosophorum diligenter explicabitur à nobis, tum ex libris aliorum, tum maximè ex iis quæ Lucretius huius disciplinę studiosissimus, primo & secundo libro reliquit scripta. Principio censent duo esse prima, & generalia initia rerum naturalium: ex quibus cuncta quę sunt, fieri, & constare necesse est; Plenū & vacuum; illud ens, & atomos; hoc non ens, & inane, appellabant: id quod Arist. innuit in 1. Metaph. & 1. Phys. tex. 41. & Lucretius primo libro his versibus.

Omnis, vt est igitur per se natura duabus
Constitit in rebus, nam corpora sunt, & inane
Corpus enim per se communis deliquat esse.
Sensus, &c. & paulò infra
Tum porrò locus, & spatium quod inane vocamus
Si nullum foret, haud vsquam sita corpora possent
Esse, neque omnino quoquam diuersa meare,

Vacuum autem multis de caussis necessarium esse, his argumētis confirmant. Primùm ratione loci: omne enim corpus propter molem quam habet, indiget loco, à quo totum cōtineatur & loceatur: talis autem locus non potest esse superficies, quippe quæ tantum extrinsecus contineat, & solas corporū exremitates ambiat: neque corpus vllum siue materiam habeat siue sola constet trina dimensione; sic enim duo corpora simul essent quod nullo modo fieri potest. relinquitur igitur, locum nihil aliud esse, quam inane. Deinde ratione motus localis, qui si est (esse autem cūctis planè sensibus perspicuè cognitum, & exploratè perceptum est) non potest effici, nisi per inane: nam per plenum, hoc est per ipsa corpora solida quì fieri potest, cum proprium corporis sit obstare nec loco cedere alij corpori, nisi maiori ab eo vi ex pulsum: nisi fortè quis velit, vnum corpus penetrare in aliud, & multa corpora simul esse; quod sanè perabsurdum est, quare, vt motus constet, opus est inani. Hoc idem argumentum tractat Aristoteles lib. 4. Physicorum text. 53, his verbis. *Dicunt enim, quod motus secundum locum non erit sine vacuo: plenum enim non potest suscipere id*

Probatur septem argumentis vacuū esse in rebus.

quod mouetur: Si verò suscipiat simtq; duo corpora in eodem, continget vtiq; & quolibet esse simul corpora: si autem cõtingat hoc, & minimũ suscipiet maximum: multa namque parua ipsum magnum est: quare si multa & qualia contingit in eodem esse & multa inaqualia. Sed dicet aliquis motũ localem fieri, non quia vllum in rebus sit inane, sed quia proxima corpora cedant iis, quæ mouentur, vel migrãdo in aliũ locũ, vel seipsa cõstipando: Verùm hoc ipsi refellunt, demõstrando neutrum illorũ posse contingere sine vacuo. Etenim corpus quod migrat aut venit in vacuũ, & sic erit vacuũ aut in locũ proximi corporis quod ei cedit; de quo similiter quærẽdum est, quonam abeat: ac sic deinceps de aliis procedẽdo in infinitum, quare necesse est, aut esse vacuũ in rebus, aut multa corpora simul esse, aut denique quocũq; corpore moto, quãtumuis minimo, omnia alia corpora commoueri, totúmque mundũ iactare & fluctuare. Quo argumento Arist. 4. Phy. tex. 79. scribit Xuthũ Philosophũ vsum esse ad comprobandum vacuum. Similiter qua ratione posset quidpiam constipari & condensari, nisi in eo insitæ sint aliquę inanitates? alioquin partes eiusmodi corporis cũ coarctãtur, se inuicem penetrarent. Postea si non esset vacuum in rebus, qui possẽt aut ex intimis saxorum, & rupium partib. manare liquidi humores, vberesque aquarum guttæ aut cibus ad alendas omnes corporis partes per vniuersum corpus permeare atque dissipari? Hanc rationem tangit Arist. 4. Physic. tex. 55. his verbis: *Amplius autẽ & augmentatio videtur omnibus fieri per vacuum. Alimẽtũ enim corpus esse, duo autẽ corpora impossibile simul esse.* Præterea nisi vacuũ permixtum esset cum rebus qua ratione fieri posset, vt quod est densum, sine accessione alterius rei rarescens maius existeret, aut è cõtrario, quod est rarum, citra detractionem cuiusquam rei dẽsatum & constipatum in angustiorem molem cõtraheretur, atq; hoc modo minus euaderet? Hanc rationem illustrat Arist. 4. Phy. tex. 55. exemplo vini, & cineris, hæc scribens. *Demonstrat etiam vacuum esse, quia videntur aliqua cogi & constringi etenim dicunt vinum cum vtribus recipere dolia, tanquã in ea, quæ insunt vacua subeunte quod condensatur corpore. Testimonium etiam illud de cinere faciunt, quæ tantum aquæ recipit quantum vas vacuum.* Ad hæc videmus quasdam res habere plus ponderis, quam alias tametsi pari sint mole, vt si parem auri & lanæ molem capias, aurum sine dubio longè præponderabit, cur? nisi quia in rebus, plus aut minus vacui admixtũ, & insitum est: quocirca quæ res plus inanis habet, ea minoris est ponderis: quæ vero plus vacat inani, maiori eam pondere prędità esse necesse est. Amplius si duo corpora ampla inter se cõcurrãt & ex illo cõcursu, subito desiliant, totũ illud spatiũ quod inter huiusmodi

huiusmodi corpora relinquitur, necessariò erit inane: non enim partes aëris: quæ circũstãt tanta celeritate, vndique possunt confluere vt vno tempore totum illud spatium compleãt. Postremò diuisio, multitudo, separatio, & distinctio rerum, non potest fieri sine vacuo. Hoc autẽ innuit Arist. 4. Phys. tex. 52. *Vacuum* (inquit) *diuidit omne corpus, vt sit non continuum, quemadmodum dicunt Democritus & Leucippus & alij multi Physiologorum.* Significans Pythagoræos, quos paulo post tex. 56. ait existimasse vacuum esse id, quod disterminat naturas, tanquam vacuum separatio quæda sit, & disterminatio eorum, quæ sunt consẽquenter. Ex his, igitur, quæ cõmemorata sunt arbitrantur perspicuè, ac necessariò concludi, adeo necessarium esse vacuum: vt eo sublato, neque motus, neque multitudo, neque distinctio rerum vllo modo cohærere possint.

Præter inane autem, statuunt alterum principium rerũ naturalium, quod sit omnino plenum, & solidum; alioquin quidquid esset, vacuũ esset: at si quid est, quod distinguit, aut cõtinet ipsum vacuum, hoc profectò non erit vacuum tangere & tangi, agere & pati, mouere & moueri, non conueniunt vacuo: quippe cum sit id, in quo talia fieri & geri debent. Sicut igitur inane nihil habet pleni & solidi, sic contra plenum, & solidum, omni debet vacare inanitate. Huiusmodi autem corpora plena & solida vocabãt Atomos, hoc est corpora indiuidua: de quibus hæc sentiebãt. Primùm quidem ea impatibilia & sempiterna esse: tum quia penitus carerent inani, per quod omnis passio penetrat in corpora: tum etiam, quia essent prima principia omnium rerum: oportere autẽ prima principia, è quibus cætera nascũtur, immutabilia esse, ne omnia penitus cõcidant & ad nihilũ vniuersitas rerũ intereat: Ex quo fit, vt talia corpora neque frangi, neq; diuidi, nec vllis coloribus aut qualitatibus patibilibus affici possint. Hæc. n. eiusmodi sunt, vt nec sine vacuo, nec sine certo interitus periculo, atque indicio rebus queant accidere. Deinde volũt eiusmodi corpora esse minima, nec amplius posse diuidi: non enim assentiuntur iis, qui faciunt corpus infinitè secabile, sed putant in sectione corporum, necessariò tandem deueniendum esse ad quædã corpuscula minima & indiuidua, quod ita docẽt: etenim corpus, aut componitur ex nihilo, aut ex pũctis, aut ex corpusculis minimis atque indiuiduis: sed priora duo esse absurda per se clarũ est, tertium igitur tenendum est. Deinde si omne corpus posset infinitè diuidi, ergo quodlibet corpus haberet infinitas partes: quid igitur interesset inter corpus maximum & paruum; vtrunque enim totidem constaret partibus, hoc est infinitis; cui etiam, necessariò consequens est, vt quoduis corpus esset infinitum; nam quod

Democriti & Epicuri decreta de atomis, quæ ponũt alterum omnium rerum principium.

habet infinitas partes,quãtumuis paruas, id necesse est infinitum esse.Præterea fingamus,siquidem corpus infinita diuisione diuisibile est,ipsum iam actu,penitus diuisum esse: nam si quod est possibile,ponatur actu esse,nihil sequi debet impossibile,diuisione igitur omnino completa,ita vt nihil aliud supersit diuidẽdum;ecquid tunc erit reliquum?aut enim nihil,aut puncta, aut opuscula indiuidua;ex punctis,vel ex nihilo corpus effici, neque fert natura corporis,neq; ratio concedit, quamobrem necessariò inducẽdæ & admittendæ sunt atomi.Hanc rationem fusius explicat. Aristot.1.lib.de Genera.tex.8.in quo libro valde laudatDemocritum, eúmque præfert Platonitum quia vtitur rationibus propriis hoc est Physicis,Plato autem Logicis,id est cõmunibus & alienis:tum etiam,quoniam eiusmodi statuit principia,è quibus possit omnia quæ contingunt in natura,si non verè,saltem propriè,aptè & constanter explicare Vide Arist.3.Phys.text. 31.id quod Plato non fecit.Postea censent atomos multitudine quidẽ esse infinitas, nam sicut inane in omnes partes immẽsum & infinitũ est, sic atomos conuenit esse numero infinitas,Esse autem vniuersitatem rerum omni ex parte infinitam breui ratione concludunt,quam Cicero secundo lib.de Diuinat.his verbis exposuit. *Quod finitum est,habet extremum,quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecùs:at quod omne est id non cernitur ex alio extrinsecùs, quod igitur omne est cum non habeat extremum,infinitum sit necesse est.* Licet autem numerum atomorum infinitum statuant,tamen species figurarum,per quas atomi differunt,nolunt esse infinitas:ex quo sequitur,vt vnaquæq; species figuræ habeat infinitas atomos similes,sintque infinitæ atomi eiusdem figuræ,vt verbi gratia rotundæ Id autem Lucretius comprobat hoc argumento. Si essent inquit secundum speciem, atomorum figuræ infinitæ,ergo distantiæ contrariorum, non essent finitæ:nec in vllo genere daretur aliquid summum , & infinitum:optimum,& pessimum:neque natura in generando,& corrumpendo vsquam consisteret , nec faceret reciprocationes , sed recta procederet semper in infinitum,nouæque semper exoriretur species rerum,quæ omnia sunt contra sensuum,& rationis iudicium ; hoc idem assignat Epicuro Plutarchus in primo de Placitis Philosophorum,& Laertius vitã Epicuri scribẽs. Sed ab hac opinione clara voce nos reuocat Arist. qui in 3.lib.de Cælo,text. 37.& 1.de Gener.tex.5.de atomis Democriti,ac Leucippi loquens, perspicuis & cõceptis verbis affirmat,infinitas esse, secundũ illorũ species & differentias figurarũ.Nisi quis respondere velit,sentẽtiam,quam prædictis locis refert Ari. esse quidem Democriti,sed ab ea discrepasse Epicurum;ceu in quibusdam quoque aliis rebus fecit.

Aristoteles Democritum præfert Platoni.

Dubitatio,an Democritus figurarũ, quæ sunt in atomis, species fecerit infinitas.

fecit.Nam cum Democritus attribuisset atomis magnitudinem, & figuram,Epicurus adiecit pondus.ratus nihil moueri posse sine pondere:& cum ille vnum,atque similem omnium atomorũ fecisset motum,hic veritus, ne si omnes atomi suo pondere ad lineam ferrentur deorsum,non possent aliæ alias attingere & apprehendere,ex qua complexione efficitur rerum generatio,& ne si certus,atque vniusmodi esset motus atomorũ, nihil foret in nostra potestate,commẽtus est motum quendam declinationis,quo facit atomos paulũm declinare de recta via qua ferũtur deorsum, quo se commento putat effugere necessitatem Fati &alia omnia incommoda:atque hæc quidem solutio verisimilis sit, ob auctoritatem Philoponi qui eam tradit in primo de Generat.super textum quintum,& confirmat testimonio Alexandri.Verùm nos redeamus ad narrandas atomorum proprietates. Præterea, quãuis omnes atomi sint eiusdem naturæ , tamen in his aiunt inesse triplicem differentiam & varietatem:vnam posituræ,vt aliæ sint superiores,aliæ inferiores,aliæ anteriores, aliæ posteriores:aliæ dextræ,aliæ sinistræ:alteram ordinis,vt quędam sint priores,quędam posteriores:tertiam figuræ,secundum diuersas figurarum species & differẽtias .quamobrẽ apud Ciceronẽ 1.de Nat.Deorum inducitur Democritus faciens atomos quasdã læues,alias asperas, partim rotundas,partim autem angulatas:curuatas quasdam,& quasi aduncas & hamatas. Ex atomis igitur secundum hanc tertiã varietatem variè coniunctis atque copulatis,creari omnium rerum genera & species arbitrãtur. Non secus ac ex viginti quatuor literis , variis modis inuicem copulatis, existit infinita propemodum varietas dictionum.vt incredibile videatur quicquid loquimur & scribimus, ex illis tantummodo literis confici posse. Vide Arist. 1.Metaph. & 1.de Gener.tex.5,Hanc sententiam pulchrè declarat Lucretius lib.2 his versibus.

Quæ adiunxit Epicurus doctrinæ, quam de atomis tradiderat Democritus.

Quin etiam refert,nostris in versibus ipsis,
Cum quibus, & quali sint ordine quæq; locata:
Namque eadem cælum,mare,terras,flumina,solem
Significant,eadem fruges,arbusta,animantes,
Si non omnia sint,at multò maxima pars est
Consimilis,verum positura discrepitant res:
Sic ipsis in rebus,item iam materiei
Interualla,viæ,connexus,pondera,plagæ,
Concursus,motus,ordo,positura,figuræ,
Cum permutantur,mutari res quoque debent.

Ad extremum opinantur atomos non ab aliquo principio,sed ab omni æternitate moueri perpetuò per inane, atq; ex fortuitis immune-

Ex atomis

rabiles mũdos effici, & quosdam omnino similes ac pares.

earum concursationibus & coniunctionibus nõ solùm effici hũc vnum mũdum in quo nos sumus,sed alios innumerabiles,&quidem quosdam sic inter se non solum similes, sed vndiq; perfectè & absolutè pares,vt inter eos nihil prorsus intersit. Nam cum ina ne quoquo versus infinitè pateat, summa item materiæ, hoc est atomorum multitudo sit innumerabilis,eáque non consilio & vi alicuius numinis& mẽtis regatur,& ad procreãdas res adducatur, sed vi sua semper agitetur,& fortuitis concursibus ad omniũ rerum generationem conueniat, nulla profectò caussa satis idonea & verisimilis afferri potest, cur in hac parte vacui, quam noster mundus occupat,& ex his atomis,ex quib. ipse coagmẽtatus fuit vnus hic mũdus effectus sit,& non similiter possint in aliis partibus vacui,atque ex aliis atomis complures alij mũdi, quin etiam innumerabiles effici.Ergo apud hos Philosophos,inane & atomi locum tenent materiæ, nec aliam vllam ipsi causam agnoscunt & admittunt.etenim nolunt atomos vel ab aliqua causa efficiente,vel alicuius finis gratia, simul cogi & congregari ad efficiẽdas res,sed talem concursum esse prorsus fortuitum.Itaque licèt non ex quibuslibet atomis quælibet res fiat, sed ex certis, atque definitis, certæ, ac definitæ rerum species existãt;ex aliis enim atomis constant animãtes, & ex aliis stirpes, atque lapides,alioquin quodlibet esset quodlibet, nec vllum foret rerum discrimen, & non differret equus ab homine,& lapis à planta:licèt inquam velint cuiuscunque rei materiam esse certam,ac determinatam: tamen quod talis materia simul cogatur,& præstò sit,hoc est,vt atomi,quæ sunt aptæ ad efficiendum hominem, vel equum, simul congregentur, id censent non ab aliqua causa efficiente proficisci,sed casu & temerè contingere.

Magna difficultas an Democritus stirpium & animalium certas aliquas causas efficiẽtes posuerit.

Verùm hoc loco non mediocrẽ afferunt difficultatem verba Arist.quæ sunt in 2.lib.Phys.text.45.& in primo libro de partib. Animaliũ,cap.1.quibus significat Democritũ (sic enim illa verba Simplicius & Themistius interpretãtur) existimasse, Cælum quidẽ & sydera,casu effecta fuisse:animalia verò & plãtas,à certa quadã causa,nẽpe vel natura, vel intellectu procrearisque verba, me quidem certè valde dubium & perplexũ tenent: nam nec ausim suspicari Arist. (tantũ videlicet virum) quidquam falsò & iniquè Democrito ascripsisse,præsertim nõ contradicẽtibus antiquis eius expositoribus.nec tamẽ queo videre,qua ratione, quod Arist.ait, cum certissimis & manifestissimis illius viri decretis consentiat. Primò quia neq; in his,quę de Democrito scripsit Laertius, nec in his,quæ vel Epicurus vel Lucretius eiusdẽ doctrinæ propugnatores in scriptis reliquerũt,tale quicquam reperio,sed potius cõtrarium:

rium;tum quia vix credibile est, Democritum cordatum sanè,& sapientem virum,atque multifariam laudatum ab Aristo. res tam perspicuè falsas & absurdas,nec occultè modò rationi, sed etiam apertè ipsius sensib.aduersantes,credidisse,ac enũtiasse.quis enim tam hebeti est ingenio,qui si vllus fortunæ locus dandus sit, non eum potius illi tribuat in his,quæ sunt infra lunam,in quib. multa inconstanter & inordinatè fieri cernimus,quàm in rebus cælestibus, in quibus ne minimum quidẽ ab omni æternitate vel erroris,vel inconstantię ac temeritatis vestigium apparuit? Deinde, quoniam Aristot. non satis videtur sibi constare; quippe cum in aliis locis affirmet, nec causam efficientem, nec eam quæ est vt finis,& cuius gratia,fuisse Democrito cognitam;non igitur is potuit cæli coagmentationem fortunæ attribuere;animantiũm verò & stirpium,certis caussis efficientibus. Si quis autem aliquam sibi ad effugiendam difficultatem latebram quęrens,respondeat, id quod Arist.ait,plantarum & animalium esse secundum Democritum certam quandam caussam,non ad efficientem,sed ad materiam esse referendum, is profectò valde infirmum sibi reperit perfugium:primùm quoniam Arist.ibi loquitur de casu & fortuna,quæ non ad materiam, sed ad causam efficientem referuntur, vt ipse paulò infrà docet text.65.deinde Arist. explicans quã causam plantarum & animalium faceret Democritus,subdit causam esse naturam,vel intellectum: quas causas perspicuum est numerari in efficientibus: postremò quod attinet ad materiam,non minùs necesse est ex certis atomis cælum constitui, quàm stirpes & animantes,vt supra dictum est;quin etiã tantò magis id necessarium esse videri debet,quantò cæli structura solidior, firmior,atque diuturnior est,quàm rerum sublunarium.

Summa eorum quæ de opinione Democriti dicta sunt.

Sed his omissis sententiam horum Philosophorum de principiis rerũ naturaliũ pluribus verbis explicatam, paucis nunc,quasi repetendo complectamur. Faciunt itaque materiam omniũ rerũ inane & atomos:illud in omnes partes infinitè patens; has multitudine innumerabiles,penitus solidas,impatibiles,omniúmque patibilium qualitatũexpertes.In his inesse magnitudinẽ,figuram & pondus:notum item earum triplicẽ esse.Vnum, qui directè fit deorsum:alterum elisionis,qui ex mutuis earum plagis,& ictibus contingit:tertiũ declinationis:congregationẽ atomorum ex qua innumerabiles mundi efficiuntur tribus differentiis variari,positura,ordine & figura. Vnde omnis rerũ omnium varietas existit nullã esse certam vim & causam efficientẽ,nullumque præfixum naturę ad agendum finem,cuncta.n.casu & fortuitò contingere. Hęc igitur de opinione Leucippi,Democriti & Epicuri dicta sint

Reprehẽditur Simplicius, qui conatur ostendere, omnes supradictas opiniones veterum Philosophorum veras esse, atq; inter se consentientes.

CAP. X.

HÆ sunt igitur aut omnes, aut certè magis illustres veterum Philosophorũ de principiis rerum naturalium sententiæ, satis, vt opinor, à nobis dilucidè, ac diligenter explicatæ. Nunc consequens est, vt doceamus quid in illis reprehendat Aristoteles quid item nobis reprehẽsione, aut defensione, & æqua interpretatione dignũ esse videatur. Ac primùm quidem (vt hoc ante dicamus) nullo modo probatur nobis iudicium, & studium Simplicij qui contẽdit persuadere, supradictas opiniones, si quis eas rectè intelligat, atque interpretetur, nec absurdas esse, nec inter se discrepãtes; Grauiter etiam inuehitur in eos, à quibus prisci Phisiologi tanquàm absurdè sentientes, & inter se pugnantes irridentur, atque cõdemnantur: Etenim super text. 6. primi libri Physicorum, postquàm opiniones antiquorum de principiis rerum, multis verbis exposuit, subiungit hæc verba, *Non perperã autem fecerimus, si paululum digredientes studiosis ostendamus, quo modo antiqui, etsi videantur differre in rerum principiis, pulchrè tamẽ cõsentiãt. Non enim oportet eos, qui tantam audiunt differentiam, existimare, esse has Philosophorum repugnantias: quod quidem nonnulli, qui in historicas solas descriptiones incidunt, & nihil eorum, quæ dicuntur intelligunt, conantur exprobare: etsi sint ipsi diuersi insectas innumerabiles, non de naturalibus quidem principiis (hæc enim ne per somnium quidem audiunt) sed in delenda diuina excellentia.* Hæc Simplicius. Quibus verbis rectè, ni fallor, pungit veteres Ecclesiæ Doctores, Clementem inquam Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, Iustinum Martyrem, Lactantium, Eusebium Cæsariensem, & alios quamplurimos, qui vt Philosophos opinione sapientiæ inflatos & Christianam doctrinam, quæ fide, ac simplicitate nititur, ludibrio habentes, coarguerent, in demonstrandis & refellendis illorum erroribus, & dissensione; quæ inter ipsos semper fuit maxima, declarãda, plurimũ elaborarunt. Sed profectò, quamuis Simplicius contendat omnes neruos, vt Philosophorum dicta, multo aliter, quàm ipsa eorum verba præ se ferunt, allegoricè interpretando, ad verisimilem aliquem sensum traducat: tamen luce clarius est, nonnullas opiniones vsque adeo falsas & absurdas esse, vt risum potius mereantur & indignationem, quàm vllam impugnationem; quasdam verò, tam pugnantes inter se, vt plumbeus & planè stultus sit, qui putet eas ad concordiam posse reuocari. Verùm ne de meo sensu videar hæc dicere, vel odio veterum, vel studio contradicendi Simplicio,

plicio, proferam in medium, quid hac de re senserint duo Philosophiæ principes Aristoteles & Plato, tum præcipuas Philosophiæ quæstiones percensens, quanta in his fuerit veterum discordia, breuiter explicabo.

Principio Aristot. 1. Phys. text. 71. scribit primos Philosophos veritatem & naturam entium quærendo, depulsos ob experientiam in aliam viam oberrauisse. Idem text. 74. *illi*, inquit, *aberrasse ostenditur & propter hanc ignorantiam, tantum insuper ignorauerunt, vt nihil cõtra Simplicium aliorum opinati sint fieri, aut esse, sed abstulerint omnem generationem.* Et item in lib. 13. Metaphysicæ de Pythagoræis loquens, ait, *quòd ipsi quanta sit primi de numero discordant inter se, signum esse, ipsas res, cum non sint ve in opinoræ, eas præbere confusionem*: & paulo post. *Ac ipsi*, inquit, *fatentur non nihil veteadem, sed contraria dicentes, causa verò est quòd suppositiones, & principia eorum falsa sunt, difficile autem est, vt ait Epicharmus, ex non bene repugnanpræsupposito, bene dicere cum primum enim aliquid dicitur, confestim apparet non bene dictum esse.* Ampliùs in 1. Metaph. affirmat quosdam veterum attigisse materiam, & causam efficientem: *obscurè tamẽ, inquit, & non clarè, sed quemadmodum inexercitati in prælio faciunt, etenim illi circumeuntes egregias plerũque plagas infligunt: sed nec illi ex scientia, nec isti videntur scire quid dicãt.* Idem quoque aliis locis cõfirmat, veteres multa peccasse ob imperitiam Dialecticæ, eósque valdè fabulosè, pueriliter, inconstanter, & quasi balbutiendo, atque somniando philosophatos esse. Deinde apud Platonẽ in Phędone, Socrates Anaxagoram (qui tamen præ aliis Philosophis antiquis sobrius, & sapiens visus est) miris modis exagitat, seque cõfitetur ex inspectione naturæ & lectione Philosophorum, magis quàm antea fuisset, ignarum & cæcum extitisse, in Theæteto opiniones veterum de principiis rerum, appellat fabulas pueriles, in quibus ipsi vehementer inter se pugnant atque digladiantur, & è quibus nihil certi & veri cognosci potest. Porrò Heracliteos ait, nihil decernere, nihil docere, sed per dictiunculas quasdam refertas ænigmatibus veluti per sagittas è pharetra eductas, mentes hominum ferire, atque sauciare. Idem in Sophista recensens eorum sententias, qui de essentia disseruerunt, inquit eos more Gigantum cum Dijs, & inter se pugnare: ita vt ad singulorum opiniones euertendas, non opus sit, nouas argumentorum machinas quærere, sed aliorum armis alios oppugnari posse. Hanc Philosophorum discordiam Eusebius decimoquarto lib. de Præparatione Euangelica, & Theodoretus in opere, quod inscribitur de Curatione Græcarum affectionũ libro secundo qui de est principiis, copiosè pertractant. Meritò igitur Timon (vt est apud Theodoretum) tragicè Philosophos insectatur his versibus.

Mortales, miseri proboſi ventris ad instar
Quæ nam vos lites nugis pugnantibus vrgent?
O vtres animi sensus quos implet inanes.

Præterea hoc idem declarat & confirmat varietas innumerabiliũ pene sectarũ, & cuiuslibet sectæ successio, plena mutabilitatis & inconstantiæ. Nam vt excipiam Pythagoræos, & Epicureos in quibus aliquanto maior, & diuturnior fuit voluntatũ, & sententiarũ consentio; in aliis sectis adeo sunt magistrorum discipuli, & posteriores priorum dissimiles, vt nihil præter nomen ab illis acepisse, & retinuisse videantur: quam enim principes sectaru disciplinæ suæ rationem, & formã sequendã, & custodienda reliquerũt eam mox illorum posteri, vel detrahendo, vel addendo, vel etiam contradicendo, tota propemodũ immutarũt, atque peruerterũt. itaque dum quisque mauult (illustriorem ea re laudẽ & gloria sperans) videri nouæ author sententiæ, quàm veteris sectator, & defensor alienæ, quot fuerũt homines, tot penè opiniones extiterũt. Verùm hęc milla faciamus, & discordias eorũ in præcipuis Philosophiæ quæstionibus (quod secũdo loco propositu est) aperiamus.

Dissentio maxima Philosophorum in præcipuis Philosophiæ quæstionibus.

Si cogitatione lustremus principes Philosophiæ quæstiones, cuiusmodi sunt de iudicio veri & falsi, de finibus bonorũ: de mũdo: de Prouidentia Dei: de animo nostro, & de principiis rerum: quarum rerum certa explicatáque cognitio, tum ad agnitionem veritatis, tum ad bene beatéque viuẽdum apprimè necessaria est, & in quibus sapientem fluctuare, ac sola opinione duci, a sapietia abhorret plurimùm; planè reperiemus veteres Philosophos tanta esse in varietate, & dissensione constitutos, vt necesse sit, qui eorũ decretis nitũtur, eos in summo errore, & in maximarũ rerum ignoratione versari. Etenim duo sunt, vt hinc ordiamur, prima totius Philosophiæ fundamenta; vnum veri & falsi iudiciũ: alterum finis bonorum. Neque enim sapiens esse potest, qui aut cognoscendi initium ignoret, aut extremum expetendi: & aut vnde proficiscatur, aut quo peruenièdum sit ignoret. Iudicium autem veri & falsi, Academici, negãdo vera penitus internosci posse à falsis, omnino sustuleruunt: Epicurei totum in sensibus collocarũt: Platonici in sola mente: Aristotelici tum, in hac, tum etiam in sensibus: nam euidentem certámque cognitionem rerum singularium, atque sensibilium, à sensibus petendam esse primorum autem principiorum, & eorum quę nullam cũm sensibus cognationem habent, à naturali nostris mentis lumine totam pẽdere. Itaque Epicurei contendunt, semper esse veros sensus: Academici nunquam, ita vt nihil illis credendum, & fidendum sit: Peripatetici interdum quidem veros, interdum autem falsos. Rursus Academici negant vllus rei apud nos scientiam & comprehensionem esse: Platonici eam quidem concedunt, sed nolunt eam à nobis de nouo parari, verùm renouari tantummodo per reminiscentiam: Aristotelici verò & scientiam esse, & nouo studio ac disciplina comparari. De finibus autem bonorum, Varro in libris de Philosophia, vt refert D. Aug. li. 19. de Ciu. Dei ca. 1. partim cõmemorãdo opiniones, quæ inter Philosophos fuerũt, partim quę possent esse, collegit. 288. varias sententias; quam rem etiam luculenter tractat Cicero, tum in 2. lib. Acad. quæst. tum in libris de finibus bonorum. Postea de mundo varia senserunt Philosophi: alij enim faciunt vnum, alij infinitos: alij factum esse volunt, & interiturum: alij factum quidẽ, sed nunquã periturum: alij verò neque factum vnquam, neque interiturũ: alij putãt eum casu regi, alij prouidentia Dei, alij naturalium motuum, ponderũ, & proprietatum occulta quadam vi, atque conuenientia. De Deo autẽ, an sit, quid sit, qualis sit, quid agat, & an vnus sit, nec ne, quis Philosophorum varias, & discrepantes opiniones vel enumerando queat, recensere? legi potest Cicero in primo lib. de Nat. Deor. & D. Aug. lib. 5. & 6. de Ciuit Dei. Themistius Philosophus (veluti commemoratur in histor. Eccles. Socratis lib. 4. cap. 27.) in oratione quã habuit apud Valẽtem Imperatorẽ, affirmauit plusquã trecentas fuisse apud Gentiles Philosophos varias de Deo ac religione opiniones. Deinde, quàm parum inter Philosophos conueniat de animi nostri natura, immortalitate, & actionibus nemo est qui si legat primũ librũ Arist. de Anima, non perspicuè intelligat: nec verò solum in hoc discrepãt, qui sunt in diuersis sectis, sed etiam, qui eandem disciplinam profitẽtur: etenim in ipsis Peripateticis, qui propiùs à vero abesse existimantur, alij censent animum mortalem, & natiuum: alij natiuũ, sed immortalem: alij neque natiuum, neque mortalem, sed omni ex parte sempiternũ. Rursus alij vnum in omnibus, alij suum cuique, alij certum animorum numerum ab æternitate fuisse constitutum, qui diuersis temporibus diuersa induant, & vicissim exuant corpora. Et item alij veram, atque naturalem formam hominis; alij tantummodo assistentem, vt nõ secus ad hominem affectus sit, quàm nauta ad nauim, vel intelligentia ad orbem quẽ mouet. De varietate aũt, & dissensione Peripateticorũ qui Aristotelis & Theophrasti posteri fuerunt, sic est apud Ciceronem quinto lib. de finibus. *Horũ, inquit, posteri meliores illi quidem mea sententia sunt, quàm reliquarũ Philosophi disciplinarum, sed ita degenerant, vt ipsi ex se nati videãtur.*

Ad extremũ de principiis rerum (quo spectãt cætera quæ hìc à nobis commemorata sunt) quãta sit inter eos nõ de terminis so-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lùm(vt aiunt)sed de tota possessione dissensio, quãquam perspicuum est ex his, quæ supra docuimus:tamen potest etiã graui Ciceronis testimonio confirmari.Is enim in 2.lib.Acad.quæst.cum ex aliis rebus,tũ maximè ex dissensione Philosophorũ,quæ est de primis rerum initiis,acutè,& copiosè disputat, nihil esse a Philosophis exploratè perceptũ; nihil firmis, & necessariis rationibus cõclusum;sed omnia verisimilibus modò cõiecturis,& argumẽtis explicata.Ex qua Philosophorum discordia recens fluxit Academia,nihil affirmans & approbãs,cõtra omnes,& contra omnia disputans,comprehensionem,& scientiam funditus tollens, clamans fallaces esse sensus,infirma iudicia, res ipsas inexplicabilibus obductas difficultatibus,ita vt, aut nihil sit verum,aut si quid est,id certè à nobis animo cerni,& cõprehendi nequeat. E transuerso autẽ venit Prothagoras (cuius in hoc vestigia sequitur Epicurus)qui indignum,& iniquum putans,tã multos grauer,& doctos viros inter se pugnãtes condẽnari,vociferatur, quod cuique videtur,id verum esse,& tale esse, quale videatur,nec res quæ cognoscuntur nostræ cognitionis,sed nos potius rerũ ipsarũ caussã, & mẽsurã esse:vt docet Arist.4.10.& 11.libris Metap. Quid si diuersis hominibus diuersa & cõtraria simul videantur? neque hoc absurdũ esse ducit.nihil enim prohibere putat, quin ea quæ pugnant inter se,simul vera,& falsa esse queant: nec minus habẽda esse vera,ea visa,quæ nobis dormiẽtibus, quàm quæ vigilãtibus: quæ ægrotantibus,quam quæ bene valẽtibus,quæ insanis, quàm quæ sanis occurrunt,quis hæc ferat?Et quidem hanc sententiã,vt pestem ingeniorum,& omnium disciplinarum exitium,Arist. & Plato multifariam coarguendo ex hominũ animis conantur extrahere,*Si enim*(vt inquit Arist lib.4.Metaph.tex.21.) *qui maximè putãtur verum quærere,amare, ac cernere,ij tales opiniones habẽt,& talem de veritate sententiam ferunt,quomodo non socordia ijs sit,qui philosophari conantur? Nam quærere veritatem,non esset aliud,quàm volucres persequi.* Prothagoræ tamen,nec patroni,nec discipuli defuerunt. Anaxagoras niuem nigrã esse nec sibi vnquam videri albã; Xenophanes, habitari in Luna, eámque terrã esse multarum vrbiũ & montium,dixerunt,vt ait Cicero lib.2. Academicarum quæst. quis hæc portenta ferat? Isti tamẽ Philosophi in primis magni & nobiles extiterunt. Non ero longior, nam si persequar omnia, operosum sanè laborem, & in re cuiuis aperta minimè necessarium,suscipiam.Illud certè clarissimum est, nihil esse tã euidens, & certum,de quo non variè discrepent Philosophi: nihil item(vt est apud Ciceronem 2.lib.de Diuinatione) tam ridiculum, & absurdum,quin aliquem Philosophorum authorem,& defensorem ali-

Pulchra sententia Aristotelis.

aliquando habuerit.Stoicos perhibent omnium Philosophorum maximè grauem,seriam & constantem Philosophię disciplinam cõdidisse.At Plutarchus vir in omni genere eruditionis maximè probatus & nobilis, opusculum fecit de contradictionibus Stoicorum,hoc est de his de quibus Stoici inter se magnopere dissentiunt & dissident:& item aliud,in quo docet, magis esse incredibilia,& fabulosa Stoicorum decreta,quam vel ipsas Poëtarum fabulas.Scripsit etiam quinque libros de placitis Philosophoru, e quibus planè intelligitur,in omnibus Physiologię quæstionibus, varia & discrepantia fuisse eorum dogmata.Ergo siue tantã opinionum varietas orta sit ob ignorantiæ caliginem communem omnium mortalium, qui cœlestis doctrinæ lumen non acceperunt,siue ob animi prauitatem,non tam cupientis ex disputatione,veritatis lumen aspicere,quam ex sophistica contentione inanes gloriæ vmbras consectantis,id quod à principio contra Simplicium docere instituimus verissimum est,veteres Philosophos, cum aliis rebus tum maximè in iis quæ de principiis rerum disseruerunt, multa,& falsa, & inter se pugnantia tradidisse: quanquam non negamus quædam eorum dicta & decreta quę à multis ridentur & improbantur, ad veram sententiam facilè traduci posse,si detractis allegoriis,& aliis verborum integumentis, explanentur:quæ res liquidò perspici poterit ex iis quæ supradictas opiniones excutiendo & diiudicando,mox dicturi sumus.

Plutarchus contra Stoicos.

Refellitur ab Arist.opinio eorum qui dicunt omnia esse vnum ens immobile.

CAP. XI.

SEntentiam eorũ qui dicũt,omnia esse vnum ens immobile,Aristoteles 1. Physi.non aliter accipiens,quàm videtur primo aspectu eorũ verba significare, tribus modis eã refellit:primùm enim docet non esse Physici contra eã disputare:deinde personam Metaphysici suscipiendo,breuiter eã coarguit:ad extremum rationes soluit,quibus eam communiũt & tuentur. Sed cur non est Physici contra huiusmodi opinionẽ differere?Quia tollit omnia principia Physiologiæ,tã quę sunt verę caussæ rerum naturalium,quàm quę vocantur principia cognoscendi, vt accidentia, & effecta, quæ nos quasi manu ducunt ad cognitionem caussarum,earúmque rerum, quæ quia sensus nostros latent,fugiunt etiam intelligentiam. Si enim omnia sunt vnum) ergo non est multitudo rerũ in natura.Si immobile,ergo

Cur Physicus non possit disputare cõtra negãtes motũ, & multitudinem rerum naturalium.

nullus est motus, nihil autem sensibus euidētius atq; certius est, quàm esse motū, & multas ac diuersas res, deinde sublato motu, tolluntur omnes causſæ; etenim Natura est principiū motus: Materia est ex qua aliquid fit: Finis (à quo forma re nō differt) est cuius gratia cætera fiunt: efficiens est id vnde primum principium motus. Cū igitur omnia principia Physica, qualia qualia fuerint, vel sint motus, vel ad eum necessariò affecta sint, cōspicuum est, prædictam opinionem, quæ tollit motū, vnà quoque omnia principia Physica è medio tollere. Quare cum nulla scientia probare queat principia sua, quicquid enim afferet ad illa ꝓbāda, vel illis posterius erit, ac proinde ignotum & obscurū: ex principiis enim reliqua demonstrari & illustrari necesse est: vel erit prius, at nihil est prius primis principiis, & si quid tale sit, id profectò extra scientiam erit, & ad alias disciplinas pertinebit: hinc efficitur, vt Physicus nec sua principia confirmare, nec eos à quibus negātur redarguere aut debeat, aut etiam, quà Physicus est, possit. Nā quamuis principia, quæ sunt causſæ rei, possint (vt docet Auerr. 2. Phys. cōmento. 22.) demōstrari esse in natura, demōstratione signi, quēadmodum demōstratur materia esse in rebus ex transmutatione formarū, & primus motor ex subordinatione & finitate mouentium, & motuum: tamē qui asserit omnia esse vnum ens immobile, nullum Phys. relinquit argumentum, siue ductum à priori, siue à posteriori, quo vti possit ad sua principia tuēda, & comprobanda. quid enim est in rebus naturalibus, quod sit, non dicā magis, sed vel æquè nobis euidens atque certum, quàm motus, & rerum multitudo? quare necesse est Physicū omnibus præsidiis spoliatum obtumescere. eiúsque patrocinium, & defensionē ab aliis suscipi; sic enim res se habet: si ea scientia, cuius principia negātur, sit subalternata, eorum principiorum probatio petēda est à scientia subalternante, illius enim principia, sunt cōclusiones, quas ab hac demonstrari, vel potius demonstratas esse oportet, vt cernere licet in Perspectiua, & Geometria. Si verò ea scientia nō sit subalternata, sed eius principia sint per se immediata, prima & per se indemonstrabilia: talium principiorum nulla esse potest demōstratio ex propriis, nec in eadem scientia, nec in alia: sed si quæ est, eam necesse est, vel Dialecticam esse ex probabilibus confectā; si quidem inter alias Dialecticæ vtilitates, quæ commemorātur in 1. lib. Topic. hæc vna in primis est, quòd præbet instrumenta, & præsidia quędam ad tuenda, & defendenda scientiarum principia vel Metaph. quæ scientia, cū agat de ente vt ens est, ac de his quæ pertinēt ad omnes disciplinas, suo sibi iure vēdicat patrocinium ac defensionem aliarum scientiarum, earúmque principia, cum opus

Cuius sit principia particularium scientiarum, si ab aliquo oppugnētur, defendere.

opus est, probat rationibus necessariis quidem, sed communibus & quæ ducunt ad impossibile. quāquam si is, qui negat principia alicuius scientiæ particularis, concederet aliqua, quæ subiecta sunt illi scientiæ, tunc rectè posset particularis scientia ex iis quæ concessa sunt, probationem suorum principiorum cōficere; vt si quis negans materiam, vel primum motorem esse, aut naturam agere propter finem, concederet naturales formarum mutationes, nec tolleret motus, & actiones Physicas, ex his posset Physicus (vt fecit Arist.) illa principia demonstrare.

Dubitatio, si negētur principia ipsius Metaphysicæ quæ scientia debeat ea probare.

Sed existit hoc loco nō leuis dubitatio, quæ (auctore Simplicio) proposita est ab Eudemo, nec ab eo tamen soluta. Si enim negētur principia ipsius Metaphysicæ, quæritur cuius scientiæ sit, ea probare. Nam si Metaphysica sua principia defendat, cur nō similiter vnaquæque scientiarum particularium, idem poterit efficere: sicut enim Metaphysica se habet ad sua principia, ita quoque videntur se habere scientię particulares ad sua? Sin autem principia Metaphysicæ dicat quispiam probari ab alia scientia superiori & vniuersaliori, primùm hoc falsū est, nulla enim est, aut esse potest, talis scientia: deinde ne sic quidem difficultas tollitur: nam de tali scientia similiter quæri potest. si eius principia negantur, à quo probari debent? Si enim ab alia scientia, & illius itidē ab alia, & ita semper deinceps, res sanè procedet in infinitum: quare eò tandem necessariò veniendum est, vt vel principia Metaphysicæ remaneant sine vlla probatione, & omni defensione destituta, vel vt probentur ab ipsamet Metaphysica: quod si ei cōceditur, nulla videatur esse causſa, cur non idem concedendū sit scientiis particularibus. Hæc est dubitatio, quę soluitur hoc modo. Qui negat principia scientiæ particularis, fieri potest, vt nihil penitus cōcedat eorum, quæ ipsi scientiæ subiiciūtur: ex quo fit, vt nihil ei reliquum faciat, quo principia sua tueri possit: qui autē negat principia Metaphysicæ, vel is concedit aliquid vel nihil: si nihil, non erit cum eo disputādum: nulla enim de re potest suscipi disputatio, nisi ante quibusdam rebus positis, & concessis: si aliquid, hoc ipsum quale quale fuerit: aliquo modo attinget ius Metaphysicę, vt potè quæ agit de ente, vt ens est, cui subiiciuntur omnia, quæcūque sunt in rebus: quare Metaphysicus ex eo, quod aduersarius ponit, & concedit, principia sua confirmare, eúmque redarguere poterit. Atque totum hoc, quod nunc à nobis dictum est diligēter obseruatum esse cernimus ab Arist. in 4. Metap. vbi primum illud principium quodlibet est, vel non est, contra nonnullos id sophisticè negantes, multis modis declarare, ac probare contendit. vide etiam D. Thomam prima part. quæstione prima art. 8.

Solutio Dubitationis.

Sed quemadmodum prædictos Philosophos refellat Aristoteles videamus.

Licet supradicti Philosophi sic opinando auferant, vt dictum est, principia Physicæ, tamen quoniam profitentur se agere de rebus naturalibus, & naturales dubitationes tractare, Aristoteles contra eos disputationem init, non tanquàm Physicus, vt malè putauit Simplicius, tollentes enim motum, omnia Physico subtrahũt præsidia quibus ab eo repelli, & reiici possint; sed tanquàm Metaphysicus, vt rectè sentit Alexãder & perspicuè intelligitur ex ipsa disputatione. Refellit autem eorum sententiam duobus argumẽtis; vno ex multiplici ratione entis supto: altero ex varia (vnius) significatione: sed ante omnia Arist. ponit, ens multipliciter dici, non quidẽ dici de multis rebus: id enim, cum ab illis negetur, accipere pro certo, quid aliud esset quàm, vt aiunt, principiũ petere? sed ens significare multa, & varia, vt substantiã quantitate, qualitatem & cætera genera accidentiũ, siue sint ea diuersa inter se, siue nõ, hoc enim cũ sit omniũ sermone tritissimum, à nemine, qui sanæ mẽtis sit, negari potest. Ex hac hypothesi sic deinde ratiocinatur. Qui dicũt omnia esse vnũ ens, aut intelligũt omnia esse vnũ, secũdũ nomẽ entis, quod dicitur de omnibus, licèt res sint multa, & hoc modo nulla est quæstio: aut esse vnũ secũdum rem, quod multis modis contingere potest: vel vt sint vnum genere, vel specie, vel numero: priora duo, cum genus & species de multis dicantur, non tollunt multitudinem rerum: quod si volunt omnia esse vnum numero secundum rem, vel putãt omnia esse vnum numero, quod sit substantia sine accidẽtibus, vel aliquod accidens sine substantia: si erit substantia sine accidentibus nõ poterit esse finita, vel infinita, vt ipsis placet: finitum enim & infinitum sunt propriæ affectiones quantitatis; quæ nec substantiæ, nec vlli alijs rerum accidunt, nisi propter quantitatem: Si est accidens sine substantia, multa consequuntur incommoda, quæ necesse nõ est cõmemorare cum in aperto sit nullum accidens seiunctũ à substantia per se cohærere, & constare posse. Ergo quocunque se vertant, tenentur conuicti, & habent confiteri, illud, suum, ens, quod faciunt finitum, vel infinitum, non esse Vnũ, sed minimùm duas esse res, substantiam nimirum & quantitatẽ. Alterum argumentum ex varia notione vnius, hanc vim habet: Cum Vnum dicatur multis modis, vt videre licet libro 5. Metaphy. maximè verò (quod ad rem præsentẽ attinet) tribus: Dicitur enim vnũ, vel quod est cõtinuum, vt magnitudo, vel quod est indiuisibile, vt pũctum, vel quod est vnum omnino secũdũ rationẽ, multis autẽ & variis nominibus significatur, quæ nomina vocan tur,

cantur, nomina synomina, vt ensis & gladius. Quonam horum trium modorum existimant omnia esse vnum? si vt continuum, cum id sit multa potestate, siquidem potest infinitè diuidi, nõ erunt omnia vnum propriè: si vt ea, quorum ratio est vna, ita vt omnia nomina idem penitus significent, sequeretur, idẽ esse contraria, vt bonum & malũ, & idem esse disparata, vt hominẽ & equũ: quinetiam, idem esse contradictoria, vt bonum, & nõ bonũ, hominẽ & non hominẽ. Quare idem erit ens, & nõ ens, cessabit igitur quæstio, nam idem erit dicere omnia esse vnum ens & omnia non esse vnum ens, imò omnia non esse ens, sed nihil. Si autem vnum accipiatur pro eo quod est indiuisibile, ergo tale ens vnum non erit quantum, ac proinde, nec vt ipsi volunt, finitum, aut infinitum, nec item erit quale, aut aliis sensibilibus accidentibus affectum. Etenim, vt est apud Arist. 6. Physicorum & in li. de sensu & sensili, nec vllum accidẽs sensibile potest esse in eo, quod caret quantitate: quin etiam Ari. nullum accidẽs, siue materiale, siue spirituale agnoscit & ponit in vlla re, quæ aut nõ sit particeps quãtitatis & materiæ, aut cum his naturalẽ & necessariã cõnexionem, atque coniunctionem non habeat. quamobrẽ nec in Deo, nec intelligentiis vllum recidẽs esse vult; nec sanè putaret, habitus & actiones animæ rationalis esse accidentia, nisi videret eam natutaliter quodammodo pendere à corpore, & in eius functionibus varietatem quandam, & mutabilitatem contingere. etenim quod adest, & abest alicui rei præter eius interitum, id nẽmo negare potest esse accidens: sed virtus & vitium, scientia & ignorantia, intelligere & velle adsunt, & absunt animæ rationali sine vllo eius interitu, relinquitur igitur, nemini dubiũ, ac obscurũ esse posse, quin huiusmodi res sint accidẽtia. Sed quãuis Aristoteles solo naturæ lumine, vel suæ philosophiæ haud omnino variæ, principiis nixus, non cognouerit vllam in substãtiis incorporeis varietatem & commutationẽ, aut fuisse vnquã, aut aliquãdo esse posse; Theologi tamẽ, (quia id ex sacris literis quibus longè sublimior doctrina cõtinetur compertum habent) cõstanter affirmant & docent habitus & affectiones, tã intellectus, quàm voluntatis, non secus in Angelis, quàm in nobis esse accidentia. Verùm, vt eo reuertatur, vnde hæc nostra defluxit oratio, perspecuũ sit contra rationem entis & vnius esse, facere omnia vnum ens, atque hęc quidem Aristoteles contra hanc opinionem. Plato autem licèt in Parmenide, eam probare videatur, interpretans eam Metaphysicè: tamen in Sophista non multò aliter eam accipens, quàm hic Aristoteles, multis verbis exagitat. Verùm de hoc, paulò infra,

Rationes Xenophanis soluuntur secundum Aristotelem.

CAP. XII

ARistoteles in eo libello,qui de Xenophane inscribitur,multa & varia oratione docet Xenophanis rationes,quas supra exposuimus,captiosas& infirmas esse. Primùm,quia nō est æquum,ex rebus minùs certis & perspicuis,tollere alias res magis euidētes & certas,vt facit Xenophanes:qui ex ea quod sumit, ex nihilo nihil fieri, vult auferre motū & multitudinē rerū,cū tamē hoc multò clarius & firmius sit quàm illud.Nā ex nihilo nihil fieri,nō tā sēsibus perspicuū est, exploratéque perceptum,quàm res moueri & multas esse.siquidem ex non ente res gigni,quidam existimarunt & hi quidē non è vulgo, sed ex iis,qui sunt habiti sapientes : Hesiodus quidem hæc cecinit.

Primùm ante omne aliud,Chaos extitit,inde patenti.
Pectore cunctorum sedes firmissima Tellus,
Atque amorū cunctis specie immortalibus anteit.

Ex his autem dicit cætera fuisse genita,illa verò ex nihilo.Tum quia,vt verum sit id quod sumit,tamen ex eo nō cōficitur quòd vult:nō enim si ex nihilo nihil fit,cōtinuò necesse est,nihil gigni posse.An Empedocles,Anaxagoras,Democritus,&alij Physici nō in id pariter consenserunt,ex nihilo nihil posse effici,qui tamen nec generationem,nec motum,nec multitudinē sustulerunt?rectè enim diceret aliquis,in rebus naturalibus quasdā eternas esse sine generatione & interitu,vt cœlos& materiam primā:alias verò generari & interire,non ex nihilo,vel in nihilū , sed alias ex aliis,vel directè procedēdo in infinitū,vel vicissim retro cōmeando,vt aqua ex aëre oriatur,& vicissim aër ex aqua,vel vt omnia ex vno principio nascātur,& in ipsu dissoluātur;quēadmodū qui putāt omnia esse aquā, vel aërem,hi censent ex aëre vel aqua per condensationē & rarefactionē variè affectis, atque commutatis, cūctas res existere.Similiter qui fecūt multa principia vel finita, vt Empedocles vel infinita,vt Anaxagoras,& Democritus, volūt ipsa quidem principia esse sempiterna,cæteras autem res ex illis & in illa per congregationem & segregationem generari, atque interire.Deinde,cur si id quod est,æternum est, ex eo fit,vt sit infinitum? quia inquit si quod est genitum habet principium,ergo quod nō est genitum,neque est interiturum, neque principium, neque finem habebit:atqui hoc nō ostēdit id quod est,carere terminis suæ magnitudinis & extēsionis,sed carere principio & fine durationis atque eo principio,ex quo creatur & in quod tandem occidat.

occidat.Nonne Empedocles ait quatuor elementa esse ingenita & atomos:itidem Democritus,quibus tamen non tribuunt infinitatem magnitudinis?Postea cur oportet esse vnum?quasi verò nō possint esse multa & ingenita,velut de cęlis sentiūt Peripatetici. Vel enim illud,Ens,ponitur incorporeum,vel corporeum ? si incorporeum,quo pacto dicit esse infinitum ? nam finitum & infinitū tales sūt affectiones vt nō cadāt nisi in corpus:sin autem est corporeum,habebit multas partes,quare nō erit simpliciter vnū. Ampliùs,quid prohibet esse vnum, non tamē vndique sui simile Etenim fieri potest,vt ipsum Ens sit vnum , ingenitū & infinitū, tamen constitutum,vel partibus dissimilis naturæ,cuiusmodi est animal,vel ex partibus simili quidem natura præditis,dissimilibus tamen affectis accidentibus,vt aliæ sint raræ,aliæ densæ,alię lucentes, aliæ obscuræ , quam varietatem nos ipsi agnoscimus in cœlo,cuius substantiam vniformem esse,& simplicem arbitramur.Ad extremum,cur necessarium est,si vacuū non sit,id quod est non posse moueri? primum enim vacuum esse quasi locū & sedem corporum,multis veterum placuit,vt Hesiodo:qui ait ante omnia extitisse Chaos veluti receptaculum omnium corporum:quinetiam Democritus non modò (vt supra diximus)cēset vacuum esse,sed vult ipsum esse principium rerum;multoque verisimiliori & apertiori ratione,Democritus ex eo quod motus est,cōficit necessariū esse vacuū,quàm Xenophanes ex eo quod non est vacuum,nititur concludere nō esse motum:magis enim certum & perspicuum est,motum esse,quā nō esse vacuū, vt si alterutrū cōcedendū aut negandū fuerit,omnes sine dubio potius admissuri sint vacuum ne motū tollant,quam negaturi motum, ne vacuum admittant.His accedit;quod sine migratione totius alium locū potest & totum ipsum moueri motu alterationis , & partes ipsius motu locali per quandam veluti coagitationem & fluctuationem partium ad inuicem.Atque hoc modo Xenophanis rationes,eo quem ante posui,libro dissoluit Aristoteles.

Soluuntur Rationes Melissi.

CAP. XIII.

MElissi autē argumentationē,qua sic ratiocinatur (si φ est genitū habet principiū,ergo φ nō est genitū , caret principio:sed id φ est,nō est genitū,ergo caret principio quare necesse est infinitū esse) Aristo.duabus de caussis vitiosam esse confirmat.1.lib.Physic.tex.23. primùm propter formam,tum propter materiā.Ac vitium quidē formæ, de-

terius est,quàm materiæ, nam si forma est vitiosa,etiam cõcesso antecedente,non rectè infertur consequens, sed potest negari, vt in hoc syllogismo:Omnis homo est animal, omnis equus est animal,ergo omnis equus est homo: concessis, præmissis rectè negatur cõsequens ob vitium consequentiæ, quam parit mala syllogismi forma. At si bona fuerit argumentationis forma, positis præmissis siue veris,siue falsis,necessariò colligitur conclusio:vndè bona forma facit ex falsis colligere verum, & retinet nomen syllogismi:eius autem defectu, nec est,nec dicitur syllogismus,ni si secundum quid.Ratio igitur Melissi,primò peccat in forma,siquidem procedit ex opposito antecedetis ad oppositum consequentis: vt si dicas,si homo est,animal est,ergo si non est homo, nõ est animal: cum è cõtrario fieri deberet, quocirca habet in se fallaciam cõsequẽtis: quæ dupliciter fit (vt Aristotel.docet 2.lib. elẽchorum capit.5.hãc ipsam Melissi orationem ibi exempli loco afferẽs) vel cum ex oppositio antecedẽtis colligimus oppositum cõsequentis,vt accidit in hac ratione Melissi:vel cum ex positione cõsequẽtis inferimus positionem antecedẽtis,vt si est homo,est animal,ergo si est animal,est homo:& prior quidem modus huius fallaciæ,cum ad syllogismum reuocatur argumẽtatio, facit syllogismum in prima figura, cuius minor propositio est negatiua,qualis est hic.Omnis homo est animal,nullus equus est homo;ergo nullus equus est animal:Posterior autem modus facit in secũda figura syllogismũ ex duabusaffirmatiuis,cuiusmodi est hic: Ignis est elemẽtum,aqua est elemẽtum, ergo aqua est ignis. Sed quia posset aliquis pro Melisso respõdere,eam ratiocinãdi formam,quam vsurpauit Melissus,licèt per se vitiosa sit,tamẽ in terminis cõuertibilibus,quales sunt,habere principium & esse genitum, satis valere,& nõ inusitatam esse in scriptis Aristotelis:idcirco demõstrandum est rationem Melissi (tametsi nullum esset in ea vitium formæ)tamẽ vel sumere id quod est falsum, vel si vera sumit;certè nõ cõcludere & obtinere quod vult. Nam cum principij nomẽ multis modis dicatur,significat enim(vt alias nũc significationes omittam) initium temporis vel durationis, & initiũ magnitudinis. Si Melissus priori modo vsurpet nomẽ principij,vera quidẽ colligit,nimirũ id quod nõ est genitum nõ habere initium temporis atque durationis suæ; sed ex eo nõ licet inferre quod maximè vult,nimirum id quod est,secũdum quãtitatẽ infinitum esse,sic enim variè acciperet notionẽ principij, & in æquiuocationis vitium incurreret,sumens in antecedente principium pro initio temporis,in conclusione autem, pro initio magnitudinis:sin autem posteriori significato accipiat vocabulum principij pro

pro eo quod habet terminos magnitudinis,dupliciter peccat,primùm.n.nõ quicquid gignitur habet principiũ magnitudinis quæ primò,vel generationem,vel alterationẽ acceperit,sed(vt Aristo. docet.1.7.& 8.lib. Phys. extremo item libello de sensu & sensili, & Theophrastus in 10.lib.de motu vt refert Simplicius 1.lib.Phy. super text.23.) quædam sunt,quæ non per partes:sed tota simul & aceruatim alterantur,vt patet in conglaciatione aquæ & coagulatione lactis. quæ licet alteratio simul ratione formæ, aut temporis fieri nequeat,ita vt aliud qualitatis, quæ habet contrarium & per motum propriè dictum inducitur,simul in unstãti producatur,propterea quod (vt in libro sexto Physicorum demõstratur,) non potest dari primum mutatum, sed ante quodlibet mutatum est mutari,& ante quodlibet mutari,est mutatũ esse: tamẽ ratione subiecti põt alteratio fieri;ita vt non quamlibet partẽ magnitudinis subiecti, alia sit pars prius alterata & ante illam alia & sic deinceps in infinitum,sed possit tota aliqua magnitudo simul alterari.Deinde non est verum quod sumit Melissus, quod non est genitum carere principio & termino magnitudinis,Ecce cœlum ingenitum est,& tamẽ secundum magnitudinem definitum est, atque circunscriptum:atomus Democriti,elementa Empedoclis; cum ingenita ponantur,non tamen dicuntur esse infinita secundum molem.Hæc de Melisso:veniamus ad Parmenidem.

Refutatur ab Arist.argumentatio Parmenidis.

CAP. XIIII.

PArmenidis rationẽ,tripliciter refellit Arist.1.Phys.tex. 25. Primùm. n. docet falsam esse illã propositionem, quàm ipse sumit(quod est præter ens, est nõ ens)nam licèt in vniuocis,quę significant vnam naturam æqualiter communem multis,talis ratio disserendi valeat; vt quod est præter animal, est non animal, & quod est præter hominem, est non homo,tamen in æquiuocis, quæ nihil commune,sed immediatè significãt ea de quibus dicuntur,nõ valet,vt quod est prçter canẽ, potest esse canis:cũ. n.illa vox sit æquiuoca significãs canem marinũ,cœlestem & terrestrẽ; fieri potest vt quod præter canem terrestrem est,sit canis marinus,vel cœlestis: similiter etiã cũ ens immediatè significet decem categorias,hinc fitvt cũ dicimus ens nõ intelligamus aliã rẽ,quàm substantiam,vel accidens: quamobrẽ quod est præter ens,hoc est præter substantiam,potest esse ens, nimirũ accidens;vel è contrario quod est præter ens,hoc est accidens,potest esse ens,nimirũ substãtia.Deinde ostendit ex iis, quæ

sumit.non confici quod vult:nam,vt demus illud esse verũ,quod est præter ens , est non ens , non tamen ex eo rectè concluditur, ergo ens est vnum.Etenim ponamus omne ens esse album: bene sequitur omne ens est album,ergo quod est præter album,nõ est ens:at non recte colligeretur illud , ergo album est vnum , quid enim prohibet,vt omne ens sit album,tamen quæ alba sunt multa esse,vt lanam,niuem,cygnum:præterea non esset vnum album continuatione , quanquam etiam sic esset multa potestate , quia posset diuidi in multas partes albas: & vtcunque sit, necessarium esset,in albo duo cogitare,rationem albedinis,& id cui, tanquàm subiecto inest albedo Licèt enim accides separari nequeat à subiecto, vtriusque tamen ratio longè diuersa est.Ad extremum tacitè demonstrat,conclusionem Parmenidis pugnare cũ eius sententia:nam si vnũ est ens,sequitur nihil esse:vel enim illud vnum ens erit accidens,vel substantia ; si accidens, cum nequeat per seconstare,necessariò accidet & adnitetur alteri,nempe subiecto:at hoc cum diuersum sit ab accidente , quod positum fuit tantummodo esse ens,non erit ens, quod autem est accidens non entis & ab eo sustentatur,qui potest esse ens? quare si illud vnum ens ponatur esse accidens,planè nihil erit:sin autem dicant esse substantiam,nihilominus idem continget incommodum ; nam cum sit perspicuum multa substantiæ accidere,vt esse calidam, albã.graue vel leue,hæc omnia erunt non entia, quippe quæ nõ sint substantia,quæ sola ponitur esse ens,at cuius accidentia sunt non entia,ipsum quoque est non ens,quocunque igitur se vertant,nullũ habent exitum.His etiam accedit,cum dicunt ens esse finitum & sphæricum,quæ in solam cadunt quantitatem , necesse est in tali ente quantitatem esse, & substantiam , sine qua nullum accidens cohærere potest in natura,quare non vnum erit ens. Neque verò cuiquàm mirandum accidere debet, Parmenidem non vidisse hæc incommoda.quæ tam apertè consequuntur ipsius opinionẽ; nam Simplicius Eudemi testimonio cõfirmat , apud priscos illos nõdum fuisse in obseruatione regulas distinguendi, demõstrandi , aliásque dialecticas perceptiones , quæ postea ex ipsarum rerum consideratione, præsertim autem ex vsu & disputandi exercitatione peruestigatæ,atque inuentæ fuerunt: quamuis nonnulli contendant , in quibus est is , quem modo dixi Simplicius , nihil horum latuisse Parmenidem,vtpotè virum in disputando actum, & acrem,nec ignarum Dialecticæ;siquidem is apud Platonem in eo dialogo,qui ab ipso nomẽ accipit,valde laudat, & commẽdat Socrati studium Dialecticæ.Sed de hoc paulo post.

An Parmenides calluerit Logicam.

Plato autem in Sophysta,alio modo Parmenidi occurrit.Nam cum

cum eius ratio contineatur hoc syllogismo , quicquid est præter ens,est non ens,sed non ens est nihil,ergo ens est vnum; Plato,licèt in mundo intelligibili,vbi est ineffabilis vnio omniũ rerum, concedat omnia esse vnum ens : sicut etiam nos concedimus omnia in Deo esse vnum quidpiam simplicissimum,tamen in mũdo sensibili,propter discretionem & diuisionem rerum, quæ ante fuerant vnitæ putat necessariò ponendam esse multitudinem; nam quæ intelligentia Dei comprehensa, sunt maximè vnita,ea cum descendunt in materiam corpoream , non possunt illam vnionem retinere,sed ratione partium,& multitudinis,per multiplicationem,extẽtionémq; sui,variè diuiduntur.Itáque cum huic Parmenidis conclusioni,quæ multitudinem tollit, Plato non assentiretur,præmissarum.ex quibus ipsa conficitur,alteram nimirum maiorem concedit,alteram,videlicet minorem negat, nam vt fatetur quod est præter ens,esse non ens, ita negat quod est nõ ens,nihil esse;vult enim ipsum non ens esse in rebus , & caussam esse multitudinis,aduersitatis,& inequalitatis quæ in rebus inuenitur.quam responsionem,quoniam Arist.videbat in speciem absurdam esse,& secum pugnare,quippe cum ponat non ens esse:Si enim est non ens,ergo non est,& si est , ergo non est non ens : idcirco in primo Phy.tex. 30.ait quosdam(sine dubio Platonem innuens)cum occurrere vellent rationi Parmenidis , ei potius cessisse,& manus dedisse,vtpotè qui affirmando, non ens esse,longè absurdiorem indicant sententiam,quàm est illa Parmenidis. Sed quia nos Platonem hac in re non solùm non absurdè , sed etiam sapienter ac diuinè philosophatum esse arbitramur , eius sententia paulò apertiùs,atque enucleatiùs declaranda est.

Quomodo Plato Parmenidis rationem soluat.

Explicatur sententia Platonis de non ente.

CAP. XV.

APud Platonẽ , ipsũ nõ ens tribus modis vsupatur; vno modo ,p eo,quod penitus est nihil,& absolutè ac simpliciter opponitur enti quod ambitu suo amplectitur omne ens quale quale fuerit,hoc est,siue corruptibile,siue incorruptibile,siue sensibile,siue intelligibile: altero modo pro ente sensibili,generabili.& corruptibili, quod appellat nõ ens,tũ quia tẽpus,quo existit,perexiguum est,si cõferatur cum eo tempore,quo nõ est,quod tam antè ipsius generationem , quàm post interitum,infinitum est:tum etiã quia dum existit, nũquam idem permanet,sed cõtinẽter variatur, atq; commutatur, de quo ita scribit in Timæo.*Quid est,quod semper est.generationem autem non*

Tres significationes Non entis apud Platonem.

habet? & quid est quod gignitur quidem, nunquam autem est? Quę verba Porphyrius diligenter expendēs, (vt Simplicius refert primo Physicorū super text. 30.) ait Platonem, id quod est, dicere Ideam, id autem quod est, Materiam primam omni specie & forma carentem, quæ in se ipsa consideratа, potestate quidem est omnia, actu verò nihil. compositū autē ex forma & materia, quia formæ particeps est, nihil vetat appellari ens, & esse, quia verò materiam continet, atque propter eam est in perpetuo fluxu & mutatione, rectè dicitur non ens, & non esse. Verùm, cum is modus loquēdi frequēs & familiaris Platoni, reprehēdatur ab Alexādro Aphrodisiæo, vt quanti sit eius reprehensio, verè queat estimari, nec me pigebit Alexandri verba quæ in primo Phy. super tex. 15. commorat Simplicius, hoc loco ascribere, nec lectorem (vt opinor) ea legisse tœdebit. *Qui ea, quæ gignuntur, & intereunt* (inquit Alex.) *propterea dicunt non esse. quoniam aliquando quidem sunt, aliquando verò non sunt. solam autem æternam substantiam esse, quia nullo modo participat de eo, quod non est primùm ex ipsa euidentia vsque loquendi redarguendi sunt: Omnibus enim, quæ talia sunt, videtur esse, & ita sentiunt & dicunt Deinde, quod gignitur, ex non ente fit ens, & acquirit esse, alioquin non gigneretur, similiter quod interit, ex esse mutatur in non esse, amittens esse quod habebat antea, alioquin non interiret, quare hac ipsa re quod aliquid gignitur & interit, necessariò habet esse, & in iis, quæ sunt, numerari debet. Non enim corruptibilis substantia si non est similiter atque æterna, propterea non est, nam si ideo non est, quia interit, ergo, quando non interit, & quatenus non interit, eo ipso, tunc quoque fuerit* Hæc Alexander, cui Simplicius pro Platone respondens, ait, quemadmodum album id propriè dicitur, quòd est purè, & sincerè albū, omni permixtione nigroris vacans, quod autem ita est albū, vt plus nigredinis admixtum habeat, quam ipsum est, nemo sapiēs dixerit simpliciter album, sed tantummodo secundum quid, & potiùs appellauerit non albū: sicut etiam aqua vnum habens gradum caloris, septem autē frigoris, non appellatur calida: sic etiam res corruptibiles potiùs dici debēt nō esse, quàm esse, quandoquidem plus habent de non esse, quàm de ipso esse. Etenim ante generationem infinito tempore non sunt, similiter quoque post interitum, dum autem videntur esse, perpetuò commutantur, tendentes ad non esse. Verùm dissensio quidem horum Philosophorum, meo iudicio, non est in rebus sed in verbis. Nam si de ipso esse, loqui volumus absolutè, nemo inficiari potest, res generabiles esse, alioquin nec generari, nec operari, nec sentiri, nec moueri, nec interire possent. Sin autem loquimur de ipso esse non absolutè, sed facta comparatione rerum generabilium cum rebus æternis, quæ habent esse æternū, & penitus immutabile. hac ratione κ) πως ἐξοχὴν hæ dicūtur esse, illæ autē nō esse: quocirca etiā D. Aug. in 7. li. confess. c. 11. in eādē sententiā hæc scribit. *Inspexi cætera infra te & vidi nec omnino esse: nec omnino non esse: esse quidem quoniam abs te sunt, nō esse autem quoniam id quod es non sunt: id enim verè est, quod incommutabiliter manet.* Idem D. Augustinus lib 8. de Ciuitate Dei. c. 11. hoc vno maxime argumento persuasum sibi esse ait, libros sacrę scripturę lectos esse à Platone, quòd is res sensibiles & corruptibiles appellet non entia, res autem intelligibiles & incorruptibiles (præsertim verò ipsum Deum) verè ac propriè & solùm entia esse censeat: se quutus in hoc sacras literas, in quibus non semel legimus omnes creaturas cum Deo collocatas esse, quasi nō entia: solùm aūt Deū & Vnum & Bonum & ens esse. Præcipuè autem putat Augustin. Platonem in eam de Deo doctrinam & sententiam venisse, excitatum & quasi admonitum illis Dei verbis, quæ sunt in Exodo c. 3. Deus enim, quærenti ex eo Moysi, quod esset nomen eius, respondit, *Ego sum, qui sum*, Sic dices filiis Israel. *Qui est misit me.* Proforibus etiam templi Delphyci palàm positum erat verbum hoc Græcum Ε i. nam ingredientes templum, à Deo moniti illo oraculo. *Cognosce te ipsum* eum resultantes respondebant, Ε ι, hoc est *Tu es.* Soli Deo, vt æterno & prorsus immutabili, ipsum esse, conuenire fatentes. Ac Plutarchus quidem, verbum illud Græcum exponens in eo libello, quem ea de re scripsit, multa eaque præclara ad hanc eandem sententiam confirmandam & illustrādam affert. Quem Plutarchi locum, magna cum eius laude, commemorat Eusebius lib. 11. de Præparatione Euangelica cap. 7. Verùm de secundi non entis, significatione sit dictum satis. Veniamus ad tertiam non entis acceptionem, quę omnium maximè id de quo nunc agitur, attingit.

Alexander reprehēdit Platonem.

Simplicius defendit Platonem.

An res corruptibiles dicidebeāt entia, an non entia.

Præclara D. Aug. de Platone sententia.

Plato in Sophysta disputat id propriè ac simpliciter posse dici ens & esse, quod in se continet, omne esse, omnésque gradus, ac perfectiones entis, & cui nihil quod ab ente cōtineatur, vllo modo desit. Nam cum ens non significet vnam aliquam naturam generalē & diuersā ab aliis naturis, sed immediatè significet quic quid quoquo modo est, nō potest quicquā propriè dici & absolutè vocari ens seu id quod est, nisi cōplectatur omne esse, quare hoc modo ens, vel id quod est, soli Deo verè conuenit, vt pote in quo omniū rerū perfectiones lōgè præstātiori modo quā sunt in reb. ab æterno præexistūt quamobrē meritò in sacris literis de se ipso dicit, *Ego sum qui sum.* Quilibet autē aliarū rerum quoniam limitatā, determinatámque naturam nacta est, sicut propter eā partem entis, quā est sortita, potest dici ens, ita verè appellari potest non

Quomodo omnib. rebus, præter Deū verè (secūdum Platonē) conueniat esse nō ens, quàm esse ens, et ipsū nō ens, esse causſam multitudinis & diuersitatis rerum.

ens,propterea quòd non habeat complures alias partes entis, exempli causſa; Homo dicetur ens propter naturam hominis,quæ eſt particula quædam entis,dicetur quoque non ens, quia non eſt ens,quod eſt leo,equus,planta,cœlum,Angelus: & quia plus eſt; id quod non eſt, quàm id quod eſt, non abſurdè potius dicetur non ens,quàm ens. Atque huiuſmodi non ens,cauſſa eſt omnis multitudinis & diuerſitatis, quæ cernitur in rebus. Nã quod in ſe comprehendit totum eſſe,non poteſt eſſe niſi vnum; ſi autem eſt multitudo,neceſſe eſt vnum eſſe non ens quod eſt alterum,alioquin ſi quod eſt vnum,idem prorſus eſt alterum, non multa,ſed vnum erunt.Quoniam igitur vnumquodque ita eſt,vt etiam aliquid non ſit,ex hoc quaſi fonte non entis,manat rerum diuerſitas atque multitudo.Vnde in Sophiſta inducũtur hæc quinque idem, diuerſum,ſtatus,motus,inæquale,quæ ſunt diuerſa ab ente & participat nõn ens.

Itaque cùm Plato in Sophiſta (vt eò reuertamur vnde huc digreſſi ſumus)occurrens Parmenidi affirmanti,id quod eſt, vnum eſſe,concedit non ens eſſe,non loquitur de non Ente, primo modo ſumpto,ſed hoc tertio modo,id quod apertè ſignificat his verbis. *Nequis de nobis dicat,id quòd id quod eſt entis contrariũ,nẽpe id quod nihil eſt,hoc eſſe audeamus dicere. Nos enim huiuſmodi nõ ens, iampridẽ valere iubemus,quod autem nunc id quod eſt non ens*(nẽpe tertio modo acceptum)*eſſe dicimus vel perſuadeat aliquis,probans nos non rectè dicere,vel quandiu non poteſt,dicendum quoque eſt illi ſicut nos dicimus.* Et quia huiuſmodi non ens per mixtũ,atque confuſum eſt cum ente, hinc putat Plato neceſſariò exiſtere multitudinem & varietatem rerum.Neque verò hoc tertium non entis ſignificatum diſplicet Ariſtoteli:etenim proximè poſteà verba, quibus rectè Platonem reprehendit,ſubdit hæc 1.Phyſ.tex.30. *Manifeſtum quòd non verum erit,quod ſi vnum ſignificat id quod eſt nihil erit quod non eſt, nihil enim prohibet non ſimpliciter eſſe,ſed non ens aliquid eſſe quod non eſt.* quibus verbis ſignificat id quod eſt præter verè ens,nempe ſubſtantiam, eſſe quidem non ens,verum non ſimpliciter,ſed non ens aliquid, hoc eſt non ens quod eſt ſubſtantia, poſſe tamen eſſe aliud ens, quod ſit accidens. Perſpicuum autem eſt hunc modum loquendi planè ſimilem,& congruentem eſſe ſententię Platonis,quam paulò ſupra docuimus,vt vel hac vna ex re perſpicere liceat,hos duos Philoſophos nonnunquam verbis diſſentire,cum rebus & ſententiis omnino conſentiant. Atque hoc modo Ariſt.ſoluit rationes eorum,qui conabantur probare ens eſſe vnum.Reſtat vt dicamus quid nos de horum Philoſophorum opinione ſentiamus.

De

Defenditur opinio Parmenidis,Xenophanis,& Meliſſi.

CAP. XVI.

SI talis eſt Parmenidis opinio, qualem Ariſtot. depinxit non dubiũ eſt,quin ea penitus,& falſa,& abſurda ſit.Sed quia nemo eſſe poteſt vſque eo ſenſibus,& mete captus vt contra omnem rationis,omniúmque ſenſuum euidentiã, negare audeat motum,& multitudinem eſſe in rebus,idcirco multis fit veriſimile, Parmenidem illis verbis non eſſe locutum de rebus Phyſicis quas luce clarius eſt,& moueri,& multas eſſe. Vt autem ita de illo ſentiant,his coniecturis adducuntur. Primùm Plato in Theæteto, & Sophyſta, vocat Parmenidem Magnum, ſapientem, acrem, generoſum, patrem & Magiſtrum Socratis, vtentem pulcherrimis rationibus in diſputãdo, & ait non modo ſententiam eius,ſed etiam orationem eſſe valde difficilem ad intelligendũ,& profũdo natatore indigere:At ſi Parmenides loquẽdo de rebus Phyſicis,pronunciaſſet cũctas eſſe vnum ens immobile, fuiſſet ea quidẽ opinio, non hominis ſapientis,ſed vel ſtulti non intelligentis quid diceret, vel impudẽtiſſimi Sophyſtæ, huiuſmodi paradoxis defendẽdis,inanẽ ſibi laudem, & gloriam aucupantis,non ſolum ad intelligendum non difficilis, ſed etiã ad redarguẽdum facillima.Deinde Ariſt.primo Phyſ. ſegregat eum à Phyſicis,& in 3.de Cælo tex.2.ait Parmenidem & Meliſſum affirmantes,omnia eſſe vnum ens immobile, non eſſe putandum de rebus naturalibus id dicere,& in primo Metaphyſ.loquens de Parmenide, ſignificat eum, cum dixit omnia eſſe vnum aliud quidpiam inſpexiſſe,quàm vulgò putatur, vt ipſius verba præ ſe ferunt:& cum ibi fateatur Xenophanẽ dixiſſe omnia eſſe vnum, quia reſpiciens ad totum Cælum, ipſum vnum eſſe dixit Deum: cur non Parmenides ſimile quidpiam putetur ſignificare voluiſſe? cum & (auctore ipſomet Ariſt.) auditor fuerit Xenophanis, & longè politior, atque ſubtilior, quãm Xenophanes & ſimili vtatur loquendi modo,& Ariſtoteles in lib. qui eſt de Xenophane,Zenone,& Gorgia ſcribat Parmenidẽ feciſſe vniuerſum(quod appellat vnum ens) ingenitum immobile, & vndique perfectè globoſum. Poſtea in eo opere,in quo Parmenides hanc ſententiam ſuam verſibus expoſuit,quos verſus citat Simplicius 1.Phy. ſuper text.31. & Beſſarion contra Platonis calumniatorem lib.2. cap.vltimo,de ſuo illo vno ente verba faciens,perſpicuè oſtendit ſe loqui de eo ente, quod verè eſt, quibus verbis apud veteres ſignificabatur,ens tantummodo ſempiternum,immutabile, diuinum:ad extremum autem,conuertens ſe ad res naturales,quæ in generatione, & interitu verſantur, appellat eas fallaces, & non

Laus Parmenidis ex Platone.

entia,nisi secundum opinionem hominum, qui ea solùm existere putant,quæ sensibus vsurpant, vocat fallaces, propter earum mutabilitatem & inconstantiã:quæ in causſa est, vt sæpe fallant sensus & in errorem inducant. Quocirca Parmenides (vt auctor est Laërtius)iudicium veri,non in sensibus,sed in sola mente collocabat,his versibus.

Nec tibi communis sensus persuadeat vnquàm
Quicquam,vt fallaces oculi,aut vt iudicet auris
Aut lingua:at ratio dirimat discrimina rerum.

Appellabat aũt non entia,ob eã causſam, quam supra memorauimus,cum ageremus de non ente Platonis. Huiusmodi autem rerum sensibiliũ duo facit prima principia,vnum ignem, seu id quod est calidum, lucidum, rarum, leue: alterum terram seu id quod est frigidum,obscurũ,densum graue: id quod de illo etiam Aristoteles scribit 1.Metaph.& 1.Phys.text.41. ex his manifestum est Parmenidem,neque motũ, neque multitudinem è rebus naturalibus sustulisse.Postremò in supradictis versibus, ea pronunciat de illo vno ente, & talia illi attributa assignat, qualia nullo modo conuenire possunt in res Physicas:quæ attributa(vt quod diximus clarius sit)hic breuiter recensebimus, *ingenitum, & immortale,totum,vnum,vnigenum,irrequietum, habens esse suum totum simul,indiuisibile,principij & finis expers, nullius indigum, in quo idẽ est intelligens & intellectio,simile globo perfecto, in quo omnes partes extremæ,æquè distant à medio.* Quis non videt hæc tam aliena & remota esse à reb. Physicis quàm quæ maximè? quid igitur dicet aliquis, significat illud vnum ens Parmenidis? certè id ex iis quæ in supradictis versibus posita sunt dispici & diiudicari debet. Ac primùm constat deceptos esse, tam eos,qui putarunt Parmenidem illis verbis,materiam primam iudicare voluisse, quàm qui existimarunt eum nõ seriò & affirmatiuè illam sententiã pronuntiasse,sed dialecticè in vtranque partem disserendo,probabiliter locutum esse:illos quidem quòd eorum,quæ illi enti attribuit, ne vnum quidẽ ad materiam primam benè accõmodari potest:hos autem,quia licèt apud Platonẽ logicè de vno Parmenides disputet cum Socrate, qui locus iſtis fortasse sic opinandi occasionem dedit:tamẽ in iis versibus,quos ante memorauí,& in quibus hæc sententia expressa est, adeo asseueranter loquitur Parmenides,vt contrariũ,ne suspicari quidẽ nos,aut etiam cogitare permittat.

Quid Parmenides per illud suum(vnũ ens)significauerit, variæ opiniones.

Ergo qui verisimiliorem Parmenideæ opinionis interpretationem afferunt,eorum alij censent, vt Eudemus ait,id quod Simplicius refert 1.Phys.Parmenidẽ illis verbis cælum, vel vniuersum significasse;quippe cum appellet illud ens totũ, rotundum, cuius

cuius extremo æquiliter distarent à medio,quæ non Deo,sed cælo,vel vniuerso competunt.Sed his vehementer aduersatur Simplicius,nã cum illud,inquit,suũ ens Parmenides vocet immobile, indiuiduũ,habens totũ esse simul, in quo idẽ sit intellectio & intelligẽs,qui possunt hęc in cælum cõuenire,aut in aliud quidpiã, quàm Deũ? is.n.est omne ens quia esse,& perfectiones omnium, in se cõtinet,& quod est præter ipsum, est non ens, quatenus est mortale,nec per se cõstare potest,& cum ex sẽ non sit, eius tantummodò participatione existit, qui verè est:atq; hic immobilis est,nam neque amittere quicquã,nec acquirere potest, quare nõ est,cur,vel quo moueatur. Oportet autem huiusmodi ens esse vnum,nam si multa,& omnis multitudo pendet ab vno,illa multa penderẽt ab illo,quare non essent primum, & ex se ens. Deinde si essent duo, vel essent omnino eadem, at sic non essent nisi vnum quidpiã,aut alterutrum superuacaneũ esset: vel essent dissimilia,quare vnum,non esset id quod est alteru,ac proinde neutrũ esset verè ens,sed vtrũque esset non ens: quæ res facilis est ad intelligendũ,si memoria repetantur,quæ supra exposuimus,cum de non ente Platonis ageremus. Hæc pro interpretatione Simplicij,ad intelligendam, tuendámque Parmenidis sententiam afferri possunt: quæ nobis ita probantur, vt eos tamen non condemnemus,qui verba Parmenidis referunt ad cælum,vel ad vniuersum:hęc enim non pugnant inter se;potuit enim Parmenides facere mundum, vel cælum animatum, cuius animam putaret esse Deum.quocirca vocans Deum,illud vnum ens,quædam tribuit Deo,quatenus Deus est,videlicet quæ Simplicius enumerat, vt esse intelligens,totum,simul,indiuiduum,&c.alia verò ei assignat ratione eius corporis,quod animat,mouet & regit; vt esse totum,& globosum. Atque hoc quidẽ certè, nemini accidet incredibile,qui perpendet illa, quæ sunt apud Ciceronem 1.de Natura Deorum:cuius sunt hęc verba. *Parmenides,*inquit,*commentitiũ quiddã coronæ similitudine efficit,Stephanẽ appellat,continentem ardore lucis orbẽ,qui cingit cælũ,quem appellat Deũ.* Sed de Parmenidis defensione hactenus.De Xenophanis sententiæ intelligẽtia,nihil dubij est;siquidẽ ipsomet Arist.1.lib.Meta.auctore & interprete, illis suis verbis,significare voluit cælũ,quod putabat esse Deũ.Melissi opinionẽ,eodẽ ferè modo quo Parmenidis,Simpl.1.Phys.super tex.6.interpretatur,nisi quod Parmen.spectãs ambitũ cęli finitũ,& ꝙ esse infinitũ arguat veluti quãdã materiæ imperfectionẽ & ꝙ Deus est principiũ & finis omniũ rerũ,omnia vi efficientiæ,conseruationis,& regiminis sui finiens, determinans & intra suos quanq; rem terminos ritè cõtinens, & quod idẽ est finitum

Cur Parmenides illud suũ (vnũ ens) fecerit finitum, Melissus autem infinitum.

atq; perfectũ, quia finis est perfectio rei: idcirco dixit Parmenides illud vnum ens finitũ esse: Melissus vero contẽplans illud suum ens, hoc est Deum, non habere principium, & finem, vel durationis, vel efficientiæ, vel à quo esse habeat & cuius gratia sit, vel quod ab aliquo genere ortũ, & aliquibus differentiis insignitum & circumscriptũ fuerit: & quia id vulgò appellari solet finitum, quod magnitudinis particeps ab alio finitur, atque terminatur: ob has inquam causſas Melissus, non sententia, sed oratione tantum discrepans à Parmenide, maluit illud suũ ens infinitum dicere, quàm finitum: Ergo, & sententias horũ Philosophorum veras esse, & rationes, si ad prædictã intelligentiam accõmodentur, minimè pessimas, perspicuum est ex iis quæ dicta sunt. Sed quæret aliquis, si ita res habet, cur Arist. insimulat eos & falsa, & absurda sensisse? nam vel eum nõ vidisse quod Simplicius & alij viderunt, vel si vidit, se tamen cõtradicendi studio videre dissimulasse, non caret aut ignorantiæ, aut improbitatis crimine. Respõdet Simplicius, priscos illos Philosophos solitos esse velare sententias suas ænigmaticis & allegoricis obscuritatibus: quocirca Plato & Arist. veriti ne qui rudiores hebetioréſq; sunt ad eorum abstrusa sensa introspicienda, quod primo quasi aspectu apparet ex ipsorum dictis arripientes, in errorem laberentur, ita illorum opiniones tractarunt, vt eas vulgo improbare, ac reprehendere videantur; quatenus supplent, quod ab illis prætermissum est, quod obscure dictum, declarant, quod de intelligibili & diuino ente disputatum erat, à rebus Physicis docẽt esse alienum, ad extremum quatenus, quæ in speciem videtur falsa & absurda, refellunt, atque redarguunt. quanquàm non id negotij à nobis susceptum est, vt tam in doctrina, quàm in moribus, ab omni errore & vitio Arist. vindicemus. Non enim inficiari possumus, eum in aliorum opiniones inquirendo, & in his ipsis diiudicandis, magis quàm æquum erat, durum & acerbum arbitrum, atque iudicem extitisse. Verùm de his satis. Deinceps ad eos veniamus qui vnũ aliquod corpus faciunt principium rerum omnium.

Cur Aristoteles Priscos Philosophos interdum benè sed obscurè philosophãtes reprehẽdat, non tã eorum sentias quàm verba spectans?

Contra eos qui faciunt Vnum aliquod corpus principium rerum.

CAP. XVII.

EOs, qui vnũ aliquod corpus statuũt initiũ rerũ naturaliũ, Aristoteles vniuersè quidẽ refellit 1. Phy. tex. 50. Apterea ꝙ principia rerũ debẽt esse cõtraria, vt ipse proximè antè mõstrauerat in 3. lib. de Cælo à tex. 41. vsq; ad 50. idẽ probat, eo quod motus simplices sint plures vno, alius enim motus simplex secũdũ locũ sit à medio, alius ad mediũ, & alius circa mediũ: quare similiter etiã principia eorũ erunt plura

plura vno. ad hæc 1. de Gener, tex. 1. eo cõfirmat, quòd istiusmodi Philosophi funditus tollunt generationẽ substantialem: etenim illud vnum corpus, nullo modo mutari poterit secundũ substantiam, videlicet ne pereat, vtpotè quo extincto, cùm sit principiũ rerum omniũ, reliqua simul interire & nihil prẽterea gigni posse necesse sit: quare tantùm mutabitur secundũ accidentia, cuncta igitur vnius erunt substantiæ secundũ speciem & formam, quod esse absurdum & sensus ipsi testificantur, & Arist. docet 1. Phy. 24. itaq; solam alterationẽm reliquam faciunt in rebus naturalibus: imò ne hanc quidẽ, quippe cùm si alteratio verè Physica fuerit: via certissima sit ad generationem & interitum. Vide quæ contra huiusmodi Philosophos scribit Arist. 1. Metaph. tex. 10. vsq; ad 15. & Hyppocrates in lib. de Natura humana, & item Galen. in li. de Elementis. Qui autem faciunt pro principio vnum aliquod ex quatuor Elementis, confutantur ab Arist. 2. li. de Generat. in principio, & ibidem à tex. 24. vsq; ad 36. eo nimirum argumẽto, quòd experientia doceat, omnia elementa citra vllũ discrimen inter se vicissim commutari, vt non debeat vnũ constitui principium cæterorũ. id quod rationi etiam consentaneum est, nam cum quodlibet elementum, secũdum qualitates sit cuilibet quodammodo contrarium, necesse est inter ea mutuã pugnam intercedere, cui necessariò cõsequens est, quæ ad generationem & interitũ ducit, alteratio. ibid. etiam, & in 3. Phy. text. 41, refelluntur ij, qui corpus quoddam diuersũ, & prius elemẽtis, volunt esse principiũ rerum naturalium; nam præterquàm quòd experientia demonstrat omne corpus naturale, aut esse aliquod ex quatuor elementis, aut ex illis conflatum, id etiam ratio confirmat, nam illud corpus, vel esset Mathematicũ, vel Physicum: si Mathematicum, non re vera in natura constaret, sed sola animi informatione & cogitatione cohæreret: sin Physicũ, ergo mobile, & sensibile, at perspicuũ est, nec motiuas, nec sensibiles qualitates in rebus esse alias, quàm quæ assignãtur elementis, vel ex ipsis oriuntur: quicunque etiam locus illi corpori tribuatur (nã extra locũ existere, ne fingi quidem potest) eũ sibi naturaliter vẽdicat vnum aliquod elementorum. Quamobrem eiusmodi corpus necessariò esset, vel aliquod ex prædictis elementis; vel aliud quidpiam ex ipsis tamẽ concretum, atque coagmentatũ. Denique eos, qui loco principij constituerunt vnum quoddam corpus infinitũ ne fortè aliquando deficiat generatio, Aristoteles redarguit in 3. Phys. à. 31. vsq; ad 55. & primo de Cælo à 33. vsq; ad 76. Nã cum infinitum impleat, & occupet omnia, & nullis terminis definitũ sit, neq; mouere, neque moueri, neque agere, nẽq; pati, neque vllam figuram habere, ne-

que aliud corpus in rerum natura posset admittere; causſam verò cur non deficiat generatio,tametsi nullum corpus subsit infinitum,ipse primo de Gen.14.& 3.Phys.73. refert in materiã primam quæ cum sit æterna, & corruptio vnius semper euadat in generationem alterius,& vicissim generatio in corruptionem, potest infinitas formas successiuè accipere,& abiicere.In secundo autem libro de Generat.56.ad etiam refert in sempiternum motum solis,qui accessu & discessu suo,generationis, & interitus vicissitudinem sempiternam reddit:ibidem quoque text.59.& 2.de Anima 34.& 35.ait hoc ideo accidere quia omnes res naturali appetitu cotendũt assimilari Deo,quo fit vt æternitatem eius, quoad possunt,æmulari studeant:id autem perpetua indiuiduorum propagatione assequuntur.

Rationes autem quibus suam quisque eorum,qui vnum faciũt principium,opinionem cõfirmant,paruo negotio soluuntur: etenim non continent proprietates,& conditiones primi principij simpliciter,qualem nos facimus materiam primam, sed tantùm principij corporei,cuiusmodi sunt elementa.Itaque quamuis huiusmodi proprietates latissimè pateant,tamen non queunt accõmodari ad omnia quæ generantur,& intereũt.Deinde licet nonnullæ proprietates primi principij possint,aut elementis,aut aliis corporibus cõuenire, tamen omnes nullo modo possunt:nam esse primum subiectum,ex quo primò omnium cætera efficiãtur, & in quod extremum dissoluantur, esse penitus immutabile, & nullam sibi formam atque qualitatem naturaliter vendicans, omnium autem appetens & capax,quemadmodum verissimè cõueniunt in materiam primam, ita longissimè absunt ab omni corpore qualecũque id fuerit.Porrò Simplicius 1.Phy. super tex. 6.magnoperè laborat in defendendis horum Philosophorum opinionibus,sed quàm sit eius leuis & infirma defensio,quàm inanis conatus& labor sine ratione susceptus,quia per se quiuis facilè potest cernere atque iudicare,hîc silentio prætereundum esse duximus.Sequitur vt cum his qui multa & finita ponunt principia disputemus.

Contra eos, qui multa,sed finita faciunt Principia.

CAP. XVIII.

ILlis,qui duo tãtùm ponũt principia,Arist.1. Phy.à tex. 51.vsq; ad 53.aduersatur,ostẽdẽs duo principia nõ sufficere ad generationẽ:etenim cũ non quiduis ex quouis gigni queat,vt disertè probatur in 1.Phys.sed ex opposito,ita vt omnis mutatio à contrario procedat ad cõtrarium, nõ potest autem vnum cõtrarium commutari in alterum vt ab eo recipiatur,atque sustentetur, neque enim album,quà album est, euadit in nigrum,sed res,quæ erat cãdore affecta,eúmque deponens accipit nigredinem:hinc fit,vt præter duo contraria, necessariò opus sit tertio principio,tanquam illorum duorum subiecto,plura verò tribus principia superuacanea esse demonstratur primo Physic.56.Iam verò Empedoclis sententiam, qui peruulgata hæc quatuor corpora, prima facit omnium rerum initia, Arist,multis locis,multisq; modis coarguit: id quod videre licet apud eum primò de Generat.text.2.& 3.in 2.de Generat.à tex.37. vsque ad 46.in primo Metaphys.text.15.Reprehendit autẽ eum, primùm,quia negat omnia elemẽta posse inuicẽ trãsmutari, cõtra experiẽtiam quæ mutuam illorum generationẽ,& interitum quotidie clara voce testificatur,& cõtra rationem,quæ vbi videt inesse qualitatum contrarietatem, ibi docet necessariò existere pugnam & alterationem. Deinde,vel differentiæ elementorum, cuiusmodi secundum Empedoclẽ sunt primæ qualitates,& quædam ex secundis,mutabiles sunt & separabiles ab elementis, vel non:si nõ,ergo nec alteratio,vlla erit,nec generatio:nã nec alteratio esse potest nisi in illiusmodi qualitatibus,nec sine alteratione potest esse generatio.Sin autẽ sunt mutabiles,necesse est,illis mutatis & amissis cõtinuò mutari& interire elemẽta,ac ob eam causſã non esse prima simpliciter principia.Tum quia vult omnia nasci ex mixtione elemẽtorum,quod de affectionibus, habitibus,& actionibus animæ rationalis,cum supra extráque materiam sint,dici potest. Postea,quia formam naturam mixtorum nihil aliud esse putat quàm solam ipsam mixtionem, & eorum quæ miscentur,quasi fœdus quoddam atque conuentionem, ignorans aut omnino tollens formam substantialem,quæ in mixtis, est quidpiam re diuersum, tum ab elementis tum etiam ab ipsa eorum mixtione. Præterea,quia existimat generationem rerum naturalium casu & fortuitò contingere,omnia ex necessitate materiæ prouenire: naturam non agere propter aliquem finem:nullum esse in rebus ordinem per se fixum,ratum, atque constitutum. Ad hæc,quia non satis bene distribuit munera amicitiæ & contentionis, affirmans illius esse congregare,huius autem disgregare,nam nisi velit ipse sibi repugnare, multarum rerum coniunctionem liti, diremptionem autem amicitiæ cogitur assignare.Ad extremum,ne pueriliter omnia cõsectemur, ex illius scriptis nam est perspectũ & exploratum,an velit Sphærum esse principium elementorũ, cum ait ex Sphæro,lite dominante euocari,& segregari elementa ad conficiendum,& ornandum mũdũ,an potius opinetur, elemẽta esse principia Sphęri, cũ

Refutatio Empedocleæ opinionis.

inquit,Sphærũ effici ex elemẽtis,dominatu & cõciliatu amicitiæ vnà cocuntibus elementis & confusis omnibus.Hæc Aristotel. cõtra Empedoclem,quem tamen in primo Metaphy. præfert Anaxagoræ dicẽs,illum quidem ætate fuisse inferiorem: operibus autem superiorem.In primo autem Phys.41.& 50.& item in 3.de Cælo 37.ait melius sensisse Empedoclem faciendo principia rerum finita, quàm Anaxagoram inducendo infinita; propterea quòd natura horret infinitum,amat ordinem,satagit,quàm pauciss imis rebus potest,opera sua moliri:& sicut nõ denegat necessaria,ita nihil permittit superfluum,quamobrẽ quæ paucioribus instrumentis potest efficere,ad ea perficienda,plura non adhibet. Quæcunque autem Anaxagoras ex infinitis illis suis principiis conficit,eadẽ nec sanè minùs aptè ac probabiliter,ex finitis principiis facit Empedocles,Lucretius,quanquam appellat Empedoclem sapientẽ,& planè diuinum,eiúsque dogmata & inuenta sanctiora & certiora esse ait,quàm Apollinis responsa.

Pythia,quæ tripode ex Phœbi,lauróque profatur.

Eum tamen,tum in aliis,tum in eo maximè repræhẽdit,quòd cum initia rerum debeant esse immutabilia & sempiterna, ipse constituat quædam corpora natiua & mortalia,vt necesse sit, ne summa rerum aliquãdo tãdẽ in nihilum abeat alterutrum confiteri:aut huiusmodi corpora in nihilum redigi,& rursus ex nihilo reſici,ac reparari, quod est rationi,& sententiæ omniũ Philosophorum summè contrarium:aut quidpiam subesse elementis longè prius,atque simplicius ex quo creantur,& in quod dissoluantur,quod si Empedocles concedit,necessariò etiam cõcedere habet,nõ quatuor elemẽta,sed illud vnum esse primum initium omnium rerum.Non me latet quid Simplicius primo Phy.quid item Syrianus in iis Commentariis, quos in nonnullos Metaphysicæ Arist.libros edidit,pro Empedocle respondeãt: sed aliud est germanas scriptorum sententias verè ac propriè interpretari,& aliud allegoricis, & mysticis explanationibus aliorsum eas detorquere.Sed nunc id non agimus,si enim Simplicium hac in re velim imitari,confirmare ausim.nihil vnquam ab vllo mortalium tam peruersè,absurdè,ac stultè scriptum, aut dictum esse, quam id possit Metaphysicis quibusdam,vel potius fictis his interpretationibus,ad veritatem, vel ad aliquam certè probabilitatis speciem reuocari:quare has Simplicij,& aliorum commentationes,quæ maiorem admirationem adferunt quàm fidem faciunt, magisque subtiles & acutæ sunt, quàm verisimiles,in præsentia omittamus:nobis enim ad grauiora festinãtibus,& vitio,& detrimento esset,in his nugis atque figmentis commorari.

Deinceps

Refellitur opinio Pythagoræorũ de Numeris.

Deinceps breuiter expẽdamus Pythagoriam opinionẽ de numeris; de quibus multa hîc, nec ineleganter, nec ineruditè dici possent,sed ea nunc prætermittẽda sunt,ne de re curiosa magis, quàm ad bene philosophandũ vtili, & quæ iam pridem è Philosophia sit exposa,latius disserere superuacaneũ,& instituto nostro alienũ esse videatur.Ac nos quidẽ, vt magnopere laudamus Ecclesiasticos Doctores,qui explanando sacras literas,in quibus, ne vnus apex,aut Iota vnũ,sine singulari cõsilio, & instinctu Dei positum esse creditur,arcanas, & mysticotatas numerorũ significationes;nõ minus piè quàm acutè persequuntur:sic eos minimè probamus,qui idem facere studeant in tractandis humanis disciplinis, & pro veris ac propriis rerũ naturalium rationibus,atque caussis,nescio quæ numerorũ,& magnitudinũ mysteria nobis obtrudũt:nõ animaduertẽtes (id quod rectè monuit Ari.)in scientiis nõ esse transeundũ de genere in aliud genus, nisi scientias permisceri,& cõfundi velimus;Scire esse cognoscere rẽ, non per quæcunque principia,sed per caussam,propter quam res est, & non cõtingit aliter se habere.Demonstrationẽ cõstare ex propriis,nã quæ cõmunia,& aliena sunt,licèt vera, & necessaria sint non esse tamen demõstratiua,& scientifica,quinetiã demonstrationem ex caussis remotis imperfectam esse;Oportere sempiternorum sempiterna.sensibilium sensisibilia,corruptubilium autẽ corruptibilia esse principia,atque omnino eiusdem generis cum iis,quæ efficiũtur.Neq; verò sum nescius,quæ res à Deo & natura conditæ sunt,eas certis quibusdam numerorum & proportionũ rationibus impressas insignitas & modificatas esse: sed aliud est dicere numeros,tanquàm modum & rationẽ quãdam,ad modificationem,& determinationem rerum concurrere:aliud verò affirmare eos principes caussas esse omnium rerum.nã qui ternarium,septenarium,denarium,& alios similes numeros,magnis in Cælum laudibus efferunt,propterea quòd eos in quibusdã rebus optimis,& præstantissimis inesse comperiunt, ridiculè profectò faciunt,ne dicam absurdè, cum eosdẽ plerumque cernere liceat in rebus pessimis,atque corruptissimis.vide Aristotelem libr. 14. Metaphyhcæ cap.vltimo.Etenim Ternarius (idemque similiter cõtingit in aliis numeris) qua ratione ternarius est abiectus à rebus,nihil prorsus ad earũ perfectionẽ aut vitium conferre potest: quà verò,in ipsis rebus à natura signatus,& quasi insculptus est, potest quidẽ aliquo modo conferre verùm secundum quid & per accidens.Cæterum hanc Pythagoræorum opinionem de numeris,refellit Arist.1.Metaphysic. text.19.fusiùs autẽ,atque subtiliùs in 13.& 14.li.Metaph.quos libros,Syrianusluculẽter interpretãs,

ſuſcipit patrocinium Pythagoreorum, eorúmque ſententias egregiè tutatur. ſed quæ in vtranque partem hac de re diſputari poſſent conſultò vt diximus, omittuntur. Illud hoc loco dixiſſe ſatis ſit, numeros, qui non ſunt ſubſtantia, & per ſe motu materiáque vacant, abſurdè conſtitui principia naturalium ſubſtantiarum, motum item, & affectionum ſenſibilium. At dicet quiſpiam, Pythagoreos non loqui de numeris Mathematicis, ſed de iis, qui ſunt, vel in anima mundi, vel in mente Dei, eorúmque dicta συμβολικῶς eſſe interpretanda: Eſto, verumtamẽ numeri, quales quales ponantur, & cogitatione informẽtur, nõ poſſunt eſſe principes cauſſæ eorum, quę à natura procreãtur, vt ante dictum eſt: deinde in exponẽdis cauſſis rerum naturaliũ, non generales & remotas tãtùm ſed etiã propinquas, particulares, & maximè proprias commemorare oportet. numeri autem diuini, & opifices rerum, qui ſunt in mente diuina, ad rationem primæ & vniuerſaliſſimæ cauſæ pertinẽt porrò turpiſſimũ eſt, in philoſophando ita loqui, vt oratio in errorem potiùs inducat, quàm patefaciat veritatem. Sed qui hac ætate ſunt (inquit Ariſt. 1. Metaphy. tex. 44. de Pythagoricis, & Platonicis loquens) iis Mathemata facta ſunt Philoſophia, quamuis dicant, aliorũ gratia ea oportere tractare, id autem accidit ipſis propter nimiã exercitationẽ in illiuſmodi rebus, nimiúmq; earum ſtudiũ & amorem, de quibus idem quoque alio loco, nimirum lib. 3. de Cælo text. 61. ita ſcribit: *Hi vero propter horum amorẽ, idẽ facere videtur, quod ij qui poſitiones in ſermonibus ſeruãt: omne enim ſuſtinẽt. quod accidit tãquàm vera habẽtes principia, perinde quaſi nulla indicare oporteat ex iis quæ eueniunt, & maximè ex fine, finis autẽ effectiuæ quidẽ ſcientiæ eſt opus ipſum, Naturalis verò id quod ſemper propriè in ſecundum ſenſum apparet.* Hęc Ariſtoteles. An verò res Mathematicę ſint priores naturalib. & vtrum ſola cogitatione animi à reb. Phyſicis abſtrahi queant, an potius per ſe cõſtent extra materiam & ſupra naturam, in eam partẽ huius operis explicandum differatur, in qua ſeparatim diſſerẽdum eſt de quãtitate: quare de ſententia Pythagoreorũ hactenus. Cum iis qui infinita faciũt principia, extremo loco decertandum eſt.

Refellitur opinio eorum, qui faciunt infinita principia, & primùm Anaxagoræ, deinde Democriti.

CAP. XIX.

ANaxagorã multis modis & ſanè vehementer exagitat Ariſt. Primò quia facit principia infinita, eáque nõ ſolùm diuerſa numero, ſed etiã ſpecie: etenim talis infinitas principiorũ repugnat tũ naturæ, tũ ſciẽtię: naturæ quidem, dupliciter, nam motus naturales ſimplices finiti ſunt, ergo

ergo prima principia naturalia, à quibus manant, erunt quoque finita; & vt dicitur 1. de Generat. animal. cap. 1. natura horret infinitũ, ac in omnibus rebus amat & quærit finem: Scientiæ autem quoniam id quod eſt infinitum, eſt ignotum, nec poteſt certis vllius ſcientiæ finibus contineri & comprehendi. Porrò ignoratis principiis rerum naturalium, funditus tollitur earum rerum ſcientia, quippe quæ ex illis proficiſcitur, atque omnino pendet. Poſtea, quia partium ſimilarium paruitatẽ indefinitam eſſe vult, ita vt eiuſmodi paruitatis nullum putet eſſe fixum modum, atq; terminum: quæ res duas ob cauſſas falſa & abſurda eſſe cognoſcitur. Primùm, quia ſicut omnium rerum eſſentia, eſſe, perfectio potentia, operatio, & inſtrumenta naturalia, vt qualitas, ſunt naturaliter definita, ſic etiam paruitas & magnitudo quantitatis certis quibuſdam terminis definita eſſe debet: & ſicut ars, quæ naturam imitatur, neceſſariò requirit certum quendam modum magnitudinis, tam in inſtrumentis, quibus vtitur, quàm in operibus, quæ perficit, citra quem, & vltra quem modum, non poteſt vis artis conſiſtere, neque enim quantacunque naui poſſet nauigari, nec quantocunque malleo vel ſerra ars fabrilis vti poteſt, qua de re in decimo huius operis libro copioſè diſſeretur: ſimiliter etiam contingit in natura: tum quia cum totum confletur & coaleſcat ex partibus, eiúſq; paruitas & magnitudo illarũ paruitatẽ & magnitudinẽ planè conſequatur, ſi partes animalium & plantarum poſſunt eſſe in quantauis paruitate & magnitudine, hinc neceſſariò efficitur, ipſas quoque animantes & plantas, quãtalibet paruitate & magnitudine præditas eſſe poſſe, ergo poſſet exiſtere homo procerior Cypreſſo, & minor formica, quod qui concedit, non video, cur non itidem concedat, poſſe ex formica hominem & ex homine formicam exiſtere. Deinde, quòd affirmet in quolibet eſſe quodlibet, ex quod ſit, vt in ea re quæ habet magnitudinẽ finitã, neceſſariũ ſit ineſſe infinities infinitas particulas ſimilares, quo quid abſurdius, aut magis ſecũ pugnãs? nam ſi totũ eſt finitũ, qui poteſt actu continere diuerſas partes infinitas? & ſi partes ſunt infinitæ, fieri nõ poteſt, vt nõ ex ipſis infinitum quidpiam exiſtat: præterquàm quod, ſi vnum infinitũ nõ poteſt eſſe in natura, multa, atq; adeo innumera infinita, nec natura recipere, nec ratio poteſt capere. Præterea, quòd exiſtimet omnes res eſſe inuicẽ mixtas præter intellectũ, nã quæ miſcentur eiuſmodi ſunt, vt rurſus & ſeparari, & ſeparata per ſe cohærere queãt quod planè abhorret à natura accidentium, ſiquidem accidens ſic hæret in ſubiecto, vt ab eo nulla vi ſeiungi, aut ſeiunctum permanere poſſit: quare, accidentia, ſi verè ac propriè loqui volumus,

non possunt dici mixta cum aliis rebus: nō igitur omnia cum omnibus mixta sunt. Ad hæc,quoniā opinatur generationē rerum tantummodò fieri per cōpositionē ex partibus similaribus, cum sit alter modus generationis ex rebus dissimilibus per alterationem,longè potior & naturæ familiarior,vt lutū ex aqua & terra, homo autem ex semine fit,& ex corpore & animo cōstat,corpus autem humanum ex tam multis támq; variis & multiformibus partibus coagmentatum est.Vide hæc apud Arist. 1.Phy.à 35.vsq; ad 41.& 1. Metaph.à tex.16.ad 19.lege item Lucretium, qui 1.lib. argumentis ex ipsa ductis experientia lepidè confutat hanc sententiam.Ratio Anaxagoræ soluitur ab Arist. sub finē primi libri Physici, vbi docet generationem effici,partim ex ente,partim ex nō ente;ex ente potestate,ex non ente actu:siquidem materia prima ex qua,& in qua fit generatio, huiusmodi est,vt potestate cohibeat omnes formas, quæ deinde vi & efficientia ipsius agentis, quasi extēduntur & in actū erumpūt: itaq; quod generatur,ante generationē,erat,& non erat in potentia erat in sinu, & vt ita loquar,in vtero materiæ: non erat actu, sed hoc esse acquirit sibi per generationē.Simplicius autem in 1. & 3.lib.Phy.super text.6. & 28.& in 3.de Cælo defendit Anaxagorā, eius sententiā allegoricè interpretando,sed aliud est germanā eius sententiam fideliter exponere,& aliud, conari eam allegoricis commentis ad verisimilem aliquem sensum deflectere & traducere.

Refutatur Democriti & Epicuri opinio.

Democritum autem, tametsi Arist. in lib.1.de Generat. præter cæteros Philosophos commendat affirmans eum magis Physicè locutum esse de rebus naturalibus, quàm alios, eáq; induxisse principia, ex quibus videtur rationes & causas afferre posse eorum omnium quæ cernuntur in natura:attamen in 3.de Cælo à 37.vsque ad 40.& à 65.vsque ad finem libri,& item aliis loci, vehementer eum reprehendit,atque oppugnat: primùm, quia vacuum,quod non est ens,facit principium entium, & putat motus naturales indigere vacuo,cum tamen,si vacuum esset, nullus in eo motus fieri posset,vt fusè declaratur in 4.Physico. tex. 70.& à nobis infra disputabitur libro vndecimo huius operis. Tū quia, statuit corpora indiuidua, repugnās & Mathematicis disciplinis, & naturæ cōtinui,quod suapte natura, infinitè secari potest, quæ res certissimis, atque euidentissimis demonstrationibus ostenditur 6.Phys. quanquàm de impartibilitate atomorum nō videtur inter Democritum & Epicurum cōuenire: quam discrepantiam Simplicius in explanatione 6.libr. Physic. statim in principio his verbis commemorat. *Leusippus*,inquit,*& Democritus,nō solùm existimant impatibilitatē esse causſam primis corporibus,cur non diuidantur, sed*

sed etiam paruitatem & quod careant partibus: Epicurus autem postea existimat ea quidem non carere partibus, sed ipsa dicit esse insecabilia, propter impatibilitatem: & sæpe quidem Democriti opinionem cōfutauit Aristoteles,ac fortasse propter illas confutationes quæ contendunt aduersus id, quod atomi careant partibus. Epicurus qui fuit posterior, atomos quidem seruat impatibiles,quòd autem partibus careant,ab eis abstulit,vt quæ ab Arist.propterea refellerentur. Hactenus Simplicius;quod autem is de Epicuro refert, non obscurè significat & docet Lucretius in 1.libro. Præterea quo motu atomi mouētur? deorsum inquit, non igitur poterunt esse principia eorum, quæ ferūtur sursum: nam dicere nullum corpus sua vi tendere ad loca suprema, est nimis manifestè cōtradicere his, quæ apertè apparent, & sensibus vsurpantur. Postea, vnde atomis motus ineſt,cum sint omnium qualitatum expertes? si autem mouentur, simili motu omnes ferri,aut sursum,aut deorsum necesse est,quippe cum sint eiusdem naturæ participes: quomodo igitur poterunt inuicem concurrere, & tam variis modis inter se complicari & connecti? Nā quod Epicurus ait,quasdā atomos in motu suo paululum declinare, & quasi de recta via ad dexterā leuamue deflectere, scitè ac lepidè ridetur à Cicerone primo libro de Natura Deorū tanquàm merū Epicuri figmentū, neque enim cum omniū atomorum,simplex,similis & vnius modi sit natura, ex ea potest tā insignis variatio proficiscī, quare oportet vel omnes atomos similiter declinare à recto cursu,vel nullam. Ad hæc si atomi sunt indiuiduæ, nec habebunt vllam figuram, nec moueri poterunt:siquidem ratio figuræ & motus localis, in eo quod est indiuisibile ineſse nequit, vt probatur in sexto libro Physicorū ab Aristotele: si etiam vacant omni genere qualitatum, & nullam actionem,vel alterationē accipiunt, nullo modo poterunt ex ipsis effici tam multæ & variæ formæ essentiales stirpium,&animantiū, & aliarum rerū:ceu ex lapidibus & lignis vario situ, aut ordine, & figura,dispositis,non existit aliqua natura, vel species, re differens ab ipsis.Hoc argumentū luculenter tractat Galenus in 1.lib. de Elementis.Postremò si est fortuita concursio atomorum, generatio rerum naturalium nō deberet esse certa,vti est; vbi enim casus & fortuna dominantur, ibi nihil esse potest certum,definitum,constans,ordinatum,denique nihil tale,quale cernimus esse in rebus naturalibus. Quocirca Aristoteles sub finem secundi libri Physicorum disertè docet. Naturā non fortuitò, sed certa via & ratione procedere & alicuius gratia operari. Iam verò si(vt aiunt)inter quascunq; atomos interiacet vacuum,nullum corpus naturale esset continuum,aut contiguum, neque cohærerent in-

uicem atomi:qua igitur ratione sit earũ complexio & copulatio? aut quomodo manẽt simul quamdiu res durat,aut quid est, quod atomos continet in officio,vt talem tamdiu positurã & ordinem conseruent?neque enim id referri potest ad vacuum, cum sit non ens.Argumẽta verò Democriti & Epicuri de necessitate quidem vacui,dissoluuntur ab Arist. in 4.Phy. de indiuisione autẽ corporum in 1.lib.de Generatione. Atque in singulis veterum opinionibus quid reprehensione dignum sit, adhuc exposuimus. Reliquum est vt quid in omnibus illis desideretur,doceamus.

Vniuersè indicantur errata veterum Philosophorum:quibus tamen ignoscere,quin etiam gratias agere oportet.

CAP. XX.

PRæter ea,quæ in veteribus Philosophis adhuc propriè sigillatim repræhẽdimus,sunt alia quædam ipsorũ errata,quæ nũc breuiter perstringemus.Primùm, nemo (Platonẽ excipio) agnouit materiã primã,cuius ignoratio fecit,vt antiqui nescientes occurrere quibusdam dubitationibus, de medio auferrent generationem , vt significat Aristot.1. Phy.tex.78.quamuis Auer.li.12.Metap.com.8.scribat Democritũ fuisse de propinquioribus in aspiciendo primã materiã, quod intelligendum est,cõparatione eorũ Philosophorum , qui fuerunt ante Democritum & Platonem.Etenim Plato in Timæo,copiosè & apertè de ipsa loquitur,& secũdum Aristotelem, maximè omnium naturam eius vidit,atque cognouit , vt ipsemet Auer.testatur 1.Phy.com.79. Tum ignorarunt priuationem esse principiũ generationis & necessarium & diuersum à materia.vt quamuis non sit ens,nec maneat aduenientе forma , magnam tamen vim habeat, magnámque opem afferat ad inchoandã & promouendam generationẽ.Deinde,pauci attingerunt causam efficientem , sine qua tamen materia non magis sufficit ad procreandas res naturales,quàm lignũ ad efficiendum lectum,vel aliud quoduis opus artis,citra operam artificis. Anaxagoras quidem vim & principatum caussæ efficientis defert intellectui, attamen postea (quod exprobrat illi Socrates in Phœdone & Arist.1. Metaph.)in declaranda generatione cuiusque rei naturalis , opera illius non vtitur,sed omnem vim agendi totámq; efficientiã refert ad qualitates materiæ,rarum,& densum:calidum,& frigidũ. Vide Arist. 2. Phy.75.& 2.libro de Gener.52.Empedocles etiam inducit duas caussas efficientes,litem,& amicitiã:sed eis tãtummodò assignat vim congregandi & segregandi:cæterorum asit motuũ, & actionũ, atq; effectuum naturaliũ , quæ nam sit potestas & vis efficiẽs, nusquàm

nusquàm ostendit.Præterea formã,& quod quid erat esse rei, cuius cognitio ad res definiendas & demonstrandas perneccssaria est,primum omnium subodoratũ esse Democritum , non quod existimaret illam esse principium,sed quod ipsa re & veritate in id traheretur,auctor est Arist.1.lib.de partib.animal:cap.1.Postea Socrates in huius perquestigationem studiosè & diligenter incubuit , sed is vim & rationem formæ negat positam esse in substantiis naturalibus,quæ percipiuntur sensibus, totámq; attribuit substantiis quibusdam separatis,quas ipse vocat Ideas. Auerroes autem lib.2.Phy.com.9.ait veteres putasse solam materiam,quæ est subiecta omnibus rebus,esse substantiam earũ , neque distinxisse formam accidentalem à formis substantialibus ; Aristoteles etiam 2.Phy.22.& 1.Metaph.& in 2.Phys.75. de antiquis loquens qui videntur omnia referre in materiam , sic ait ; *Etenim etiam si aliam causſam quàm materiam dicunt,tamen solùm tangentes eam, valere sinunt.* Postremò finem & bonum , cuius gratia natura facit omnia sua opera,& cuius ratio sicut in rebus artificiosis, sic in naturalibus magnam vim habet, vel nemo vidit , vel quasi per nebulam vidit,vel nemo exposuit,aut numerauit in principiis , vel certè nemo nisi valde nebulosè & ænigmaticè huiusmodi caussam tradidit:vt veteres illi Theologi & Poëtæ,qui amorem, tanquàm Deum quendam & vnam de primis caussis inducunt. Veteres igitur,pauca verè,multa falsè,plurima superuacaneè, omnia inordinatè & obscurè,nihil propemodùm demõstratiuè & scientificè tradiderunt.Itaq; pulchrè scribit Arist.in fine primi Metap. Philosophiam apud illos veteres fuisse tanquàm infantem, & tũc primùm quasi balbutiendo loqui cœpisse.

Cæterùm idem Arist.in 2.Metaphysicæ tex. 2. auctor est, antiquis Philosophis,non modò si quid errarunt , esse condonãdum, propterea quòd primi omnium ingressi sunt ad Philosophandum, sine iis præiudiis & adiumentis , quibus posteri minimè caruerunt,sed etiam agendas esse gratias, qui nos ad benè Philosophandum,& vehementer excitarunt & vtiliter exercuerunt. Verùm præstat Aristotelis verba singularis in veteres Philosophos obseruantiæ & pietatis plena,hic adscribere.*Sed nõ solum* (inquit) *illis agendæ,sunt gratiæ,quorum opinionibus quis aquiesceret, sed illis etiam qui superficie tenus dixerunt,conferunt enim aliquid etiam isti , habitum nanque nostrum exercuerunt : si enim Timotheus non fuisset,multum melodiæ nequaquàm habuissemus.si tamen Phrynis non extitisset, ne Timotheus quidem fuisset : simili modo & de illis est de veritate asseruerunt , à quibusdam enim aliquas accepimus opiniones , quidam verò, vt hi fierent,causſa fuerunt.* De veterum igitur opinionibus, quæ

Præclara Arist.sententia.

Cur non sit hoc libro exposita doctrina Platonis de principiis rerum naturaliũ.

pertinent ad principia rerum naturalium (vt aliquis tãdem huic libro terminus & finis imponatur) ita sit à nobis nõ (vt opinor) indiligenter, nec ineptè disputatum. De Platonis autem opinione mirum nemini videri debet, nihil à nobis hoc in libro dictum esse: nam cũ de principiis rerum plurimę atque grauissimæ quæstiones & controuersiæ sint inter Platonem & Aristotelem, neque adhuc satis explicatæ, aliis quidem hos duos Philosophos non rebus, sed verbis tantùm dissidere affirmantibus, aliis autem contendentibus eos inter se omnino discrepare, non debuit tanta quæstionum moles in hũc libellum intrudi, & opinio Platonis simul cum aliorum Philosophorum sententiis inuoluj, & communi iudicio cognosci, sed satius fuit eam destinato in id libro aliquo, separatim explicari, & subtiliter ac propriè diiudicari.

FINIS LIBRI QVARTI.

DE MATERIA PRIMA ET PRIVATIONE.

LIBER QVINTVS.

EXPOSITIS atque diiudicatis opinionibus veterum Philosophorum de principiis rerum naturalium, sequitur vt deinceps aperiamus sententiam & doctrinam Aristotelis de huiusmodi principiis, quam nos vero proximam esse arbitramur. Primùm igitur quid Aristoteles de Principiis rerum naturalium vniuersè docuit, exponemus: tum de Materia prima copiosissimè disputabimus: ad extremũ nonnulla etiam de Priuatione breuiter tractabimus. Sed vt omnes intelligant, quantus vir, iudicio ac testimonio totius antiquitatis, in omni genere doctrinæ fuerit Aristoteles, & quòd eum nos meritò, posthabitis cæteris Philosophis, sequi & imitari studemus, nonnihil hoc loco de eius laudibus, dicendum est,

De laudibus Aristotelis. CAP. I.

ARistoteles (Quem ego sanè puto non temerè ita vocatum esse, quippe cũ omnes pene disciplinas ad extremum optimumque finẽ perduxerit) fuit natione Græcus, non modo singnlare decus Græciæ, sed eximium orbis terræ ornamentum: patria Stagirita, quam vrbem cæteroquin per se obscuram & ignobilem & penè dirutam ac euersam, Philippus Macedonum Rex (vt ait Plutarchus in Alexandro) vel, vt scribit Plinius lib. 7. cap. 29. Alexander Magnus Aristoteli gratificarurus, instaurari & ornari iussit: Gẽtilis eius, Æsculapius Medicinæ apud Ethnicos Deus, memoratur. Platone per viginti annos præceptore vsus est, à quo mẽs Gymnasij sui solebat appellari; Disciplinã eius meliorẽ ampliorémque reddidit, & tanquam bonus hæres patrimonium acceptum, non modò conseruauit, sed purgatum, atque perpolitũ multò maximè amplificauit: Ingenij acumine inferior nullo, grauitate iudicij parẽ ha-

bens neminem: varietate scriptorũ & præstantia vberior cunctis atque illustrior. Floruit nobilitate discipulorum, in quibus vnus fuit Alexander Rex Macedonum, quem Philippus pater, gaudere se dixit (vt refert Gellius lib.9.cap.3.) non tam quòd eum genuisset, quam quòd eo tempore eum nasci contigisset, quo posset ab Aristotele imbui optimis præceptis institutísque Philosophiæ. Tantùm verò magistro suo Alexander tribuebat, vt ei diceret se non minus debere, quàm parenti, cum ab hoc viuendi, ab illo benè viuẽdi rationẽ accepisset. Alter eius auditor Theophrastus extitit, qui singulari doctrinæ, quam ex illo hauserat, tantam dicendi suauitatẽ adiunxit, vt cum antea diceretur Tyrtamus, eum Aristoteles propter diuinitatem quandã orationis, Theophrastum appellauerit. Fuit Aristoteles auctor, & princeps disciplinæ Peripateticæ, quæ lõgè præferenda est aliis sectis Philosophorum: non solùm quia est propior veritati, & ab errorum sordibus purior atque remotior, sed quia est vberior, ornatior, neruosior, magísque accommodata ad erudiendos homines, vtámque ciuilem instruendã. Verùm de laudibus doctrinæ Peripateticæ multa sunt apud Ciceronem in quinto libro de finibus eleganter & copiosè cõscripta. Hæc doctrina multos annos olim iacuit inculta, & deserta, vel iniuria temporum vel hominũ indiligentia: sed statim vt splendor eius mortalibus affulsit, rapuit ad se omnium animos, studiáque conuertit. Etenim ab Alexandro Aphrodisæo, qui primus dicitur adiutus Sosigenis magistri sui opera, lucem attulisse ad intelligendum & interpretandum Aristotelem, vsque ad hunc diem, ita exculta, & illustrata fuit cõmentariis eorum qui ad explanandum Aristotelẽ, maxima ingenia, summa studia, acerrima iudicia, multarúmq; rerum copiam & scientiã attulerũt: vt reiectis aliis Philosophis, vnus iamdiu floreat, & regnet Arist. vnus cunctis penè hominib. sit in honore, & delitiis: vnum denique hunc ceu ducem & auctorem sequantur, quicunq; se ad Philosophiæ bonarúmq; artiũ studia dediderunt.

Huius igitur viri, quem admirata est antiquitas, posteritas verò etiam venerata, & (vt Lucretij verbis vtar,)

Qui genus humanum ingenio superauit, & omneis
Præstinxit stellas, exortus vt æthereus sol.

Huius inquam viri præstantiã, virtutésque laudando consequi velle, simile est, vt si quis vellet aut Oceanũ exhaurire, aut stellas cæli dinumerare, & mundi totius magnitudinẽ manibus suis metiri. Sed ne ingrati animi nobis crimini detur, quòd eius viri laudes taciti prætereamus, cui tantum debemus, quicunque Philosophiã colimus, volui breuiter ascribere hic ea, quæ de Aristotele

tele, viri auctoritate doctrináq; præstantes memoriæ prodiderũt.

Laus Aristot. ex Cicerone.

Cicero quodam loco ita scribit. *Sed quis omniũ doctior? quis acutior? quis in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acrior Aristotele fuit?* Et alibi *Cũ omnis*, inquit, *ratio diligens differendi duas habeat partes, vnã inueniendi alteram iudicandi, vtriusque princeps, vt mihi quidẽ videtur, Aristoteles fuit.* Multis itẽ in locis, appellat eum virum diuino ingenio, excellentem subtilitate & copia, longè omnibus, vno excepto Platone, præstante & scientia, & diligentia, & quem ipse maximè omniũ admiretur. Sed quia multi qui non Aristotelem Græcum, sed barbaras, sordidasque Latinorum interpretum versiones eius legunt, solent in eo reprehendere ieiunitatẽ, asperitatem, obscuritatémque orationis, audiant hi Ciceronem optimum dicendi iudicem atque magistrum, ita de eo scribentem. *Cum tuus iste Stoicus sapiens syllabatim ista dixerit, veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles, qui illum despere dicat, &c.* Et alio loco. *A libris Aristotelis te obscuritas reiecit: Rhetor aũt ille magnus (vt opinor) Aristotelica se ignorare respondit, quod quidem minimè sum admiratus eum Philosophum Rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis Philosophis, præter admodum paucos, ignoretur, quibus eò minùs ignoscendum est: quòd non modo rebus his, quæ ab illo dictæ & inuentæ sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam tum copia, tum etiã suauitate.*

Ex Plinio.

Plinius de Aristotele, à quo magnam partẽ mutuatus est earum rerum, quarum tam locupletem, & nobilem texuit historiã, hoc modo scribit lib.8.cap.16. *Aristoteles diuersa tradit, vir, quem in his magna secuturus ex parte præfandum reor, Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas noscendi, delegatáque hac commentatione Aristoteli summo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum in totius Asiæ, Græciæque tractu parere iussa, omniũ quos venatus aucupia, piscatúsque alebãt, quibúsque viuaria, armẽta, aluearia, piscinæ, aluiaria in cura erant, nequid vsquã genitum ignoraretur ab eo quos percontando, quinquaginta fermè volumina illa præclara de animalibus cõdidit.* Idem alio in loco appellat Aristotelem virũ immensæ subtilitatis.

Ex Alexandro Aphrodisæo.

Alexander Aphrodisæus (vt refert Auerroes in lib.12. Metaph. commento 18.) inquit disciplinam Aristotelis esse longè minoris ambiguitatis, & magis remotam ab errore & repugnantia, quàm aliorum Philosophorum: quocirca hanc viam esse ingrediendam his, qui ad sapientiam studẽt peruenire.

Ex Themistio.

Themistius (siue is fuerit Simplicius qui cõscripsit illud proœmium in li. Phy. Arist.) magnã tanè laudẽ tribuit Aristoteli, nam conferẽs eum cũ aliis Philosophis sic ait. *Genus Philosophãdi Aristotelis differt à cæteris, quatenus obscuritates, & scirpos illorũ trãstulit in perspicuam, & propriã expositionẽ, & vim præterea probationibus &*

syllogismis adiecit. A Platone autem eo videtur dissensisse, quod demonstrationes apertiùs, illustriúsque inducit, & quòd earum principia à sensu & ab euidentibus rationibus sumit. Ab omnibus præterea simul in eo dissidet, quòd partes omnes Philosophiæ naturalis vsque ad singularia euolutas ac resolutas reliquit. Non est dissimile quod ait Simplicius in procœmio suo super Categorias Aristotelis, vbi verba facit de genere cõmentationis Arist. quẽ locũ studio breuitatis nõ apponã.

Ex Auerroe. Sed quid ego dicã de Auerroe? Mihi quidem videtur is, non habere Aristotelem tanquam vnum aliquem mortalium, sed veluti Deum quendam Philosophorum colere, atque venerari. Lõgum esset colligere omnes sententias eius, quæ ad laudationem Aristotelis pertinent: nos paucis in præsentia contenti erimus. In procœmio suo Physico ita scribit. *Aristoteles tres scientias inuenit, Logicã, naturalem, & diuinã: & nullus error inuentus est vsque ad hoc tẽpus, quod est mille & quingentorũ annorũ: & talẽ virtutẽ esse in vno indiuiduo, potius est miraculosum, quàm humanũ.* Idẽ in 3. de anima cõmento 14. *Aristoteles* (inquit) *fuit regula & exẽplar, quod natura inuenit ad demonstrandam vltimam perfectionem humanam in materijs.* Idẽ in primo de Generatione animalium sic ait. *Laudemus Deum, qui seperauit hunc virum ab alijs in perfectione, & appropiauit ei vltimã dignitatem humanam quam nullus homo potest in vlla ætate attingere.* Idẽ in libro destructionum disputatione tertia in solutione dubitationis 13. ita scribit. *Aristotelis doctrina est summa veritas, quoniam eius intellectus fuit finis humani intellectus, quare bene dicitur de illo quod ipse fuit creatus & datus nobis diuina prouidẽtia, vt nõ ignoremus possibilia sciri.* Et alio quodam loco inquit, *Aristotelem fuisse principem, per quem perficiuntur omnes sapientes, qui fuerunt post eum, licèt differant inter se in intelligendo verba eius, & in eo quod sequitur ex eis.* Hæc Auerroes. Si cui autem videtur Auerroes in laudando Aristotele nimius fuisse, & transiuisse fines veritatis, is sciat me illi assentiri: nec me posuisse hæc loca, quòd putem tantum esse tribuendum Aristoteli, aut quòd existimem eum nusquam offendisse, ab omni errore vacasse. scio enim eum & ignorasse multa, & in plurimis grauissimisque Philosophiæ quæstionibus, vel hęsitauisse, vel à vero etiã aberrasse: Sed vt ostenderẽ, quanta in laude, ac honore nomen & doctrina eius apud clarissimos quosque viros omnibus seculis extitisset. Hunc igitur tantum virum, quẽ ego constitui in huius operis molitione sequi & imitari, libet nunc iisdem versibus præfari, quibus Epicurum suum, minùs profectò verè ac dignè, Lucretius libro tertio affatus est.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ,
Te sequor ô Graiæ gentis decus, inque tuis nunc
Fixa pedum pono pressus vestigia signis.
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem
Quod te imitari aueo. Quid enim contendat hirundo
Cycnũe aut quid nam tremulis facere artubus hædi.
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?
Tu pater es rerum inuentor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuis ex inclyte chartis
Floriferis, vt apes, in saltibus, omnia libant:
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima vita.

Quæ Aristoteles de principiis rerum naturalium, & quibus locis scripta reliquerit.

CAP. II.

De principiis in communi. DE principiis rerum naturaliũ vniuersè quidem hæc ferè docuit Aristoteles. Primò principia oportet esse contraria, primo Physicorum textu 41. Secundò, quòd non possit esse tãtummodò vnum principium. Tertiò quòd non possint esse infinita, tex. 50. Quartò quòd præter duo principia contraria, opus sit tertio, quod illorũ duorũ sit tanquam subiectũ & materia, textu 51. Quinto principia neque esse plura, neq; pauciora quàm tria, hoc est Materiam, Formã, & Priuationẽ, tex. 56. Sextò, ex his tribus principiis duo esse per se caussas eius quod fit, nimirũ materiam & formam, tertium videlicet priuationem, esse per accidens, textu 66. Septimò, principia quodammodo esse duo, quodammodo autem tria: nam principia per se, ac re diuersa, sunt duo, Materia, & Forma: simpliciter autem, principia sunt tria, Materia, Forma, & Priuatio, tex. 67.

De Materia prima. De singulis autem principiis speciatim ac propriè, hæc tradit: ac de Materia quidem, primùm hæc. Primò. Materiã non esse scibilem, nisi per analogiam ad Materiam rerum artificialiũ, primo Physicorum textu 69 Secundò. Materiam per se ignotam esse, & cognosci negatione, libro 7. Metaph. tex. 35. & libro decimo textu 24. Tertiò. quòd Materia nõ est ens sicut hoc aliquid, primo Physicorum textu 69. Quartò. Cognita natura Materiæ soluit omnem antiquorum ignorantiam, & dubitationes, libr. 1. Physicorum textu 78. Quintò. Materiam per se esse ens, & prope substantiam 1. Phys. tex. 79. Sextò. Materiam etiam post generationem manentem vnà cum forma, esse caussam eorum quæ fiunt, tanquam matrem 1. Phys. textu 80. Septimò. Materia exi-

petit formã ſicut turpe pulchrum:& fœmina virũ,1.Phyſic. text. 81.Octauo.Materiã per ſe,ac ſecundũ potentiã ſuã eſſe ingenerabilem,& incorruptibilem 1.Phyſ.tex.82.Nonò.Materiã eſſe primu ſubiectũ ex quo inexiſtente res fiunt,& in quod vltimũ corrumpuntur:ibidem.Decimò.Materiã per ſe, neque quid, neque quantũ eſſe,neque aliquid aliorum quibus ens determinatur,neque etiam negatione horum:ſeptimo libro Metaphyſicorũ tex. 7.Vndecimò.cuncta quæ tranſmutantur,habere materiẽ, lib. 12. Metaphyſicorũ text. 19. Duodecimo.Materiam eſſe cauſſam cur aliquid ſit poſſibile eſſe,& non eſſe:libro ſeptimò Metaphyſicorum tex.22.& primo de Cælo tex.136.Decimotertiò.In corporibus æternis & incorruptibilibus eſſe quidem Materiã, ſed diuerſam a materia rerum ſublunarium:lib. octauo Metaphyſicorum tex.12.& libro duodecimo tex.10.Decimoquartò.Materiã primã per ſe non eſſe ſeparabilẽ,& ſemper cum contrarietate exiſtere: ſecundo libro de Generatione tex.6.Decimoquintò.Impoſſibile eſt materiã habenti non exiſtere aliqualiter cõtrariũ: in libro de longitudine,& breuitate vitæ,cap.2:Decimoſextò. Ex non ente ſimpliciter impoſſibile eſt fieri aliquid; ſed ex eo quod partim eſt non ens,partim ens,poſſe fieri,cuiuſmodi eſt materia quæ nõ eſt id quod generatur actu,ſed poteſtate,& habet adiunctam priuationem propter quam eſt nõ ens:primo Phyſicorum 75 & 78. Decimoſeptimò.Intelligentias æternas eſſe & prorſus immobiles quia ſunt ſine Materia:libro duodecimo Metaphyſicorũ textu 30.quaſi nihil habens Materiam,talem nimirum,qualis eſt in rebus ſublunaribus,poſſit eſſe æternum.

De Forma. De forma hæc tradit variis locis. Primò. Formam eſſe rationẽ 68.exemplar & quod quid erat eſſe rei: ſecundo Phyſicorum textu 28. Secundò. Formam præſentia & abſentia ſua ſufficere ad faciendam tranſmutationem:primo Phyſic.text. 68. Tertiò. Formam eſſe quidpiam diuinum,bonũ & appetibile 1.Phyſ.textu 81.Quartò.Vnumquodque eſt,& denominatur ſimpliciter tale,non propter materiam,ſed propter formam:ſecundo Phyſicorum textu 11.Quintò.Forma naturalis non eſt ſeparabilis niſi ſecundum rationem tantùm, & eſt magis natura, quam materia 2.Phyſic.text.12.Sextò. Forma & finis in naturalibus idem ſunt 2.Phyſ.textu 70.Septimò.Forma eſt cauſſa Materiæ ſed non contrà: quare magis hæc quàm illa Phyſico conſideranda eſt: libro 2.Phyſic.textu 91.Octauò.Formam eſſe prius & magis ens,quàm materiam,& compoſitum:libro ſeptimo, Metaphyſicorum textu 7.Nonò.Subſtantia,quæ eſt ſecundũ formam, eſt ſicut numerus,hoc eſt conſiſtit in diuiſibili,nec ſuſcipit magis & minus, lib. 8.Metaphyſicorũ,textu 10.Decimò.Præſente formã,quæ vocatur habitus,& finis,ſeu terminus,ceſſat generatio,& motus lib. 1. de Generatione textu 55. Vndecimo. Phyſico agendum eſſe de formis corruptibilib⁹ & inſeparabilibus a Materia:de ſeparabilibus autem a materia tractandum eſſe a Metaphyſico primo libro Phyſicorum 83.ſecundo Phyſic.26.& 6.Metaphy.2.

De priuatione docet hæc.Primò.Priuatio non manet re facta: primo Phyſicorum textu 59.& 60.Secundò. Priuatio eſt principium per accidens,& eſt quaſi accidens Materiæ 1.Phyſ.textu 66. Tertiò.Priuatio re vel numero,non differt a Materia,ſed tantum ratione vel ſecundum eſſe 1.Phyſ.tex.67.& 79.Quartò. Priuatio per ſe eſt nõ ens 1.Phyſ,textũ 75.& 79.Quintò.Priuatio,ad maleficiũ ipſius intendẽti intellectũ,videbitur penitus non eſſe,& eſſe cauſa corruptionis rerum,potius quàm generationis:quanquam ipſa vtriuſque ſanè,diuerſa tamen ratione cauſſa eſt 1.Phyſ.textu 80.Sextò. Priuatio non expetit formam quia eſt illi contraria 1. Phyſ.tex. 81.Septimò. Materia eſt generabilis & corruptibilis nõ ſecundum ſe,ſed ob priuationem,quæ in ea eſt textu 82.Octauò. Priuatio eſt quodammodo forma:lib.2.Phyſ. textu 15. Hæc ferè Ariſtoteles de principiis rerum naturalium.Deinceps de Materia diſſeramus: ac primo varia eius nomina & appellationes apud Philoſophos vſitatas,exponamus. *De priuatione.*

De variis ſignificationibus & vocabulis Materiæ apud philoſophos vſitatis. CAP. III.

Variæ diuiſiones Materiæ. VOniã Ariſtoteles primo libro de Cælo tex.110.præcipit,ſi vox eius rei de qua diſſerendũ eſt,multiplex fuerit eã primùm diſtinguendã eſſe explicãdo ſignificationes eius:poſtea ponendũ & conſtituendũ eſſe, qua ſignificatione vſurpanda ſit:Idcirco cum variæ ſint acceptiones & vocabula Materiæ,de qua hoc libro agendum eſt,libet ante omnia,huiuſmodi ſignificationes & vocabula explanare. Primũ, Materia triplex eſt, vna alterationis tantùm, ex qua mutata nec permanente res efficitur, ſic alimentum viuentis, & ligna ignis materiam dicimus: Altera compoſitionis tantùm, ex qua manente nec alterata res fit, quo modo literæ ſunt materia ſyllabarum & lapides domus: Tertia vtriuſque, ex qua nimirum & manente, & tamen aliquo modo alterata res fit, ſic affecta ſunt miſciblia ad mixtum, vt patet in Oxymelle.vide hãc diſtinctionem apud Auerroem,ſecundo lib.Phyſ.com.31. Deinde materia,

alia est prima,alia secunda: illa per se est simplex,infermis, & capax atque receptaculum omniũ formarum:hæc habet formam, & est cõposita:sed dicitur materia comparatione posterioris, & perfectioris formæ,cui subiicitur,& quam in se recipit: sic elementa sunt materia mixti,& partes similares dissimilariũ,& corpus organicum animç.Amplius Materia, alia est ex qua res fit,vt lapides domꝰ,alia in qua res inhæret,sic substãtia est materia,vel potius subiectũ accidentiũ,vt significat Aristoles li. 8. Metaphysicæ tex.12.alia circa quã,qua ratione patiens agentis, & mobile mouẽtis materiam esse dicimus.atque hinc nomẽ materiæ trãslatum est ad artes & disciplinas,quarum materiã appellamus, id, circa cuius contẽplationem,& tractationem versantur:& Aristoteles primo Meteor.cap.2.hunc mũdum inferiorem inquit esse quasi materiam,quæ agitatur,formatur, & regitur à corporibus cælestibus.Postremò,alia est materia proxima alia remota:lib.9. Metaph.tex.12.proxima est ex qua immediatè,& sine alia mutatione sui potest fieri id, cuius materia dicitur,veluti lignũ & æs sunt materia proxima statuę:quoniam ex illis immediatè potest fieri statua:terra verò,vel aqua nõ sunt materia proxima statuæ, sed remota,quoniã necesse est prius terrã cõmutari in lignũ vel æs,quàm vt ex ipsa possit confici statua: quamobrem cum quid dicitur esse in potẽtia tale,propriè id cõuenit materiæ proximæ non remotæ:nõ enim dicimus terra esse potentia hominem, sed semen,vel menstrua.Omittimus hic diuisionẽ Materiæ in sensibilem,& intelligibilem:secundum quã Mathematici dicuntur considerare non materiam sensibilem,sed intelligibilẽ, vt docet Aristoteles lib.7.Metaphy.tex.35.& itẽ illam diuisionẽ materiæ, in essentialem,& integralem,seu quantitatiuam; secundũ quam corpus est materia essentialis homini,caput autem,brachia, thorax,crura,sunt materia integralis ipsius corporis.

Varia Materiæ vocabula.

Apud Peripateticos tria sunt vocabula Materiæ:vnũ, Materia, alterum Subiectũ,tertiũ Elemẽtum:differentiã inter materiam, & subiectũ tradit Themistius & confirmat testimonio Boethi, primo Phys.super textũ 61.materia enim dicitur ratione formæ futuræ ad quã est in potentia,subiectũ autẽ ratione formæ præsentis,quã sustinet:sed præstat ita distinguere,vt materia dicatur ratione formæ substãtialis,siue futuræ:siue præsentis; subiectũ ratione formæ accidentariæ,vel motuũ, aut transmutationũ? nam neq; accidẽtia propriè habent materiam,sed subiectũ,vt est in 8. Metaph.tex.12,neque forma substãtialis est in subiecto, vt præclarè docet Alexãder primo lib. naturalium quæstionum capite 17.& traditur ab Aristotele in categoria substãtiæ cum ait commune

Quid inter Materiã & subiectũ intersit.

mune esse omni substantiæ in subiecto non esse. Apud Platonicos,vt videre est in Thimæo,appellatur πανδεχὲς, id est, omnia habens,conceptaculum,gremium,sinus,locus formarum,mater, & nutrix.Apud Arabicos scriptores,origo,massa, sylua seminarium nuncupatur.Vide Albertum Magnum primo Physic. tractatu vltimo capite 12.

An sit necessaria Materia in rebus naturalibus.
CAP. IIII.

DE Materia quatuor illæ quęstiones an sit,quid sit,qualis sit & propter quid sit explicãdæ sunt.Ac primũ materiã esse,& necessariã esse in rebus naturalibus, facilè ostẽdi potest his rationibus.Primò quia ex nihilo nihil fieri potest,& omne quod fit,ex aliquo & ab aliquo & aliquid fit, imo nõ quodlibet potest fieri ex quolibet,sed ex certo & defi nito subiecto. Deinde, omnis trãsmutatio per se fit ex opposito ad oppositũ,siue illud oppositũ sit priuatio,siue cõtrariũ;at vtrũq; horum necessariò requirit aliquod subiectũ,in quo insit: & cum in transmutatione,verbi gratia,caloris in frigus, ipsum frigus nõ recipiat in se calorem,neque fiat calidum (non enim vnum contrarium accipit & fouet alterum contrarium; sed potiùs illud à se expellit,& corrumpere conatur) necessarium est aliquod tertium,medium inter calorẽ,& frigus,vtriusque capax, & vicissim particeps.Hanc rationẽ potissimũ vsurpat & inculcat Aristoteles,vt videre licet primo Phys.51.vsq; ad 54.& octauo Metaphy. tex.4.& lib.12. text.7.Postea, si ad productiones rerum non esset opus subiectum aliquod,ergo quælibet productio fieri posset in instanti,& sine dispositionibus vllis antegrediẽtibus,quod experiẽtia docet esse falsum;nam generationes Physicæ vt arborum, & animalium non subitò, sed paulatim certis definitisque temporibus perficiuntur;idque propterea euenit,quòd materia paulatim ab agẽte naturali præparatur & idonea fit ad accipiendam formam substantialem.Ad hæc,facta inductione per omnes trãsmutationes conspicuum erit, semper esse necessarium aliquod subiectum: vt patet contemplanti transmutationes artificiales, naturales,accidentales,& substantiales tam viuentium: quæ fiũt ex semine,quàm mixtorum,quæ ex elemẽtis, & ipsorũ elementorum,quorum semper vnum fit ex alio; nec vllã mutationem sine subiecto fieri posse,adhuc probauit experiẽtia. Præterea, omnis trãsmutatio est actio,actio nequit esse sine agẽte, nec agẽs sine patiente,cum sint relatiua, ergo in omni transmutatione est necessarium aliquod subiectum patiẽs:& cum generatio non sit

Probatur septem rationibus materiam esse necessariam.

actio immanens in generante, alioqui ipsum generãs generaretur, quasi simul esset & non esset, nam quatenus generat, iam est, quatenus generatur, non est; oportet eã esse actionem transeunte in aliquod subiectũ. Quid plura? omnis transmutatio, tũ quoniã est accidens quodpiam, tum quia est motus, qui definitur actus entis in potentia, & non est in mouente, sed in mobili, necessariò indiget subiecto. Ad hæc, si non est necessaria materia, ergo vel iampridẽ cessasset generatio, quippe cum omnes formę Physicæ sint corruptibiles: vel ex nihilo effici & reſici possent, cui cõpositioni consequentia sunt plurima, & grauissima incõmoda, quæ plurimis & disertissimis verbis persequitur Lucretius primo lib. nam cur non quodlibet agens æqualiter & indifferenter agit in quamlibet rẽ, si ad agendum non est opus materia? imò qui tollit materiã, vnà quoq; tollit omnem actionẽ, omnémq; potentiam actiuam, vtpotè quæ sine patiente constare nequeant.

Esse autem necessariò ponendam aliquam materiam primam, perspicuũ & certum fieri potest ex eo, quòd si non daretur prima materia neq; essent aliæ materiæ; nam posteriores materiæ substentantur à prioribus. & nisi detur prima essent in re naturali infinitę materię; quare etiã infinitę formæ; nullum & esset corpus simplex; & cu quęlibet forma addat rei aliquẽ gradũ perfectionis, & prębeat aliquã operationẽ, res naturales haberẽt infinitas perfectiones & actiones. Immo nõ est propriè alia materia nisi prima, nam quæ sunt præter materiã primam, sunt formę, quarũ priores & imperfectiores dicuntur materia posteriorũ & perfectiorũ, aut certè sunt composita quæ formantur & perficiuntur à formis. Itaq; nomẽ & ratio materię pręcipuè conuenit materiæ primę: ipsa. n. in potentia ad omnia, ipsa maximè est per se in formis ipsa maximè subiicitur cõtrariis eáq; vicissim reiicit, ipsa est ex qua omnes res naturales constituuntur & constant. manifestũ igitur est materiam præsertim primam, esse maximè necessariam.

De creatione. CAP. V.

HIc locus nos admonet, vt priùs quàm progrediamur ad enodandas alias quæstiones quę de Materia prima propositę sunt, nõnihil dicamus de creatione. Etenim quę pręcedẽti capite posita sunt, ea videtur fũditùs tollere creationẽ. Si. n. materia necessaria est ad cuiuslibet rei productionẽ, ergo nõ põt quicquã ex nihilo effici; cui necessariò consequẽs est nullã esse creationẽ. At Theologia Christiana, cui nullus error nullúmq; mendacium subesse põt, pro vero & certo docet, non

non modò possibilem esse creationem, sed ea plerunque vsum esse Deum in rebus procreandis. Quare vt hunc etiam locum in philosophia illustremus, videamus primùm quid sit creatio; tum an ea cõcedi & admitti queat secundum Aristotelis doctrinam: ad extremum an creationem esse possibilem, lumine naturæ cognosci possit & manifestis atq; necessariis rationibus demõstrari.

Quinque Philosophorũ opiniones de rerũ productione.

Quinque fuerunt opiniones de generatione rerum. Vna, nullam esse generationẽ; eorum videlicet qui faciebant omnia esse vnum ens immobile; quam sententiam Aristoteles attribuit Parmenidi & Melisso: Altera, nihil de nouò generari; sed generationem nihil aliud esse, quàm segregationem quandam & manifestationem eorum, quæ priùs erant permixta & abscondita: quæ sententia fuit Anaxagoræ: Tertia (quam perhibent fuisse Auicennæ) formas naturales ex nihilo creari à quadam intelligentia, quę prędens huic mundo inferiori, producit omnes formas, intelligibiles, sensibiles, & Physicas: itaq; agentia particularia tantùm disponere materiam ad recipiendas huiusmodi formas: Quarta, Aristotelis qui sensit omnes formas naturales & mortales produci ex materia, ab agentibus particularibus, & idem esse agens disponens materiam, & inducens formam: vide Auerroem septimo Metaphysic. Commentario 31. & duodecimo libro Metaphysic. 18. Comment. Quinta, nostrorum Theologorum; qui distinguunt res quæ producuntur, in res materiales & immateriales; & rerum naturalium productionem, in primam quæ initio simul cum molitione mundi à Deo facta est, & eam quæ post consecuta est, quasi per propagationem; & item potentiam Dei in absolutam & infinitam, atque in ordinariam & quæ ad causas secundas naturales temperata & accommodata est. His positis, conuenienter iis quæ in sacris literis scripta sunt, affirmant, res immateriales creari à Deo, siquidem non possunt ex materia efficiri: aiunt primam rerum materialium productionem fuisse ex nihilo: cum enim simul cum ipsis rebus producta fuerit materia, non pręcesserat aliquid ex quo ceu subiecto, tales res fieri possent; at cæteras productiones earum rerum, quæ sunt veluti propagationes illius primæ productionis, docent fieri ex materia, ab agentibus naturalibus secundum legem ordinariam: secundum potentiam autem Dei absolutam, etiam nunc posse creari ex nihilo, propterea quòd Deus sit agens liberum infinitæ virtutis. & potens immediatè, ac per se facere, quicquid fecit per causas secundas, Hæc Theologi de procreatione rerum & necessitate materiæ, grauissimè verissimèque philosophantur. Sed his expositis notionẽ creationis euoluamus, atq; illustremus.

Sex res necessariò concurrere ad generationem rerum naturalium.

Aperiamus igitur quid sit creatio: cuius vis, & natura faciliùs perspici poterit, si eam conferamus cum generatione: in qua sex potissimum res cernuntur: Prima est, subiectum seu materia, è cuius potentia forma naturalis per generationem quasi extenditur, & producitur ad actũ; neq; enim generatio Physica sine subiecto & materia constare potest. Secunda est, terminus à quo, qui est priuatio, hoc est, negatio formæ in subiecto apto: homo enim generatur ex semine, quod nõ est homo, sed aptũ est fieri hominem. Tertia est, terminus ad quẽ, qui est res corporea, materialis, corruptibilis: nam in generationibus omnino Physicis & rerum materialium, de quibus in præsentia loquimur, termini ad quos terminantur generationes, sunt formæ substantiales corporũ naturaliũ, corporeæ & mortales. Quarta est motus qui est veluti genus ipsius generationis, & generatio est quędã actio transiens in subiectum, & successiuè fit propter dispositiones, quas necessariò prærequirit. Quinta, generatio requirit tẽpus, & locum: tempus, quoniam est motus, cuius mensura est tempus: locũ quoniam fit ex alio corpore quod est in loco: & quia id, quod generatur est corporeũ, & mobile localiter cũ sit res naturalis. Sexta, generatio fit à caussa particulari, & vniuersali, neq; enim sufficeret vniuersalis, vti est cælũ, vel etiam intelligentia quæuis præter Deum, cũ sit per se indifferẽs & indeterminata ad productionem huius vel illius effectus particularis, neq; sola particularis causa sufficeret, cum hæc non moueat nisi mota ab vniuersali caussa, & id manifestè comprobat experientia: Sol enim & homo, vt inquit Aristoteles, generant hominẽ. Si hoc autem in generatione hominis fieri oportet, quantò magis in procreatione aliarũ rerum naturaliũ idem fieri necesse est? hæc sunt in generatione naturali: at in creatione nihil horũ reperitur; cum enim fiat ex nihilo, neq; habebit pro subiecto vllam materiã, neq; pro termino à quo priuationẽ quæ supponit subiectũ, neque erit motus, cũ is sit actus alicuius mobilis neq; actio erit transiens, ac proinde non fiet in tempore; neq; potest creatio fieri à caussis secundis, sed tantùm immediatè à caussa prima; tum quia causæ secundæ non possunt operari nisi per motũ, qui subiecto indiget, quod adest creationi; tum etiam quia cũ inter nihil & ens sit infinita distantia, vtpote inter quæ nulla sit proportio; creatio quę procedit ex nihilo ad ens, requirit in agente infinitã virtutẽ, quæ infinitas aut nulla est in rebus, aut certè tantùm in primo agente esse potest. Iã verò terminus creationis per se, est res immaterialis, & incorruptibis (loquor de termino creationis qui non potest alia ratione produci, quàm per creationem) quæ res sicut non fit ex materia, ita non dependet à materia, ac proinde non habet contrarium: & quoniã omnis mutatio Physica versatur in materia (cũcta enim, quæ transmutãtur materiam habent, vt est in duodecimo Metaphy. tex. 10.) necesse est quę creatur ex nihilo, ea libera esse ab interitu: qui nõ cadit in res materia carentes. quãquam possit etiam creari res materialis non tantùm ratione formæ, vt fit in generatione, sed ratione totius compositi: hoc est formæ simul & materiæ, quod tamẽ Aristoteles non videtur cognouisse, nã licèt Aristoteles septimo, & duodecimo lib. Metaphysic. affirmet in generatione naturali non produci formã solam sed compositũ: non vult tamen illis verbis significare produci simul materiã, & formã, cum ipse asserat in fine primi lib. Physici, materiã esse ingenerabilem & incorruptibilem: neque innuit produci aliquam entitatẽ tertiam, re diuersam à partibus, vt alio loco disputabitur à nobis: Sed vult indicare formã nõ produci per se solitariã, & seorsim à materia, & postea copulari cum materia: sed eã produci ex materia, in materia, & cum materia copulatã, & ab ea inseparabilem, & quoniã nihil aliud est cõpositum, quàm copulatum & cõiunctum ex forma & materia, idcirco agens naturale producendo formam copulatam cum materia, dicitur producere compositum. Atque hoc perspicuis verbis docet Arist. in 7. Metaph. tex. 27.

Quæ res excludũtur à creatione.

Quid sit in generatione naturali non produci formam, sed compositũ.

Ex his autem, quæ dicta sunt potest confici definitio creationis ad hũc modũ; *Creatio est productio rei immaterialis & incorruptibilis ex nihilo, quæ immediatè fit à Deo.* In qua definitione illa vox *productio*, nõ significat aliquã actionẽ, vel mutationẽ distinctam à creante & à re creata, alioquin indigeret subiecto, in quo reciperetur, & circa quod versantur, sed est ipsamet res creata, prout de non ente simpliciter transit ad ens: vnde relatio, quæ est inter creãtem, & rem creatam, ratione creantis est relatio rationis, quia nihil reale nouum ponit in creante, sed solam denominationem extrinsecam ab eo quod creatur; dicitur enim creans, nõ per aliquam nouam actionem, quam nunc exercet, & priùs nõ exercebat, sed quia creatur de nouo aliquid ab eo, ratione autẽ rei creatæ, est relatio realis: etenim creare, est Deum velle rem ex nihilo tunc esse, cum incipit esse; Deum conseruare, est velle rem permanere in esse accepto; rẽ creari est de nouo incipere esse non ex subiecto, & dependenter à Deo. An verò relatio quàm creatio ponit in creatura ad Deũ, sit transcendentalis, non re, sed formaliter tantùm differens à substantia creaturæ, vt vult Scotus secundo Sententiarum distinctione prima: an verò sit realiter distincta, vt volunt Thomistæ, hoc est, Capreolus secundo Sentent. distinct. prima, Caietanus in prima parte quæst. 45. super artic. 3. Fer-

Definitio Creationis.

rarienſis ſecũdo lib.contra Gentes ſuper cap.28.non eſt huius loci explicare, ne nimis minuta,& ſuperuacanea conſectando,longiores ſimus,quàm par eſt:ſatis hoc ſit,nobis magis probari Scoti ſententiam.Poſtea illa vox,*Ex nihilo* non ſignificat ſubiectum: qui poteſt enim quod eſt nihil, eſſe ſubiectum vllius rei? neque ſignificat ordinem tẽporis, vt neceſſarium ſit quod creatur,priùs fuiſſe nihil; Sed tantùm indicat negationẽ ſubiecti, vt ſenſus ſit, creationẽ fieri ex nihilo,hoc eſt non ex aliquo ſubiecto vel materia: vide Simplicium in digreſſione, quam facit octauo Phyſ. ſuper text.9.Sequitur vltima pars definitionis,*Quæ immediatè ſit à Deo*,quod,quia magnam habet dubitationem,enucleatè declarandum eſt.

An vis creandi in ſolo Deo inſit,ita vt nulli creaturæ communicari queat.

CAP. VI.

QVoniã in definitione creationis poſitum eſt,eam proximè fieri à Deo,poſſet in dubiũ vocari, an vis creãdi ita ſit propria Dei,vt cũ nulla re alia cõmunicari queat: qua de re,licèt multa ſubtiliter diſputẽtur à Theologis in ſecundo lib.ſent.nos tamen & quod ſentimus,& quod ſatis ſit ad id de quo agimus,paucis exponemus. Duę ſunt, inter ſe pugnãtes Theologorũ ſententię:vna eſt D.Thom.1.q.45 art.5.& 2.lib:contra Gentes cap.21.& in 2. Sentent.diſt.1.q.1.ar.3.& Ægidij Romani in quolibeto q. 1. Henrici de Gandauo in quolibeto quarto q.vltima,& Scoti in quarto Sent.diſtin.1. quæſt.qui aiunt nullam rem aliam à Deo, poſſe creare quicquã. Scotus eam ſententiam probat his rationibus. *Rationes Scoti.* Aut ea res ſeu creatura,quæ ponitur creare,eſt immaterialis, aut materialis; ſi immaterialis vt intelligentia,aut creat per actionem quampiã tranſeuntẽ, & hoc non, quia talis actio eget ſubiecto,quod nullum eſt in creatione: aut per actionem immanentẽ cuiuſmodi eſt intelligere & velle: ſed hoc non poteſt dici:tum quia ſolum intelligere & velle Angeli non poteſt eſſe tantæ efficacitatis,vt ad voluntatẽ Angeli,ex nihilo res quæ ſunt extra Angelum, ab eo multùm differentes, momẽto exiſtãt: niſi fortaſſe ex diuino aliquo pacto & voluntario Dei cõcurſu,ita vt voluntariè cõſtituerit Deus, cum Angelus quiſpiam cogitat aut vult creationem alicuius rei, continuò eam rem,vi & poteſtate ſua infinita creare:id quod ab eo per Prophetas & Apoſtolos edẽdo miracula,non ſemel factũ eſt:Tum etiam quia intellectio & volitio Angeli ſunt accidẽtia quæ non poſſunt ſeparari à ſubiecto, quamobrẽ illorũ vi & efficientia non poteſt vlla ſubſtantia creari ex nihilo, hoc eſt produci ex non ſubiecto.

Sin

Sin autẽ ea res,quæ ponitur creare,ſit materialis, duabus rationibus conuincitur,id non poſſe præſtare: primũ quia nulla res materialis poteſt quicquã efficere niſi per actionem tranſeuntem,& mutationẽ Phyſicã,cui exercendæ opus eſt ſubiecto;deinde quia in re materiali,principiũ productiuũ,eſt forma materialis,in eſſe & operari dependens à ſubiecto; quare actio vel productio ab ea proficiſcens,non erit præſtantior,&,vt ita dicam, indepẽdentior, quam illa;vt cum forma agens ſit in ſubiecto, eius tamen actio non recipiatur& inſit in aliquo ſubiecto.Hæc Scotus.

Diuus Thomas idem cõfirmat duabus rationibus:quarũ prior hæc eſt:creatura neque tanquã principale agens, neque tanquam inſtrumentale poteſt quicquam creare, ergo nullo modo poteſt creare: probatur antecedẽs, non tanquam principale agens,quia repugnat creaturæ,ſicut non dependere à Deo in eſſe, ita nõ dependere ab eo in cauſſalitate vt per ſe ſolam non mota & directa à Deo quicquam agere queat: & quia creatio terminatur ad eſſe ſimpliciter, vt opponitur nihilo,tale autem,eſt effectus vniuerſaliſſimæ cauſſæ,qualis eſt Deus:neque tanquã agens inſtrumẽtale, ſiquidem inſtrumẽtum non adhibetur à principali agente niſi vt per ſuã propriã actionem aliquo modo diſponat ad productionẽ effectus,quẽ principale agens intendit: vt patet in ſecuri, ſerra, malleo,& aliis inſtrumentis; ſed ad productionẽ eius quod creatur in inſtãti ex nihilo,nulla diſpoſitio poteſt præcedere, aut recipi in ipſo nihilo, ergo creatura nullã poteſt Deo ad creandũ ſubminiſtrare operam,vel aliquid præparãdo,vel productionem eius quod creatur,vi ſua aliquo modo attingendo. *Rationes D.Thom.* Poſterior ratio eſt hęc:nã ſicut inter ens & nihil,nulla eſt proportio,vt etiã argumẽtatur Ariſtot.de vacuo & pleno in 4.Phyſ.text.71.ſic inter virtutẽ actiuam,quæ producit aliquid ex nihilo,& eam, quæ producit ex ente,nulla erit proportio:Sed inter quælibet agentia finitę poteſtatis ac virtutis eſt proportio, ergo agens ex nihilo oportet eſſe infinitæ virtutis; hoc autẽ in nullã creaturam conuenire poteſt; ergo neque creare cadere poteſt in creaturã. Et ſanè cum ipſum nihil ſit infinitũ & indeterminatum, continens totum non eſſe, nulla res poteſt habere ius,vim, atque efficacitatẽ in ipſum nihil niſi ea quoque ſit infinita,continens in ſe excellenter totum eſſe cuiuſmodi ſolus Deus eſſe poteſt.Hæc autẽ ratio, quãuis à Scoto, Durãdo,Gulielmo Ochan multis calumniis prematur, firma tamẽ & integra adhuc ſtat:ac mihi quidẽ certè valdè probatur.Præterea,ſicut Deus aliqua attributa ſua cõmunicat creaturis,vt ſapiẽtiã,iuſtitiã,&c.aliqua verò minimè,vt eſſe independens & omnipotens,ita veriſimile eſt præter actiones, quas communicat cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

creaturis vti sunt, mouere, producere, velle, intelligere, & c. esse aliquam propriam Dei, vt Deus est, incommunicabilem creaturis, vt nimirum ex nihilo aliquid traducat ad ens. Atque hæc sententia mirificè cõsentit cum iis, quæ scribit D. Augustinus 9. lib. super Genesim ad literam cap. 15. *Dicẽs, nullam creaturam posse creare quidpiam, seu magnum, seu paruum,* & paulò pòst, *Creare,* inquit, *nullã creaturam tam nullus potest Angelus, quàm nec seipsum.* Vide etiam Damascenum in eandẽ sententiã li. 2. de fide Ort. c. 3. Hãc opinionem etiã sequitur Gulielmus Ochan. 2. Sent. dist. 1. q. 7. & 2. quol. q. 9. & Gabriel. 2. Sent. dist. 1. q. 4. Verùm negant eam argumentis demonstrationis ac scientificis, ostendi posse; sed tantùm probabiliter persuaderi. Posset hic dubitari de gratia, quę à Deo, & immediatè, & per sacramẽta animis nostris infunditur, cuius productio videtur creatio, & tamen instrumentaliter attingitur & producitur à sacramentis; sed quia hoc est nimis Theologicum, alienum esset hic à nobis eiusmodi quæstionem tractari, cæterum D. Thomas pulchram huius difficultatis solutionem tangit 3. q. de potentia Dei arg. 8. in resp. ad 3.

Altera sententia est Magistri sen. li. 4. dist. 5. asserẽtis, nihil prohibere quo minus vim creãdi Deus impartire queat alicui creaturæ, non tanquam principali agenti, sed tanquam administro & quasi instrumento Dei: quam sententiam Durãdus in 2. sent. conatur defendere non aliter, quàm demonstrando id non includere contradictionem, & soluendo rationes aliorum qui contra sentiũt. Sed quæ is supradicto loco affert, ea nũc breuitatis causa commemorare supersedeo. Ex his duabus opinionibus priorem equidem iudico esse probabiliorem & magis congruentem tum rationi & veræ Philosophiæ, tum dictis sanctorum Patrum, qui propter pietatis, atque sapientiæ laudem, sunt quasi lumina quædam clarissima Christianæ religionis. verùm his omissis quæ magis sunt Theologica quàm Physica, videamus, quid Arist. senserit de creatione.

An creatio admittenda sit secundum Aristotelis doctrinam: & an lumine naturali cognosci possit.

CAP. VII.

Duodecim argumẽtis probatur creationẽ non fuisse Aristotelis cognitã.

ARist. nũquam venisse in mẽtem, vt existimaret creationẽ quę est noua rei ex nihilo productio, esse possibilẽ, perspicuũ & (vt opinor) certum faciã ex iis paucis quę subiiciã. Primò, in 1. li. Phy. t. 33. & 34. commendat commune illud decretum omniũ Phy. ex nihilo nihil posse fieri. In eodem lib. tex. 75. ait esse impossibile, ex simpliciter non ente aliquid

aliquid fieri. Deinde, in primo Phys. tex. 43. inquit, non quodlibet fieri ex quolibet, sed vnumquodque ex suo opposito, quod est cõtrarium: vel priuatio: & in 7. li. Metaphysicæ tex. 22. dicit omne quod fit, ex aliquo, & aliquid fieri. Postea Aristoteles semper desinit causam efficiẽtem per esse principium motus, nec vsquã vel leuiter innuit modum efficiendi per creationem: siquidem in 5. libro Metaphysic. vbi explicat varias significationes nominum, quibus & Metaphysica, & alię disciplinæ vtuntur, nullam vel mẽtionem, vel etiam verbum fecit creationis. Ad hæc, in 5. libro Metaphysic. tex. 17. definit potentiam actiuam per passiuam, dicens illam esse principium transmutandi aliud inquantum aliud: & apud eum nullum potest esse agens absque patiente: atqui hoc aduersatur creationi, in qua cernimus agens sine patiente, & potentiam actiuam sine passiua. Præterea, Aristoteles (vt clarum est legenti eius libros) in omni productione requirit subiectum, terminum à quo, videlicet priuationem, vel contrarium, motum, locum, tempus, præuias dispositiones, concursum causarum particularium: quæ res nullo modo cadunt in creationem. Tum, Aristoteles (vt censent veteres Peripatetici, licèt multi alij docti & graues viri contra sentiant) non concedit infinitam virtutem (vt vocant) in vigore; neque immediatè sine causis secũdis quicquã de nouo posse à Deo fieri; nec eum aliter agere actione transeũte, quàm per motum, & lumẽ cœli, nec operari liberè, sed ex necessitate naturæ: quibus de rebus alio loco à nobis disputabitur. His aũt rebus non concessis, nullo modo concedi potest creatio. Amplius, Aristoteles, & Peripatetici putant euidenter demonstratam esse æternitatem Materiæ primæ in Phys. 82. illo argumento, quia si vnquam fuisset producta, oportet eam productã esse ex aliquo subiecto, quare ante primam materiam fuisset alia, & sic res procederet in infinitum, similiter etiam in 8. Phys. motus, & temporis æternitas demõstratur ea ratione, quoniam si hæc facta essent, nõ potuissent fieri aliter quàm per motum, & in tempore: quare ante motũ & tẽpus, & motus & tempus fuissent: quas demonstrationes quis nõ videt posita creatione nullas esse? Et cũ æternitatem Materiæ, temporis, motus, atque mundi, Aristoteles toties inculcet, tantopere commendet, & tantum in ea roboris, atque præsidij locatum esse putet ad bene Philosophandum, vt tota propemodum eius disciplina, maximè quæ est de intelligẽtiis, & rebus diuinis, hoc quasi fundamento nitatur, atque sustẽtetur; quis credat Aristotelem adeò fuisse vecordem & stupidũ, vt concederet creationem, quæ tantum doctrinæ suæ fundamentũ labefactaret ac funditus euerteret? Quid ratio illa, qua in 1. lib. de

Cœlo confutat sententiam Platonis qui facit cœlum ab aliquo principio natum sed nunquam interiturum, omne, inquit, quod incipit esse, aliquādo desinet esse, nam quod tale est, factum est ex materia, quare corruptibile: quod autem corruptibile est, aliquādo corrumpetur: hæc, inquā, ratio quam vim habet admissa creatione? nullam sanè. illa item disputatio eius, quę luculenter tractatur in 7. lib. Metaph. & priore parte li. 12. formam non posse produci per se nec immediatè à subsātiis abstractis, nonne admissa creatione labascit? His accidit quod Peripatetici ita secum cogitarent si Deus potest creare res ex nihilo, aut is agit liberè atque cōtingenter, aut ex necessitate naturæ, si cōtingenter, cum sit infinitæ virtutis (non enim minor virtus quàm infinita sufficit ad creandū) nō posset Philosophus vllam caussam, & rationem reddere de magnitudine, numero, perfectione, & ordine earū rerum quæ sunt in mundo: Etenim hęc omnia penderēt ex libera volūtate Dei, qui si voluisset multò plures maiores & perfectiores res creare potuisset: Sin autē agit ex necessitate naturæ, & habet infinitam virtutem ad creandum ex nihilo, cū in ipso nihilo nullus sit terminus aut modus, deberet sanè semper in infinitum nouas rerū species efficere, nā si agit ex necessitate naturę, agit quicquid potest, & quantū potest, at potest in infinitū ergo &c. Quamobrē cū Peripatetici animaduerterēt admissa creatione omni ex parte consequi grauissima incōmoda contra suam ipsorū disciplinā, nullo modo possent in animū inducere vt eam concederēt. His adde ꝙ veteres interpretes Arist. non modo eā non admittūt, sed etiam vehementer oppugnant. vide Auerroëm in Phy. comm. 4. Themistium in eodem libro super tex. 6. Simplicium ibidem in digressionibus suis contra Philoponum. Quid plura? Nihil (vt nostra fert sententia) reperiri aut fingi potest, quòd sit magis cōtrariū doctrinę Aristotelis, & quod omnes eius artus, & neruos vehemētiùs elidat. Atque hæc quidem ex sensu Aristotelis disputata sint.

Quid Plato senserit de Creatione tres opiniones

Sed quid Plato senserit de creatione? Non satis conuenit inter omnes. Etenim sunt tres opiniones. Vna, Platonem fecisse mundū æternum non aliter quàm fecit Aristoteles: nam cum apud eū in Timæo sint tres caussæ ipsius mundi, vna efficiens, quæ est Deus, altera exemplaris, quæ est Idea, tertia tanquā finis, quæ est bonitas ipsius Dei: cum hæ tres caussæ omnes sint æternæ, non potuit mundus non esse sempiternus. vocat autem eum genitū & factū, vt indicet eum ex omni æternitate pēdere omnino à Deo nō secus ac si de nouo factus fuisset: & quemadmodum quod fit, pēdet ab efficiente, sic mundus omnino pendet à Deo. Altera est, eum sensisse mundum ab initio temporis factum esse ex materia, quæ ab

ab omni æternitate præcesserit molitionem mundi, sed informis & incerto atque inordinato motu agitata: etenim hoc ipsum eis dē propè verbis docet Plato in Timęo, cui consentit quod scribit Plutarchus in 1. lib. de placitis Philosophorum ca. 3. ponens secūdum Platonem tria principia omnium rerum Mentem, Ideam, & Materiam. Tertia est. Platonem fecisse mudum de nouo, & ex nihilo, alioquin nec materia, nec animæ rationales, nec intelligētię factæ fuissent à Deo, quod est contra Platonem, certè, cum Plato in Timæo inducat Deū effectorem mentiū cælestiū, & animorū nostrorū, has autem res manifestū sit ex materia fingi non posse, relinquitur eas secundum Platonem ex nihilo fuisse procreatas. Harum trium opinionum quæ sit magis Platonica, vltimo libro huius operis à nobis disquiretur: certè vltima minimè omnium probatur à Platonicis. Secundū autem primam & secundam, clarum est nullum planè locum apud Platonem relinqui creationi.

Probatur octo rationibus posse fieri creationē.

Restat extrema huius disputationis pars, in qua declarandū est, an creatio lumine naturali humanæ rationis cognosci queat. Ac possibilem quidem esse creationem, quin etiā necessariò admittendam, videtur satis euidenter ostendi posse his octo rationib. Prima. Si Deus nō potest agere nisi ex subiecto, ergo virtus eius est astricta & definita ad materiā: quis eā definiuit & sic astrinxit? nō Deus ipse sibi, nec aliquid prius aut superius Deo, neque materia, quoniā hæc natura posterior est Deo, ergo nihil. Secunda. eò maior est nobilitas agentis, quo paucioribus indiget ad agendū: sed Deus est nobilius agens quàm Natura, ergo paucioribus ad agendū indigebit, sed Natura eget materia prima, ergo neq; hāc requiret Deus: vt sint hęc tria agentia, Ars, Natura, Deus, primo, ad agendum opus est aliquo corpore, secundo. tantùm opus est materia prima, ergo tertio nihil opus erit ad agendū. Tertia. Modus agendi sequitur modū essendi, & quale est esse cuiusque rei, talis est actio: sed Deus in esse, à nullo pendet, nihil præquirit, aut præsupponit, ergo nec in agendo. Quarta. Hāc omnes habēt notionē Dei naturaliter animis insitā & impressam, Deū esse ens primū, perfectū, à nullo pendens, per se sufficiens, nullius indigens, ergo per se sufficit ad agendū, neceget subiecto. Quinta, Deus est caussa omniū rerum? alioquin præter Deum esset aliquid sine caussa, habens esse à se, quod fieri non potest, non enim omnia pēderet à Deo: sed multa sunt, vt materia prima, cœli intelligentiæ, quæ non potuerūt habere esse à Deo ex materia per motum, ergo per creationem. si dicas huiusmodi res habere esse à Deo ab æterno; respondeo id non obstare creationi, in cuius ratione ponitur vt sit ex non subiecto, non autem vt fiat de nouo, vel vt quod

creatur prius duratione fuerit non ens: nec minoris sanè virtutis est ab æterno aliquid creare & conseruare posse, quàm de nouo. Sexta. Vel Deus ad agendum eget materia prima, vel non: si non, ergo potest creare ex nihilo agens; sin eget, ergo materia prima non est à Deo; ceu quoniam ars eget corpore naturali, & Natura eget materia in agẽdo, neque corpus naturale habet esse ab arte, neque materia prima à Natura. Esse autem aliquid quod non processerit à Deo, repugnat primę & amplissimæ virtuti Dei, qua cuncta cõplectitur & continet. Contra eos verò qui negant materiã à Deo esse productam, disputat Euseb. li. 7. de Præpa. Euan. ca. 8. Septima. Quamuis in productione cuiuslibet individui videlicet hominis, semen est prius quàm ille homo; simpliciter tamen homo est prior semine, sicut actus potentia & perfectũ imperfecto: quam rem disertissimis verbis docet Aristoteles in 12. Metap. 40. ita scribens, *semen ex aliis prioribus perfectis est neq; semen primum est, sed quod perfectum est, veluti hominem dicere quispiam posset priorem semine esse, non illũ qui eo generatur, sed alium ex quo ipsum semẽ est*, hæc Arist. quare generatio hominis vt homo est, non eget semine, cũ sit homo simpliciter prior semine, potest igitur habere alium modum productionis nimirum per creationem: Octaua. Infinitum pertransiri non potest, sed si mũdus est ęternus oportet pertransisse infinitos homines generantes ante hunc qui generatur hodie: hoc autem est impossibile, ergo in vnoquoque genere animalium perfectorum quæ non possunt generari nisi à sibi simili, necessariò deueniendũ est ad vnum aliquod primum quod non poterit fieri per generationem, ergo per creationem. Quid de animo nostro dicam? quem si immortalem, si veram atque naturalem hominis formã, si suum cuique hominum tributũ esse, vti re vera est, concedimus, eum ex nihilo singulis propè momẽtis, creari à Deo negare non possumus. Sed circa hæc quæ dicta sunt nonnullæ dubitationes existunt quas enodare oportet.

Ponuntur quædam obiectiones contra ea quæ dicta sunt de creatione.

CAP. VIII.

OCto dubitationes seu obiectiones quę aduersari videntur iis quę de Creatione diximus nunc proferre in mediũ & explicare volumus. Ac prima quidẽ obiectio sic habet. Videtur creatio effici ab agente naturali in generatione formæ: nam per generationem, licet dicatur fieri compositum, tamen forma verè producitur, quę cũ ante generationem

nerationẽ nec secundũ se totã, nec secũdum aliquã partẽ alicubi extiterit, sed prorsus, nihil fuerit, cur nõ dicatur creari? neq; enim obstat quod præfuerit in virtute agẽtis, neque quod recipiatur & producatur in materia: siquidem hoc etiam reperitur in productione animæ rationalis & donorum supernaturaliũ cuiusmodi est gratia: quarũ rerũ productionẽ constat esse creationẽ. Etenim quod vulgò dicitur formã educi ex materia, nimis impropriè dicitur sonat enim illam segregationem formarũ Anaxagoræ: vel inchoationẽ quandã formarum ab aliis introductã: quare magis propriè diceretur forma induci & gigni in materia, quã ex ipsa educi. videtur igitur in ipsa generatione rerum naturaliũ compli catã atque conuolutam cum ea reperiri creationem. Secũda. Aristoteles cognouit materiam primam, cœlos, & intelligentias habere esse à Deo, & non per motum ex aliquo subiecto, ergo per creationem ex nihilo; quare creatio cognita est Aristoteli, & secũ dum eius doctrinam necessariò concedenda est. Tertia. Similiter etiã anima rationalis secundum Aristotelẽ est immortalis & forma hominis, vt ex multis locis ei⁹ liquidò perspici & demõstrari potest; sed nulla forma potest esse ante id cuius est forma, vt Arist. scribit in 12. Metaph. tex. 16. ergo anima rationalis incipit esse de nouo, nõ per generationem, quoniã sic non esset immortalis; ergo per creationẽ, quare creatio etiã de nouo admittẽda est secũdũ Aristotelẽ. Quarta. Creatio est actio, ergo creans est agens, sed agẽs nõ potest esse sine patiẽte, quoniã sunt relatiua, ergo creatio non erit sine patiente, quare non fiet ex nihilo. Quinta. Aut quod creatur, ante poterat esse, aut non: si non poterat creari, ergo neque creatum est: nam quod impossibile est fieri, etiam impossibile est esse factum: sin autem poterat creari & esse: talis potẽtia ad hoc ipsum creari, vel ad esse creatũ, cũ non possit per se constare, inerat in aliquo subiecto, quare creatio non fit ex nihilo. Sexta. Si creatio fiat ex nihilo, nõ poterit reddi vlla causla cur potius hoc creatur quã, aliud: Nã ipsum nihil per se indeterminatum & indiferẽs est, vt ex eo hoc vel aliud quodlibet creetur: Similiter etiam Deus qui creat, cum sit agens vniuersale, per se indifferens est ad huius vel illius rei productionẽ, ergo nulla ratio potest reddi cur potius hoc quam aliud quoduis creetur: sed hoc est absurdũ, creatio igitur est impossibilis. Septima. Aut Deus creat res per aliquã actionẽ transeuntẽ, at hæc indiget subiecto: aut per actionẽ immanentẽ, hoc est per suã essentiã, vel per suum intelligere & velle quæ sunt idẽ quod essentia eius: at hęc sunt æterna in Deo, sed nõ potest effectus nouus immediatè produci per actionẽ antiquam & æternã; ergo nihil de nouo potest à Deo creari. Octaua. Si Deus

potest immediatè creare omnes res ex nihilo,frustra igitur sunt agentia naturalia:nã frustra fit per plura quod potest æque bene fieri per pauciora;cum igitur Deus sine caussis secundis per se ipsum omnia possit efficere quid opus erat caussis secundis?quare vel nulla est creatio,vel superuacanea est caussalitas agentia naturalium. Atque hæc quidem obiici possunt contra ea quæ de creatione docuimus.

Ad has autẽ obiectiones facilè respondere possumus hoc modo.Ad primam habet sanè generatio aliquam similitudinẽ creationis propter eam rationem quæ in obiectione posita est, sed hoc interest quia id quod creatur,vel non requirit vllũ subiectũ, vel certè,tantùm vt recipiens,nec eiusmodi vt per affectiones & dispositiones eius producatur id quod creari debet:at quod generatur exigit necessariò materiam,tanquam id in quo ipsum recipiatur, sustentetur, & per cuius dispositiones & affectiones procreetur.Et forma quæ creatur non est eiusdẽ ordinis cũ materia in qua recipitur,vt patet in anima rationali & gratia;forma verò quæ per generationem fit,eiusdem generis & ordinis est cũ materia sua.Sed hac de re lege Scotum 2.sen.dist. 18.quæst.vnica,acutè doctéque disputantem.Non dicitur autem forma induci in materia ne quis falsò opinetur formam per se productam extrinsecus adiungi materiæ,sed dicitur educi ex materia vt intelligatur forma produci cohærens imò immersa materiæ,per trãsmutationem eius inseparabilis ab ea in fieri esse & operari;cuius rei illud est clarissimum argumentum,quòd per contrarias affectiones & mutationes materiæ,non solum separatur à materia, vt fit in anima rationali,sed penitus interit vt in aliis omnibus formis Physicis contingit.Nec tamẽ formæ naturalis interitus,est annihilatio;alioquin eius quoque generatio deberet dici creatio;nam per eandẽ vim & dispositiones,quibus vna forma deletur ex materia continuò excitatur altera inhærẽs in eadem materia.Itaque corruptionem naturalem semper immediatè consequitur generatio,annihilationem autem non est necessarium vt alterius rei productio cõsequatur.An vero in rebꝰ sit aliqua annihilatio vel esse possit docet D.Thomas 1.part.quæst.104.art.3.& 4.Ad secũdam,Alexãder negat secundum Aristotelem.Deum esse caussam efficientem rerum æternarum,sed tantummodo esse finem:Simplicius concedit productionem eiusmodi rerum à Deo esse profectam sed negat eam vocari debere creationem:Auicenna non dubitat eam appellare creationem,nec putat creationem ab æterno,sed eam duntaxat creationem,quæ fit de nouo displicuisse Aristot.Vtcunque sit,illud manifestum est,argumentum,hoc nihil sen-

Discrimẽ inter id quod generatur & id quod creatur.

sententiæ nostræ officere,quippe qui eam tãtùm creationem quę de nouo fit,Aristoteli cognitam esse negamus.Ad Tertiam.Inter Aristotelicos alij putarunt animum nostrum secũdum Arist. esse mortalem ac proinde generabilẽ,vt Alexãder: alij immortalem, sed assistẽtẽ,& vnum in omnibus,vt Theophrast.Themist.Auerroës:Alij immortalẽ & informantem & suum cuiq; hominum, vt Albertus & D.Thomas;alij Arist.de natura animi nostri dubiũ fuisse,atque ob eã rẽ ambiguè locutũ esse vt Scotus & Herueus. Quare cum de opinione Arist.tanta sit dissentio inter Peripateticos,nec possit id quod est dubium,per aliud quod sit vel magis vel æquè dubiũ ostendi & probari;nec Philosophicè nec prudenter faciunt,qui ex anima rationali, argumẽtantur creationẽ esse cognitam Aristoteli.Ad Quartam.Creatio non est actio propriè sed tantum æquiuocè,nam nihil aliud est quàm ipsamet res creata cum relatione ad Deũ,& ad id,quod cũ immediatè ante nihil esset,à Deo facta est aliquod ens. Obiectio igitur valet in actione Phy.& propriè dicta qualis nõ est creatio,vt pręclarè docet D. Tho.1.par.quæst.45.ar.2.ad 2.Ad Quintã.Hoc interest inter creabile & generabile quod hoc includit duplicẽ potẽtiã,vnã intrinsecam ex parte materiæ,alteram extrinsecã ex parte agẽtis; illud autẽ vnam tantùm,nẽpe extrinsecam ex parte solius creantis,nõ enim ob aliam caussam dicitur quidpiã creabile nisi quia Deus id creare potest.Posse igitur creari,significat eam solã potentiam quæ est in creante:at posse generari,duplicem potentiã denotat, & eam quæ est in generante,& eam quæ est in materia ex qua fit generatio.Ad Sextam.Determinatio creationis ad hũc vel illum effectũ,neq; proficiscitur ex nihilo,neque ex Deo vt Deus est;sed ex Deo,vt habet in se varias ideas,& suam cuiusque rei definitam & propriam rationem.Nam quòd Deus habet in se ideam hominis ad eius similitudinẽ creat cum vult hominẽ;idémque cõtingit in aliis quę ab eo creãtur.Adde quod secũdũ Aristotelẽ.9.Metaphysicæ tex.10.agens per intellectum determinatur ad agendum simpliciter vel ad agendum hoc potiùs quàm aliud quidpiam à sua voluntate.Ad Septimam.Deus creat res per suam voluntatẽ.quę licet sit æterna,id tamen nõ obstat quo minus possit ab ea effici aliquid nouum ; potest Deus ab æterna velle & constituere,vt quidpiam fiat de nouo,& certo quodam tẽpore.Sicut ego possum hodie velle & deliberare facere aliquid ab hinc vnum annum vel mensem.Verùm hac de re,extremo huius operis libro subtilius agetur.Ad octauam,Deus nullo modo indiget creaturis nec est aliqua perfectio in creaturis , quæ non infinitis partibus maior atque præstantior in Deo insit ; neque tamen

ob eã rẽ putatur superuacanea fuisse productio creaturarũ; quoniam in illis Deus manifestauit bonitatem,potentiam & sapientiam suam.boni enim est esse diffusiuũ & communicatiuum suis similiter etiam,quamuis Deus possit per se omnia efficere,tamẽ sicut alias perfectiones impertiuit creaturis,ita rationi consentaneum fuit,vt hãc quoque vim & potestatẽ producendi simile, eis largiretur:nã si nõ tribuisset,fecisset sanè illas imperfectas,siquidem perfectum est vnũ quodque cũ potest sui simile producere; Sin autem tribuisset,non sineret autem eam exerceri, frustrà illã dedisset.Atque hæc quidẽ de creatione,satis ad id quod nunc agere instituimus,dicta esse arbitror,De qua multa etiam scribit.D. Thomas prima.quæst.45.& Theologi Scholastici initio secundi libri sentẽtiarum.Verùm ad tractationem materiæ,à qua ad hãc de creatione disputationem defluximus reuertamur.

De materia Cæli opinio Aegidij.

CAP. IX.

DEmonstratum est materiã esse & necessariã esse in omni mutatione Physica,qua etiã de caussa obiter disputatũ est de creatione:nũc cõsequẽs est,vt ad secũdã quæstionem,hoc est, ad explicandum quid sit materia,veniamus.Sedquia alia est materia in corporibus cœlestibus;& alia in sublunaribus, necessarium esse puto antea discrimen quod est inter materiam cœlestem & sublunarem indicare:vt nobis quibus propositum est hoc loco tantùm disserere de materia rerum sublunarium,de qua sola etiam Aristoteles egit in primo Physicorum,planior & absolutior procedat disputatio. Videndum igitur est an cœlum habeat materiam eiusdem rationis cuius est materia rerum corruptibilium. Quidam putant cœlum esse cõpositum ex materia & forma,& materiã eius nõ esse diuersam à materia rerum sublunarium.Quod autem cœlum ex materia & forma sit compositum,confirmant primùm testimoniis Arist.tũ rationibus.Testimonia Aristotelis sunt hæc. Primò Arist.in lib.2.de Gener.tex.51.sic ait. *Principia sunt numero æqualia; & genere eadẽ quæ in æternis & corruptibilibus.* Sed hæc sunt cõposita ex multis principiis nẽpe materia & forma,ergo & illa.Præterea in 12.Metap.tex.10.ait cuncta quæ mouentur habere materiã & subdit cœlũ habere materiã,quamuis diuersam ab aliis:sed habere materiã est compositorum,ergo cœlũ est compositum.Amplius 1.de Cœlo tex.92.inquit cœlu esse mixtum in materia & in 94.cõstare ex tota materia;sed hæc verba significãt ipsũ esse cõ-

positum ergo &c.Idem in eodem loco;cum proposuisset dubitationem hãc,cùm omnia quæ habent formam in materia,possint numerabiliter multiplicari,cælũ autem sit huiusmodi,cur ipsum secundum numerũ non multiplicetur? Ipse soluens hãc rationẽ, ait id accidere,quia cælum in se habet omnem materiam quam habere possit,& ob id non suppetere illi aliquam materiã in quã multiplicari queat:quibus verbis apertè concedit,cœlum habere formam in materia,ergo est compositum.

Rationes ad idem cõprobandum has afferunt.Prima.Substãtia est triplex,materia,forma & cõpositũ vt dicitur 2.de Anima tex. 2.Sed cœlũ non est materia,quia hæc per se nõ mouetur,vt apud Aristotelẽ scriptũ est lib.5.Phy.tex.8. & per se non est hoc aliquid 7.Metaph.tex.8.At cœlũ per se mouetur & est hoc aliquid.Deinde cœlum non est forma,quia hęc per se,nec est quanta,nec mobilis,vt est in 5.Phy.tex.3.cœlum autẽ vtrumque habet, ergo vel nõ est substantia vel est cõpositũ.Secũda.Cœlũ habet materiã, vt multis locis ait Arist.& patet ex eo quia habet quantitatẽ,raritatem & densitatẽ quę accidentia comitãtur materiã;deinde habet etiam formã,tũ quia actũ existit hoc aliquid,quod facit forma;tũ quia accidentia eius sunt terminata,talis autem terminatio prouenit à forma,secundũ Auer.in lib.de substantia orbis:ergo cœlũ est cõpositum ex materia & forma. Tertia.Moueri est materiæ, mouere autem formæ,vt dicitur 2.de Generat.53.& 3.Phy.17.sed cœlũ mouetur localiter,& mouet,ac regit hunc mundũ inferiorẽ,vt dicitur 1.Meteororũ c.2.ergo erit cõpositum ex materia & forma.Quarta.Aut cœlum est actus purus, aut pura potentia, aut compositum ex vtroque;non actus purus,quia sic esset intelligẽtia,& non posset moueri secundũ locum;quia omne tale participat potentiam;nec est pura potentia; quia si non existeret actu hoc aliquid,nec ageret in hæc inferiora,ergo est aliquid compositũ ex vtroq;.Quinta.Secundũ.Auer.1.cœli,comment.91.vnumquodq; est sensibile propter materiã & intelligibile propter formam.sed cœlum est sensibile,quippe cum percipiatur sensu visus,ergo habet materiam;est quoque ipsum intelligibile,quia de eo est scientia tam Physica,quàm Astrologica, ergo habet etiam formã,Quare ipsum necesse est esse cõpositum ex materia & forma.Sexta.Cœlum est corpus naturale,ergo vel est natura,vel habens naturã;si natura,cũ hæc sit caussa,vt moueatur id in quo est (sic.n.definitur 2.lib.Phy.necessariũ est cęlum esse compositũ ex ipsa natura,quæ est principium motus & ex eo in quo est talis natura,eo videlicet,quod mouetur;Sin autẽ sit habẽs naturã,similiter manifestum est debere esse cõpositũ ex natura, & habẽte na-

turā.7.Cū in aliis omnibus corporibus sit cōpositio ex materia & forma,non est remouenda à cœlo, nisi repugnet ipsi:sed cur ei repugnatiā quia omnis cōpositio est dissolubilis? an quia materia haberet potentiam & formam, omnis aūt potentia est contra dictionis hoc est ad esse & non esse:vt scriptum est in 9.lib. Met. tex.17. ex quo efficeretur necessariò cœlum aliquando tandē interiturum esse? Atqui hoc est infirmum;Etenim in cœlo est cōpositio ex substantia & quantitate; & cœli natura est in potentia ad quātitatē,ceu quodlibet subiectum ad ea, quæ sibi propriè & naturaliter cōueniūt accidētia,nec tamē aut illa cōpositio est dissolubilis;aut illa potentia est contradictionis ad esse & non esse:cur igitur idem non cōtingat in cōpositione substātiali, cum hęc nō minus valens ac firma sit ad permanēdū quā accidentalis? 8.Datur cōpositio substantialis ex forma corruptibili & materia incorruptibili,vt in elemētis:& itē ex materia corruptibili & forma corruptibili vt in equo:& ex materia corruptibili & forma incorruptibili vt in homine:restat vltimus gradus ex materia& forma in corruptibilibus; qui, ne quis gradus perfectionis vniuerso desit, tollēdus nō est:is autem nulli rei præter cœlū assignari potest,ergo cœlū est cōpositū. Minùs est naturę ac rationi cōgruēs esse in rebus cōpositionē ex forma immortali & materia mortali,quàm ex vtráque immortali: quia hic cernitur ordo & proportio inter materiā& formā,illic autē nulla apparet proportio;cū tamē materia & forma quia sint ad aliquid vt est in 2. Phy. 26. debeant esse simul:& vna sine altera frustra sit & prēter naturā se habeat. Si igitur illa cōpositio reperitur in homine multo verisimiliùs est hāc posse reperiri in cœlo.His igitur testimoniis & rationibus probatum est cœlū esse cōpositū ex materia & forma.Quòd aūt materia cœli per se nō sit diuersæ rationis à materia rerū sublunariū, hoc modo demōstrāt.Primò si tales materiæ differrēt, per aliquē actū & formā differrēt:nā vt apud Arist.7.Metap.tex.49.actus est qui separat & distinguit;sed illæ materię cū sint primæ & simplices non habent vllū actū vel formā ex se,ergo nō possunt inter se distingui.Si quis autē dicat eas distingui per diuersos respectus ad diuersas formas, hoc est cœlestes & sublunares; id nihil valere ostēdūt ex eo quia illę duę materiæ cū sint res absolutę & secūdū naturā priores illis respectibus vtpotè qui fundantur in ipsis materiis,nō possunt per eos distingui. Deinde,in omni genere causę veniēdū est ad aliquā primā causā illius generis, vt patet in efficientibus & finibus,& traditur ab Arist.in 2.Metaph.tex.6.ergo in materiis quoq; veniendum est ad vnam primam,at si materiæ cœli & horum inferiorum per se diuersæ essent, reperirētur duæ materiæ æqualiter primæ. Postea,quātitas cœli eiusdem rationis est ac quātitas rerū sublunarium, nā cp illa sit incorruptibilis hæc aūt corruptibilis,hoc nō obstat,tū quia secundū Commētatorem etiam quātitas huius materiæ sublunaris suaptè natura est incorruptibilis,& tantum modo ratione diuersæ terminationis & figurę variatur, atq; commutatur: tum etiā quia esse corruptibile vel incorruptibile accidit quantitati vt quātitas est, videlicet propter subiectum in quo inhęret, quamobrem non pōt mutare propriā & essentialē rationem quantitatis. Si igitur quantitas cœli,& corporum sublunarium sunt eiusdem rationis,quātitas autem est accidens per se consequens materiam,relinquitur etiam illas materias eiusdem rationis esse. Præterea,Arist.in 1.Phy. tradidit principia communia omnium rerum naturalium, tū quia id postulat ordo doctrinæ vt à maximè vniuersalibus, ad minùs vniuersalia fiat progressio;tum quia id.Ari.præmonuit & proposuit velle se facere in procemio illius lib.ergo materia prima quæ ibi tractatur cōmunis est omniū corporum naturalium.Non igitur materia cœli,& harum rerum inferiorum sunt diuersæ rationis.Sed dubitaret aliquis, quomodo si in cœlo est materia similis materiæ nostratis,cū hæc sit causa interitus rerum sublunarium, non similiter illa reddat cœlum corruptibile? Hanc dubitationem ita soluunt:Materiā,quæ est sub vna forma,nō aliā ob causam esse causam corruptionis eius,nisi quia habet priuationē & appetitū alterius formæ,quam quia simul cum priori tenere non potest,illam abiicit vt hanc accipiat.In materia autem cœli nulla hæret priuatio & appetitus alienæ formæ,propterea quod formæ cœlestis ob excellentem nobilitatem suam omni ex parte satiat & explet appetitū materiæ sibi subiectæ.cernitur autem illius formæ nobilitas ex eo quod est æterna & generalis causa rerum sublunarium, & omnes earum rerum perfectiones excellenter in se cohibens, vt nulla causa sit cur materia,tam præstanti formæ subiecta, aut eā fastidire debeat,aut alienam expetere. Hanc opinionē sequitur Ægidius in tractatu quodam suo de materia cœli & aliis multis locis: D.Bonauentura etiā videtur in eam inclinare 2.sent.D.12.& Gulielmus Ochā super eundē li.q.22. Gabriel Biel, & Scotus locis supradictis hanc sententiam putāt esse tenendā Theologis,tāquàm magis congruentem iis,quæ sunt in sacra scriptura. Attribuitur quoque hæc sententia Platoni,Philopono & Auicennæ.

Refellitur opinio Aegidij. CAP. X.

Multis testimoniis Arist probatur mate

HAnc opinionem falsam esse & testimoniis Arist. & rationibus ostendemus. Arist.8.Metaph.tex.14.ait non omniū esse materiam,sed eorum tantum quorum est transmu-

viam cœli esse diuersam à materia rerũ sublunarium.

tatio adinuicem;quęcunque verò absque eo quod transmutantur sunt, horum non esse materiã:ex quibus verbis conficitur in cœlo non esse materiã aut longè diuersam ab hac nostra. In eodem libro tex.12.& in lib.12.Metaphysicæ tex.10.& in 9.Metaphy.tex. 17.perspicuis & apertis verbis scribit materiam cœli esse diuersæ rationis à materia aliorum corporum. In 2. de Generatione text. 43.reprehẽdit Diogenẽ,quod diceret vnũ & idem esse subiectum atque materiã omnium rerum,affirmans id verum esse in iis;quę inuicem transmutantur:in aliis autem minimè. In eodem li.tex. 53.& 54.& 87.quæcunque inquit communicant in materia possũt inuicẽ agere & pati,quæ autem non communicant, minimè: sed cœlum agit in res sublunares,nullam ab illis perpessionem accipiens,ergo nõ habet cum illis materiam communem.Postremò in primo libro de Cœlo Arist.demonstrat cœlũ esse corpus genere diuersum ab aliis corporibus, ergo illius principia in quib.est materia diuersa erunt ab aliorum principiis,& Themistius vt refert Auer.8. Metaph.comm. 12. ait cœlestia corpora aut esse formas sine materia,aut habere materiam secũdũ æquiuocationem.

Idem confirmatur hac ratione. Si cœlũ est cõpositum ex materia & forma vt sentit Ægidius,ergo est corruptibile; quod est cõtra opinionẽ Arist.& ipsius Ægidij. Consequentia probatur;primùm his testimoniis Aristoteles. in 7.Metaphysic.text. 12.Sic ait, *Cuncta quæ à natura, aut arte fiunt,habent materiam, possibile est enim esse,& non esse eorum vnumquodque,hoc autem cuique materia.* In eod. lib.tex.53.*Substantiarum inquit,sensibilium & singularium, neque definitio,neque demonstratio est eo quòd habent,materiam, cuius natura talis est,vt esse & non esse contingat quare corruptibilia sunt omnia quæ illam habent.* In 9.Metaphysicæ tex.17.ait in æternis nõ esse potentiam, nisi ad vbi,& ratio est vt ipse mox subdit,quia omnis potentia est contradictionis ad esse & nõ esse. Quare si in cœlo non est potẽtia nisi secundum quid,similiter etiam non erit materia nisi secũdum quid.In 1.de Cœlo tex.136.scribit materiam habere in se potentiam contradictionis,& causam esse,vt res sint & non sint. In libro de longitudine & breuitate vitæ c.2. habet hæc verba. *Impossibile est materiam habenti non existere aliquid contrarium*, sed ipse in 1.de Cœlo tex.20. probat cælum carere omni contrario, ergo secundum eum carebit etiam materia,In 12.lib.Metaphy.tex.30. probauit intelligẽtias esse sine materia, quia sunt sẽpiternę;ergo propter eandem rationem,cum cœlũ sempiternum sit,erit quoq; sine materia.Ad extremum in 1.deGeneratione,in fine textus primi scriptum est; quęcunque habent inuicem transmutationẽ habere vnam communem materiam & contra, quæ vnam habent com-

Materia est caussa cur quidque sit corruptibile.

communem materiam,esse inuicẽ transmutabilia. His adde pulcherrimum illum locum Arist.qui est in 14.lib.Metaphysicæ cap. 3.vbi peracutè probat,res æternas non esse compositas,quia si tales essent,haberent materiam, quæ in caussa est cur res in quibus inest,contingat esse & non esse,quocirca ipsæ si materiam haberent non essent æternæ.

Firmissima ratio cõtra Ægidium.

Confirmatur etiam superior consequentia hac ratione:si materia cœli per se sumpta non differt à materia horum inferiorum, ergo sicut hæc ex se est in potentia ad formas sublunares, sic etiã illa,alioquin non essent eiusdem rationis;quare materia cœli habet potentiam accipiendi formas sublunares, sed id contingere non potest sine interitu cœli, præsertim cum nulla potentia naturalis omnino frustrari possit,ergo cœlum est corruptibile.Neque firmum est illud præsidiũ Ægidij, huiusmodi potentiam penitus expleri & exhauriri propter excellentiam formæ cælestis, quæ eminenter continet omnes formas sublunares;hoc inquam præsidium nullũ est,primùm quoniã illa potentia accipiendi omnes formas cum per se ac essentialiter cõueniat materię,nullo modo potest ab ea remoueri; Deinde falsum est formã cęlestẽ nobiliorẽ esse cunctis formis sublunaribus, cũ illa secundum Ægidium sit inanimata,in his autem quędã sint viuentes & sentiẽtes.Præterea forma Orbis Lunæ,quamuis expleat appetitum suæ materię quę est in Orbe Lunæ respectu formarum sublunarium, quib.putatur nobilior,attamen non potest explere illum appetitum,ratione superiorum formarum cęlestiũ,nimirũ Mercurij,Iouis,Martis & Saturni:Cum enim huiusmodi formæ nobiliores sint,quã forma Lunæ, non poterit Ægidius dicere illas contineri eminenter ab hac;quare cum materia Lunæ habeat potentiã ad alias formas cœlestes, nulla verò potentia naturalis frustra sit,poterit sine dubio eas accipere; id autẽ non potest accidere sine commutatione substantiali Orbium cælestium, ergo quocunque se vertat Ægidius,tenetur constrictus & cogitur fateri cœlum esse corruptibile,aut saltẽ ratione materiæ esse corruptibile,ratione verò formę incorruptibile;quod sanè maximè absurdum est in Philosophia, quæ docet inter quamlibet materiam & formam ei respondentem,summam esse cognationem,atque proportionem.verum ad solutionẽ eorũ, quæ pro Ægidij opinione allata sunt veniamus.

Ad testimonia & rationes qnæ positæ sunt initio proximè antecedentis capitis,nihil necesse est respondere;propterea quod illis rationibus solùm conficitur, cœlũ esse compositum ex materia & forma, quod non est contra id quod nunc docendũ & probandum susceepimus:Etenim hãc disputationem de materia Cœ-

li,ob eam maximè rem inſtituimus, vt doceremus longè diuerſam eſſe rationem materię cæleſtis atque ſublunaris, ſiue cœlum ſit compoſitum,ſiue ſimplex quędam ſubſtantia quemadmodum placet Auer.cuius opinionem probabiliorem putat ſecundum Ariſt.Durandus,Gabriel Biel,Scotus,in 2.lib. Sententiarum Diſt. 12.& 14.ſi quas autem ſententias Ariſtotelis ſupra adduximus qui bus ſignificari videtur nullam in cœlo eſſe materiam, eas ſic interpretari oportet,vt non omnem cœlo materiam,ſed talem modò,qualis eſt in reb. ſublunaribus,adimi intelligamus. Ad rationes autem quibus conatur Ægidius demonſtrare materiam cæleſtem,& ſublunarem eiuſdem rationis eſſe, breuiter reſpondemus ad hunc modum.Ad Primam, Illæ duæ materiæ differũt ſeipſis,non autem per aliquem actum , ſic enim eſſet progreſſus in infinitum.Et id quod ait Ariſtoteles actum eſſe qui diſtinguit, verum eſt in compoſitis de quibus ibi loquitur,quamuis autrm reſpectus materiæ ad formam per ſe ſit poſterior natura materiæ, tamen eſt nobis pro certiſſimo & manifeſtiſſimo ſigno ad cognoſcẽdam propriam eius rationem. Nam quia materia cæleſtis & ſublunaris per ſe referuntur ad formas maximè diuerſas, ex eo intelligimus huiuſmodi materias eſſe longè diuerſas inter ſe. Idque multo certius & clarius eſt ſecundum opinionem Auerrois, quippe qui facit materiam cœli ſubſtantiam ſimplicem actu per ſe ſubſiſtentem,& perfectam quod nequaquam conuenit in materiam ſublunarem Ad Secundam.Sufficit venire ad vnã primam materiam analogicè , neque enim in formis venimus ad vnam primam formam vniuocè,ſed analogicè,nimirum ad formam abſtractam,ſeu ad formam aſſiſtentem & informantem , de quibus nomen formæ dicitur analogice.Ad Tertiam. Accidentia cæli & harum rerum inferiorum , Phyſicè non ſunt eiuſdem rationis,exempli cauſſa quantitas cæleſtis & ſublunaris Mathematicè ſumptæ non ſunt diuerſi generis,Phyſicè autem,ſunt ratione ſubiecti ſiquidem illius ſubiectum eſt incorruptibile,huius autem corruptibile,vel per ſe,vel per accidens: corruptibile autem , & incorruptibile differunt genere,vt eſt in fine 10.libri Metaphyſicæ : & quantitas cæleſtis ex ſe eſt terminata & immutabilis, ſublunaris autem ex ſe eſt interminata & variam determinationem accipit à diuerſis agentibus propter diuerſas formas.Ac quãtitas quidem ſi per ſe atque Mathematicè ſumatur , nullius ſenſibilis materiæ rationem continet, quare non poteſt quà talis eſt , certò demonſtrare diuerſam vel eandem eſſe rationem atque naturam materiæ,cum autem accipitur Phyſicè , hoc eſt prout habet eſſe in rebus & prout eſt coniuncta cum hoc vel alio genere motus & alio-

Quantitas cæli & rerum ſublunariũ Mathematicè ſumptæ ſunt vnius rationis & ſpeciei, Phyſ. autẽ minimè.

aliorum naturalium accidẽtium,hac ratione poteſt indicare vim & naturam materię.Si autem hoc modo ſpectetur quantitas cœli,cum habeat eſſe incorruptibile , & ſubiaceat motui circulari perpetuò,apertè declarat materiam cæleſtem valde diuerſam eſſe a materia ſublunari ; id quod luculenter oſtendit Alexander Aphrodiſæus primo libro Naturalium quæſtionum cap. 15. Ad Quartam,Ariſtoteles in primo Phyſico textu 68. perſpicuis verbis docet ſe non agere niſi de principiis rerum naturalium quæ habent generationem & interitum. Nam vt ait Auerroes primo cap.libri de ſubſtantia orbis,impoſſibile eſt eſſe eadem principia æternorum & corruptibilium niſi æquiuocè, ſed hãc ſolutionem fuſiùs tractauimus in 2.libr. huius operis capite 2. Ad illud autem teſtimonium Ariſtotelis ex 2.libro de Generatione textu 51. vbi ait in æternis,& corruptibilibus principia eſſe ęqualia numero & genere eadem reſpondendum eſt, nomine generis intelligẽdum eſſe genus analogum,hoc eſt ſecundum proportionem , nam eſt in cœlo materia & aliquo modo forma,atq; priuatio,& efficiens, ſimiliter vt in rebus ſublunaribus:verùm ſicut forma, efficiẽs,priuatio ſublunarium & cæleſtium ſunt longè diuerſa,ſic etiam illorum materiæ. Ergo manifeſtum eſt materiam cæleſtem diuerſam eſſe à ſublunari,quare illa relicta , pergamus quæ de materia rerum ſublunarium dicere conſtituimus,ea diligenter explicare. Et primùm quid ſit materia perueſtigemus.

Quid ſit Materia.

CAP. XI.

DOceamus quid ſit materia enumerantes & colligẽtes omnia quę poſsũt ei cõuenire.Ac primò quidẽ materia eſt ens & ſubſtãtia vt Ari.ſcribit 1.Phy.t.79.quo in loco addit *propè* quod nõ ſit perfecta ſubſtantia , & 7. Meta.t.7.& 2.de Anima t.2.atq; aliis locis ſubſtantia diuiditur in materiã formã & cõpoſitum,& 1.Phy.t.52.Ariſt.inquit ſubſtantiã non componi ex nõ ſubſtãtiis,at ſubſtãtiæ naturales componuntur ex materia & forma,ergo materia eſt ſubſtantia. Quòd ſi materia non eſſet ens,quo pacto eſſet ſubiectum generationis? quo modo reciperet formas atque ſuſtentaret?Si autem eſt ens & non ſubſtantia.ergo accidens:ſi accidens, oportet ipſum eſſe in aliquo ſubiecto priori, & vnũ accidens nõ poteſt ſuſcipere aliud accidẽs materia autẽ ſuſcipit formas omnes & eſt prior illis nec quicquã eſt ęa priùs,ergo non poteſt eſſe accidẽs. Deniq; propriũ eſt ſub-

Materia eſt ens & ſubſtãtia.

stantię nō esse in alio,quod præcipuè conuenit materiæ; cætera nō res sunt in alio,vel simpliciter,vt accidentia, vel aliquo modo,vt formæ substantiales.Sed dicet aliquis, Arist.5. Physi.tex.8.& 1.de generatione,appellare materiam non ens & 7.Metaph. tex.8.negare eam esse substantiam: Respōdemus, materiā primam,appellari nō ens & non substantiam,quia non est ens completum,neq; substantia perfecta hoc est specificè in aliquo gradu entium determinata & constituta.Deinde materia est substantia rediuersa à formainā cum Arist.1.Phy.scribat,duo esse principia rerū naturalium,quia scilicet priuatio, quæ numeratur tertium principium, idem est cum materia:eadē igitur ratione posset concludi vnum tātum esse principium, siquidem materia re nō differret à forma. Præterea,si materia diuersa non esset à forma,nulla esset substantia naturalis verè ac secundum essentiam composita.His accedit, quod materia subiicitur formæ & eam recipit & per se est ingenerabilis atque incorruptibilis, forma verò recipitur in materia, terminus existens generationis & corruptionis.Scotus & Gregorius Ariminensis 2.sent.D.12.q.1.refellunt opinionem quorūdam dicentū materiā & formam re non distingui.Sed quæ ipsi afferūt ea hic recēsere breuitatis causa supersedeo.Sed dubitaret aliquis,, si materia differt à forma,ergo per aliquā differentiā, quare materia esset composita ex sua propria natura & ea differentia qua distinguitur à forma.Respōdemus:materiam & formam distingui seipsis ; sicut etiam seipsis & non per aliquas differentias ipsis additas distinguuntur summa genera categoriarum,vltimæ differētiæ,Deus & Creaturæ;& alia eiusdem rationis.Quamobrē si propriè loqui volumus,non debemus dicere materiam & formā esse inter se differentes,sed diuersas ; quid autem discriminis sit inter differens & diuersum,docet Arist.10.Metaph.tex.12.Neque verò, re materia si differt à forma, propterea potest concludi , eam aut posse existere sine forma,aut definiri: Nam similiter etiam vnum relatiuum re differt ab alio,& accidēs à subiecto, quæ tamen neque secundum rem,neque secundum definitionem , inuicem seiparari possunt.Posset etiam hic quæri:vtrum forma substantialis differat magis à materia,quam à forma accidentali ; Cui dubitationi breuiter ita occurritur,secundum quid,maior est conueniētia inter formam substantialem & accidentalem:quoniam ambæ sunt actus,& dant esse,& determinant ad aliquid,quæ non possūt dici de materia prima simpliciter,tamē maior est cognatio inter formā substantialē & materiam primā quia sunt ambæ vnius categoriæ,& principia per se eiusdē rei, & ita inuicem cohęrent atque vniuntur vt conficiant vnum quidpiam per se ac propriè ens; quæ

Materiā redistingui à forma.

Quomodo distinguatur materia à forma.

An sit maior conuenientia inter formā & materiamquàm inter formā substātialē et accidētalem.

quæ in formam accidentalē nullo modo conueniunt.Postremò, materia est substantia imperfecta,& ens in potētia ; quod sit substantia imperfecta,ex eo perspicuū est,quia est pars alterius,& vt scriptum est 1.Physi.tex.81.expetit formā tanquàm fœmina marem & veluti turpe pulchrum.Adde,quod per se indefinita & indeterminata est & determinationem , atque perfectionem suam accipit à forma.Esse autem ens in potentia,affirmat Arist.plurib. locis,vt 7.Metap.tex.7.& 8.& 12.lib.tex.7.& 2. Phy.tex.11.& 12.& 2.de Anima tex.2.Nam cū sit ens imperfectū &recipiēs aliud,erit in potentia:neque enim vt Aristot.docet 2.de Anima text.7.& 7. lib.Metaph.text.49.& 8.lib.text.15.posset vnum ens per se confici ex materia & forma si essent ambæ actus : oportet enim vt è duobus efficiatur vnum quidpiam per se alterum eorum esse actum,alterum potentiam: cum autem forma sit actus necesse est materiam esse ens in potentia : Demōstratum igitur est materiā esse ens,& substantiam,& in potentia,& imperfectam. Sequitur vt proprias definitiones & descriptiones eius aperiamus.

Prima descriptio materię primæ significatur in 1.Phy.tex.69.& ducitur ex similitudine,seu analogia,quę est inter materiam primam respectu formarum naturalium & materiam artificialem respectu formarum artificialium,potest autem huiusmodi descriptio materię ex verbis Aristotelis ita conficiī;*Materia est substātia, quæ ita se habet ad formas & ad substantias compositas naturales,quemadmodum æs,vel lignum,vel aliud quidus ad formas artificiatas.* Rectè autem materia describitur similitudine& comparatione aliarum rerum artificialium;illa enim nullum habet actum, & quiditatē, vt ibi scribit Cōmētator,per quam sit per se intelligibilis. Quocirca bene Plato in Timæo inquit , eam rem non nisi adulterina ratiocinatione cognosci,& cum vacuitate sensus contrectabilem esse.Sed in illa analogia est quædam similitudo & item quædam dissimilitudo:Similitudo in eo est,quod sicut lignum vel æs ex se nullam habet speciem aut formam artificiosam,sed tantùm potestatem accipiendi eam ab altero ; & sicut æs determinatur in genere artis & perficitur à forma artificiali,sic etiam materia prima in se nullam cohibet formam substantialem,sed tantùm habet potestatem accipiendi omnes formas,à quibus in certis,definitisque gradibus rerū determinatur perficitur,& denominatur: dissimilitudo autem in eo cernitur , quòd materia rerum artificialium est corpus per se actu existens & completū,quod nō perficitur à forma artificiali nisi secundum quid, nec ad eā habet internam & naturalē potētiam:At materia prima per se nō est ens completū sed perfectionē & complemētum suū accipit à forma

1.Descriptio Materiæ.

ad quam habet naturalem & internam propẽsionem. Altera de-
scriptio ponitur in fine primi li. Phys. his verbis. *Materia est primũ*
2. Descri- *subiectum vniuscuiusque ex quo fit aliquid cum insit, non secundum acci-*
ptio. *dens & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*, dicitur *subiectum*,
propter formam *primum*, propter materiam secundam, vt sunt e-
lementa *cum insit*, propter priuationem quæ non manet in re ge-
nerata, *non secundum accidens*, propter nonnullas affectiones, quæ
erant in re corrupta & manent etiam in ea quę generatur, quales
sunt qualitates similis speciei in elementis symbolis; Deniq; il-
lud *in quod vltimo abibit*. significat eandem esse materiam com-
positionis & resolutionis, vt sicut nihil potest generari ex nihilo,
ita nihil possit dissolui in nihilũ: Neque verò his verbis significa-
tur quicquid corrumpitur necessariò resolui debere immediatè,
vsque ad materiam primam, sed illud tantùm docetur, omnem
corruptionẽ tandẽ desinere & terminari in materiã primam, vt
cũ moritur homo, primùm fit resolutio in cadauer, tũ in mixtum
non organicũ, postea in mixtum imperfectũ, vel elemẽta, ad ex-
tremum in materiam primam. Tertia descriptio traditur in 7. li.
Metaph. tex. 8. his verbis, *Dico autẽ materiam, quæ per se ipsam, neque*
quid, neque quantum, neque aliquid aliud est eorum, quibus ens determi-
natur, neque etiam negationes; etenim hæ quoque secundum accidẽs erũt.
3. Descri- Quæ descriptio est Metaphysica, nec conuenit materiæ prout ha-
ptio. bet esse in rebus, sed prout secundum se nuda, & spoliata omni-
bus rebus, quæ sunt extra ipsius essentiam, animo & cogitatione
cernitur & cõsideratur: bene autẽ negatione declaratur vis mate-
riæ primæ: nam vt est apud Arist. 10. Metap. tex. 24. materia per se
est ignota, & negatione cognoscitur; quanquam autem in 6. lib.
Topic. vituperantur definitiones negatiuæ, attamen hæ toleran-
tur & propemodum necessarię sunt in duobus rerum generibus,
nimirum in rebus imperfectissimis qualis est materia prima, cui-
us natura aptè declaratur remouẽdo ab ea omnes perfectiones:
& in rebus perfectissimis, cuiusmodi est Deus qui propter excel-
lentiam suæ perfectionis meliùs à nobis cognoscitur negatione
& remotione, quàm affirmatione. Dicitur autẽ materia non esse
quid, vel quia ex se nullã habet formam quæ est, quod quid erat
esse, & est secundũ Arist. tota quiditas rei, vel quia non est hoc ali-
quid & subsistentia completa per se subsistens: additur neq; quan-
tũ, aut quia materia ex se non habet quantitatẽ determinatã, aut
quia materia non est quãtitas: subditur postea, neque negationes,
nã quemadmodũ formæ non sunt de essentia materiæ, ita neque
formarum negationes: primus enim conceptus materiæ est hic:
materiam esse substantiã, quæ potestatẽ habet accipiendi omnes
formas,

formas, quem conceptum sequitur secundus includens negatio-
nẽ, si enim materia habet potestatem accipiendi formas: ergo ea
ex se caret illis; hunc conceptum proximè sequitur tertius cõti-
nens in se priuationẽ, etenim si materia apta est accipere formas
quas nõ habet, ergo est priuata illis. Sed qua ratione, priuationes
& negationes dicantur de materia prima, vide apud Themistium
in quadã digressione sua de potentia materiæ primæ, quam facit
super textum 61. primi Physicorum & apud Alexandrum secun-
do libro naturalium quæstionum cap. 7. Quartam Descriptio-
nem materiæ primæ conficit Porphyrius libro de occasionibus, 4. Descri-
cap. 11. ex variis proprietatibus, quas ei veteres Philosophi assi- ptio mate-
gnabant, hoc modo; *Materia prima ex se est incorporea, neque intel-* riæ ex Por-
lectus, neque anima, neque aliquid secundum se viuens, informis, immuta- phyrio lõ-
bilis, infinita, impotens; quapropter neque ens sed verum non ens, imago ge pulche-
molis apparens, appetitio substantiæ, & stans non in statu, tum paruũ, tum rima.
magnũ, quod fiat semper, manet verò nunquam neque tamẽ aufugere po-
tens: quippe cum totius entis sit defectus, quamobrem, quicquid promittit,
mẽtitur; ac si magnum appareat, interim euadit paruum quasi enim ludus
quidam est, in non ens aufugens, fuga eius non sit loco, sed dum ab ente de-
ficit quocirca quæ in ea sunt imagines, insunt in deteriori rursus imagine,
sicut in speculo, id quod alibi situm est, apparet alibi & ipsum speculum ple-
nũ esse videtur nihilq; habet dũ omnia videtur habere Hæc Porphyr⁹:
Quinta descriptio elicitur ex iis quæ scribit D. Aug. 12. li. confes- 5. Descri-
sionum; *Materia est infima omniam rerum & prope nihil, ex se informis* ptio mate-
& immutabilis, omnium tamen formarum capax, omniumq; mutationum riæ primæ
primum subiectum, non tam ex se quam ex commutatione eorum quæ in ea ex D.
versantur apta cognosci à nobis. Ex his descriptionibus luce meridia- Augusti-
na clarius est materiam primam omnium rerum maximè dissi- no.
milem esse Deo ab eóque longissimè distare. Non defuerunt ta-
men qui materiam primam Deum esse dicerent; quorum im-
pietatem, vel potius insaniam paucis redarguere libet.

Refellitur insignis quorundam error, qui dixerunt Deum
esse materiam primam.

CAP. XII.

TANTA est humani ingenij inscitiæ caligo tanta phi-
losophantium vanitas, licentia & peruersitas; vt ni-
hil fingi possit tam absurdum inopinabile, & à ra-
tione abhorrens, quin aliquando aliquem Philoso-
phorum assertorem ac defensorem habuerit. quod vel ex hoc
vno quod dicturus sum, perspicuè cognosci potest. Quid
enim in rebus est a Deo tam remotum, disiunctum, ac

Pulchra cõparatio inter Deũ & materiam primam.

diuersum quàm materia prima? Etenim ille est actus purus, hæc in pura potẽtia; ille summum ens & quodãmodo ipsum esse; hæc infimum ens, prope nihil & quodãmodo non ens; ille simpliciter independens & immutabilis, hæc omnino dependẽs & omni mutationi subiecta; ille infinitam potentiam actiuam habet, passiuam autem nullam; hæc actiuam nullam, passiuã verò propè infinitam; ille fons omnium perfectionũ quæ cernũtur in rebus creatis, hæc quasi radix & origo omniũ imperfectionũ & defectuum qui sunt in rebus naturalibus; ille perse maximè intelligibilis luménque impertinens quo cætera possint intelligi, hæc suapte natura ignota obstánsq; quominus cætera bene ac facilè cognosci queant; ille continens in se omnes res nobiliore modo quàm ipse sunt per se & in se ipsis, hæc continens in se omnes res corruptibiles ignobiliori tamen modo quàm sunt in seipsis, nimirũ secundum potẽtiam passiuam; ille formosissimus, pulcherrimus, & ornatissimus, hęc maximè informis, inornata, indecora, & turpis. Quid plura? cũ à nihilo discesseris, nihil plane reperies magis à Deo separatum, & dissitum, quàm materiam primã. Cũ eo igitur interuallo materia prima distet à Deo, quo maius ne cogitatione quidem informari & fingi possit, quis nõ obstupescat fuisse vllo tempore aliquos adeo desipientes, & in clarissima luce cæcutientes, qui Deum esse materiam primam & constanter asseuerarent, & pugnaciter defenderent? At qua ratione tam stultam & impiam opinionem confirmabant? Si materia prima & Deus (inquiunt) non sunt idem, ergo differunt inter se, quæcunque autem differunt, ea necesse est aliquo differre, quare composita esse oportet ex eo in quo conueniũt & ex eo in quo differunt; cum igitur nec in Deo nec in materia prima vlla sit cõpositio, nulla quo-

Argumẽtatio eorũ qui dixerunt Deũ esse materiam primam.

que differẽtia inter ea esse poterit; quare necesse est esse vnum & idem. Vide quàm leui argumento in quem grauem errorem seu potius amentiam inducti sunt, non intelligentes discrimẽ quod est inter differens & diuersum, quod etiam traditur ab Aristotele 10. lib. Metaphsi. text. 12. Differunt enim inter se, quæcunque in aliquo conueniunt & in aliquo distinguũtur; vt homo & leo cõueniunt in genere, quia vterque est animal, & distinguuntur per proprias differentias, alter enim est rationis particeps, alter verò expers: Diuersa autem sunt quæcũque seipsis distinguuntur, quoniam sunt simplicissima; sic distinguuntur inter se decem. Prima genera, sic vltimæ differẽtiæ, sic materia & forma, sic Deus & creatura, sic denique Deus & materia prima: quippe cum sint duo extrema in latitudine entis maximè omnium disiuncta, vnum perfectionis & alterũ imperfectionis. Deus igitur & materia prima seipsis

seipsis diuersa sunt & quidem maximè diuersa. Verũ quispiã fortasse scire cupiet, quis inter Philosophos tam absurdæ opinionis auctor vel assertor fuerit. Dicam equidem quod apud alios legi. Albertus in 1. Phy. tract. 3. cap. 13. refert hanc opinionem ad Alexãdrum quendam Epicureũ ita scribens. *Alexander Epicureus dixit Deum esse materiam, vel non esse extra ipsam, & omnia essentialiter esse Deum, & formas esse accidentia imaginata, & non habere veram entitatẽ, & ideo dixit omnia idem esse substantialiter, & hunc Deum appellauit aliquando Iouem, aliquando Apollinem, & aliquando Palladem; & formas esse peplum Palladis, & vestem Iouis; & neminem sapientum audebat ad plenũ reuelare posse ea quæ latebant sub peplo Palladis & sub veste Iouis.* Hactenus Albertus, Diuus Thomas tã 1. p. q. 3. art. 8. quàm 1. lib. contra Gentes cap. 17. stultam hanc & insanam opinionem tribuit cuidam Dãuidi de Dinanto; qui Dauid de Dinanto fuit hæreticus, eiúsque libri damnati & exusti sunt; floruit autem imperante Philippo Barbarossæ filio, & summo Pontifice Innocen. III. anno Domini (vt ex Almarici historia colligere licet) 1204. Possem etiã hoc loco commemorare deliramenta Manichæorũ circa materiam primam, quæ narrãt cum alij, tum in primis Nicephor. histo. Eccles. lib. 6. cap. 41. sed ne figmentis narrandis operã perdam, & molestia lectores afficiam, ea nunc recensere supersedebo. De natura igitur & quiditate materiæ primæ satis dictũ sit: quoniam autem existentia consequitur essentiam, poscit ordo doctrinæ vt de existentia materiæ primæ deinceps dicamus.

Qui dixerint Deũ esse materiam primam.

Materiam ex se habere existentiam propter quam est in rebus.

CAP. XIII.

ET si nõ leuis est cõtrouersia inter viros doctos, an materia prima ex se habeat existentiam secundũ quã est in rebus, an verò eam omnẽ accipiat à forma; nobis tamẽ probabilior videtur eorũ sentẽtia, qui aiũt materiam sua vi existere, nec existentiã per quã est in mundo, capere ex formis quas recipit: quam sententiam, vt ea cæteris etiam persuaderi queat, his octo rationibus confirmamus. Prima ratio sit hæc. Vnaquæque res accipit existentiã per generationem, vel productionem suam, quare quæ habent diuersam productionem à formis: nam hæ per generationem producuntur ab agente naturali: illa verò per creationem immediatè procedit à Deo: & formæ sunt corruptibiles, materia verò incorruptibilis, ergo materia habet diuersam exi-

Hãc sententiã tuẽtur Scotus & Gregorius Arimenſis 2. Sent. diſt. 12. q. 1. & 2.

ſtentiam ab exiſtentia formarum,nec eam poteſt ab illis accipere.Secunda.Tunc res corrumpitur cum amittit ſuam exiſtẽtiam, ergo ſi materia acciperet exiſtãtiam ſuam à formis oporteret eã propter variam formarum generationem & interitum,infinities accipere & amittere exiſtentiã ſuã,ac proinde infinities generari ac interire.Tertia.Si exiſtẽtia materiç eſt à forma quã ſuſtinet, ergo illius formæ diſceſſu deſinet quoque exiſtere materia.Illud autem certum eſt,cum generatur vna forma,corrumpi aliam generatur enim forma ignis & corrumpitur forma aquæ;ſumo igitur illud inſtans quo generatur forma ignis:hoc ipſo inſtanti nõ reperitur forma aquæ,eſſent enim ſimul duæ formæ, & illæ quidem inter ſe pugnantes:Si ergo ignis tunc non reperit formã aquæ,nec materiam reperiet; ſiquidem materia habebat exiſtentiam ab illa forma,vt ea pereunte ſuperſtes eſſe nõ potuerit.quare forma nunquam generaretur in materia,nunquam enim illã poſſet reperire;niſi fortè dicamus tunc ſimul cum forma generari nouã materiam,quod dici nõ poteſt,cum perſpicuè falſum & abſurdũ ſit. Quarta. Si quis dicat propterea materiam non corrumpi,quia eodẽ inſtãti in quo corrumpitur prima forma, aduenit ſecunda à qua materia capit exiſtentiam ſuam;quærendum ex illo eſt,ſit ne vtriuſque formæ materia eadem numero,ſi enim nõ eſt,ergo corrupta fuit,ſin autem eſt.ergo retinet eandem numero exiſtentiam;ſed ab vtra formam illã habet?non à priori,quippe quæ receſſit.nec à poſteriori,quippe quæ nõ fuerit antea cum erat materia;habet igitur materia exiſtẽtiã à ſeipſa.Quinta.Prior eſt ordine generationis materia quàm forma;nam vt eſt apud Ariſt.1.Phy.text.52.ſubiectum prius eſt iis quæ in eo inſunt,nõ poteſt autem quod prius eſt exiſtere beneficio eius, quod eſt poſterius ipſo,ergo materia non exiſtit beneficio formæ.Sexta. Prius eſt ſecundum naturã,materiam eſſe,quàm vt recipiat formas; & ſimiliter prius eſt ſecundum naturam,formã recipi in materia,& cum ea vniri,quàm vt poſſit ei forma aliquam exiſtentiã impertiri:forma enim nõ poteſt dare exiſtẽtiã materiæ,niſi vnita & hærens cũ ipſa;ergo ſi prius eſt materiã eſſe quàm formam in ea recipi,& hoc itẽ prius eſt,quam formam dare exiſtentiam materiç, prius igitur erit materia eſſe quàm accipere exiſtẽtiam à forma. Quare materia non omnino exiſtit vi & beneficio formæ. Septima.Potẽtia quã habet materia ad formã nõ eſt à forma,quinimo potẽtia materiæ ordine generationis & tẽporis formã antegreditur:ſed talis potẽtia præſupponit exiſtẽtiã materiç;nã quod poteſt in ſe recipere aliud,id neceſſe eſt actu exiſtere,quod enim non eſt,neque poteſt quicquam,nec aliquid valet recipere, ergo materiæ

materiæ exiſtentia non eſt à forma.Octaua Philoſophi aiunt , in trãſmutatione , terminum à quo & priuationem corrumpi,ſubiectum autem & materiam manere eãdem numero ſub vtroque termino;ſed non poteſt materia eadem numero manere ante & poſt,ſi exiſtentiam haberet à forma , ſiquidem nunquam eadem numero forma permanet ante & poſt,loquor de formis, quarum in trãſmutatione vna eſt terminus à quo,altera verò terminus ad quẽ:ergo materia non accipit à forma ſuam exiſtentiam.

Alij contrà opinantur materiam ex ſe nullam habere exiſtentiam ſed quam habet,accipere à forma;id autem probant his quatuor rationibus.I.Ariſt.ſæpe vocat materiam non ens,aut ens in potentia,ergo ex ſe non eſt actu.In 5.lib.Metap.tex.15. ſignificat formam eſſe cauſſam exiſtentiæ ſecundum quam res ſunt.Themiſtius 2.lib. de anima ſuper text.7.ſcribit,eſſe & vnitatem,accedere rebus à forma. Boëtius in opuſculo de vnitate & vno ſic ait *omne eſſe ex forma,eſt in rebus creatis quatenus forma eſt vnita, & coniuncta materiæ;vnde Philoſophi illud deſcribentes dicunt,eſſe eſt exiſtentia formæ in materia* II.Si materia ex ſe haberet exiſtẽtiam ergo ſimiliter etiam forma & compoſitum,& in vna re eſſent tria eſſe, ſeu tres exiſtentiæ,quod videtur abſurdum,ſiquidem vnius rei vnum eſt eſſe vnáque exiſtentia,ſicut eſt vna res.III.Si materia nõ à forma ſed à ſe habet exiſtentiam , ergo poſſet eſſe ſine forma; quod eſt contra Auerroem qui in 2. Phyſic. comm. 12.facit hanc conſequentiam,ſi materia eſſet ſine forma,tunc quod nõ eſt actu eſſet actu.Eandémque conſequẽtiam tractat D.Thomas 1. parte q.66.art.1.quæ conſequentia ex eo tantummodò vim & robur habet quòd in ea ſupponitur materiam non à ſe,ſed à forma habere id,vnde actu exiſtit.IIII.In tota latitudine entis ſunt duo extrema oppoſita inter ſe,nimirũ Deus & materia prima,ſed Deus eſt purus actus ex ſe habens eſſe ſuum,ergo materia prima(quoniam oppoſitorum oppoſitæ debent eſſe rationes) eſt pura potentia eſſe ſuum accipiens aliunde.

D.Thom. 1,part. q. 7.ar.2. in reſpon. ad 3. argumẽtum & q. 66.art. 1. Paulus Soncinas 7. Met. qu 17.Durandus 2. Sent. diſt. 12 q.2.ita ſentiunt.

Sed his rationibꝰ facilè occurri poteſt prætermiſſis hiſce diſtinctionibus.Ens aliud eſt cõpletũ & perfectũ,aliud imperfectũ & indefinitũ,quod illius cõparatione poteſt dici non ens.Et rurſus exiſtẽtia duplex eſt,vna per quã res ſimpliciter eſt in mũdo extra nihil;altera eſt per quã res ſunt perfectę,& determinatæ &ſub aliquo definito genere,& gradu rerũ conſtitutæ:prior exiſtẽtia vocatur à quibuſdam actus entitatiuus;poſterior autem dicitur formalis ſpecificus & perfectus.Materia igitur appellatur non ens, quia eſt ens incõpletũ & indefinitũ;dicitur etiam ex ſe non habere exiſtentiã & actum vllum;intelligendo id de actu formali

Solutio ſuprædictarũ rationum.

& specifico & ad vnam aliquam certã rationem entis determinato. Ex his autem in promptu est responsio ad primam rationem. Ad secundam. nõ est absurdũ in vna re multas reperiri existẽtias imperfectas quę faciunt vnam perfectam; quemadmodũ in vno composito naturali sunt duæ substantiæ imperfectæ, è quibus cõficitur tertia substantia, quę est ipsius compositi perfecta, & completa. Ad tertiam licèt materia ex se habeat suam existentiam secundum quam est ingenerabilis & incorruptibilis: tamen nõ potest omni forma spoliari; primò; quia materia habet naturalẽ & essentialem ordinem ad formam, sicut perfectibile ad suũ perfectiuum, sine quo esset indeterminata & indefinita. Deinde, quia nunquã vlla forma corrũpitur, quin contnuò alia generetur: imò ex accidenti fit corruptio nẽpe vt locus detur alij formæ; omne enim agens non ideo agit, vt corrumpat alia, sed vt corruptis aliis quæ ipsis obstãt generet aliquid sibi simile, atq; hoc principaliter intendit. Quare nunquã materia posset forma penitus priuari. Ad extremum quia perpetuus cæli motus, ita continenter versat & cõmutat materiã vt ex ea perpetuò nouas formas eliciat & quasi extundat. Illa verò consequentia Auerr, interpretanda est de actu formali & determinati gradus. Ad quartam. Hęc ratio secum ipsa pugnat; qui enim aiunt materiam esse extremum entis eandémque esse puram potentiam, nónne hi pugnantia loquuntur? Si enim materia est vnum extremũ entis, ergo est ens, at si est pura potentia, est non ens; sicuti quod est potẽtia calidũ; vel album, non est calidum, neque album, ita quod est simpliciter, & absolutè pura potẽtia, simpliciter non est ens. Præterea illa pura potentia, aut nihil aut aliquod ens; si nihil, ergo similiter materia nihil est; si ens, non igitur iam est pura potentia. His accidit, quod potẽtia non potest per se existere, est enim quiddam relatiuum, & omnis relatio fundatur in aliquo absoluto, & vt ait Auerr. 3. de anima comm. 5. omnis potentia fundatur in aliquo actu. Respondemus igitur nõ bene cõcludi, si in latitudine entis reperitur purus actus, similiter reperiri debere puram potentiam: hoc enim repugnat, vt ante diximus, rationi ipsius entis, illud autẽ minimè: quẽ admodum in simili genere, non valet illud, datur summum bonum, ergo dari debet summum malũ: repugnat enim aliquid esse, & esse summum malum: Malum enim ex se nihil est, & nõ habet esse, nisi fundetur in aliquo bono: ipsum enim esse, siue quo malum constare non potest, bonum est. Dictũ igitur est de quiditate materiæ eiúsque existẽtia, quod pertinebat ad secundã quæstionẽ, quã quæritur quid sit materia: Sequitur nũc vt tractemus tertiã quęstionẽ, hoc est vt doceamus qualis sit materia; & primũ omnium

Tres causę cur materia nunquam omni forma priuata esse queat.

Materiã nõ esse puram potentiam.

omnium quærendum est, an Materia ex se sit formata, & habeat aliquam formam inseparabilem sibíque coæternam, qualem putarunt quidem esse formam corporeitatis. Deinde disputabimus an habeat quantitatem sibi coæuam, & illas quas vocant dimensiones interminatas.

Opinio eorum qui inducunt formam corporeitatis materiæ coæternam.

CAP. XIIII.

MVlti tã de antiquioribus quã de recẽtioribus Philosophis, arbitrati sunt esse quãdã formã corporeitatis inparabilẽ & coæternã materiæ ex se indeterminatam, quæ postea à formis specificis determinatur atq; perficitur. Hæc forma secundũ illos disponit materiã, facitque vt appetat formam & apta sit eam recipere, & est tãquam seminarium aliarum formarum; eámque aiũt esse priuationem, quæ ab Arist. ponitur tertium principium generationis. Hãc autem opinionẽ affirmant esse Auerrois, primùm quia is in 8. Phys. comm. 4. inquit, si materia prima esset nudata omni forma fore vt nõ possit recipere aliquam formam; quibus verbis significat materiam primam, tametsi priuari queat formis specificis, quadã tamen generali forma, cuiusmodi est forma corporeitatis, nunquam destitui. Deinde in 3. de Cœlo com. 61. ait, rerum corruptibilium non esse principia æterna, nisi prima, & remota videlicet materiã primam & primam formam: Ergo secundũ Auer. sicut est materia prima æterna, ita est forma quædã æterna, quæ nõ potest esse alia quam forma corporeitatis, Pręterea in 2. Phys. com. 15. ait priuationem esse quandam formam materiæ. Postremò, corpus compositum ex materia & forma est genus corporum simplicium, prędicatur enim vniuocè, & in quid de iis, quæ differunt specie. Ergo cũ genus secũdum Auer. 1. Metaph. comm. 17. significet formam quandã vniuersalem, diuersam, & priorem formis specificis, necesse est nomine corporis significari formam quandam corporeitatis diuersam à formis elementorum, & illis priorem; atque hoc ipsum videtur Auer. indicare in Epitome sua super libros Metaphy. tractatu secundo cap. vltimo, quærens genus summum prędicamẽti Substantiæ, & statuens corpus quod dicitur de corporibus simplicibus. Huc etiam spectare videtur illud Auer. 7. Phy. comm. 1. *Quęcũque sunt præter vltimam formam & primã materiam, sunt materiæ, & formæ compositæ.* Nam per vltimam formam, innuit hanc formam corporeitatis. quæ est vltima, via resolutionis. Hanc suã opinionem non solum Auerroi, sed etiã veritati cõsentaneã esse

Quid & qualis sit forma corporeitatis.

confirmant,his quinque rationibus.Prima.Materia cum sit æterna,debet habere existentiã æternam, sed omnis existentia est à forma,ergo debet formam coæternam, qualis est forma corporeitatis,in se habere.Secunda. Formæ,quæ generantur, non possunt induci in materiam nisi sit quanta & extensa, sed quantitas presupponit in materia formam aliquam substãtialem,nimirum formam corporeitatis.cuius quantitas est propria affectio, ergo ante omnes formas generabiles,est in materia forma corporeitatis.Tertia.Cum materia sit remotissima à forma. quinimo sit ei opposita,sicut actus opponitur potentiæ,non posset materia formam appetere nisi haberet in se formam quampiã imperfectam per quam illi quodam modo similis esset:simile enim appetit sibi simile. Quarta.Nisi talis forma insit materiæ,difficile est explicare,aut intelligere,quo pacto vel vnde gignatur forma. Nam vel generatur ex nihilo,quod est impossibile; non enim esset generatio,sed creatio:vel ex sola materia:at cum hæc sit ens imperfectissimum & in pura potentia,non potest ex ea gigni forma quæ est actus & perfectio. Quare oportet in materia inesse formam corporeitatis, ex qua tanquam è quodam seminario cæteræ formæ oriantur.Quinta. Omne quod mouetur est diuisibile & corporeum,vt probat Arist.6.Phy.tex.32.sed materia in generatione formarum naturalium à generante mouetur & transmutatur,ergo debet esse corporea. Hæc illi afferre possunt ad comprobandam hanc opinionem.

Hanc opinionem esse contra Auerroem & Aristolem.

CAP. XV.

MVltas ob causas supradicta opinio reprehendenda est, multisq; modis refelli & coargui põt, Primùm igitur demõstrabimus eã esse cõtra Auer.tũ cõtra Arist. postea cõtra veritatẽ,ad extremũ occurremus quibusdam dubitationib quæ sententiæ nostræ videtur aduersari. Et vt à primo ordiar,quàm illa repugnet doctrinæ Auer. ex his octo argumẽtis quæ subiiciã,manifestum erit.I.Auerroes in 1.Phy.com.63. ait materiam primam nullam formã sibi propriam & peculiarẽ habere,vt possit omnes formas recipere; & in 69. comm.inquit, materiam non esse aliquod ens in actu, nec esse aliquod cõpositũ ex materia & forma.II.In 1.c.libri de substantia orbis scribit materiã primã ex se nec formam vllam, nec actum habere,sed eam substantiari per ipsum posse; & ibidem reprehendit Auicennam pro-

pterea qtalẽ formã corporeitatis poneret in materia ante formas specificas:& docet quàm magna & absurda incommoda opinionem eiusmodi consequantur.III.In.1.Metaphy.com.17.affirmat materiam primam ex se nullã formam habere neque vniuersalem,neque particularem,sed omnes recipere; primùm quidem vniuersales deinde verò particulares;& ibidem probat ipsam materiam non esse genus,quia genus per se significat formam quãdam generalem; materia verò ex se nullam formam propriè ac peculiariter continet.IIII.In Epitome super lib.Metaphys.tract. 2.c.vltimo,his verbis scribit. *Secunda opinio, si intendit quòd datur forma simplex in actu præter formas corporum simplicium,& quòd coniunctio huius formæ cum materia prima,est illa substantia cui accidit corporeitas & cui accidunt tres dimensiones,quæ significantur per nomen corporis siue corporeitatis,est sanè falsa, sequeretur namque ex hoc quòd generatio elementorum esset alteratio.* Vide etiam Auer.1.Metap. comm.II.V. In 1.Phy.commento vltimo,vult cognitionem eius compositionis quæ est ex materia & forma esse Physicam,at cõpositio ex materia prima forma corporeitatis, cum nullum accidens sensibile nullam operationem atque transmutationem propriè habeat, denique cum sempiterna sit,à Physico non potest cognosci.VI.In 12.lib.Metaph.comm.39. asserit omne compositum esse nouum, quod verum non esset,si forma corporeitatis esset materię coæterna.VII.Secundum Auer.summum genus prædicamẽti Substãtiæ,est corpus cõpositum generabile & corruptibile, vt ipse conceptis verbis dicit in paraphrasi sua super caput de specie Porphyrij,& in 2.lib.de Cælo comm.49.ergo omne compositum corporeum secundum Auer.est corruptibile. Quare non potest esse in materia vlla forma corporeitatis ęterna.Alioquin rationes Auerrois quibus conatur demonstrare cælum esse substantiam simplicem(quia si esset cõpositum ex materia & forma non posset esse incorruptibile)nihil sanè concluderent & conficerent.VIII.Si materia haberet istiusmodi formam corporeitatis,elemẽtum per se moueri posset à seipso:quod est contra Auer.in 8.Phys.29.&32.in 3.de Cœlo 28.& in 4.de Cælo 22.nam quod mouetur à seipso debet habere duas partes actu diuersas,propter quarum vnam dicatur mouere, propter alteram verò moueri, eiusmodi sunt in animali primùm quidem anima & corpus;tum etiam cor & cætera membra. Quamobrem cum tales partes non habeãt corpus simplex, habet enim vnam tantum formam substantialem & materiam primam,quæ non est ens in actu determinato, idcirco non potest corpus simplex moueri à se nisi ex accidenti. At si forma corporeitatis esset in materia, in terra, verbi gratia essent duæ

partes ſecundum actum diſtinctè, vna tanquam mouens, quæ eſt forma grauitatis, altera tanquã mota quę eſſet illud cõpoſitum ex materia & forma corporeitatis: atq; hoc modo nihil obſtaret quo minus terra ſeipſã poſſet mouere nõ minùs quàm ipſum animal.

Reſtat nunc vt rationes, quæ ex variis locis Auerrois commemoratæ ſunt ad tuendam formam corporeitatis, breuiter diſſoluamus. Ad primum reſpondemus Auer. illis verbis ſignificare voluiſſe, cum alteratio adeo neceſſaria ſit ad generationem vt quod non eſt alterabile, nec generabile eſſe queat: ſubiectum autẽ proximum alterationis ſit ens in actu; hinc fieri, vt ſi materia prima expers eſſet omnis formæ ſubſtantialis, exiſtens tantùm in potẽtia, nullo modo alterari poſſet, ac proinde nullam formam ſubſtantialem reciperet. Nam ſi eſt impoſſibilis alteratio, eſt quoque impoſſibilis generatio, propter neceſſariam connexionem harũ mutationũ inter ſe. Etenim tribus de cauſſis alteratio confert ad generationem, primò quia excludit contrarias diſpoſitiones quæ ſunt in materia, tum quia potentiam materiæ indifferentem & indeterminatam contrahit & determinat ad receptionem huius vel illius formæ: poſtremò, quia per eam forma ſubſtantialis in materia producitur ab agente. Ad ſecundum Auer. in 3. de Cœlo, per primam formam intellexit Deum qui ſimul cum materia prima eſt remotiſſimum principium rerum ſenſibilium, iuxta illud dictum eiuſdem Auer. in 12. lib. Metaph. commento 18. *Omnes formæ potentia ſunt in prima materia, actu verò in primo motore.* Sic Auer. quamplurimis in locis ſcribere ſolet à Phyſico conſiderari primã materiam & primum motorem, à Metaphyſico autem primam formam & vltimũ finem: vide eundem 7. Metap. com. 9. & 3. Metaph. com. 3. & 4. Metaph. com. 1. Ad tertium Auer. vocat priuationem formam materiæ, accipiendo priuationem pro ea poteſtate & habilitate recipiendi formas, quam priuatio adſignificat in materia. Hæc enim potentia quaſi quædam forma materiæ dici poteſt. Etenim materia Phyſicè conſiderata, eſt materia atque ſubiectum ob huiuſmodi potentiam. Quocirca Auer. in 1. c. de ſubſtantia orbis, inquit potentiam eſſe differentiam ſubſtantialem materiæ. Ad quartum, corpus quod prædicatur de corporibus ſimplicibus, vt habere queat conceptum aliquem formalẽ & notionem vniuocè cõmunem omnibus corporibus ſimplicibus, attamẽ nõ poteſt ſignificare naturam quempiam genericam diuerſam à natura corporum ſimplicium, hoc enim includit repugnantiam & contradictionem: corpus namque ſimplex non eſſet ſimplex: ſi enim ignis verbi, gratia præter propriam formam ſuam haberet aliam formam corporeitatis, non eſſet corpus ſimplex cum non eſſet

Tripliciter alteratio confert generationi.

eſſet vniforme ſed biforme. Atque hæc quidem ex ſenſu Auerrois. Deinceps quid ſenſerit Ariſt. inueſtigemus.

Hanc opinionem contrariam eſſe doctrinæ Ariſt. perſpicuè oſtendi poteſt his duodecim rationibus. I. Ariſt. 1. Phy. te. 69. inquit materiam ita ſe habere ad formas naturales, ſicut ſe habet materia artis ad formas artificiales; ſed hæc nullam habet ex ſe formã artificialem, ergo nec illa vllam habebit naturalem. II. Idem in 2. lib. Phyſ. tex. 7. inquit materiam eſſe per ſe informem, & in 7. Metaph. text. 8. ait materiam ex ſe non eſſe quid, neque quãtum, &c. quæ vera non eſſent, ſi materia haberet formam corporeitatis ſibi coæternam. III. In. 5. Phy. tex. 8. demõſtrat generationem non eſſe motum, quia ſubiectum generationis, quod eſt materia prima, nec ſit ens, nec ſit in loco; quicquid autem mouetur oportet eſſe ens, & eſſe in aliquo loco: At ſi materia prima eſſet corporea; vtrunque obtineret, nam & eſſet ens actu & eſſet in loco. IIII. In 8. Metaph. 35. & lib. 10. tex. 24. inquit materiam per ſe ignotam eſſe, & tantùm cognoſci poſſe per negationem, at ſi haberet formam aliquam, poſſet ex ea cognoſci. V. In 1. de Generat. tex. 1. atque aliis locis, reprehendit veteres Philoſophos, propterea quòd cõſtituebant ſubiectum generationis corpus quoddam immutabile ſecundum ſubſtantiam, ſic enim, inquit mutationes quæ fierent circa tale ſubiectum non eſſent generationes ſed tantùm alterationes, ergo qui ponunt huiuſmodi formam corporeitatis, neceſſariò habent de medio tollere generationem. VI. In 3. lib. Phy. in lib. 3. de Cœlo & in 2. de Generat. & corruptione coarguit eos, qui ponebant aliquod corpus ſimplicius & prius quatuor elementis. At tale corpus (ſecundum hanc opinionem) eſſet illud compoſitum ex materia & forma corporeitatis. VII. In 2. lib. de partib. animal. cap. 1. facit triplicem tantummodo compoſitionẽ in animãtibus, vnam elementorum, alteram partium ſimilariũ, tertiam partium diſſimilarium. Hæc autem forma corporeitatis afferret quartam compoſitionem cæteris priorem, prętermiſſam ab Ariſtotele. VIII. Ariſt. 2. lib. de Generat. tex. 6. tradens compoſitionem elementorũ, facit eã ex materia prima, quam vocat potentia corpus, & ex contrarietate, nullam faciens mentionem iſtius formæ corporeitatis, quinimò apertis verbis eã refellit paulò ſupra tex. 3. IX. Quinto lib. Metaphy. tex. 5. definitur elemẽtum eſſe id quod eſt indiuiſibile ſpecie in aliã ſpeciẽ; quę definitio non conueniret elementis, ſi præter propriam formã haberent aliam corporeitatis generalem, ſic enim elemẽtum poſſet diuidi in aliã ſpeciem & formã, nimirum in formam corporeitatis quæ eſt diuerſa à propria cuiuſque elementi forma. X. Secundũ Ariſt. omnis

Opinionẽ de forma corporeitatis, doctrinæ Ariſt. eſſe cõtrariam.

forma existens in materia est corruptibilis, vt manifestum est ex iis locis, quæ supra memorauimus, cum refutauimus opinionem Ægidij de materia cæli, ergo ponere formam corporeitatis in materia eámque incorruptibilem, est contra doctrinam Aristotelis. XI. Quid magis contrarium doctrinæ Arist. quàm affirmare huiusmodi formam corporeitatis esse priuationem, quæ numeratur tertium principium generationis? cum Arist. velit priuationem esse principium per accidens, esse per se non ens, nec mansre re iam generata, sed adesse, & abesse à materia; quę sanè nullo modo conueniunt isti formæ corporeitatis. XII. Simplicius 1. Phys. tex. 69. in illa sua digressione de corporeitate materiæ primæ, ait facere materiam primam corpoream, esse antiquam Stoicorum opinionem, quam suo tempore sequutus est Pericles quidam Lydius; eam autem docet penitus aduersari decretis Aristotelicis & Platonicis. Restat, vt quemadmodum ostendimus hanc opinionem doctrinæ Auer. & Arist. aduersari, sic etiam rectæ rationi atque veritati contrariam esse doceamus.

Opinionem de forma corporeitatis esse contra veritatem.

CAP. XVI.

QVantũ hæc opinio abhorreat à ratione & veritate, vel ex his paucis quę mox subiiciemus, cuiuis perspicuum erit. Primò, vel ista forma corporeitatis est vniuersalis & generica, vel specifica & determinata; nõ specifica; quia est cõtra ipsos, neq; generica, quia sic extra animã actu existeret vniuersalia in reb. & Arist. 1. de Gene. t. 31. his verbis scribit. *Corpus autẽ commune nullum est.* Ergo talis forma corporeitatis nulla est in rebus. Deinde, aut ista forma est Physica, aut Mathem. aut Metaphys. non Metaph. quia formę Meta. re & ratione separatę sunt à materia; non Mathe. quia est substãtia, Mathe. autẽ de nulla substãtia agunt vt dicitur 12. Meta. tex. 44. nisi fortè Astrologia, quæ agit de cælo: si Phy. est, ergo est natura, & principium motus; at omnes differentiæ motuum assignatæ sunt aliis corporib. vel simplicibus, vel animatis. ergo ista forma neq; est Physica, neque Mathematica, neq; Metaphys. nihil igitur est. Postea, aut ista forma corporeitatis secundum naturam in materia præit dimensiones quãtitatis. aut eas subsequitur; si præit, ergo ipsa est indiuisibilis secundum doctrinam Auer. in lib. de substantia orbis: Si subsequitur, ergo dimensiones immediatè inhærent materiæ primæ ante omnem formam substantialem, & determinantur per ipsam formam corporeitatis, quod est cõtra ipsos. Ad hæc, actus est qui separat, & distinguit, vt est apud Arist. 7. Metaph. textu 49. sed ista forma corporeitatis non facit aliquem gradum distinctum ab aliis. Nam si ab aliquo distingueret, maximè à rebus incorporeis: At huiusmodi discrimen sumitur ex materia quæ separat res incorporeas à corporeis; ergo ista forma nullus est actus, nec igitur erit forma quia omnis forma est actus. Præterea, ratio, qua frequẽter vtitur Arist. ad demonstrandum materiam primã esse, ductam ex transmutatione formarum nulla esset, propterea quòd ea non perduceret nos ad materiam primam, sed ad istud compositum ex materia prima & forma corporeitatis.

Postremò, entia, vt tritum est Philosophorum sermone, nõ sunt multiplicanda sine necessitate: sapiens enim naturam imitari debet quæ nihil frustra facit. At nulla ratio, nullaque causa satis idonea cogit nos ponere istiusmodi formam corporeitatis, ergo nõ est ponenda: aut enim poni debet, vt det existentiam materię: At materia per se ipsam existentiam habet, vt supra ostẽsum est: Aut vt det materiæ quantitatem & extensionem propter quam in diuersis partibus suis simul queat etiam diuersas formas accipere: sed ad hoc præstandum sufficit ponere quantitatem proximè inhærentem materiæ, vt ponit Auerroes, nec ad id opus est ista forma corporeitatis. Aut vt materia appetat formã: atqui talis appetitus nihil aliud est, quam ipsa potentia materiæ, per quam naturaliter ordinatur ad suscipiendas formas; immo talem appetitum habet materia etiam respectu istius formæ corporeitatis, alioqui materia nõ haberet potentiam ad istam formã, & sic nõ posset ex materia & ista forma effici vnũ ens per se. Aut inducitur huiusmodi forma, ne aliæ formæ specificæ particulares creentur ex nihilo, sed hoc ridiculũ est, vt patet ex his quæ diximus, cum de creatione ageremus, & solueremus eã dubitationem, qua probabatur formas naturales ex nihilo produci. Nec sanè ista forma corporeitatis tollit difficultatem de creatione, si qua est. Nã sicut formę quæ generantur, neque secundum se totas, neque secũdum aliquã partẽ sui præfuerunt in materia prima, sic etiam non præfuerunt in ista forma corporeitatis: Aut denique ponitur hæc forma vt materia prima moueri queat, cum nihil nisi corporeum moueri, possit: at hoc nihil valet, tum quia materia prima propriè nõ mouetur cum sit proximum subiectum generationis & corruptionis quæ non sunt motus propriè dicti. sed tantùm mutationes, vt docet Arist. 5. Phys. tex. 8. tum etiam, quia in 6. Phys. tex. 32. non demonstratur omne quod mouetur esse corporeum, sed esse quãtũ & diuisibile, atqui materia prima potest habere extensionem &

Optima argumẽtatio qua cõcluditur nullũ esse vsũ formæ corporeitatis, ex quo soluuntur rationes propter quas inducebatur.

distinctionem partium ex quantitate interminata ci ra vllam formam corporeitatis. Relinquitur igitur cum hæc forma corporeitatis sit contra Auer. Arist. & veritatem, nec sit vllam ob rem necessaria; eam omnino repudiandam ac reiiciendam esse. atque ex hac vltima ratione in promptu est solutio earũ rationumquas supra posuimus ad comprobandam formam corporeitatis.

Explicantur tres dubitationes.

CAP. XVII.

SEd antequam ex hac disputatione abeamus, tres dubitationes, quæ non nihil negotij facessunt, diluendæ sunt. Primùm enim dubitari potest, cũ materia & à Porphyrio in cap. de differentia, & ab Arist. 5. & 10. lib. Metaphysicorum ponatur esse similis generi, genus autem significet formam vniuersalem, quo modo materia non habeat ex se formam aliquam generalem propter quam sit similis generi? Altera dubitatio est, cum materia prædicetur vniuersè de aliis materiis, omnis autem prædicatio fiat ratione formę; necesse est materiam aliquã ex se formam habere propter quam prædicetur de aliis. Tertia dubitatio est, necesse est materiã primã aut esse vnã aut multas, omnéq; vnitatem ac distinctionẽ prouenire à forma: vt est apud Arist. 2. de Anima text. 7. & 7. Metaph. tex. 49. ergo materia habet aliquã formam vniuersalẽ. Cæterũ his dubitationibus paruo negotio occurri potest. Ad primam igitur respondemus inter materiam & genus, multas esse conuenientias, multas item differentias, vide Auer. 1. Metaphysicæ comm. 17. & Alex. 2. lib. naturalium quæstionum cap. vltimo; conuenientiæ autem inter materiam & genus sunt hæ. 1. quia vtrunque est in multis, 2. quia vt genus est prius differentiis & speciebus, sic materia est antiquior formis & compositis. 3. sicut materia est in potentia ad formas & ab iis perficitur, fitq; ex materia & forma vnum cõpositum per se, sic eadem propemodum dicimus de genere & differẽtiis. 4. sicut non potest materia esse absque, formis sic nec genus sine differentiis. Discrimina verò inter genus & materiã sunt huiusmodi. 1. communitas materiæ est in eo vt multis formis subiiciatur, generis autem in eo vt de multis speciebus dicatur. 2. communitas materiæ est in rerum natura extra animam, generis autem communitas est in anima tantùm per abstractionem mentis. 3. materia non solùm secundum se totam, sed etiam secundum omnes partes suas singulares est incorruptibilis & ingenerabilis, genus verò quãquã totum

Conueniẽtiæ atque differẽtiæ inter genus & materiam primam.

totum & vniuersè sumptum est incorruptibile, tamen corrũpitur & generatur in suis singularibus. 4. materia prima, quæ est sub vna forma potest eadem numero esse sub aliis; at natura generis, quę est in vno indiuiduo, non potest eadem numero esse in alio. 5. materia secundum existentiam est prior quam forma: at genus est posterius indiuiduis in quibus inest, quia vt genus est non habet esse nisi intelligibile quod est posterius quàm existentia indiuiduorum, secundum illud Aristotelis, *Animal aut nihil est aut posterius est. 6.* Genus est quidpiam cõpositum, & completum: at materia simplicissimum quiddam & imperfectum. Quocirca rectè Auerr. 1. Metaph. com. 17. scriptum reliquit, materiam non esse genus, euidenter ac demonstratiuè ostensum fuisse ab Alexandro. Ad secundam respondetur materiam tripliciter prædicari de aliis, primò de toto composito, quæ prædicatio est denominatiua, vt cum dicimus statuam esse marmoream: tum de materiis quæ sunt sub diuersis formis. nam materia hominis & equi est materia: postremò de suis partibus integralibus quarum quælibet est materia. prima & secunda prædicatio conuenit materiæ ratione formæ: tertia verò conuenit materiæ tum per se, tũ ratione quantitatis; propter se quidem, quia quælibet pars materiæ est materia, alioquin materia non esset simplex, sed ex dissimilibus naturis concreta; propter quantitatem autem, quia materia ex se non habet partes distinctas quarum vna sit extra aliã, sed id accipit & habet à quantitate. Hinc autem patet solutio dubitationis. Verùm præterea sciendum est, duabus de caussis accidere posse vt totum aliquod prędicetur de partibus, nimirum vel positiuè, quòd eadem forma totius sit in singulis partibus; vt forma aquæ eadẽ est in omnibus partibus aquæ; vel priuatiuè quòd in toto nõ sit alia & diuersa forma quàm in partibus: ac hoc modo materia tota est eiusdem rationis cum omnib. suis partibus, quia nulla pars materiæ primæ ex se habet aliquam formam, sed hoc est omnium partium commune quòd per se omnis formæ sunt expertes. Ad tertiam respondemus, duplicem esse vnitatem atque distinctionem, vnam entitatiuam & transcendentalem, propter quam vnumquodque eo ipso quo est ens, est vnum & distinctum ab aliis, alteram formalem specificámque, propter quam res dicuntur conuenire & differre vel numero, vel specie, vel genere; priori modo materia dicitur vna & distincta ab aliis, non autem posteriori modo. Vide B. Thom. 1. par. q. 16. art. 7. in resp. ad 2. Sequitur nunc altera quæstio de dimensionibus interminatis.

Quantitatem interminatam immediatè inhærere materiæ primæ.

CAP. XVIII.

MAgna & perdifficilis controuersia est inter Philosophos, Vtrũ quãtitas sit materiæ coæterna, & sit ingenerabilis & incorruptibilis, & antecedat formas oẽs: an subsequatur formã substantialẽ, & more cæterarũ formarũ naturaliũ generetur & intereat. Intelligimus, aũt hoc loco pẽr quãtitatẽ magnitudinẽ triplici dimensione completã, hoc est lõgitudine, latitudine, atq; crassitie: Vocatur autẽ quãtitas hæc proximè inhærẽs materiæ primæ ab Auerroe indeterminata, nõ quòd actu nullum terminũ habeat, sed quia si ex se spectetur, nõ sit terminata, hoc enim accidit ei à formis ingrediẽtibus in materiã. Proprium enim est formæ, vt multis locis Arist. docet, continere & terminare; qua etiã de caussa forma appellatur terminus & finis; atq; hoc etiã modo materia prima dicitur informis, non quòd actu nullã habeat formã, sed quòd si spectetur ex suã ipsius natura, expers sit omnis formæ. Videtur igitur nobis verisimillimum esse, quantitatẽ ex quo creata fuit à Deo materia, inesse in materia, & antegredi formas substãtiales, & suaptè natura interminatã esse, variè autẽ determinari ab agentibus naturalibus pro varietate formarũ substantialiũ, quæ inducutur in materiã: & per se nunquàm generari aut corrũpi, sed tantùm ex accidenti, nimirùm ratione determinationis & figurę; vt si sit globus ceræ, & in eo effingãtur variæ figuræ, fiátq; vel rotũdus, vel longus vel quadratus, quantitas quidem ceræ non mutatur, terminatio autẽ & figura eius variatur; sic agens naturale additione ac detractione formarũ naturaliũ immutat quidem terminos & figuras quãtitatis, sed ipsam quantitatis formã quam materia suavi possidet, intelligimus fixã, stabilẽ, & immutabilem esse. Hãc autem sententiam his rationibus confirmare possumus. Prima. Materia non potest retinere existentiam suã mutata quantitate, ergo si habet existentiã ex se & immutabilẽ & non à formis variabilẽ, habebit etiã quantitatem ex se immutabilem nec accipiet eam à formis. Quemadmodum enim si materia existentiam acciperet à formis, his mutatis, necesse esset materiam identidem generari & interire, ita etiam si quantitatem acciperet à formis, his variatis oporteret quantitatem variari, qua sublata tollitur etiam existentia sine qua materia esse non potest, sic igitur cogitandum est, vniuersam materiæ molem simul à Deo productam esse, quæ totum hoc spatium quod cæli ambitu circunscriptum atque comprehensum est, occuparet, atque compleret, nec ea potest aliqua ex parte vel augeri, vel imminui, si enim quidquam augere-

Probatur decem & septem argumentis quantitatem inhærere immediatè materiæ primæ eíque coæuã & inseparabilẽ esse.

augeretur, penetraret atque perrũperet cælũ, si minueretur, aliquid inane & vacuũ relinqueretur: Ergo sicut sculptor ante sibi cõparat eã, vel æris, vel marmoris molẽ, quæ satis sit ad id operis perficiendũ quod in animo habet: deinde vi artis illã materiam cudendo, dolando, variè formãdo opus suũ artificiosum fingit & absoluit, sic etiam contingit in rebus naturalibus. II. Forma non dat materiæ vt sit materia, & vt sit subiectũ, sed præsupponit illã esse subiectum: quare similiter etiam præsupponit ad finẽ quo materia non posset esse subiectũ formę: hoc autem est quantitas, sicut enim materia non habet partes distinctas citra quantitatẽ; ita non potest secundũ varias partes suas varias formas accipere, nisi propter quantitatem, ergo forma præsupponit quantitatem, neq; eã tribuit materiæ. III. Forma substantialis ex se est indiuisibilis, & fit quanta ac diuisibilis, ratione subiecti in quo recipitur, subiectũ autem eius est materia; ergo efficitur diuisibilis propter quantitatem materiæ; at si forma attribueret quantitatem materiæ, non esset forma diuisibilis propter materiam, sed potiùs è contrario materia propter formam, vtpote à qua tribueretur ei quantitas. IIII. Si quantitas immediatè non inest in materia prima, sed in toto composito, hoc est in materia & forma) ponatur enim nunc quod posteriùs ostendetur, totum compositum nihil esse aliud quàm partes eius simul iunctas) hinc efficitur vt quantitas hominis sit in materia, & anima rationali tãquam in subiecto. Quamobrẽ necesse erit animam rationalẽ esse quantã & diuisibilẽ. nam licet fieri possit vt anima rationalis existens in subiecto quanto, non sit quãta & diuisibilis, propterea quòd nec per se, nec in fieri, nec in esse, nec in operari, depẽdeat à tali subiecto: Illud tamẽ nullo modo fieri potest, vt in ea subiectiuè insit quãtitas, & ipsa tamen non sit quãta; sicut fieri nõ potest vt in aliquo sit albedo; quod non sit albũ, non enim potest effectus formalis separari à forma, nec potest vllã ob caussam contingere vt forma non tribuat suũ esse formale ei subiecto in quo inest V. Si duo agẽtia æqualis virtutis simul agere incipiant in duas medietates ligni pedalis, eo instanti quo primum non est forma ligni, formę quæ tunc ab illis agentibus inducendæ sunt, aut reperiunt materiam ligni in dũas partes distinctam, aut non; si reperiunt distinctam, cum talis distinctio accidat materiæ propter quantitatem, vtique reperient quantitatem in materia; sin autem offendunt illam materiam indistinctam, in vna & eadem parte materiæ indistinctè & confusè recipientur illæ formæ; quo modo igitur per quantitatem posteriùs aduenientem rursum distingui & separari poterũt? & certè sicut forma præsupponit materiam;

ita multitudo & distinctio formarũ præsupponit multitudinem & distinctionẽ materiæ,quæ sine dubio prouenit à quãtitate. VI. Omne quod mouetur oportet esse diuisibile,vt est in 6.Phys.tex. 32.sed materia est primum subiectũ omnium transmutationum: non enim alia ratione formæ substantiales expromuntur de sinu & potestate materiæ, quàm per eius transmutationem ; oportet igitur materiã esse quantã:in eo enim quod est indiuisibile, nulla transmutatio inesse potest. VII.Qualitates primæ inhęrẽt materiæ primæ & præcedunt formas & substantiales, & alteratio quæ secundũ eas fit proximè attingit materiam primã , ergo quãtitas est in materia prima ante formas substantiales:antecedẽs probatur ex iis quæ scripta sunt in 2.lib. de Generat. text. 6. Consequentia autem per se manifesta est:nã nec qualitas sensibilis,nec alteratio quæ est secundum qualitates, potest esse in subiecto nõ quanto , vt docet Aristot.6.Phy.& in li.de sensu & sensili. VIII. Si quantitas non est materiæ coæterna, sed producitur de nouo, quærendum est à quo producatur;omnis enim effectus habet suã caussã propriã:Dices esse aliquod propriũ efficiens quãtitatis. Cõtra,quia sic cætera agentia non producerẽt quantitatẽ;& cũ nulla actio Physica obiri possit sine quantitate, nihil planè agerent. Dices fortè produci eã ab omnibus agẽtibus.Cõtra, omnis effectus,si est vnus,referendus est ad vnã caussam;& quãuis à multis producatur, tamẽ nõ producitur ab eis vt multa & diuersa sunt, sed vt habent vnũ aliquid cõmune.Quod ergo erit hoc cõmune, propter quod omnia agentia producerẽt quantitatẽ?non forma, nulla.n.forma substãtialis reperitur cõmunis omnibus rebus naturalibus:nec materia,ꝙ ea nõ actiua sit sed tantùm passiua:non igitur quãtitas à quoquã producitur sed ingenita est vnã cũ ipsa materia;& cum quantitas nõ sit forma vim habẽs agẽdi,ne fingi quidẽ põt vnã quantitatẽ ab alia quantitate produci.IX.Si quãtitas producitur , aut ea recipitur in materia quę habet quantitatẽ, aut nõ:si prius dicatur , vel erit progressus in infinitũ in quãtitatibus,vel erit aliqua quãtitas quę nõ producatur;& cũ omniũ quãtitatum eadẽ sit ratio,quod de vna dicitur, idẽ similiter pronunciandũ erit de cæteris;sin antem posterius affirmetur dicatúrque quãtitatẽ recipi in materia non quanta,sic quod est quantũ & diuisibile recipietur in eo quod est indiuisibile : quod manifestã in se repugnantiã & cõtradictionem cõtinet.X. Omnes Philosophi asserũt quantitatẽ tenere se ex parte materię:multa verò alia accidentia ex parte formæ;at si quantitas produceretur ab agente, eámq; forma substãtialis secũ ferret & tribueret materiæ, potiùs dicendũ esset quantitatẽ tenere se ex parte formæ quàm ex parte

te materiæ. XI. Si quantitas sequeretur formã substantialẽ,ergo nõ posset abstrahi à forma substantiali ; quod enim posterius est, nõ potest perfectè abstrahi à priori: At quãtitas & à mathematico & à metaphysico abstrahitur ab omni forma naturali, quin etiã cõsideratio quãtitatis secundũ naturã, prior est quàm cõsideratio Physica formarũ naturalium. Ex quo fictum est , vt præter Physicã sit alia scientia quæ per se agat de quãtitate,id quod in aliis accidentibus Physicis nõ cõtingit.XII.Arist.2.de Gene.27. & ante in 1.deGen.tex.24.docet accidẽtia quę sunt cõmunia generato & corrupto eadem manere in vtroq; vt cum aër vertitur in ignẽ,humor quidem aëris vt qui sit repugnans igni prorsus delẽtur,calor autem aëris cũ sit congruus naturę ignis,idẽ manet;sed quãtitas est cõmunis omnibus reb.naturalibus , ergo debet eadẽ manere in omnibus , nec est vlla caussa cur à singulis agentibus generari & corrũpi debeat.XIII. Sicut materia in transmutatione nõ mutatur sed manet eadẽ;propterea ꝙ est subiectũ trãsmutationis quod manere debet idẽ ante & post, sic etiã quãtitas debet permanere eadẽ. Etenim materia subiicitur transmutationi per quantitatẽ. & sane sicut materia est subiectũ vt quod (sic.n. loquũtur nũc Philosophi)omniũ transmutationũ & formarũ,ita quãtitas est subiectũ omniũ vt quo. XIIII. Si quãtitas producitur de nouo,vel igitur ex nihilo,at sic crearetur ; vel ex materia non quanta: at qui fieri potest vt ex eo quod est indiuisibile nec vllas prorsus habet partes, ꝓdeat aliquid longũ latũ & crassũ & habẽs partes extra partes.XV. In aquæ interitu,si quantitas eius corrũpitur,quærendũ est à quo corrumpatur...non ab aliquo contrario, tum quia nihil est contrariũ quãtitati , tũ etiã quia omnia cõtraria sicut habẽt eandẽ materiã communẽ,sic etiam quãtitatem; si quidẽ mutua contrariorum actio, quæ est alteratio fit in eodem subiecto quanto;nec ob interitũ formæ aquæ dici potest corrũpi quãtitas:quia licèt quantitas aquæ ratione talis termini & figuræ quã gerit in aqua,pendeat à forma aquæ , tamen vt quantitas est,cum sit communiter in cunctis rebus naturalibus,non potest pendere à forma aquæ.Et quod ostẽsum est de aqua idem in aliis demonstrari potest. XVI. Vel quantitas producitur à quantitate, veluti calor à calore, atqui quãtitas non est actiua:vel à qualitate aliqua actiua,at quantitas secundum naturam prior est qualitate eíque necessariò præsupponitur tã in fieri,quã in esse , & operari; ergo quantitas est ingenerabilis.XVII. Videtur Arist. hoc sentire,is enim multis locis significat quantitatem esse propriam affectionem materiæ;& in 3.Physi. scribit infinitatem quantitatis prouenire ex materia,eius autem determinationem à forma ; in

Aristote les, Plato, Simplic⁹ Ammonius, Auerroes, Philiponus aut ĕlores huius sentẽtiæ.

4.Phys.ipsam materiã appellat indefinitum & interuallum,in 7. Metaph.textu 8. innuit quãtitatem primò inesse materiæ eámque diffiniri & determinari à quantitate. Idẽ Plato etiam declarare voluit,nominans materiam magnum & paruum.hanc item sententiam Simplicius 1.Phys.super tex.69.quanquam verbis obscuris & Platonicis,videtur attribuere Platoni & Aristoteli. Eiusdem opinionis grauis interpres & defensor est Auerroes in libro de substantia orbis.In 1.Phys.com. 63. & in Epitome Metaphys. tract.2.cap.vltimo:Ammonius in Categoria Quantitatis ita scribit. *Quantitas secundum sibi locum in rerum natura vendicat prima enim materia prius in molem ducta quantitatem habet,quod secundũ subiectum Arist.nominat,tum forma suscipit & fit compositum.* Hæc ille. Philoponus primo libro de Generat,super text 33.inquit,quantũ trifariã dimensum esse subiectũ immutabile,& permanere in omni generatione ac mutatione & ibidem super tex. 40.ait materiam propinquam substratam omnibus formis & per se immutabilem esse corpus trifariam dimensum. Sed quia hæc opinio à multis &sanè doctis viris vehementer oppugnatur nec in se paucas habet dubitationes volumus quæcunque contra eam afferri possunt diligenter ac propriè commemorare atque refellere.

Opinio & argumenta eorum qui contra sentiunt & oppugnant dimensiones interminatas.

CAP. XIX.

D.Thom. in op⁹ 32. quod est de dimensionibus interminatis Duran 1 sen. dist. 8. q. 4. Herueus quol. 2. q. 10. Paulus Soncinas 8.Met.q. 17.& 18. ita sctiũt.

QVi opinãtur quãtitatẽ nec esse incorruptibilẽ, nec immediatè inhærere in materia prima,sed in toto cõposito,has sexdecim pro sua opinione & cõtra sententiã nostrã rationes afferre possunt.Prima Arist.in Categoria substantiæ ait,*Alia omnia vel dici de substantia prima vel esse in ea: nam secundæ substantiæ dicuntur de prima,accidentia verò in ea insunt: quamobrem sublatis primis substantijs,nihil aliorum remanere possit.* Ex quibus verbis licet intelligere accidẽtia omnia habere pro subiecto suo primam substantiã,quæ est substantia composita.Quare quãtitas non est immediatè in materia prima sed in toto cõposito. Secunda in 7. Metaphysic.textu 4.dicitur substantia esse prior accidente,ratione,natura,& tempore; & ibi loquitur Aristotel.de substantia prædicamentali quæ est composita; si igitur substantia composita secundum naturam præcedit omne accidens,ergo etiam quantitatem;quare non erit quantitas æterna, existẽs in materia ante formas substantiales.Tertia.In 5.Phy.tex.8. Scriptũ est subiectum generationis,quod est materia prima,non esse in loco,at si materia prima habẽs quantitatem subiiceretur

generationi,proculdubio esset in loco,siquidẽ locus debetur rei cuilibet propter quantitatem quæ in ea inest.Quarta, Secundum Arist.omnis forma materialis est corruptibilis & materia habet potentiam contradictionis ad esse,& non esse,ergo cum quantitas sit forma materialis erit corruptibilis & materia habebit potentiam ad esse & non esse quãtitatis,ergo non est quantitas materiæ coæterna,Quinta.Idẽ est subiectũ augmẽtationis & quantitatis siquidẽ augmẽtatio est motus per se tendens ad quantitatem,sed propriũ subiectum augmentationis nõ est sola materia sed totum cõpositũ. imò augmẽtatio non fit rãtione materiæ,vt Arist.docet in 2.de Anima,& in 1.de Generat.vbi ait de augmentatione.ergo.&c.Sexta.Auer.2. de Anima com.4.ait hoc esse diserimẽ inter formam substantialẽ,& accidentalẽ, quòd substantialis habet pro subiecto ens in potentia, nẽpe materiam primã, accidentalis verò ens in actu,quod est ipsum cõpositum,sed quãtitas est forma accidentalis,ergo subiectum eius non est materia prima sed totũ compositum.Septima.Auerroes in Epitome Metaphy.tract.2.cap.vlt.ait dimẽsiones interminatas non actũ, sed potentia inesse in materia prima, ergo materia non habet actu quantitatem aliquam priùs quã accipiat formam substantialem. Octaua.Secundum Auer.lib.12.Metaphysi.commento.39. omne compositum est nouum, ergo compositum ex materia prima & quantitate non est æternum.Nona.Idem est subiectum quantitatis interminatæ,& terminatæ quippe cum hæ duæ quantitates non differant secundum rem, sed tantũmodo secundũ rationem,sed quantitas terminata sequitur formam & habet pro subiecto ipsum compositum,ergo similiter etiam interminat. Decima. Ens per se,est prius,quàm ens per accidens, sed ex materia & forma substantiali fit ens per se,ex materia verò & quantitate fit vnum ens per accidens, ergo forma substantialis in materia præcedit quantitatem.Vndecima,Si quantitas immediatè & sem per inheret materiæ,ergo maior esset vnio materiæ cum quantitate quàm cum forma substantiali; illa enim esset immediata & indissolubilis,hæc autem minimè:at hoc falsum est:cum enim materia & forma substantialis pertineant ad idẽ prædicamẽtum, & cum componãt vnum ens per se,cuius sunt partes essentiales, & cũ forma substantialis sit propria perfectio materiæ maiorem vtiq; habebit materia coniunctionẽ cũ forma substantiali,quàm cũ accidentali.Duodecima.Si quãtitas esset coæterna materiæ,ergo essent quatuor principia generationis, nimirũ Materia, Forma,Priuatio,& Quãtitas.Decimatertia.Prius est esse simpliciter, quã esse secundũ quid,quia esse secũdum quid præsupponit esse

sed forma substantialis, materiæ largitur esse simpliciter, accidentalis autem tantùm esse secundum quid, ergo illa præcedit hanc, non potest igitur quantitas esse in materia ante formã substantialem. Decimaquarta. Nulla est quãtitas interminata: etiam si secundum se consideretur citra formas substantiales: nam vniuersa materiæ moles per se sumpta, non est infinita, sed finita, quippe cum tota contineatur ambitu orbis Lunæ, & si esset tota simul haberet figuram rotundam: quoniam vndiq; perfectè terminaretur à cælo; quemadmodum contingit in elementis. Decimaquinta. Cum ex minori quãtitate fit maior id quod accidit in rarefactione, non manet eadem quantitas, alioquin idem esset maius & minus, ergo acquiritur de nouo aliqua pars quantitatis; sed in quantitate eadem est ratio vnius partis & totius, si igitur vna pars eius de nouo est generabilis, similiter etiã tota erit generabilis. Decimasexta. Omne accidens definitur per suum subiectum, sed quantitas non potest definiri per materiam primam, siquidem definitio debet esse ex iis quę sunt nota, & magis nota, quàm id quod definitur, sed materia prima est res quædam ignota, vt est apud Arist. 7. Metaph. tex. 35. & certè ignotior est quantitate, ergo materia prima non est immediatum subiectum quãtitate, sed potius totum compositum.

Soluuntur supradictæ rationes.

CAP. XX.

QVanquã hæc opinio, tũ propter auctoritatẽ eorũ quì eã sequũtur, tũ propter supradictas rationes quibus ea cõprobatur, nec dãnãda nec cõtẽnenda sit, nos tamen, quòd contrariã sententiam, quã supra explicauimus & multis rationibus communiuimus, probabiliorẽ esse iudicamus, enitemur soluere rationes supradictas. Ad primã rationẽ ita respondemus: Omnia accidẽtia esse in prima substantia vel inhæsiuè, vt albedo, vel denominatiuè, vt quantitas & qualitates primæ quæ inhærent quidem immediatè in materia prima, sed cum ea sit pars compositi, fit vt propter eam ipsum compositum denominetur ab illiusmodi accidentibus. adde quòd, cum nec secundæ substantiæ sine primis existere queant, nec materia extra ipsum compositum, rectè profectò dixit Aristoteles omnia accidentia esse in prima substantia. Illam vero sententiam Aristotelis, (sublatis primis substantiis nihil aliorũ remanere) tripliciter interpretari possumus. Primò sublata prima substantia tolli accidentia, quædam simpliciter, nempe quæ consequuntur formam vel compositum, alia verò secũdum quid,

Quomodo intelligẽdum sit omnia accidentia esse in prima substantia & ab ea pendere.

quid, hoc est vel ratione gradus certi & determinati, vt in primis qualitatibus, vel ratione terminationis, vt in quãtitate. Nã cũ ex igne fit aër, corrupto igne licèt maneat calor, non tamen talis & tantus calor, qualis & quantus erat in igne: is enim nõ competit aëri. nec in alio corpore quàm in igne esse potest: idẽ de quãtitate dicendũ est. Deinde si prima substantia tollatur penitus & secundũ omnes suas partes, hoc est tam secundũ materiã quàm formam, nullũ accidẽs manere potestmã cum nullum accidens per se cohærere, queat in quo inerit tanquàm in subiecto? Postremò, cum tã materia quàm omnia accidentia sint propter formam & compositum, accidens enim est dispositio formæ substãtialis, vel ad eam procreãdam, vel cõseruandam, vel ad eius actiones exercendas sublata prima substantia, si manerent cætera, sanè frustra essent: Deus autẽ & natura nihil permittunt frustra esse in rebus, ille igitur, locus, & illa sententia Arist. nequaquàm officit sententiæ nostræ. Ad secundam. Substantia cõposita, est prior accidentibus, non eodem modo: sed quibusdam tẽpore, nimirum iis quę illi adsunt & absunt præter ipsius interitum; aliis secundum rationem & cognitionem, & sic est prior propria passione: aliis secundum naturam, id est secundum perfectionem, & sic est prior quantitate interminata: vel dicito substantiam compositã esse omnibus accidẽtibus terminatis priorẽ, interminatis verò, si non secundum se totã, saltem ratione partis, hoc est ratione materiæ esse quoque priorem. Ad tertiam. Arist. in illo 8. textu quinti lib. Physi. per id quod generatur, non intelligit subiectũ generationis quod est materia prima; sed totum cõpositum, id enim propriè generari dicitur; ita vt vis rationis Aristotelicæ, qua demõstrat generationẽ non esse motum sit hæc: id quod verè mouetur, existit actu & in aliquo certo loco, vt id quod albescit vel nigrescit & id quod augetur, vel mouetur secũdum locum; dicitur enim statua nigrescere, vel planta augeri, vel animal mouẽri secundũ locũ; quæ omnia actu existũt: At quod generatur, nõdum actu est, sumendo generationẽ nõ solùm propriè pro illa introductione formæ substantialis, quæ fit in instanti, sed etiã pro tota dispositione præuia quæ ratione finis, ad quẽ naturaliter tendit, ferè vocatur à Philosophis generatio. generatur enim homo & nondũ actu est, non enim sicut in alteratione, ante & post permanet subiectũ idem habens nomen & speciem, ita cõtingit in generatione: statua enim quæ dealbatur, ante & post dealbationem manet & nominatur statua, at cum ex semine generatur equus; ante generationẽ est semen & non equus, post generationem est equus & non est semen. Atque hæc est germana sen-

An substãtia cõposita sit prior omnibus accidẽtibus.

Quopacto id quod generatur nec sit ens actu, nec sit in loco.

tentia illorum verborum Aristotelis. Sed præterea respõdemus, duplicem esse locum, vnum indefinitũ, alterũ determinatum ad vnam aliquam certam differẽtiam loci, vti sursum vel deorsum: prior locus conuenit rebus propter quãtitatem, posterior autem, ob qualitates motiuas, grauitatem inquam & leuitatem. Materia igitur propter quantitatẽ quam habet, est in loco indefinitè, hoc est non magis sursum quam deorsum, determinatur autem ad hanc vel illam differentiam loci, à qualitatibus motiuis quas accipit ab agentibus naturalibus. Itaque Aristoteles cum ait quod generatur non esse in loco, id autem quod mouetur esse in loco, loquitur de esse in loco nõ priori, sed posteriori modo. Ad Quartam. Cũ aiunt Peripatetici formas materiales esse corruptibiles, loquũtur de formis substantialibus, nõ autẽ accidentalib. qualis est quantitas. Ad Quintam. Quoniam augmentatio nõ tendit ad quantitatem simpliciter, sed ad quantitatem terminatam & perfectam & conuenientẽ naturæ viuentis, ideo subiectum augmẽtationis nõ est materia prima, sed totum cõpositum. Ad Sextam. Auerr. in illo 4. commento 2. de Anima loquitur de accidentibus terminatis, nõ autem de indeterminatis cuiusmodi est quantitas de qua nunc agimus. Ad Septimam. Quia propriũ est actus & formæ, terminare & diffinire, quantitas autem interminata, nec ex se, nec ex materia habet vllum certũ terminum, ideo dicitur esse potẽtia & non actu: & sicut materia, quamuis sit actu materia, tamen quia est in potẽtia ad omnes formas dicitur ens in potentia, sic quantitas interminata licèt actu sit quãtitas, tamen quia est in potẽtia ad omnes terminos & figuras quantitatis quas potest accipere ab agentibus naturalibus, vocatur quantitas in potẽtia: & sic est intellectus atque sententia illorum verborũ Auerrois. Ad Octauam. Omne compositũ esse nouũ, intelligit Auerroes de eo quod est verè compositum, cuiusmodi est cõpositum substantiale, non autem accidentale. Ad Nonam. Cum eadẽ secundum rem sit quantitas terminata & interminata, idem erit vtriusque subiectum inhæsionis: Verùm terminata dicitur esse in toto cõposito denominatiuè, quatenus determinatio quantitatis fit, ab agente naturali propter formam substantialem & propter opportunitatem ipsius compositi naturalis. Ad Decimam. Ens per se, prius est simpliciter quàm ens per accidens, sed in hac, vel illa re, nihil prohibet aliquod ens per accidẽs esse prius quàm aliquod ens per se: præsertim si illud sit naturalis & necessaria præparatio atque dispositio ad productionem huius; id quod contingit in materia & quantitate respẽctu formæ substantialis & ipsius compositi. Ad Vndecimam. Illa est simpliciter maior vnio, ex qua fit magis vnum,

vnum, & cũ ex materia & forma substãtiali fiat magis vnũ quia fit vnum ens per se, quàm ex materia & quantitate ex quibus fit vnum per accidens & secundum quid: ideo simpliciter maior vnio est inter materiam & formam substantialem, quàm materiæ cum quãtitate; secundũ quid autẽ illa vnio minor est quàm hæc, quatenus hęc est magis immediata, & indissolubilis. Ad Duodecimam. Quantitas non est principium generationis diuersum à materia, sed pertinet ad causalitatem eius tanquã dispositio necessaria materiæ vt ea queat subiici transmutationi, neque enim materia posset subiici trãsmutationibus Physicis nisi ante quãtitatem haberet: at priuatio habet diuersam rationem principij, nempe tãquam terminus à quo. Ad decimãtertiam. Si forma daret materiæ esse ens & existere in rebus, sine dubio forma substãtialis in materia præcederet quantitatem, prius enim est materiam esse ens, & habere esse quantũ: sed quia materia non est ens nec simpliciter existit propter formam, vt supra ostensum est, id circo argumentum nihil valet. Dicitur autem forma substantialis dare esse simpliciter, quia simul cum materia facit vnum ens per se completum & sub determinato gradu & specie entium constitutum, quod non potest facere vlla forma accidentalis. Ad Decimamquartam. Licèt vniuersa quantitatis moles terminata sit, vtpotè quæ cæli finibus circunscripta tota cõtinuatur, tamen dicitur interminata, propter innumerabiles terminos & figuras quas ipsa quidẽ in se non habet, sed eas potest accipere ab agentibus naturalibus secundum varietatem formarum substantialium quæ inducuntur in materiam; quemadmodum lignum aliquod dici posset informe, ratione formarum artificialiu quas accipere potest ab arte. Ad Decimamquintam. In rarefactione eadem est ratio quãtitatis & materiæ, nã sicut ibi plus existit quantitatis, ita quoque plus materiæ: quemadmodum enim per rarefactionem partes quantitatis multiplicãtur, sic etiam partes materiæ: quare si nolunt in rarefactione vllam materiæ particulã de nouo acquiri, idem quoque sentire debẽt de quantitate. Nos igitur respondemus, acquiri nouum terminum & nouam extensionem quantitatis, non autem nouam partem quantitatis; de qua re alias plura dicẽtur: nã quæstio de rarefactione perdifficilis est, & diligentẽ atque accuratam tractationẽ deposcit. Ad Decimãsextam. Licèt materia prima secundum nos sit ignota, & secundum naturam sit etiam ignota comparatione formæ substantialis, tamẽ est notior simpliciter quãtitate. Etenim Arist. 6. lib. Topicorũ docet id esse notius simpliciter, quod est prius, & à quo dependet aliud, constat autem materiã esse secundum naturã priorẽ

Cur dicatur quantitas interminata.

quãtitate,cum sit subiectum eius, quare si quãtitas definiatur per materiã,non definietur per aliquid ignotius ; posset autẽ conflci huiusmodi descriptio quãtitatis interminatæ. *Quantitas interminata est quantitas,quæ per se nec rotunda,nec quadrata , nec triangularis est, nec habet vllam figuram earum quibus species rerũ naturalium determinantur,sed est in potentia ad eas omnes. Est item prima dispositio materiæ qua materia efficitur idonea vt subiici queat cunctis mutationibus Physicis,& vt in diuersis partibus suis diuersas formas substãtiales simul possit accipere.* Sed indeterminata quantitate hactenus. Posset etiam hoc loco disputari contra eos qui faciunt in materia prima nescio quam inchoationem formarum,sed quòd hęc opinio iampridem exposa est ab omnibus , eiúsque falsitas & absurditas per se manifesta est. superuacaneũ esse duximus ea de re verba facere. Restat vltima quæstio de materia: nam cum explicatũ sit de materia an sit,quid sit,& qualis sit,reliquum est docere propter quid sit.

Quid sit quantitas interminata.

Vide Paulum Soncinatem 7. lib. Meta. q.27.et 28

Propter quid sit materia & de potentia eius duplici.

CAP. XXI.

Triplex relatio materiæ,ad agens,ad formã & ad compositum.

MAteria est propter id ad quod ipsa refertur, triplex autem est relatio materiæ primæ,vna ad agens,altera ad formam,tertia ad compositum. Primò enim materia refertur ad agens sicut potentia passiua ad actiuam,& sicut mobile ad mouẽs. Etenim potẽtia actiua est principiũ trãsmutãdi aliud in quantũ aliud.& potentia passiua est principium, vt transmutetur ab alio in quantum aliud est. Deinde materia refertur ad formã tãquàm potẽtia materialis ad actũ formalẽ , tanquàm perfectibile ad suã perfectionẽ. Est enim forma, finis materiæ,vt est apud Arist.2.Phys.tex.81.& 91.quã rem pulchrè declarat Auer.in lib. de beatitudine animæ extremis verbis ita scribens, *Materia est ens & in seipsa & in sui natura propter formam,& eius perfectio est vt recipiat formam,nam si forma nõ esset neque materia esset.* Postremò forma refertur ad totũ cõpositum vt causa ad causatum, causalitas enim materiæ est in eo,vt ex ea fiat aliquid ita vt insit, id autem quod fit ex materia, est totũ cõpositum ; refertur etiam materia ad cõpositũ vt pars ad totũ , cũ esse partis sit propter esse totius,præsertim eius partis quę non potest per se cohęrere extra totum;hæc autem causalitas, est communis materiæ cũ forma,siquidẽ ambę sunt partes essentiales totius compositi. Relatio autem materiæ ad ipsam transmutationem , non differt vel ab ea quæ est ad agens , vel ab ea quæ est ad formam. Inter has tres relationes is ordo cernitur,vt ordine generationis , relatio ad agẽs, sit

sit prima,ad formã secunda , ad cõpositum tertia. primùm enim materia mutatur & disponitur ab agente, tum accipit formã,ad extremũ,ex cõiunctione formæ cum materia existit cõpositum. Relatio ad agens est extrinseca & viget tantùm in ipso fieri hoc est dũ res fit & generatur;materia enim indiget agente ; vt ab eo trãsmutetur & sic in ea producatur forma , qua producta non est ampliùs opus agẽte. Relatio ad formã & cõpositum,est intrinseca, & cõsistit non modo dũ res fit , sed etiam postquàm facta est, quamdiu res manet , & hæc relatio cõtinet perfectionẽ materiæ. At si spectetur natura ipsius materiæ , principalis eius relatio est ad formã;hanc enim expetit vt turpe pulchrũ , & vt suum actum atque perfectionem; quo fit vt sibi inuicẽ omni ex parte semper aptè respondeant,& sint ad aliquid , vt dicitur 2.Phys.tex.26.forma enim est finis materiæ vt ante diximus. Si autem consideretur intentio naturæ,principalis eius relatio est ad compositũ; natura enim materiam ordinat ad formam , & vtranque ad totum cõpositũ ; hoc enim est quod per se subsistit & quod operationes naturales exercet & quo natura tendit & in quo tandẽ conquiescit. Verùm quia in hisce relationibus materiæ,includitur potentia,eáq; magnas difficultates habet,de ipsa necessariò dicẽdũ est.

Duplex est potentia, vna quę cõuenit materiæ ex sua ipsius vi & natura , altera quæ conuenit ei prout est ab agente destinata & determinata ad hanc vel aliam formam,nam cum materia esse nequeat sine potentia,duplex autem sit materia, prima & secunda,necesse est similiter etiam duplicem esse potentiã, vnam quæ conuenit materiæ primæ,alteram quæ secundæ. Hæ duæ potentiæ variis vocabulis distinguuntur,illa dicitur prima, indeterminata, vniuersalis, remota, cõfusa , essẽtialis materiæ & inseparabilis ab ea:Hæc autẽ appellatur secunda,determinata, particularis,propinqua,distincta,accidẽtalis materiæ , & ab ea separabilis. Vtrauis autem potentia tripliciter accipi potest,vel subiectiuè,& idem est quod materia potens; vel formaliter pro illo respectu & habitudine potentiæ ad actum : vel terminatiuè, nimirum pro ipso actu & forma ad quam terminatur potentia : primo modo, potentia est substantia non differens à materia ; secundo modo, est relatio,vel de prædicamento. Ad aliquid,vel certè transcendentalis;tertio modo , tota spectat formam à qua & vnitatem & distinctionem accipit : posset fortasse etiam quarto modo accipi potentia prout est quædam qualitas secundæ speciei , hoc est naturalis quædam habilitas ad recipiendas formas. Quid autem intersit inter possibilitatem , & potentiam , vide apud Auerroem in libro de Beatitudine animæ cap. 2. vbi vult nomen possibi-

Hanc distinctionẽ potentiæ innuit Auerr.1. de Cælo com.120. Præclara doctrina de duplici materiæ potentia.

Quatuor differētiæ inter potētiam primam & ſecundam materiæ.

litatis eſſe magis intrinſecum & ſubſtantiale rei quàm nomen potentię,& potentiã, inquit neceſſe eſt exire in actũ in aliquo individuo ſpeciei, & in aliquo tempore, at poſſibilitatē minimē. Sed quid inter potentiã primam & ſecundã interſit oſtendamus.

Inter has duas materię potentias,quatuor ſunt differentiæ. Vna differentia eſt,primã potentiã eſſe materię eſſentialē, ſecundam autem eſſe accidentalē. Quòd autem prima potentia ſit eſſentialis materiæ,ex his oſtendi poteſt. Primò, quia multis locis Ariſto. deſcribit materiã per eſſe ens in potentia; quare ſignificat potentiã eſſentialē eſſe materię. Tũ,Auer.in li.de ſubſtantia orbis cap.1. ait potentiã eſſe differentiã ſubſtantialem materię. Deindè ita ſe habet potentia ad materiã,ſicut actus ad formã, ſed eſſentiale eſt formæ,eſſe actũ.ergo ſimiliter eſſentialis erit materiæ potentia. Poſtea Ariſt.lib.8.Metaphyſicæ text.15. inquit ideo ex materia & forma fieri vnũ,quia materia eſt in potentia,forma autē eſt actus: Si igitur potētia non eſſet materiæ eſſentialis, non poſſet vnum quidpiã eſſētialiter fieri ex materia & forma. Præterea, ſi potētia non eſt eſſentialis materiæ, ergo poſſet intelligi materia abſque potentia ad formã,at id eſt contra Ariſt.qui 2.Phy.tex.26. inquit, materiã & formã eſſe ad aliquid, quare non poterit vnũ intelligi ſine altero. Et Auer.4,Phy.com.17. ita ſcribit, *difficile eſt cognoſcere quidditatē primorũ principiorũ nimirũ materiæ & formæ, intelligere aũt materiã ſine forma.eſt impoſſibile.* Poſtremò,materia eſſentialiter eſt incompleta,alioqui non eſſet pars eſſentialis alterius; ergo ordinatur eſſentialiter ad id à quo perficitur & completur, id autem eſt forma; adeã verò dirigi & ordinari non poteſt ſine potentia, eſt igitur potētia eſſentialis materiæ. Quòd autē ſecunda potentia ſit accidentalis materię,hoc modo demonſtrari poteſt. Primò quia ſecunda potentia eſt determinata, eſſentia verò materię;per ſe indeterminata; nullum autem determinatũ eſt de eſſentia indeterminati. Deindè potentię ſecundę ſunt multæ & variæ; verbi gratia,ad hominē,ad equũ & ad alias ſpecies & indiuidua rerum naturalium:at eſſentia materiæ vna eſt. Deniq; potentia ſecunda contrahit & determinat primã,largiendo materiæ diſpoſitiones accidētarias per quas ea fit determinatè habilis ad certã aliquam formam accipiendam; in quibus diſpoſitionibus cum maximè poſita ſit vis ſecundæ potentiæ, non poteſt ea pertinere ad eſſentiam materiæ. Altera differentia eſt, primã potentiã re nõ diſtingui à materia,ſi enim ea,vt dictũ eſt;attingit eſſentiam materię, non poteſt ab ea re diſtingui,alioquin eſſentia materiæ non eſſet ſimplex,ſed compoſita. At ſecunda potentia re diſtinguitur à materia,ſiquidem in ſe cõtinet accidētales diſpoſitiones re diuerſas à materia. Tertia differentia eſt, primã potentiã eſſe vnam, quia eſt vna eſſentia materiæ,& quia talis potentia,conuenit materiæ per ſe ſumptæ, quæ vnò modo indeterminatè & indifferenter ſe habet ad omnes formas, & quia ſi talis potentia eſſet multiplex non eſſet indiſtincta reſpectu formarum: Etenim vbi eſt multitudo ibi eſt diſtinctio: at ſecunda potentia eſt multiplex non ſecus quam forma ad quam determinatè refertur, ſi enim ſunt variæ diſpoſitiones materiæ pro varietate formarum, ſi quælibet forma ſuam ſibi propriam vendicat materiam,denique ſi numerus & diſtinctio huiuſmodi potentiarum ſpectari debet ex formis ad quas referuntur, neceſſe profectò eſt has ſecundas potentias multas & varias eſſe. Quarta differentia eſt,primam potentiam eſſe ingenerabilem atque incorruptibilem;nam cum ſit eſſentialis materiæ,non poſſet abeſſe materia ſine eius interitu,adde quod ſi prima potentia interiret, materia nullã formã poſſet accipere,quare ceſſaret generatio imò cuncta in nihilum recideret. Quamobrem Ariſt.1.Phyſ.tex.82.ait,materiã generari & corrũpi per accidēs ratione priuationis,per ſe autē & ſecundum potentiã ſuã eſſe ingenerabilem & incorruptibilem, & in 5.Metap. tex.5.loquēs de materia ita ſcribit: *item natura dicitur,ex quo primo inordinato exiſtente & immobili ex ſua potentia, aut eſt,aut fit aliquid eorum quæ natura ſunt.* ſecundã autem potentiã neceſſe eſt variè mutari,quemadmodũ cõtingit in ſecundis materiis& in accidētariis diſpoſitionibus ipſius materiæ. Verùm ex iis quæ dicta ſunt de prima illa materię potētia,nonnullæ exiſtũt difficultates, quas deinceps explicare oportet.

Potentia eſt de eſſentia materiæ.

Dubitationes contra ea quæ dicta ſunt de potentia materiæ.

CAP. XXII.

PRima dubitatio quæ primo loco tractari & enodari debet,ſic ſe habet. Aut prima materiæ potētia dicitur eſſe eſſentialis materiæ,quia eſt de ipſius eſſētia,at hoc eſt contra Themiſtium, qui 1.Phyſicorum ſuper tex. 61. in illa ſua nobili digreſſione de potentia materiæ,ait materiã eſſe quidpiã abſolutum,actu exiſtens, eique accidere potentiam: aut dicitur eſſentialis, quoniã eſt proprietas quædã conſequens eſſentiam materiæ per quam natura materiæ nobis innoteſcit; at ſic poſſet materia intelligi ſine potentia, ſicut homo intelligi poteſt, tametſi eum riſibilem eſſe non intelligamus; quod eſt contra Ariſtotel. & Auerr.locis in præcedenti capite poſitis. 2. Dubitatio videtur Auerr.ſibi contradicere, nam in libro de ſubſtantia orbis cap.primo ſcribit potentiam eſſe differentiam ſubſtantialem materiæ,at in 1. Phyſ. commen. 70.ait potentiã non

esse substantiã materiæ, quoniã illa est corruptibilis & de prædicamento Relationis,& in 12.Metaph.com. 11. inquit materiã secundum naturam suam esse vnã, at potentias eius multas esse, & numerum potentiarum esse sicut numerum formarũ; quod non esset verũ si potẽtia esset materiæ essentialis.3. Dubitatio. Si potẽtia materiæ est immutabilis, ergo idẽ numero quod est corruptum poterit redire;quod est contra Arist. in fine 2.lib. de Generat. probatur consequentia, nã si corrupta forma, manet in materia potentia passiua ad illam (quippe cũ potentia materiæ ponatur immutabilis)& omni potẽtiæ passiuæ respõdet aliqua potentia actiua: vbi est autem potentia passiua & actiua,potest esse effectus,ergo posset quod semel interiit idẽ numero regenerari; 4.Dubitatio,quod est in potentia, tandem reducitur ad actũ. ergo si materia est in potentia, erit aliquãdo actu & sic amittet potentiã suam;nam adueniente actu euanescit potentia,at materia, sine omni potẽtia esse nequit. Deinde,si materia est in potẽtia ad omnes formas,aliquando habebit omnes,quibus habitis cessabit generatio:non enim erunt aliæ formæ quæ generari queant; & tunc illæ formæ quæ suapte natura corruptibiles sunt, aut corrumpentur aut non;si corrumpentur, materia remanebit sine vlla forma,si non corrũpentur,erit aliquid corruptibile,quod nunquam corrumpetur, quod est contra Aristot.in 1. lib.de Cælo.5. Dubitatio.An materia sit in potentia ad omnes formas tã indiuiduales quã specificas æqualiter nec ne,merito dubitari & in quæstionem vocari potest.6.Dubitatio. Cũ Philosophi, maximè qui sunt Theologi,dicant aliud esse recipi in materia eámque informare,& aliud educi è potẽtia materię vt patet in anima rationali,merito dubitatur quid sit educi è potentia materię? Sed ad has dubitationes potest breuiter responderi ad hunc modum.

Ad 1.Respõdemus,& si vtraq; opinio probabiliter defẽdi potest,nimirũ primã illã potentiã esse de essentia materiæ, & ipsam non esse de essentia materiæ, sed dici essentialẽ quia est proprietas quædã naturalis materię ex eius manãs essentia;& pro prima opinione testimonij Themistij responderi posset, aut eum ibi loqui de secũda potẽtia materię nõ de prima, aut eum intelligere materiã,non esse ipsam purã potentiam, sed quiddam absolutum in genere entis cui quasi differẽtia quædã accidit potentia: etsi, inquã, vtraq; hęc sentẽtia defendi potest,attamẽ probabilius esse existimamus potentiã dici essentialem materiæ, quia intrinsecè consequitur eius essentiã tanquàm proprietas quędam naturalis.Sic enim (nisi nos fallimur) de natura materiæ cogitandum est;eam esse ens quoddam,(vt est apud Simplicium 2.de Anima, com.

An prima potentia sit de essentia materiæ.

com.2.) tenuissimum & imperfectissimum ens inquam absolutum quidem entitatiuè,sed omnino incompletum specificè,cuius eiusmodi est natura,vt ab agentibus naturalibus variè mutari & formari queat, quam consequitur summa & propè infinita quædam habilitas accipiẽdi omnes formas naturales. Itaq; sicut naturam fieri consequitur habilitas quædã vt ex illo gladius effici possit, naturam ceræ, mollities & flexibilitas quã ad omnes figuras accõmodari potest:similiter etiam cogitandũ est de natura materiæ.Hæc autẽ habilitas seu potẽtia,simpliciter & qualitas secundæ speciei,adiunctũ habens respectũ ad formã, non re. sed ratione tantùm differens à materia. Dicitur autẽ hæc potẽtia essentialis materiæ,quatuor ob causas:primò, quia immediatè & intrinsecè fluit ex essentia materiæ;tu quod per eam essentia materiæ ordinatur ad formã;deinde quod ex materia & forma propter actum huius,& potentiã illius,efficitur per se ac essentialiter vnũ quoddã compositum;postremò, quod cum natura materiæ maximè fugiat intelligẽtiam nostram, ponitur loco differentiæ substãtialis,ipsa potẽtia,ita vt materia sine notione potentię;nec definiri,nec intelligi à nobis possit.Ad 2 Auerroes in lib. de substantia orbis,loquitur de prima potentia,quã vocat differentiam substantialem materiæ, intelligendo eo modo, quo paulò ante exposuimus;in primo autẽ Physi. & in 12. Metaphysicæ loquitur de secunda potentia vel de prima accepta formaliter aut terminatiuè,hoc est pro nudo ipso respectu potentialitatis, vel termino respectus,qui est forma. Ad 3.Sicut ad generãdum quidpiam nõ sufficit prima potẽtia materiæ,sed necessaria est secunda potentia,quippe quæ cohibet in se dispositiones congruẽtes formæ procreandæ ita etiã ad regenerandũ idem numero quod iam interiit,non satis est eandẽ manere in materia illã primam potentiã,sed oporteret manere secundã, quæ tamẽ vna cũ forma corrupta prorsus interiit, ex quo fit vt quod semel corruptũ est;idẽ numero redire nequeat.Verũ hæc de re alias subtiliùs disserendũ est.Ad.4.Duplex potẽtia cernitur in rebus naturalibus : vna quæ tota simul reducitur ad actũ, quomodo æs dicitur potẽtia statua, & aër potentia ignis : altera,quæ nunquã tota simul reducitur ad actum,sed tantùm successiuè, ita vt simul cum actu semper admixtum sit aliquid potentiæ, talis est potentia continui, motus, tẽporis & materiæ primæ, itaque potentia materiæ reducitur ad actum omnium formarum,non simul vt omnes in se habeat, id enim est impossibile, sic enim existeret actu infinitũ, & omnia cõtraria simul actu essent,sed successiuè, & nunquã cessabit generatio ob insatiabilẽ appetitum materiæ & sempiternũ motũ,

Quatuor ob causas potẽtia dicitur essentialis materia.

Potentia dupliciter reducitur ad actum

atque efficientiam orbium cœlestium. Quemadmodũ igitur diuisio continui nũquam potest terminari & absolui, sic appetitus & potẽtia materiæ nũquã omnino expleri, & vt ita loquar, actiuari potest. Hanc potẽtiæ distinctionẽ tradit Arist. 2. Phy. 57. & 8. Met. tex. 11. Ad 5. Potentia materiæ non æqualiter spectat formas indiuiduales & specificas: si quidẽ inter has multũ interest: primò quod illæ sunt infinitæ, hæ autẽ determinatæ, tum quod hæ sunt omnes simul, nulla enim species deesse potest vniuerso, alioquin non esset perfectum: illę autẽ minimè; postea quòd potentia materiæ ad formas specificas nunquã frustratur, sicut eam frustrari contingit in formis indiuiduis, nõ enim omnis generatio formæ singularis completur, sed nonnunquàm impeditur. Ad 6. Apud Christianos Philosophos, & Theologos, aliud est aliquid esse formã materiæ, & aliud esse formam omnino materialem; illud enim dicitur esse forma materiæ, quod dat esse materiæ & simul cũ ea facit vnũ compositum essentiale, quod sit ens specificè cõpletum & absolutũ; id autem vocatur forma materialis quod est eductum è potẽtia materiæ, eíque immersum, & ab ea inseparabile. Quocirca anima rationalis dicitur forma materiæ, propriè autem non appellatur forma materialis. Vt autem planius intelligatur quid sit educi è potentia materiæ, exponemus quinq; proprietates, quas habent formæ omnes eductæ ex potẽtia materiæ. 1. est, quod tales formæ, producuntur ab agentibus materialibus, per actiones materiales, & per dispositiones materiales, hoc est hærentes & infixas in ipsa materia. 2. est, quòd tales formæ pendent in fieri à materia, hoc est, nõ possunt gigni nisi intra materiã, eíq; penitus copulatæ, non enim per se producũtur & extrinsecus aduenĩũt & adiungũtur materiæ. 3. est, quod pẽdent à materia in esse nã extra eam materiã in qua ab initio productæ sunt, ne puncto quidem temporis, aut per se subsister e, aut in alia materia, existere possunt: sed plane idem est eas separari à sua materia, quod ipsas penitus interire. 4. est, quòd pendent à materia in operationibus suis, ex quo fit, vt operationes huiusmodi formarum, subiectiuè non sint in forma, sed in toto cõposito. 5. est, quod pendent à materia quiditatiuè, quamobrem sine ea nequeũt, aut definiri, aut perfectè intelligi. Eas igitur formas, materiales & eductas ex potentia materiæ appellare oportet, in quibus inerunt prædictæ quinque proprietates. Porrò, si quis quærat, an materia sit in potentia ad animam rationalem, respondendum est, secundum veritatem materiam esse in potentia ad animam rationalem, vt eam recipiat, & vt ab ea accipiat esse humanum, & simul cum ea conficiat hominem; non esse autem in potentia ad eam perinde

Quid sit educi è potentia materiæ.

An materia sit in potentia ad animã rationalẽ.

perinde atque est ad cæteras formas, materiales non enim anima rationalis educta est ex potentia materiæ, quocirca ex supradictis quinque proprietatibus quæ conueniunt in formas penitus materiales vltimam tantùm habet, quatenus nimirum est forma materiæ, & pars essentialis humanæ naturæ. Vide hac de re D. Thom. in 1. p. q. 90. art. 2. ad 2.

De priuatione.

CAP. XXIII.

Dicta sunt de materia prima, ea, quæ ad obscurã & abditã naturã eius peruestigandã atque cognoscẽdam conferre videbantur. Nũc dicendũ est de Priuatione, quæ cũ hæreat in materia, nec ab ea re differat, eiusque causſa vim & rationẽ principij obtineat, simul cũ illa tractari debuit. De hac igitur si pauca dixerimus, finẽ huic libro imponemus. Priuatiõ duobus modis sumitur, vel pro absentia eius formæ quæ iã fuit vel esse debuit, quomodo cæcitas est priuatio visus; vel pro absentia eius formæ, quæ nec esse debuit, sed quæ futura est, & sic priuatio ponitur principium generationis. Inter has duas priuationes hoc interest, quod in priori, potest fieri mutatio ex habitu ad priuationem, sed non contrà, vt ex visu ad cæcitatem, nõ autẽ ex cæcitate ad visum: in posteriori autem contra accidit, nam fit mutatio ex priuatione ad formam, non autem ex forma ad priuationem. Rursus prior priuatio duplex est, vna quæ non solum ex subiecto aufert formam, sed etiam habilitatẽ & dispositiones ad eam recuperandã, vt cæcitas in oculo; & ab huiusmodi priuatione non fit regressus ad habitũ: altera est quę ita ex subiecto aufert formã vt in eo potentiã relinquat eam recuperandi, vt tenebræ in aëre, ignorãtia in intellectu: & in huiusmodi priuationibus fit vicissim mutatio inter habitum & priuationem. Ex qua distinctione perspicuè cerniuur, quomodo intelligendum sit id quod Arist. in post prędicamẽtis ait, à priuatione ad habitũ, nullũ esse regressum. Posterior itẽ priuatio duplex est, vna remota, sic terra dicitur habere priuationẽ formæ hominis: altera proxima secundũ quã semẽ dicitur habere priuationẽ hominis, inter quas id est discriminis, quod à remota priuatione ad formã fit trãsitus interiectis ante multis mutationibus, à proxima verò, vnica tantũ interponitur mutatio per quã forma acquiritur. Vnde quemadmodum potentia materiæ, alia est prima, quæ cõuenit materię vt est indifferẽs ad omnes formas, altera est secũda per quã materia certam aliquã formã præfinito respicit: sic etiã priuatio, nã potentia materię semper habet adiunctam priuationem. Verum

De variẽtate priuationum doctrinæ Peripatẽtica.

priuatio,quæ est principium generationis,de qua Arist.loquitur, 1.Phys.non est prima,quippe quę sit vna tantũ,& incorruptibilis, & non sufficiens ad inchoandam generationem,sed est secunda, quæ secundum Alexandrũ 2.lib.naturalium quæstionum cap.11. definiri potest hoc modo. *Priuatio est absentia formæ naturalis generandæ,in subiecto apto eam recipere.* Cur autem sit principiũ generationis, causa est primò, quia in trãsmutatione naturali habet se vt terminus à quo. Deinde,quia omne quod fit,ex opposito fit quod per se quidem est priuatio,ex accidenti verò potest esse, vel contrarium,vel medium.Deinde quod generatur, necessariũ est, vt & antea non fuerit,& vt esse potuerit, hoc autem est priuatio.

Cur priuatio dicatur principiũ per accidens.

Sed cur Arist.1.Physic.66.vocat eam principium per accidens?an quia res naturalis fit ex materia,quam accidit esse priuatã ea forma quæ producitur?an quia res naiurales non indigent priuatione,nisi dum fiunt,cum primùm autẽ obtinent esse, dimittunt,ac depellunt priuationẽ?an potius quia,vt placet Alberto, priuatio requiritur in generatione propter materiã,hæc enim non posset moueri ad formã,nisi adiunctam haberet priuationẽ? Quoniam igitur priuatio neque remanet in re generata, neque re differt à materia,& prope est non ens,idcirco ipreta fuit ab antiquis, nec est numerata in principiis rerum naturalium.

Sed hoc loco existunt octo dubitationes, quas ad id quod agimus plurimum interest,diligẽter explicare. Prima dubitatio est hęc.cũ priuatio sit absentia formæ,quę absentia re idem est,quod ipsa forma,cur priuatio dicitur potius esse idem re cum materia quàm cum forma?Secunda.Si potentia materiæ in se cõtinet absentiam formæ & habilitatẽ ad eam,quod enim potest esse,id & non est & aptum est esse,cur magis priuatio ponitur tertiũ principium generationis,quã potẽtia materiæ? Tertia.Si priuatio accedit & decedit materiæ non secus quam forma, ergo sicut formæ est priuatio, sic etiã ipsius priuationis,erit priuatio, & ita res abiret in infinitum.Quare.Aut priuatio est ens reale, aut non; si est ens reale,quomodo Aristoteles appellat eã per se non ens, si non est ens reale?siue sit ens rationis,siue nihil, quomodo potest esse principiũ entis realis?Quinta Arist.1.Phy.tex.43. & 47. ait omne,quod fit,ex opposito fieri, hoc est ex contrario, vel medio, ergo,si propriè loquamur,priuatio per se non est principium generationis.Sexta.Non videntur esse tantùm tria principia rerum naturalium.Nam si priuatio quæ est non ens, & per accidens cõcurrit ad generationem,constituitur principium, quanto æquius est causam efficientem & finem, quantitatem & dispositiones materiæ,locum item & tempus numerari in principiis? Septima

Potest

Potest etiam dubitari,vtrum nomen principij de his tribus materia,forma,& priuatione dicatur vniuocè, an secundum prius & posterius,& de quo principalis dicatur? Octaua.Cum priuatio sit non ens,dubium est,vnde habeat vnitatem,distinctionem, definitionem,atque cognitionem.

Soluuntur & explicantur supradictæ octo dubitationes.

CAP. XXIIII.

VErũ hisce dubitationibus facilè occurri potest.Ad primã hoc modo respõdemus,duas ob causas nõ dicitur priuatio esse idẽ cum forma;primùm quia priuatio hęret in materia,& cum ea inchoat motũ, nec ei aduersatur sicuti formę;vtpote qua adueniente continuò priuatio euanescit.Deinde,quia priuatio prẽter absentiam formę,includit vel ad significat potentiam,quæ est in materia ad formã accipiendã; denique materia est,quæ dicitur priuata quãdiu non habet formã. Itaque priuatio est in materia quandiu abest forma; cum primũ autem aduenit,priuatio esse desinit; quamobrem meritò priuatio refertur potiùs ad materiam,quàm ad formam.Ad Secũdam.

Cur potẽtia non sit principiũ

Quoniam priuatio propriè,principaliter, & vt nunc loquuntur, formaliter,significat non esse formæ;quam ob causam in transmutatione est terminus à quo potẽtia autem propriè quidẽ tantùm significat habilitatem ad formam,ex consequenti verò non esse actu formam in materia, idcirco potentia numeratur idem principiũ cum materia,priuatio autem diuersam principij rationem obtinuit. Nam in omni mutatione Physica tria sunt veluti principia,terminus à quo,terminus ad quem,& subiectum potẽs accipere terminum ad quem.Itaque in ratione principij, potẽtia adnumeratur & adiungitur subiecto seu materię,priuatio autem quæ est terminus à quo, ceu diuersum à materia principium numeratur.Ad Tertiam.Ad hanc dubitationem ita respondet Simplicius,quemadmodum nec absentiæ est absentia,nec præsentiæ præsentia;ita neque priuationis est priuatio; alioquin res procederet in infinitum,priuatio enim est absentia formæ,& vt vocãt, entis positiui, cum igitur priuatio non sit habitus,neque forma, neque ens vllum positiuum,non potest esse priuationis priuatio.

An priuatio sit ens reale.

Ad Quartam.Aliud est quærere, an aliquid sit priuatio realis & aliud,an priuatio sit ens reale.Etenim cæcitas(verbi gratia) priuat oculum aliquo ente reali,nimirum facultate videndi,quã ob causã vocari debet priuatio realis:at cęcitas nõ est ens reale,immò nullum esse positiuum habet, & si quod habet, id est ens ra-

tionis,quod fingit mens formãdo huiusmodi propositiones (cęcitas est priuatio visus,vel cęcitas est tolerabilior,quàm surditas) in quibus,cæcitas concipitur,& apprehenditur à mente perinde atque haberet aliquod esse. Si quis autem obiiciat priuationem percipi à sensu:nam vt est apud Arist.in 2.de Anima ; visus percipit lumen & tenebras,& similiter alij sensus, habitum & priuationem circa suum obiectum;Respondendum est,si priuatio per se à sensu perciperetur, necessariò fore ens reale ; cum autẽ percipiatur ex accidenti , & ex absentia formæ vel habitus ,visus enim percipit tenebras aëris quatenus animal sentit suum visum nõ percipere lumẽ aëris,nec ab eo pati & affici,id manifestẽ declarat eam non esse ens reale:quo licet intelligere; quamuis priuatio sit principium rerum naturalium,tamen quia non est principium per se sed per accidens nec in esse,sed in fieri tantùm,idcirco non posse concludi eam esse ens reale.Ad Quintam Huius dubitationis solutio petenda est ex Alexandro libro 2.quæst. naturalium , cap. 11. vbi ait res naturales per se fieri ex priuatione, quia oportet id quod fit,antea non esse,& posse esse;id autem nihil aliud est,quàm priuatio;per accidens autem fieri ex cõtrario, quatenus accidit materiam,quę est priuata vna forma,esse sub alia contraria ; verùm res non fit ex contrario vt contrarium est, sed quatenus vnum contrarium habet adiunctam priuationem alterius.Neque res fieri ex contrario,per se locum habet , nisi in mutatione,quę est in qualitatibus.Nam in substantia,& quãtitate per se nulla est contrarietas.Ad Sextam.Tria tantùm sunt interna generationis naturalis principia,nã cum generatio sit quędã mutatio intrinsecè petit terminum à quo & ad quem, & subiectum quod mutetur ; cætera verò quæ ad generationem concurrunt,aut sunt principia externa vt efficiens ; aut dispositiones materiæ,quibus præparatur ad accipiendã formam,vt quantitas, & qualitas;aut sunt circunstantiæ , quæ generationi extrinsecus necessario adiunctæ sunt;vt locus,& tempus.Cum autem eadem res sit forma & finis, meritò dubitari potest , an ea res sit principium generationis vt finis,an vt forma ; sed huius dubitationis explicatio reiicienda est in sequentem librũ sextum in quo proprie agendum est de forma.Ad Septimã. Placet nobis sententia Alberti magni,quã is accepit ab Auer.& Auicenna, nomen principij de his rebus dici secundum prius ac posterius ; primùm enim dicitur de forma,nã in generatione,forma est finis ad quem vniuersa tẽdit generatio;in esse autem rei naturalis etiam forma est principalis causa , si quidem vel est tota quidditas rei naturalis,vt Peripateticis visum est,vel certè principalis eius pars , de quo

Nota doctrinam Alexandri.

Nomen principij non dicitur æqualiter de forma materia,& priuatione.

quo nemo adhuc dubitauit. Adde,quod priuatio est propter materiam,materia autem propter formam. Deinde secundum locum in numero,&dignitate principiorum,vendicat sibi materia; Vltimum verò priuatio;hæc enim cum neque sit ens,neque permaneat in re generata, non est causa nisi per accidens , atque ob eam rem infimum in principijs locum obtinet. Ad Octauam. Priuationes sunt eędem,aut diuersæ inter se,non aliter quàm formæ quarum sunt priuationes,vt si formæ aut numero,aut specie, aut genere differant , sic etiam distingui necesse sit earum priuationes:vt duæ cęcitates numero, cæcitas & surditas specie,cęcitas verò& priuatio hominis,genere differunt inter se.Quocirca licèt priuationes per se non reponãtur in categorijs tamen reuocãtur in categorias earum rerũ quarum sunt priuationes: atq; huius rei causa,est, quia priuatio ita habet vnitatẽ & distinctionẽ , vt esse, esse autem priuationis non est aliud quàm esse absentiã formę;ex quo item efficitur priuationem nõ posse aliter cognosci, aut definiri quàm per formã.Quamobrem in 6.li. Topicorum scriptũ est, quædam esse genera oppositorum quæ per se inuicem definiuntur,qualia sunt relata;alia verò quorum vnum definitur per alterum,id autem non vicissim per illud,huiusmodi sunt habitus & priuatio,etenim habitus ponitur in definitione priuationis,priuatio verò non adhibetur in definitione habitus , neq; id accidit sine causa.Nam vt est apud Arist.1.de Anima, tex. 85. rectum est iudex sui & obliqui,obliquum autem neque suipsius , neq; alterius;sicut enim res est , ita cognosci debet ; cum autem priuatio non sit aliud quam absentia formę, non aliter quam per formam definiri,aut intelligi potest. Atque hæc quidem dicta sint de materia & priuatione.

Vnde sumatur vnitas & distinctio Priuationis.

FINIS QVINTI LIBRI.

DE FORMA.

LIBER SEXTVS.

Quanta sit præstantia formæ.

TERTIVM generationis principium, vltimum quidem ordine temporis, sed dignitate primũ & summum, est forma. Hæc enim est diuinum illud bonũ quod à materia perpetuò expetitur, sine quo ipsa esset rudis, deformis, & quodammodo non ens. Hæc est tanquam domina & regina, cuius obsequiis & vsibus addicta & mancipata sunt accidentia: omnia enim accidentia aut sunt præparationes & affectiones materiæ ad accipiendam tuẽdamque formam, aut velut instrumenta quædam ad eius actiones obeundas. Hæc est finis agentium naturalium, in quo assequendo laborant, quo adepto conquiescunt, & perfecta iudicantur & speciem quandam æternitatis atque diuinitatis consequuntur. Hæc rebus compositis nobilitatem atque perfectionem tribuit, & in latissima entis regione certam fixámque sedem & gradum præfinit, & suam cuique rei notam atque characterem imprimit, quo à nobis & intelligi & nominari, & à cæteris rebus distingui possit. Hæc est fons omnium actionum & motuum naturalium & admirabilium operum architectrix, cuius in fingendis formandisque rebus vim, atque solertiam, nulla vel ars, vel industria, vel intelligentia hominum perfectè imitari & consequi potest. Hæc vna maximè continet mundi pulchritudinẽ & ornatum: ex forma enim manat & pendet multitudo, varietas, & dispositio rerum, earumque naturalis inter se tum conuenientia, tum etiam repugnantia, in quo præcipuè consistit vniuersi decor & præstantia. Hæc denique est quasi apex & fastigium humanæ sapientiæ. Etenim perfecta cuiusque rei cognitio ducitur ex caussis, in quibus principem locum forma obtinet; nam cum ea sit quod quid esse rei, per eam quid quæque res sit cognosci debet; qua cognitione nulla (iudicio Arist. 3. Metaph. tex. 10. & 7. lib. 1 ex. 4.) melior aut præstabilior esse potest. Rectè igitur Aristo. ait, tametsi vtráque caussa, hoc est materia & forma studiosè ac diligẽter à Physico

sico requirenda & considerandа sit; formam tamen, quæ finis est materiæ, maiori studio & cura cognoscendam & tractãdam esse. Quãobrem is nonnunquã reprehendit veteres Philosophos, quod in vnius materiæ contẽplatione & explicatione penitus occupati & defixi, nunquam animum attenderint ad formã, eámq; vel omnino prætermiserint, vel certè per quàm leuiter & obscurè attigerint. Quo in vitio (ne nos etiam qui de rebus Physicis agimus, hærere videamur) quemadmodum superiorem quintum librum in declaranda materia consumpsimus, ita hunc sextum librum ad explanandam vim & naturam formæ, cõferemus. Sed vt quæ dicturi sumus, perspicuè ac distinctè tractentur distributa est hæc disceptatio nostra de forma in duas partes, in priori agitur de forma simpliciter & absolutè: quæ pars explicatur hoc sexto lib. in posteriori verò ea ratione quatenus est natura, quo modo videtur eam tractasse & considerasse Arist. initio 2. li. Phy. & hæc tractatio in septimo libro proximè sequenti continetur. Atque ita fiet ex hac tractatione nostra, vt quæ Aristo. concisè & inuolutè scripsit de natura, ea tum explanationibus, tum etiam disputationibus nostris, apertiora & illustriora existant.

De formæ nominibus & varietate.

CAP. I.

DIsputationẽ de materia & priuatione, sequitur hęc de forma; quæ quanquam magna ex parte est Metaphy. tamen quoniam in explicanda Physiologia frequens fit mentio formæ, explicanda nobis sunt ea quæ pertinent ad formas naturales: Metaphysicis verò tum formas, tum etiam quæstiones quę habentur de formis naturalibus, aut omnino omittemus, aut certè eas nec subtilissimè nec accuratissimè (quoniam esset id instituto nostro minimè consentaneum) persequemur. Antè verò quàm aggrediamur ad disputationem, declaranda sunt varia formæ & nomina & genera. Nomina hæc sunt. *Forma.* quod formet poliátque ruditatem & informitatem materiæ: *Species.* vel quòd sit pulchritudo atque ornamẽtum materiæ, hanc enim inquit Aristo. expeti à materia vt pulchrũ à turpi: vel quia, vt visus ex sua quamque rem specie dignoscit, ita mens naturam cuiusque rei cognoscit ex illius forma ac specie. *Ratio.* hoc est definitio, hæc enim formam rei declarat, & vt ait Arist. 2. Phy. cap. de caussis definitio & eius partes ad caussam quæ forma est referuntur. *Quod quid erat esse*, quidditas enim atque es-

Varia nomina formæ.

sentia cuiusque rei, vel solùm, vel præcipuè est in forma. *Actus*, vt enim per materiam res est in potentia, ita est per formam in actu: vide Arist. 2. Physic. tex. 11. & 12. ἐντελέχεια. sic enim vocat Arist. lib. 2. de anima tex. 2. quod verbum è verbo exprimentes dicemus Latinè perfectum habitum, aut perfectionem habitam, vel vno verbo cum Hermolao perfecti habitam, cum enim res habet formam, tunc perfecta est generatio, quamobrē Arist. libr. 1. de generatione inquit præsentibus habitibus, id est formis cessare motum. *Terminus*. sic etiam appellatur ab Arist. 3. & 4. li. Phy. & 1. de Gener. Materiam enim per se indefinitam determinat & contrahit ad certum aliquod genus rerum, & sicut agri terminis, sic res ipsæ distinguuntur formis. *Exemplar*. sic vocatur 2. Phys. c. de causis propterea quod vt Simplicius, Themistius, & Alexander interpretantur; quemadmodum exemplar est in animo artificis præscriptum, definitumque, sic cuiusque rei natura est definita & determinata per formam; vel quia sicut artifex facit opus ad similitudinem exemplaris quod gerit in animo, sic agens naturale producit effectum ad similitudinem eius formæ quàm in se habet. Hęc de nominibus, deinceps formarum genera distinguamus. Plato duo nouit formarum genera, vnum expers materię & particeps intelligentiæ, quod vocat exemplar, ideam, per se ens: alterum coniunctum cum materia, quod appellat vel imaginē, vel similitudinem. Secundum Arist. alia est forma naturalis, alia artificiosa: naturalis, alia substātialis; alia accidentalis; substātialis, alia informās & dās esse, quæ est pars rei vt forma equi & hominis: alia est assistens quomodo intelligētia dicitur anima & forma cœli: informās, alia separabilis à materia qualis est anima rationalis, alia inseparabilis, cuius sunt quatuor gradus, forma elemētorum, mixtorum, stirpium, animalium, sed de varietate formarū supra lib. 2. c. 5. nonnulla etiam explicauimus. Nobis autem disserendū est de forma Phy. substātiali, informāte, & inseparabili. Excludimus igitur ab hac disputatione formas artificiosas, Metap. mathematicas, accidentales, & animā rationalem, quæ vt peculiarem habet naturam & excellentiam, ita peculiarem quoque deposcit explanationem, quam in fine huius libri adhibebimus. Porrò huius disputationis distributio quadripartita erit: primùm. n. agetur de forma per se sumpta, disserendo an sit, quid sit, qualis sit: Tum de forma respectu materiæ: deinde, respectu compositi: post, respectu operationum.

Varia formarū genera.

An

An sit, & quid sit forma.

CAP. II.

ESse formam substātialem in reb. naturalibus re diuersam à materia prima & accidentib. licet (vt multi putant) non omnino firmis & necessariis rationib. euidenter cōcludi possit, tamen potest argumentis satis profectò verisimilib. & probabilibus ad hunc modum ostēdi. Primo ex compositione, res enim naturales sunt substantiæ compositæ, oportet igitur præter materiam, esse aliam partem componentem quæ sit substantia, hæc autem est forma. Tum ex ipsa existentia, res enim naturales existunt per se determinatæ ad aliquam speciem, quæ quidem existentia à substantia proficiscitur, at non à materia, quippe quæ aut nullā ex se habet existentiam, aut ea certe est indefinita: proficiscitur ergo à forma. Deinde ex distinctione, si enim non esset forma substantialis, cum materia prima sit vna & cōmunis omnium rerū, omnes res naturales eædem essent secundum substantiam & quidditatē, nec differrēt, aut genere aut specie, quod non esse possibile, confirmat Arist. 1. Phy. tex. 24. Postea ex operationibus: singulæ enim res proprium habēt motum & operationē, vt magnes vim trahēdi ferrum, quæ vis manat à substantia rei, non quidē à materia, si quidem ea vim tantùm habet patiendi, & huiusmodi vis ac facultas esset in cunctis rebus naturalibus in quibus est materia, nec ab accidentibus, vide Arist. 2. de Gen. tex. 54. & 55. Nam quod ipsa agāt præfinitò & accōmodatè ad suā cuiusq; rei speciē, non habēt ex se, sed à substantia specifica, cuius sunt instrumenta. Præterea ex generatione; Nā si nulla est forma substātialis, nulla itē est generatio, Etenim nec generatur materia, nec productio accidentium est generatio, sed alteratio. Postremò ex propria cuiusque rei natura, si enim nulla est forma substantialis, quæro vnde spectāda sit natura, atq; esse cuiusq; rei? non ex materia, hæc enim cōmunis est omnium, ex accidētibus igitur, at quibus, cōmunibus ne? sed quod est cōmune non potest dare propriū esse: an ex propriis? Verùm si tollas formā substantialem, nulla potest reddi caussa, cur aliqua sint accidentia aliquorū propria, & cum vnius rei multa sint propria, accidētia, vt hominis habilitas ad ridendū, ad ratiocinandū, & ad disciplinas accipiendas, vnum autē sit esse cuiusq; rei, à quo illorum accidentium id sumendū erit? Quod si dicas esse rei non sumēdum ex vno aut altero accidenti, sed ex omnium complexione & coniunctione, quæ quidem vniuersa accidentiū omniū copulatio ita reperitur in vna re vt non sit in alia; Primum ista accidentiū vnio est per accidēs. Nam conflatū ex multis rebus diuersa

Multis argumentis probatur esse in rebus formā substātiale.

rum categoriarum &diuersorum accidentium est vnum ens per accidens,quare talis vnio non potest facere vnũ ens per se qualis est substantia cõposita:Deinde,si nullum illorũ accidentium per se facit substantiã,ergo nec illorum vnio;quippe quæ nil aliud sit quam quædã relatio:Vide Arist.2.de Genera.tex.40.& 41. Postremò quæro vnde fit hæc tota accidẽtium vnio?si enim facta est ea su non est de substantia rei; si per se, quæ nam est caussa? Nam materia ipsa vna est atque indifferens ad omnia accidentia; horum quodlibet per se non requirit talem vnionem.quid ergo est quod eam hoc;vel alio modo & gradu requirat si tollatur forma substantialis?Ex his igitur perspicuum est formam substãtialem esse in rebus.

Quid sit forma.

Quid autem sit forma substantialis, breuiter exponamus.Arabes eam definiunt esse participationẽ primi actus,impressam rebus,& primum actum vocant,vel Deum vel ipsum esse. Platonici aiunt esse Diuini exemplaris imaginem expressam in materia.Aristoteles inquit esse rationẽ & quod quid erat esse rei, quæ definitio ex iis quæ deinceps tractanda sunt apertior & explicatior existet.Deinceps qualis sit forma naturalis ostendamus.

Qualis sit forma naturalis.
CAP III.

Formas Physicas esse generabiles, corruptibiles & inseparabiles.

QVò melius intelligatur qualis sit forma tria, sunt declaranda.Primò,an omnes formæ Physicæ sint generabiles & corruptibiles;Deinde,an sint extẽsæ & diuisibiles?Postremo,an sint cõmunicabiles.Omnes formas Physicas esse generabiles,tũ per inductionẽ experientiã manifestum est,tum etiã hac ratione demõstrari potest;si enim non sunt generabiles, ergo vel sunt ex nihilo productæ per creationem,at sic non essent formæ Physicæ,id est materiales,de quibus nunc agitur,cum nec per motum Physicũ neque ab agẽte Physico,nec ex subiecto Physico producerẽtur: vel omnes ab æterno essent in materia,sed hoc modo nulla esset generatio, & ruerent quæ ab Arist.in 1.Physic.scripta sunt de principiis rerum naturalium,quæque à nobis superiori libro disputata sunt de potentia materiæ ad omnes formas.Neque verò existimandum est quasdam formas esse æternas nõnullas,creabiles,alias generabiles.Nam neque ostendi potest quæ sint primi & secundi aut tertij ordinis,& cum omnes sint materiales quarum eadem est natura eandem quoque oportet esse conditionem. Sed dicet aliquis,Arist.7.& 12.lib.Metaphys.affirmare neque materiam neque formam generari,sed totum compositum,ergo nulla forma est

est generabilis.Respondendũ est.Arist.illis verbis significare voluisse formã nõ generari per se atque separatim à materia,sed eã generari in materia,quod nihil aliud est quàm generari ipsũ cõpositũ:nã compositũ non est aliud secundũ rem,quàm materia & forma simul & naturaliter iuncta. Similiter etiam demonstrari potest omnẽ formã Phy.esse corruptibilem Nà quod habet materiã in qua est potentia cõtradictionis ad esse & non esse, quod habet cõtrariũ,quod est generabile,quod aliquãdo cœpit esse,necessariò est corruptibile & aliquando tandẽ esse desinet.Sed quid dicemus de forma Cœli, siquidẽ Cœlũ (vt placet multis) cõpositũ est ex materia & forma?Verùm neqi nos in præsentia de aliis formis agimus quàm de iis quæ de nouo producuntur; neq; desunt multi cum primis graues ac illustres Peripatetici,qui compositionem ex materia & forma substãtiali,in cœlo nullã esse arbitrantur.Ac ex his concludi potest nullã esse formam Physicam quę à materia separata possit existere.Nam,si est forma materialis hoc est ex materię potẽtia educta (eductũ autẽ esse ex potẽtia materiæ nihil aliud est vt præcedenti libro explicatũ fuit, quàm dependere à materia in fieri,in esse, in operari & in definitione) sequitur taliũ formarũ separationẽ à materia,esse ipsũ earũ interitum.Deinde si extra materiam subsisterent operarentur ne aliquid?si nihil,essent otiosæ & frustra illum statum essent sortitæ;si aliquid agerent,vel illa actio esset motus Physicus,at nullus motus Physicus esse potest sine materia:vel non esset,ergo neque illæ formæ essent Physicæ.Postremò:sicut postea existere possent sine materia,sic à principio produci potuissent sine materia, ergo non essent formæ generabiles & Physicæ.

Omnes formas materiales esse extẽsas & diuisibiles.

An verò formæ naturales sint extensæ & diuisibiles nec ne; deinceps breuiter exponendũ est.Nulla forma est per se diuisibilis:nam diuisibilitas & extensio sunt propriæ quantitatis affectiones,quæ non possunt ad cæteras res pertinere nisi per accidens,& propter ipsam quantitatem.Omnes autem formæ materiales sunt extensæ atque diuisibiles per accidens,nempe ratione subiecti in quo sunt.Cuius rei hæc est & breuis,& propria,certáque demõstratio. Quicquid recipitur in subiecto quãto,ex illius potẽtia eductum,in illo diuisibiliter productum,& ab eo penitus depẽdens,necesse est id esse extensum ac diuisibile, alioquin vel nulla forma siue accidentalis, siue substantialis esset diuisibilis, vel certè nulla posset reddi caussa,propter quam forma materialis esset diuisibilis:sed omnes formæ naturales sunt huiusmodi, vt perspicuum est ex iis quæ supradicta sunt de quantitate interminata quæ est materiæ coæua,& præcedit formas substantiales

tanquam necessaria materiæ dispositio ad eas accipiendas: omnes igitur formæ naturales sunt per accidens extensæ atque diuisibiles. An verò animæ perfectorum animalium, vt equi & Leonis, non sint extensæ ac diuisibiles secundum quantitatem materiæ, vt sentire videtur D. Thomas 1. part. quæst. 76 art. 8. lib. 2. contra Gentes, cap. 72. non est huius loci disputare: hic enim de formis Physicis vniuersè tantùm agimus. Quanquam ea ratione qua proximè antè vsi sumus, omnes formas materiales, qualescunque fuerint extensas & diuisibiles esse necessario concluditur. Ex quo facilè intelligitur, quomodo formæ Physicæ sint mobiles: non enim sunt mobiles per se, siquidem, vt demõstratur 6. Phy. tex. 32. omne quod mouetur debet esse diuisibile. Quamobrem Arist. in 5. Phy. tex. 5. ait formas ad quas fit motus, esse immobiles, per accidens autem mouentur motu compositi cuius sunt partes; nam vt dicitur in 4. Phy. partes mouentur propter motum totius; & vt in secundo Top. scriptum est, motis nobis, mouentur omnia quæ sunt in nobis. Sed videamus quod tertio loco propositum fuit, an forma omnis Physica sit communicabilis multis.

Quomodo forma sit communicabilis multis.

De communicabilitate autem formæ, multa Metaphysicè disputari possent: sed quæ videntur satis esse huic tractationi Physicæ sunt hæc. Formam esse triplicem, numericam, specificam, & genericam. Numerica est prorsus incommunicabilis, quamobrem vocatur singularis & indiuidua; specifica est, communicabilis multis indiuiduis, generica verò etiam multis speciebus. Verùm hoc interest, quod communicatio formæ genericæ essentialis est: fit enim per differentias essentiales. indéque existunt species: At communicatio formæ specificæ accidentaria est; species enim quia communicatur indiuiduis nõ proprerea gradũ aliquẽ essentialẽ acquirit. Deinde cõmunicatio generica, in totum expletur & ad actum reducitur: species enim quæ hinc procedunt, sunt omnes actu in mundo: at cõmunicatio specifica nunquàm tota expletur ità vt omnia indiuidua quibus cõmunicari potest, simul existant. fit enim hæc communicatio propter materiã; quę non recipit simul omnes formas numericas ad quas est in potẽtia. Sed vnde prouenit cõmunicatio specifica? Multi putant eam accidere formæ nõ per se, sed propter materiã: nam quia in diuersis materię partibus forma inducitur, necesse est eã numero multiplicari atque huic rei illud fidem astruit, quod Arist. multis in locis ait distinctionem & differentiam numericam indiuiduorum, esse propter materiam. Verum nobis verisimilius fit huiusmodi communicationem accidere, tum propter materiam, tum etiam propter formam. Illud enim apud Peripateticos axioma certis-

certissimũ & tritissimum est, quicquid est possibile ex parte materię, esse possibile ex parte formę & cõtra, alioquin alter utra possibilitas esset otiosa, cum vna sine altera impleri & ad actum perduci nequeat. ergo similiter etiã quod est cõmunicabile propter materiam erit cõmunicabile propter formam; præsertim cũ forma sit finis materię. Huc facit, quod vniuersalitas nascitur ex cõmunicabilitate, Nam vniuersale est, quod natura sua aptũ est esse in multis: sed vniuersalitas conuenit rei propter formã, vt docet Auerr. 1. lib. de cęlo com. 92. ergo &c. Itaque dicendũ hanc communicabilitatem, duas ob causas accidere formæ specificæ, primum intrinsecè, quatenus est in tali gradu, hoc est in gradu eiusmodi formarũ quæ sint vnibiles materiæ. Cernimus enim omnes formas vnibiles materiæ sublunari, esse multiplicabiles, alias verò quæ sunt extra materiam, cuiusmodi sunt intelligentiæ minimè. Tùm extrinsecè, propter finem: nã cum talis forma per se sit corruptibilis, ne si in vno tantùm indiuiduo esset, penitus interiret, natura fecit vt in multa indiuidua variè fundi & propagari possit, vt eã sic ab interitu aliquo modo vindicaret. Vide Aristo. lib. 2. de Gener. 59. & lib. 2. de anima 34. & 35. Atque hoc modo de forma per se sumpta & considerata, dictum.

De forma relata ad materiam.

CAP. IIII.

SEquitur alterum huius disputationis caput de forma relata ad materiam, in quo explicandę sunt quatuor quæstiones. Prima quæstio est, an forma sit nobilior quàm materia. Ac videtur quidem materia esse nobilior: Primo, quia materia est ingenerabilis & incorruptibilis, forma autem generatur, & corrumpitur. Deinde, quia vt præcedenti libro demonstratum est, materia habet existentiam ex se, non pendentem ab hac, vel alia qualibet forma: at formæ existentia necessariò pendet à materia in qua inest. Postremò, cuius agens immediatum est nobilius, & ité modus productionis est nobilior, id quoque nobilius est; sed materia, cum sit incorruptibilis, à Deo immediatè, siue per emanationẽ siue per creationem procedit, forma verò per motum Phy. immediatè fit ab agente Physico, ergo materia est nobilior quàm forma. Verùm sine dubio sentiendum, & affirmandum est formam præstantiorem esse materia. Primo, quia secundum Arist. 2. Phys. 81. & 91. & 1. lib. de partibus animalium cap. 1. forma est finis materiæ propter quem est, & ad quem ordinatur materia, & in 1. Phy. 81. Aristoteles ait, formam esse bonum quidpiam & diuinum, eamque expeti à materia, tan-

1. *Quæstio an forma sit nobilior quam materia.*

quam pulchrum à turpi,& in 7.Metap. tex. 7.inquit formam esse magis ens quàm materiam,& in 2.Phy.11.atque 12.scribit,formā esse magis naturam quàm materiam, quę duę sententię declarāt maiorem esse perfectionem formæ,quàm materiæ. Postea idē rationibus cōfirmatur. Etenim perfectiuum est nobilius perfectibili,& actus formalis nobilior est potētia materiali: Nam vt scriptum est in 9.Metaph.19.in bonis semper est melior actus quàm potentia:in malis autem è contrario. Adde,quod res naturales similitudinem quandam Dei cōsequuntur propter formā, quæ cū sit actus, est participatio quædam primi actus, & agens nobilius est patiēte,vim autem agendi habet forma,materia patiendi tantùm.His accedit, quod apud Peripateticos certū est & peruulgatū,omnes perfectiones cōpositi à forma proficisci, imperfectiones autē & defectus omnes ex materiæ necessitate accidere.Quid plura? forma determinat materiam ad certam speciē & gradum entium:forma actuat potentiam materię: forma explet eius appetitum:forma denique tribuit ei vnitatem atque distinctionē,siue genericam & specificam,siue etiam numericam.Sed respondendum est ad rationes cōtrarias,quæ initio positæ sunt.Ad primam dicendum est,posse aliquid esse ingenerabile dupliciter, vel quia propter suam perfectionem est supra generationē, vt intelligentia,vel quia ob suam imperfectionē est infra generationem,tanquam prope nihil existēs,vt materia prima,quæ nō propter se facta est incorruptibilis, sed propter formas vt nimirū sedē, & domicilium certum præberet accedētibus, atque abeūtibus formis. Quod autem dici solet, incorruptibile nobilius esse corruptibili, verum quidem est,in iis,quæ sunt eiusdem ordinis & rationis,vt si ambo sint,vel materiæ,vel formæ,vel substantiæ cōpositæ,alioquin quantitas cœli,quæ est incorruptibilis,nobilior esset, quàm forma equi,quæ est corruptibilis. Ad Secundā. Existentia formæ præstantior est quàm existentia materiæ,illa enim est specifica,& determinata,hæc autem est entitatiuà tantùm,& indeterminata, & per illam determinabilis & perfectibilis;neque verò existentia formę pendet à materia,tanquam ad ea proueniens,sed tanquam in ea nitens:nō enim potest forma naturalis extra materiam aut operari,aut esse.Ad Tertiam. Verum est illud axioma de his quæ sic producuntur,per se,& propter se:at materia,neque talis est,nō enim per se,sed cum cōposito comproducitur & procedit à Deo, neq; sic producitur propter se, sed propter maiorem cōmoditatem,& vsum formarum,& cum finis nobilior sit iis quæ referuntur, & ordinantur ad ipsum, necesse est materiam, quæ est propter formam, dignitate minorem atque inferiorem esse forma.

Secun-

Secunda quæstio est,an forma sit prior quàm materia. Atque ipse quidem Arist,non videtur sibi satis cōstare,quippe in 1.Phy. tex.52.ait subiectum esse prius iis,quę sunt in subiecto,significās materiam esse priorem forma & priuatione. in 7.autem Metap. text.7. scribit formam esse priorem materia. Sed facilè tollitur hæc repugnantia.Prius enim dupliciter dicitur, vel ordine generationis & tēporis,cum quid antecedit aliud tēpore & durationē, atq; hac ratione materia prior est quàm quælibet forma, cū illa sit æterna,certe ex quo,initio mundi condita est à Deo, eadē numero perseuerat:vel ordine perfectionis & secūdū intētionē naturę,quia ratiōe forma est prior est,n. pfectior & principaliter:intēditur à natura,vtpote cuius gratia materia sit instituta,atq; hoc etiam modo Arist.9.Metap. decernit actum esse priorē potentia. *2.Quæstio an formæ sit prior materia.*

Tertia quæstio est,an vna numero forma substātialis possit esse in diuersis numero materiis. Huius quæstionis duplex est intellectus, vnus, an simul eodémq; tempore possit esse in diuersis materiis;alter est,an successiuè & diuersis temporibus:& vtrouis modo,impossibile est vnam formā numero esse in multis materiis:simul quidē,quia sic esset vna & non vna: Vna, propter suppositionē,ponitur enim esse vna numero; non vna, quòd secundum multitudinem materiarū, & compositorū necesse est multiplicari formas, si enim non potest vnum corpus simul esse in diuersis locis, ergo multo minus vna forma in multis materiis, quia magis pendet à materia,esse,vnitas,& distinctio formæ,quā corporis locati à loco.Deinde,vna forma existens in multis materiis,quarū vna nō pēderet ab altera,posset simul corrūpi & non corrūpi,esse & non esse.Nā si vni materiæ,& nō alteri admouearur alteratio corruptiua perseuerās vsq; ad finem,sine dubio corrumpet formam in tali materia inhærentem, quæ tamen forma in altera materia permanebit, nihil enim causæ est cur ibi corrumpi debeat,cū illi materię nulla alteratio,nihilque cōtrarij acciderit.atque hinc intelligi potest,animam quæ est in brutis,non esse vnā simpliciter in toto corpore vnius animalis; quod nō videbitur mirū ei, cui perspecta & persuasa erunt duo Axiomata apud Philosophos & Medicos certissima:Vnum est,omnē formā materialem esse extensam & diuisam secundum extensionem & diuisionem sui subiecti (quod præcedenti capite fuit à nobis explicatum) Alterum est,partes corporis animalis non esse continuas,nec vnam rē numero, sed tantum esse contiguas & naturaliter inter se cōnexas,reuera autē esse numero distinctas & diuersas:hoc enim ostēdit Anathomica ars in earū dissectionibus: hoc docet diuersitas tēperamenti & operationū quæ in diuersis *3.Quæstio an possit vna forma numero esse in multis materys.* *Nota hāc doctrinā.*

partibus corporis manifestè perspicitur. Cõtinuitas aũt (vt Arist. inquit in 5. Phy. 39. & 40.) non est in iis quæ specie differũt inter se; quis enim dixerit venas cũ neruis, vel ossa cum carne, vel hęc omnia, atq; alia quæ sunt in corpore animalis, esse vnũ quiddam numero & continuũ? Dicitur autem corpus ex his conflatũ esse vnũ, tripliciter. Primùm, ob naturalẽ omnium partiũ inter se vnionẽ & compositionem, sicut domus dicitur vna: Tum, ob dependentiam omnium partiũ ab vno principio, quod secundum Arist. est cor: Postremò, ob relationẽ ad vnũ finem & ad bene esse vnius suppositi quod sine tanta partiũ varietate non posset esse perfectum. Quare similiter etiam anima in tam diuersis partibus existens, non erit secundũ rem vna numero, sed multæ numero partialiter, licet ob tres prædictas causlas ipsa quoque vna dici queat. idem enim iudicari debet de anima quæ est in osse & carne; quod de calore qui est in carne & osse, quem calorẽ cõstat non esse vnũ numero in illis duabus partibus. Sic nec partes animæ quæ sunt in carne & osse, & neruis, sũt vna res numero sed diuersæ. Forma enim materialis, siue substantialis siue accidentalis fuerit, non potest vna re ac numero esse in multis materiis re, numeróq; distinctis. Etenim vnitas & distinctio numerica formarũ pendet ex vnitate & distinctione materiarũ in quibus inhærent. Quod autẽ nec successiuè & diuersis temporibus potest vna numero forma esse in diuersis materiis, hinc perspicuũ erit. Primò quia si migraret ex vno subiecto in aliud; quis igitur transferret formam? aut quomodo transferret? aut talis migratio & transitio quænam esset species motus? ad nullam enim referri posse clarũ est perlustranti omnes species motus. Deinde forma non penderet à materia in qua inest; alioquin non posset ab ea sine interitu separari, si autem non pendet, non est forma Physica. Postremò, Arist, multis locis confirmat impossibilem esse transmigrationẽ formarum. Nam 1. lib. de Anima text. 35. opinionẽ Pythagoreorũ de transmigratione animarũ, tanquam fabulosam eludit & contemnit; & 2. de Anima tex. 26. aduersus hanc opinionẽ pronũciat illam sentẽtiam, vnumquemq; actũ non in quolibet, sed in propria materia esse aptum fieri; & in 2. Phy. text. 12. formam naturalem inquit non posse à materia in qua est secundum rem sepãrari; & in eodem lib. tex. 26. materiã & formã docet esse ad aliquid, ad aliam enim formam alia est materia, & contra, quare necesse est similem & parẽ esse vnitatẽ & distinctionẽ formæ atq; materiæ. Nõ potest igitur vna forma numero esse in multis materiis.

Quarta quæstio est, an omnis forma substãtialis immediatè vniatur materiæ primæ, hoc est an ordine naturæ prius in materia producatur & insit forma substãtialis, quã alia quælibet forma accidentalis. Hìc existunt duæ opiniones. Vna est Thomistarum qui censent omnem formam substantialem immediatè vniri materiæ primæ, ita vt præcedentes dispositiones corrumpantur, & materia prius secundum naturam accipiat formam substantialem, deinde formas accidentales. Etenim putant subrectum inhæsionis omnium accidentium esse totum compositum. Hanc autem sententiam confirmant iisdem propè rationibus quibus probant quantitatem non esse materiæ coæuam eiq; immediatè inhærentem, quas superiore libro commemorauimus in eo loco, in quo differuimus de dimensionibus interminatis. D. quidem Thomas. 1. par. quæst. 76. art. 6. hanc opinionem eo potissimum argumẽto probat, quòd cum materię forma substantialis det esse actu simpliciter, forma autem accidentalis det esse tantùm secundum quid: prius autem sit esse simpliciter, & principaliùs expetitum à materia, quàm esse secundum quid, hinc concludi prius recipi debere à materia formam substantialem, quàm vllam formam accidentalem. Altera opinio est & Græcorum, & Arabum, & Philosophorum, & Medicorum, & plurimorum Theologorum, qui aiunt nullam formam substantialem immediatè vniri posse materiæ, eique non nisi præuiis atq; mediis formis accidentariis coniungi posse. Nam omnis forma requirit determinatam materiam in qua insit & producatur, quæ determinatio fit per accidentia; si igitur forma substantialis eo instanti quo producenda est, non reperit in materia præcedentes dispositiones quæ ipsius gratia inductæ fuerunt ab agente, inuenìet profecto materiam indeterminatam; quamobrẽ nõ poterit ei naturaliter vniri. Deniq; cum in vnoquoque potentia præcedat actum, vt explicatur lib. 9. Metaphys. necessarium est vt determinata, & specialis potentia materiæ, ordine generationis antecedat actũ substantialem; si igitur eo instanti quo producitur forma substantialis, non insunt in materia præcedentes dispositiones, ergo materia tunc non habet determinatam potentiã ad illã formam potius quã ad aliã quamlibet, siquidẽ determinatio potẽtiæ fit ab agẽte per dispositiones quas præmittit in materia; quę quidẽ dispositiones dupliciter inseruiunt formæ generandę; tum quia expellunt formas contrarias in materia præexistentes; tum etiã, quia potentiã materiæ per se ad omnes formas indifferẽtem determinant & accommodãt ad vnã aliquã formã potiùs, quã ad aliã. Quare hisce dispositionibus à materia remotis, tollitur determinatio potẽtiæ, qua sublata naturaliter impeditur generatio futuræ formæ. Postea, forma substantialis non po-

4. Quæstio an formæ substãtiales immediatè vniantur materiæ primæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

test produci immediatè à subſtantia, ſed per actionẽ alicuius accidentis: ſubſtantia enim, aut nihil agit, aut nõ per ſe immediatè, ſed tantùm per accidentia, loquor autẽ de ſubſtantia & de actione Phyſica. Quocirca productio ſubſtantiæ neceſſariò conſequitur productionem alicuius accidentis in materia, non enim producitur forma ſubſtantialis niſi virtute vltimæ, ac perfectiſſimæ diſpoſitionis ab agente in materiam inductæ, quæ maximè antecedit ordine generationis, formę ſubſtantialis productionẽ. Ad extremum omnes rationes quibus oſtenditur primas qualitates inhærere materiæ primæ, & in corruptionem non fieri reſolutionem vſque ad materiam primam ex parte accidentium, & in elemẽtis ſymbolis, cum vnum generatur ex alio, qualitates quidem vtriuſque contrarias interire, ſymbolas autem remanere, ad hanc opinionem comprobandam conferri poſſunt. Sed eas hic omittimus quod propriùs attingant diſputationem de elementis. Quæ autem conferunt ad ſoluendas aduerſariæ opinionis rationes, ſumenda ſunt ex diſputatione noſtra de dimenſionibus interminatis, quæ ſuperiori libro fuit explicata.

De forma relata ad compoſitum. Et primò an forma ſit prior, & nobilior. Compoſito.

CAP. V.

1. *Quæſtio an forma ſit prior & nobilior compoſito.*

TErtiũ huius diſputationis caput poſtulat vt de forma relata ad compoſitum agamus; quæ tractatio quatuor explicatione quæſtionũ cõtinetur. Vna quæſtio eſt, an forma ſit prior, atque nobilior compoſito. Ad quam quæſtionẽ breuiter reſpõdemus, prioritate naturæ, ſine dubio formã eſſe priorem compoſito. etenim ordine naturæ, cauſſa prior eſt effectu, ſimplex compoſito, pars toto. At prioritate temporis, atq; durationis, non poteſt forma Phyſica eſſe prior compoſito. Hoc enim intereſſe vult Ariſtot. 12. Metaphyſi. 16. inter formam & cauſſam mouentem, quod cauſſa mouens & efficiens tempore prægreditur effectum ſuum, vt ædificator domum, forma verò nunquam tempore prior eſt compoſito cuius eſt forma, forma enim domus vna cum ipſa domo efficitur & exiſtit. & aduertendum eſt Ariſtotelem loqui non de quauis cauſa efficiente, multæ enim ſimul ſunt cum effectis, vt Deus, ſecundum Ariſtot. neque Cælis neque Intelligentiis eſt antiquior, & vmbra terræ, quæ ex ipſius inter Solem & Lunam interiectu exiſtit, nõ eſt ante quàm Eclipſis Lunæ, loquitur igitur eo in loco Ariſt. de cauſſis mouẽtibus, quæ cum per motũ ſucceſſiuè operentur, neceſſariò antegrediũtur effectus ſuos, qui per motum illarum cauſſarũ producuntur. Sed ad rem: Ariſtot. 2. lib. de Generat. Animal. cap. 3. negat vllam

vllam animam eſſe ante corpus, & vni menti, quippe quæ incorporea, ſeparabilis & diuina eſt: id ſingulariter concedit, vt extrinſecus adueniat. Et hoc ſanè manifeſta, & neceſſaria ratione concluditur. Nam ſi forma eſt ante compoſitũ, quomodo eſt? an per ſe ſubſiſtens? ergo nõ eſt Phyſica, ſed immaterialis, & Metaphyſica; an potiùs erat in aliqua materia ex qua deinde per generationem commigrauit in aliam? ſed iſtiuſmodi commigratio formarum ſuperiori diſputatione confutata, & exploſa eſt.

An verò forma ſit nobilior cõpoſito, non conuenit inter Philoſophos. Etenim quidam opinãtur cõpoſitum eſſe nobilius forma. Primum, quia per ſe generari, per ſe ſubſiſtere; per ſe operari, eſſe item cõpletum quiddã, & in ſpecie conſtitutum, non formæ, ſed cõpoſito cõpetit. Deinde, compoſitum habet in ſe formam & præterea materiam, quare continens totum id quod forma, & eo amplius aliquid, erit præſtantius quam forma. Præterea, anima rationalis à corpore ſeparata naturaliter cupit iterum coniungi cum corpore, & hoc inter Theologos indubitatum eſt, at cur id? niſi quia nobilius eſt eſſe hominis, quod eſt cõpoſitũ, quàm animæ rationalis, quę eſt forma. Ac ſi hoc verũ eſt in anima rationali quę eſt immaterialis, immortalis, & per ſe ſubſiſtẽs, quantò verius idem putari & affirmari poteſt de cæteris formis Phyſicis, quæ ſunt longè ignobiliores, & multò magis à materia, & cõpoſito dependent? Ad extremum, Ariſt. in Categoria Subſtantiæ; ait primam ſubſtantiam (quæ eſt ſubſtãtia compoſita) eſſe maximè ſubſtantiã; & in 2. Phy. 31. inquit partes eſſe tãquam materiã comparatione totius, ergo ſunt ignobiliores toto; & hoc perſpicuum eſt, nam partes ordinantur ad totum, ex quo pendet eſſe, & perfectio earum. Alij verò Peripatetici arbitrantur formam eſſe nobiliorem compoſito, tum quod compoſitum eſt perfectum propter formam, ergo forma eſt magis perfecta, nam propter quod vnum quodq; tale eſt, & illud magis eſt tale. quotieſcunq; enim aliquid dicitur de duobus, de vno tãquam de cauſa per ſe, ac eſſentialiter; de altero autem, vt de cauſato, cui totum id quod dicitur non conuenit niſi ob illam cauſſam, magis dicitur de cauſſa; ſed forma eſt cauſſa totius perfectionis, quæ ineſt compoſito, ergo ipſa eſt magis perfecta quam compoſitũ. Tum etiam quoniam Ariſt, videtur id perſpicuis verbis docere in 7. lib. Metaphyſ. text. 7. ita ſcribens, *Si forma prior eſt materia & magis ens, eo quoque quod ex ambobus eſt prius quid erit ob eandẽ rationem.* Sic enim legit Auerroes, & verò ſic eſt in Codice Græco, quamuis in aliis tranſlationib., pro eo illo, *eo, quod ex ambobus eſt*, Sit, *illud quod ex ambobus eſt.* Vt his verbis ſignificet Ariſt. quemadmodũ forma eſt magis ens

Hæc opinio videtur Simplicij 1. Phyſ. ſuper text. 52. & 2. Ph. ſuper tex. 4. & eſt communis ferè opinio Latinorũ Philoſophorum at Theologorum.

Opinio Auer. 2. Phyſicorũ com. 4.

quàm materia nimirum quoniam est actu,ita etiam cõpositum esse magis ens,quàm materiam ob eandem causſam.Qui autem tuẽtur eam sententiã quam proximè ante declarauí,aiunt ipsum compositum à Philosophis interdum appellari nobilius ac præstantius quòd non tale sit secundum rationem & veritatem, sed quod tale iudicatur secundum sensum,& hominum existimationem.Hæc à Philosophis de re proposita in vtrãque partem disputantur.Hæc autem cõtrouersia facilè dirimi, & discordia opinionum reuocari potest concordiam hoc modo; forma dupliciter considerari potest,vel per se ac separatim à materia,vel prout habet esse in materia:priori modo sumpta ignobilior est compo sito vt rationibus prioris sententiæ cõcluditur, posteriori autem modo nihil aliud est quàm ipsum cõpositum quod attinet ad nobilitatem & perfectionem quæ est in composito, quocirca erit æquè nobilis,vel etiã ob id nobilior quia cõpositũ in se cohibet materiã tanquã partem suam essentialem:quæ materia non modo nullam iis rebus quarum pars est,perfectionem adiungit, sed etiam est radix & seminarium cũctarum imperfectionum & defectuum qui accidunt rebus naturalibus.Quamobrem dicere solent Peripatetici, bona quæ sunt in rebus naturalibus ex forma prouenire,mala verò ex necessitate materiæ. Sed veniamus ad secundam quæstionem quæ grauior est atque difficilior an forma sit tota quiditas rei naturalis.

Secunda quæstio. An forma sit tota quiditas rei compositæ.

CAP. VI.

QVò melius hæc quæstio explicetur & intelligatur, eã positis tribus propositionibus sic explanabimus, vt quid in ea manifestũ & certũ sit,quid contra dubiũ & cõtrouersũ cognoscatur.Prima propositio.Materia est pars substãtiæ ac naturę ipsius cõpositi.Nã Arist.1.Phys.52.inquit materiã esse substantiã quòd ex ea componitur substantia composita:non potest autem substantia componi ex non substantiis: & multis in locis tripartitò diuidit substantiam in materiam,formã,& quod ex vtrisque est cõpositum:& in 2.Phys.text.12. atque in 5.Metaphys.text.5.ait compositum naturale,vocari naturã vel potiùs à natura,quoniam constat ex materia & forma,quæ sunt naturæ.Ac ratio quidem huius rei est,quia res naturalis,vt homo vel lapis,non est substantia simplex,sed cõposita ex multis & diuersis partibus,harum autem partium vnam esse materiam perspicuum est;ergo materia est pars substantiæ,ac naturæ compositi Physici.Secunda propositio.Nõ potest negari materiã aliquo modo pertinere ad quiditatem rerum naturalium.Etenim Arist. 2.Phys.

2.Phys.tex.19.& 1.de Anima,tex.16.& 6.libro Metaphys.tex.2.affirmat in definitionibus rerũ naturaliũ necessariò ponẽdam esse materiã,atque ea re definitiones Physicas distingui à Mathematicis. In hanc item sententiam Auerroes, primo de Anima com. 16.his verbis scribit.*Qui accipit materiam in definitione rerum naturalium & dimittit formã diminutè accipit,qui accipit formam & dimittit materiam existimatur quòd dimittit aliquid non necessarium, sed non est ita,quia forma debet accipi in definitionibus secũdũ dispositiones in quibus existit.* Hæc ille,Hoc etiam rationi cõsentaneum est,nam forma per se nõ constituit speciem rei,sed vnà cum materia, quare nec quidditatem,nisi prout continet in se intrinsecum ordinẽ ad materiam in qua naturaliter habet suum esse.Ac de supradictis duabus propositionibus,nulla est inter Philosophos dissẽtio. Tertia propositio. An forma,prout habet ordinẽ ad materiã sit tota quiditas rei naturalis,ita vt materia non sit pars quiditatis,sed eius tantùm quasi vehiculũ & subiectum naturaliter necessariũ; An potius materia sit pars quiditatis sicut forma,licet minùs principalis,obscurũ,dubiũ, & valde controuersum est inter Philosophos,quare varias eorũ sententias explicare oportet. Sed primo loco D.Thomæ opinionem expendamus.

Opinio D.Thom. & Scotistarũ,materiam esse partem quiditatis.

D.Thomas.7.Metaphy.super tex.34.& in 1.par.quæst.75.art.4. & in opusculo de ente, & essentia, censet materiam esse partem intrinsecam quiditatis specificæ rerum naturalium; & hac ratione confirmat.Definitio explicat quiditatẽ rei, sed materia est pars definitionis,ergo est pars quiditatis: Maior per se nota est: Minor sic probatur:Aristoteles 7.Metaphys.tex.39.inquit auferre materiam à definitionibus quarundam rerum, id est naturalium,esse superuacaneũ,& increpat iuniorem Socratem,qui tentabat definire animal sine materia,non secus quàm circulum sine ære,In lib.etiam 8.Metaphysicę commendat eas definitiones, quæ materiam pariter atq; formam complectuntur.Sed responderet aliquis materiam poni in definitionibus non vt partẽ quiditatis,sed vt subiectum & vehiculum eius; hanc responsionem Thomistæ putant absurdam esse,propterea quòd, hoc modo etiam substantia definiretur per additamentum sicut accidens, quod est contra Aristot.in 7.Metaphys. Etenim sicut subiectum ponitur in definitione accidentis, vt in definitione simitatis nasus.non quòd subiectum sit pars quiditatis accidentis,cum accidens sit quidpiam simplex & alterius generis quàm subiectum, sed quia est naturale vehiculum, & fundamentum accidentis, sic etiam materia ponitur (secundum illam responsionem) in definitione substantiæ,non vt pars,sed vt vehiculum quiditatis,

Hanc opinionem Scotistæ item sequuntur,& ita confirmant. Si materia non est pars quiditatis,ergo sola forma est tota& cõpleta quiditas ac species, quare anima separata hominis esset tota species hominis,nec forma cum materia faceret vnũ ens per se,nam ens per se vnũ & completum, non fit nisi ex entib. incompletis, Præterea,quid esset discriminis inter rem materialem & immaterialem? vtrobique namq; sola forma est tota quiditas rei. Addũt etiam, qui ita sentiunt, Auerr. quibusdam in locis huic sententiæ suffragari,nam is primo Meta.com.9.hoc modo scribit. *Species quæ verè dicuntur,sunt illud quod cõgregatur ex forma vniuersali & materia(verbi gratia)species hominis non est forma eius tantùm secundum quod intendebat Plato,sed congregatum ex materia,& forma.* Quòd si quis contra hanc opinionem opponat, Arist. vbicunq; nominat vel scribit formam, semper eam appellare ipsum quod quid erat esse,eiusmodi verbi non obscurè indicans formam esse totã quiditatem rei,respondent ipsi ad hoc dupliciter. Primùm enim aiũt duplicem esse formam, vnam Physicam quæ est pars,qualis est anima respectu animalis,alteram Metaphysicam,quę est tota essentia rei in abstracto cõcepta vel enunciata, qualis est humanitas respectu hominis, abstractum enim habet se vt forma respectu concreti,etiam si concretum & abstractum non re, sed ratione tantùm differant. Cum igitur Arist.inquit formam esse quiditatem rei,accipit formam non priori,sed posteriori modo,quę est tota rei essentia materiam etiam continens. Deinde,altero etiam modo respondent,denominationẽ plerunq; fieri à principaliori, ita vt dicatur simpliciter tale, quod est magis principaliter tale. Quare cum forma sit principalis pars quiditatis, quid mirum est si nonnunquam vocetur quiditas rei? Sed neutra sanè responsio firma aut verisimilis est,non quidem prior,quia cũ Arist.appellat formã quiditatẽ, loquitur de forma quæ est causa distincta ab aliis trib.generibus causarũ,& est finis materiæ,eiq; relatiuè oppo nitur,& est verè ac propriè forma Physi.talem autem constat esse non eam,quæ dicitur ab ipsis forma totius,sed eam quæ vocatur forma partis, Posterior autẽ responsio nihilo plus valet,nam licèt in appellationib. interdum contingat denominationem sumi à principaliori,non tamen in definitionibus, in quib.ad tenuè veritas elimatur,quale enim quidq; definitur,tale est simpliciter. ne si secus fuerit,definitio, quę enucleatè ac propriè rem vt est,explanare debet,ambiguitatem pariat & in errorem inducat. Sed de hac opinione satis. Ad eos qui contra opinantur veniamus.

Altera

Altera opinio veterum Peripateticorum,aientium totam quiditatem rei,in forma eius rei,contineri.

CAP. VII.

EST igitur altera scientia eorũ qui censent totã quiditatẽ rei naturalis cõpositę, esse in forma ipsius nõ qui dẽ solitariè ac precisè sumpta, sed vt includit & in se cohibet naturalem quendam atq; essentialem ordinẽ ad materiam,quæ licèt nõ sit pars quiditatis,tamen quia est quasi vehiculũ,fundamentũ,& subiectũ naturale ac necessariũ ipsi formę,ideo in definitionib.rerũ naturaliũ necesse est non solam formam,sed etiam materiam adhibere; non aliter quam in definitione simitatis oportet nasum ponere. Est aũt apud hos Philosophos magnum discrimẽ inter substantiã & quiditatẽ, quod videtur indicasse Arist. in 7. Metaphys.cum enim in text. 7. posuisset materiã esse substantiam,mox in tex. 8. negat eã esse quiditatem scribens. *Materiam autem dico,quæ secũdũ se ipsam,neque est quid &c.* Hanc aũt fuisse opinionem veterum Peripateticorum, facilè intelligitur ex illorũ scriptis. Nos de plurimis, nõnullorũ in presentia,quo res illustrior sit,proferemus testimonia. Alexãder Aphrodisæus in 2.lib.Metaph.super tex.12.ita scribit. *Quemadmodum homo,& hominis esse,differunt:sic fit in cunctis rebus cõpositis. Esse enim cuique rei ex forma adest:homo enim ex materia & forma cõstat, esse autem hominis simplex est,quippe cũ forma sit eius esse:nã in rebus incorporeis idẽ est res atq; ipsius esse,in habentibus autẽ esse in materia,differũt.* Themistius in 3.de anima super text.9. sic ait, *Aliud est aqua aliud essẽtia seu quodquid erat esse aquæ,illud.n.est quidpiam ex materia & forma cõcretũ,hoc autẽ est aquæ forma & ratio per quã est aqua. Vnaquæque.n.res descriptionẽ suã nõ de materia,sed de forma nanciscitur.* Idem in eodem libro super tex.28.hoc modo inquit. *Res quãta est,forma ipsa est.materia verò nõ essentiæ sed generationis potius & ipsius vt ita dixerim,fieri auctor & causa est Diffluunt obiter corpora,quod quidẽ opera & malefício materiæ accidit:Si qua stant quiescuntue, totũ id debet formæ acceptũ referri.* Simplicius in 3.de anima super text.9.hæc scribit. *Forma differt ab eo quod ex forma cõstat, caro enim & aqua formis affecta sunt, ipsum verò esse vniuscuiusq; eorũ,ipsa vniuscuiusque forma est. Forma nã que per ipsum quid erat definiri cõsuevit.* Auerroes in 7.libr.Metaph. comm.21. *Quiditas* inquit *hominis vno modo est homo,& alio modo nõ est homo,est enim ipsa forma hominis,non est autẽ homo qui est congregatus ex materia & forma.* Hoc etiam apertioribus verbis declarat in eodem lib.comm.34.scribẽs materiam esse quidem partem sub-

Alexander Aphrodisæus. Themistius. Simplicius. Auerr.

stantia si nomen substantiæ significet congregatum ex materia & forma, sin autem significet ipsam quiditatem, non esse partem eius. sed esse tãquam vehiculum differens ipsam in sua definitione. Albertus in 2. lib. Phy. super tex. 28. hęc scripta reliquit. *Forma propriè loquẽdo est essentia constituẽs speciẽ secundum esse in rebus naturalibus, nam esse cõpositi fluit ab essentia quæ est forma rei, sicut lumen fluit à luce,* & paulò infra subdit. *Hæc autẽ forma est rei vera quiditas; quoniã res non habẽt hoc quod sunt, à materia, quippe cũ ipsa sit in potẽtia ad opposita. sed id habent à forma substãtiali, & ideo ipsa est propria rei quiditas, & non definitur res, ratio definitiua dicens quid est res, sumitur penes formã siue ipsa cõcepta sit cũ materia sicut est forma naturalis, siue nũ, vt est forma Mathematica & Diuina.* Eandem sententiã tradit in 7. Metaph. super 1. tex. dicens, *Principia substantiæ sunt materia & forma, & præcipuè forma, quã dupliciter determinare oportet, vno modo secundum quod ipsa est totum esse & tota quiditas substantiæ, quæ significatur per definitionem, & sic consideratur in hoc 7. lib. Metaph &c.*

Albert. Magnus.

Ari. sensit materiam non esse partẽ quiditatis.

Quis porrò ipsum Peripateticorum Principem Aristotelẽ, nesciat aut dubitet in eadẽ sententia fuisse? cum is totam rei compositæ quiditatem in sola forma positã esse, multifariam clarissimis, grauissimisque verbis testatum confirmatúmque reliquerit? An non is in 3. de anima, tex. 9. affirmat aliud esse carnem, & aliud ipsum esse carnis? nam illa est forma cum materia, hoc autẽ est ipsa forma simplex. Sic enim hunc locum Aristotelis explanant Themistius & Simplicius, quorum verba supra memorauimus. Deinde, cum in 7. Metaphy. tex. 9. diuisisset substantiam in materiam, formam, & compositum, subiungit prætermittẽdam esse materiam & compositum, solam autem formam cõsiderandam & tractãdam esse: mox verò tex. 10. proponit sibi agendum esse de ipsa quiditate: ex quo quis nõ intelligit Arist. pro eodẽ habere formã & quiditatẽ? Præterea, in 8. lib. Metaph. tex. 12. si quis, inquit, interroget quæ sit materia hominis? respondẽdum est esse menstrua: si quod mouens seu efficiẽs? respõdendum est ipsum semen: si quæ sit forma? respondendum est ipsum quod quid erat rei. Postea, Arist. docet in 2. Phys. tex. 28. omnes partes definitionis pertinere ad causſam formalem, quod sanè verum est, nam vt est apud Auerr. 1. Metaphy. com. 17. genus sumitur à forma vniuersali, differentia verò à forma particulari & propria. Ampliùs, secundum Arist. in 2. Phys. tex. 19. & in 6. Metaphys. tex. 2. & aliis in locis, ita definitur res naturalis per. materiam sensibilem vt simitas per nasum: hoc enim exemplo ad id exponendũ ferè vtitur Aristoteles. ergo sicut nasus non pertinet ad definitionem simitatis tãquam pars eius, sed tanquã subiectum, ità materia non pertinet ad quiditatem rei naturalis, vt pars sed vt subiectum ipsius. Ad hæc, quod obstat quo minus in rebus materialibus quiditas sit idem cum habente quiditatem, id non potest esse pars quiditatis, sed tale est materia secundum Arist. 3. de anima, tex. 9. vt supra diximus, & in 7. Metaphy. tex. 41. præsertim secundũ explanationem huius textus traditam à D. Thoma in commẽtariis quibus eum locum exponit. Ergo, &c. His accidit, verè dici aliam esse quiditatem hominis, aliam leonis, & lapidis; quæro vnde nascatur hæc diuersitas quiditatum? nõ ex accidentibus, quippe quæ sunt extra quiditatem rei; nec ex materia primã, quæ vna est omnium sublunarium: ergo ex sola forma substantiali. Postremò, quidquid ponitur in definitione rei, debet eam distinguere ab aliquo alio; quam ob rem Arist. 6. lib Topicorum ait prædicata transcendentia non esse ponenda in definitionibus, sed distinguere & separare, est proprium actus & formæ, vt docet Arist. 7. Metaphy. text. 49. ergo, &c. Sed quæret aliquis, si materia non pertinet ad quiditatem rei, quam obrem ea sit necessaria rebus naturalibus? Respondeo materiam esse necessariã quatuor ob causſas: primò, quia est naturale subiectum formæ & quiditatis, sine qua forma & quiditas nec esse, nec definiri, aut intelligi possunt: tum est necessaria substantiæ compositæ, quæ per se generatur & corrumpitur, cum sit pars eius intrinseca & essentialis: Deinde necessaria est ad existentiam, seu subsistentiam compositi naturalis: quodsenim compositum existat, habet à forma quæ est causſa scur res existat, vt dicitur 5. lib. Meta. c. de substantia; quod autem per se existat & nõ in alio, causa est materia. Postremò ad eius indiuiduationem, causa enim indiuiduationis est materia quanquam nec sola, nec principalis.

Quatuor ob causſas necessaria est materia rebus naturalibus.

Soluuntur rationes prioris sententiæ, & sententia auctoris aperitur.

CAP. VIII.

REstat nũc vt breuiter doceamus quo pacto ab iis qui cõtra sentiũt, rationes quę cõtra hãc opinionẽ pro cõfirmatione prioris sententię cõmemoratæ sunt: breuiter dissoluantur. Ad primã Respondendũ est, materiã ponì quidẽ in definitione rei naturalis, verùm nõ aliter quàm ponitur nasus in definitione simitatis, hoc est, nõ tanquam partem quiditatis, sed tanquã subiectũ; nec ob id dicendum est definitionẽ substãtiæ esse per additametũ sicut est accidentis, quia forma & materia sunt vnius generis & categoriæ, & simul coniunctæ cõstituunt vnum ens per se: at subiectum & accidens, & sunt diuersarum categoriarum, & ex ipsis non existit vnum aliquod ens

Breuis solutio rationum prioris sententiæ.

Universidad de Deusto Biblioteca

nisi per accidens. Ad reliquas rationes dicēdum est, formam esse quidem totam rei quidditatem, verùm non sumptam præcisè & separatim à materia, sed vt includit ordinem essentialē ad materiam; ex quo apparet, & cur forma solitaria, qualis est anima rationalis à corpore seiuncta, nō dicatur esse tota quiditas, aut cōpleta rei species; & quod sit discrimen inter quidditates rerum materialium & immaterialium. Postremò illud aduertendū est quod supra monuimus, apud Peripateticos aliud esse subsātiā cōpositam, essentiam, & naturam, & aliud quiditatem, quocirca, non siquis illorum interdum dixit materiā esse partem substantiæ vel naturæ cōpositæ, continuò putandū est eum sensisse materiam esse partem quiditatis. Atque hęc quidem inter Philosophos disputantur de quiditate rerum naturalium. Vtram verò sententiam nos magis probemus, paucis exponamus.

Sententia auctoris de præsenti quæstione.

Nobis quidem posterior sententia videtur esse magis Peripatetica & Aristotelica, quod ex his quę eam declarando & probando diximus, liquidò cognosci potuit. Vtra autem opinio sit vero similior ac propior, facile est iudicium; nam omnis hæc opinionū varietas atq; dissensio, nō tā in re ipsa, quā in verbis, & modo loquendi cōsistit. Etenim si nomē quiditatis significat totū id quod pertinet ad integritatē subsātiæ & naturæ ipsius cōpositi, (quomodo id nominis est in vsu apud recētiores Philosophos & Theologos) solùm excludendo accidentia, non est dubium quin materia habenda sit pars quiditatis: sin autem vocabulum quiditatis angustiùs & prestiùs sumatur id tantùm significans in quolibet composito naturali, quod est eius actuatiuum, distinctiuum, denominatiuum, definitiuum, intelligibile, determinatiuum, & perfectiuum quo modo ipsum vsurpant antiquiores Peripatetici, luce Solis clarius est, cum hæc omnia à forma proficiscantur, materiam non esse partem quiditatis. Cum igitur res ipsa constet, quisque vtro maluerit modo loquatur, non enim Philosophum decet, re iam explorata & constituta de voculis & syllabis disputationes producere. Sequitur nunc quæstio illa perquam celebris inter Philosophos, de principio indiuiduationis, sit ne materia, an forma, an quidpiam aliud.

Excluditur opinio eorum qui putant distinctionem numericam prouenire à quantitate.

CAP. IX.

TErtia quæstio de materia relata ad cōpositū à nobis hoc loco tractāda hæc est, an vnitas & distinctio numerica corporū naturaliū quæ sūt eiusdē speciei vltimæ, cōueniat ipsis ,ppter formā. Triplex est vnitas & distinctio,

vna generica, altera specifica, tertia numerica eorū quæ sunt eiusdē speciei. Priores duæ, concessu omniū petuntur ex forma substantiali; de tertia, magna lis est inter Philosophos quæ continet peruulgatā illam quæstionem de principio indiuiduationis, quatuor principū opinionum varietate nobilitatā. Prima opinio eorum est qui putant vnitatē & distinctionem numericā prouenire à quantitate, ita vt principiū indiuiduationis in rebus naturalibus sit quantitas; quam sententiam his rationibus persuadere conantur. Primò, secundum Auer. 1. Phy. comm. 6. & secundū Arist. in 3. Metaph. 11. omnis distinctio; aut est secundum formam, aut secundum quantitatem: sed inter ea quæ sunt eiusdē speciei, non est distinctio secundum formam, quoniam ea est specifica & quiditatiua, relinquitur igitur vt sit tantum distinctio secundū quātitatem. Deinde, vel indiuidua eiusdem speciei differunt per aliquam differentiam essentialem, vel accidentalem; non per substantialem, nam vltima differentia substantialis est specifica, in qua conueniunt omnia illius speciei indiuidua; ergo per accidentalem, sed primum omnium accidentiū est quantitas, ergo quātitas erit princeps caussā distinctionis inīuiduorū. Postea, natura specifica ideo secundum numerum multiplicatur, quia recipitur in multis & distinctis partibus materiæ, sed multitudo & distinctio partium accidit materiæ propter quantitatem, ergo in quātitate est radix numericæ multiplicationis, quæ cernitur in natura specifica. Postremò, id confirmant exemplo aquæ, quæ si in tres partes diuidatur, quælibet pars aquæ existit vna numero & à qualibet aqua alia numeraliter distincta, at hæc multitudo & distinctio aquarum, non aliunde orta est, quàm ex diuisione primæ aquæ secundum quantitatem; vt vel in hoc exemplo, etiam sensuum iudicio probetur multitudo, & distinctio indiuiduorum à quantitate proficisci.

Prima opinio quantitatē esse principiū indiuiduationis.

Verùm hæc opinio multas ob caussas falsa est. Primò, quia quantitas præsertim terminata, (nam interminata, cum sit indifferens ad omnia indiuidua, non potest eorum esse principium distinctiuum) cum inquam quantitas terminata sit posterior substantia composita, non potest esse principium indiuiduationis eius; quin imò cum accidens indiuiduetur per subiectum, qui fieri potest vt subiectum vicissim indiuiduetur per ipsum accidens? nisi non putetur absurdum esse vt idem secundum idem sit prius & posterius, principium atque principiatum. Deinde, cum indiuidua substantia sit substantia, & quatenus indiuidua est ad prædicamentum Substātiæ pertineat siquidem est prima substantia, nam substantia prædicamentalis diuiditur in

Refutatio primæ opinionis.

primam & secundam, necesse est principiũ, propter quod indiuidua est hæc prima substantia, sit quidpiã substantiale, & ad idem prædicamentum pertinens, at quantitas nullomodo attingit essentiam substantiæ, nec ad substantię categoriam reduci potest, ergo non potest esse principium indiuiduationis eius. Præterea, substantia indiuidua est verum ens per se, quandoquidem ponitur in prædicamento, & species per se prædicantur de ipsa, sed ex substãtia & quantitate fit vnum ens per accidens, ergo quantitas non est principium indiuiduæ substantiæ. Ad extremum, generatio substantialis per se terminatur ad substantiam indiuiduam, si igitur substantia est indiuidua propter quantitatem, generatio substãtialis per se terminaretur ad quantitatem, quod nemo non videt quam sit absurdum. Vide apud Scotum 2. sent. dist. 3. q. 4. alias rationes contra hanc opinionem.

Rationes autem huius opinionis facilè est soluere. Ad primam, & secundam rationem respondendum est, inter indiuidua eiusdem speciei esse distinctionem formalem. Petrus enim differt à Paulo, quia alia est anima Petri, & alia Pauli, si quidem à quo res habet esse, ab eodem habet vnitatem & distinctionem: est autem duplex distinctio formalis, vna quæ sumitur à forma simpliciter & specificè sumpta, quæ dicitur formalis simpliciter, & non est inter ea quæ continentur eadem specie, altera quæ ducitur à forma, vt est singularis, & actu existens in rebus, quæ vocatur formalis secundum quid, & secundum hanc differunt indiuidua eiusdem speciei. Sed hoc paulò infra planiùs intelligetur, vbi tractando sententiam nostram, latius explicatur. Ad tertiam, & quartam rationem dicendum est, causam intrinsecam, & formalem, cur natura specifica secundum numerum sit multiplicabilis, intrinsecè quidem non esse aliam, quàm ipsamet naturam formæ, quæ eo ipso quòd est materialis, & vnibilis materiæ, suapte vi est multiplicabilis, effectiuè quidem, hoc etiam habet ab agente; finaliter autem vt quia est per se corruptibilis per indiuiduorum propagationem conseruetur, subiectiuè à materia, in cuius diuersis partibus recipiuntur diuersæ numero formæ; tandem dispositiuè à quantitate propter quam materia est diuisibilis in partes, itaque exemplum illud aquæ, nihil planè iuuat opinionem, nam licèt quantitas in causla fuerit, cur cũ esset vna aqua, in tres partes diuideretur, tamẽ quòd quælibet pars illius aquæ sit aqua per se subsistens, & à qualibet alia parte numero distincta, causla est ipsa forma substantialis aquæ quæ cum sit homogenea, tota est in qualibet parte aquæ: quam ob causlam cum partes aquæ disiungũtur, necesse est quamlibet

Quæ sit causla cur natura specifica individualiter multiplicatur.

earum esse aquam per se subsistentem. Illa igitur diuisio aquæ vt est totius in partes integrales seu quantitatiuas fit propter quãtitatem, vt autem est in partes subiectiuas, quarum quælibet est aqua singularis, & subsistẽs, fit propter formam substantialẽ aquę. Verùm expendamus secundam opinionem, quę est Scoti.

Non esse principium indiuiduationis illam Scoti Hæceitatem.

CAP. X.

SCotus in 2. sen. d. 3. q. 6. arbitratur infra differentiam specificam ex qua sumitur vnitas & distinctio speciei, esse aliam quandam differentiã indiuidualem, per quam natura specifica contrahitur ad esse hoc aliquid & singulare, quę licèt realiter nõ distinguatur à differẽtia specifica, distinguitur tamẽ formaliter, & vna est extra cõceptũ alterius, sicut oportet esse contrahẽs extra rationẽ contrahibilis, propter quod etiã hæc differentia indiuidualis habet se ad specificam, vt actus ad potentiam, & est entitas quædã positiua per quã, quia res est hoc aliquid, potest ea ritè nominari Hæceitas. Hãc suam opinionẽ, Scotus his argumentis confirmat. Primò, omnis vnitas sequitur aliquã entitatẽ, ergo vnitas numeralis quæ est maxima & simpliciter vnitas, consequitur aliquã entitatẽ, quę nõ põt esse entitas seu natura specifica, tum quoniã ea vendicat sibi suam propriam vnitatem nimirum specificã, tum etiam, quia entitas specifica, cum sit indifferenter cõmunis omnibus indiuiduis, non põt esse principiũ eorũ determinatiuum, ac distinctiuum. Deinde omnis differentia eorũ quæ differũt inter se, reducitur ad aliquod primo diuersum, alioquin non esset status in iis quæ differunt inter se, sed indiuidua propriè differunt, quia in aliquo sunt eadem, & in aliquo diuersa, ergo eorum differentia reducitur ad aliqua primò diuersa, sed hæc non sunt ipsa natura specifica, vtpote secundum quam in-uicem conueniunt indiuidua, ergo sicut diximus, ponendæ sunt differentiæ indiuiduales. Præterea, cum natura specifica contrahitur ad singulare, vel contrahitur per seipsam, vel per formã, vel per materiam, vel per quantitatem, vel per Hęcceitatem, non per seipsam, quia contrahens diuersum esse debet à contrahibili sicut actus à potentia, non per formã, quia forma, vt ait Auerr. est subiectum, vniuersalitatis, quare non potest esse principium singularitatis, & quia, vt diximus, contrahens debet esse extra rationem contrahibilis, forma autem est pars essentialis naturæ specificę, quæ contrahitur ad singularitatem, non per materiam

Secunda opinio quæ est Scoti.

Nota doctrinam Scoti de sua Hæceitate.

tũ propter hanc eandẽ cauſam proximè dictam, tum etiam quia idem eſt conſtitutiuũ & diſtinctiuum, at materia non poteſt diſtinguere, cum id proprium ſit actus ſecundum Ariſt. 7. Metaph. tex. 49. his accedit, quod eadem numero materia eſt in duobus indiuiduis, nempe cum vnum ex altero generatur vt aër ex aqua, quare diſtinctio indiuiduorum non debet peti à materia; non per quantitatem, quoniam ſecundum Ariſt. 7. Metaphyſicæ tex. 4. ſubſtantia compoſita eſt prior accidentibus, & Auer. in eodem li. com. 2. inquit indiuiduum ſubſtantię prius eſſe aliis indiuiduis ac cidentium; relinquitur igitur, vt talis contractio non per aliud, quàm per Hæcceitatem fieri queat.

Sed contra hanc opinionem exiſtunt duæ obiectiones, vna eſt, Boetium in libro de Trinitate, affirmare differentiam numeralẽ fieri per accidentia. Altera eſt, Ariſt. quamplurimis locis, quæ in tractatione ſequentis opinionis recenſebimus, clariſſimis verbis referre ad materiam, diſtinctionem, & vnitatem indiuiduorum. Ad vtramque reſpondet Scotus. Ad priorem quidem, indiuidua diſtingui per accidentia concomitatiuè, hoc eſt quia diſtinctionẽ indiuiduorum, quæ primò & principaliter fit per Hæcceitates, naturaliter ac neceſſariò conſequitur diſtinctio per accidentias vel illa Boetij ſententia accipienda eſt notificatiuè, hoc eſt ſecundum nos, nam quia latet nos ſua cuiuſque indiuidui Hæcceitas, ideo ſolemus diſtinctionem indiuiduorum facere per accidẽtia. Ad poſteriorem autem obiectionem reſpondet, ſicut forma duplex eſt, vna totius, altera partis, quam diſtinctionem ſuperius declarauimus, ſic etiam materiam eſſe duplicem (nam forma & materia ſunt ad aliquid. vt quot modis vnum eorum dicitur, totidem etiam alterum dici neceſſe ſit) vnã quæ opponitur formæ partis, vt corpus animæ, alteram quæ opponitur formæ totius, & quia forma totius eſt tota quiditas, ideo materia quæ illi opponitur, eſt extra quiditatem, huiuſmodi autem materiam Scotus vult eſſe ſuam Hæcceitatem, quæ vocatur materia, propterea quod conſtituit rem in vltimo eſſe ſubiicibili & materiali, nec vllo modo pertinet ad eſſe formale, & quiditatiuum rei.

Heruæus opinionem Scoti oppugnat.

Hæc Scotus pro ſua opinione, quã Heruæus Quodlibeto 3. q. 9. dupliciter impugnat: Primò quidẽ, quia cum Scotus ait principiũ indiuiduationis nõ poſſe ſumi à materia & forma, propterea quod ſunt cõmunes omnibus indiuiduis, aut loquitur de communitate materiæ & formæ, quæ eſt ſecundũ rẽ extra animã, aut de ea, quæ eſt tantùm ſecundum rationẽ; ſi de priori, ergo extra animã erit actu aliquod vniuerſale, quod falſum eſt, cũ Ari. dicat 1. de anima, tex. 8. Vniuerſale aut nihil eſſe, aut poſterius eſſe; nam eiuſmodi vniuerſale, vel per ſe ſubſiſteret ſeiunctũ à ſingularibus, quod ſane abſurdum eſt, vel eſſet in ipſis ſingularibus, at quidquid eſt in ſingulari, neceſſarium eſt eſſe ſingulare. Et quamuis Scotus de Vniuerſalium exiſtentia aliter ſentiat, eius tamen ſententiam & rationi & doctrinæ Ariſt. aduerſari, alio loco demõſtrandum eſt. Sin autẽ loquatur de poſteriori communitate quæ eſt ſecundum rationem, quod ipſe dicit de materia & forma, idem prorſus dici poterit de Hæcceitate, nam ſicut ab hac & ab illa materia, vi mẽtis abſtrahitur ratio quædam materiæ quæ eſt communis omnibus materiis, ſimiliter etiam ab hac & ab illa Hæcceitatẽ poteſt elici communis quædam ratio Hæcceitatis quæ erit communis ſingulis Hæcceitatibus: quare ſi propter huiuſmodi communitatẽ negatur materia vel forma eſſe principium indiuiduationis, propter eandem negari etiam debet Hæcceitas. Deinde Heruæus quærit quid ſit illa Hæcceitas; nam vel eſt ſubſtantia, vel accidens ſi ſubſtantia, vel materia, vel forma; vel compoſitum; ſi accidens, vel abſolutum, vel reſpectiuum; ſi abſolutum, vel quantitas, vel qualitas; at nihil horum poteſt Scotus dicere, quia Scotus labereturin eas opiniones, quas ipſe in 2. lib. ſent. diſt. 3. acerrimè oppugnat, ergo illa Hæcceitas nihil eſt. Hæc Heruæus contra Scotũ; Rationum autem Scoti facilis eſt ſolutio, nam quia ipſe non aliam ob cauſſam finxit illam Hæcceitatem, quàm quia perſuaſum habuit indiuiduationem non poſſe fieri vel per accidens aliquod, vel per materiam & formam, ſi demonſtretur id eſſe falſum, vt certe infra demonſtrabitur, nullum erit eius fundamentum. quo ſublato, tota confeſtim ipſius ruet atque concidet opinio; quare ad tertiam opinionem tranſeamus.

Principium indiuiduationis non eſſe materiam ſignatam quantitate.

CAP. XI.

Secunda opinio quæ eſt D. Thomæ.

DIVVS Thom. in opuſc. de ente & eſſentia, & de principio indiuiduationis, & in lib. 5. Metap. ſuper text. 12. & in 3. par. q. 77. ar. 2. opinatur principium indiuiduationis eſſe materiam cum quantitate; nam duo in primis ſunt de ratione indiuidui, vnum eſt, vt ſit incommunicabile non aptum eſſe in pluribus, alterum eſt, vt ſit diſtinctum numeraliter ab aliis eiuſdem ſpeciei; priorem proprietatem indiuiduum accipit à materia, quæ cum ſit vltimum ſubiicibile, facit vt forma in ea exiſtens, nõ poſſit in aliis ineſſe; poſteriorem autem proprietatem habet à quantitate, propter eam enim materia eſt diuiſibilis in multas partes, in quibus cum diuerſæ formæ recipiantur, exiſtit numeralis indiuiduorũ diſtinctio. Sed præſtat hic

adscribere verba D. Thomæ ex 3. par qu.77.art.2.vt ipsomet dicente,quæ sit eius opinio clarius atq; certius cognoscatur:sic igitur ait,*Est de ratione indiuidui vt non possit in pluribus esse,quod dupliciter cõtingit,vel quia non est natũ in aliquo esse,& sic formæ immateriales sunt per se ipsas subsistentes & indiuiduæ, vel quia forma substantialis seu accidẽtalis est quidẽ nata in aliquo esse, nõ tamen in pluribus, vt hæc albedo,quæ est in hoc corpore non potest esse in alio; quantum igitur ad primum, materia est indiuiduationis principium omnibus formis sibi inhærẽtibus,nam cum tales formæ aptæ sint esse in subiecto,ex quo aliqua earum recipitur in materia,quæ non est in alio,iam nec forma ipsa sic existens potest in alio esse.Quantum autem ad secundum.principium indiuiduationis, est quantitas,ideo enim aliquid natum est esse in vno solo , quia illud est in se indiuisum,& diuisum ab omnibus aliis,diuisio autem accidit substantiæ ratione quantitatis & ideo quantitas est quoddam indiuiduationis principium in quantum diuersæ formæ numero sunt in diuersis partibus materiæ. Vnde etiã quantitas secundũ se habet quandam indiuiduationẽ, possumus enim imaginari plures lineas eiusdẽ speciei differẽtes positione, quæ cadit in ratione quantitatis.*Hæc D.Thomas.Si quis autẽ plura scire cupit,quæ conducant ad huius sententiæ explanationẽ legat tres illos Principes Thomistarum,Capreolum inquam in 2.sen.d.3.& Paulum Soncinatem in 7.Metap.quæst.33.34.35.& Caietanum in cõmentariis suis super opusculum de Ente,& Essentia.Quòd autem materia sit principiũ indiuiduationis permultis testimoniis Arist.ostendi potest,is enim 5.Metaph.tex.12.& lib.7.tex.28.& li. 12.tex.49.& 1.li. de Cælo text.92. apertis verbis docet vnitatem, ac distinctionem indiuiduorum esse à materia; ipsa autem materia ex se vna est, indeterminata atque indifferens ad omnia indiuidua,quapropter nisi ei accedat quantitas per quam determinetur,distinguatur & in diuersas partes diuidatur , non poterit esse sufficiens ratio & caussa determinandi & distinguẽdi indiuidua.

Expressa doctrina Diui Thomæ de principio indiuidua tionis.

Sed hæc opinio nõ videtur nobis vera duas ob caussas,primùm quidem quoniã aggregatum ex materia & quantitate est ens per accidens;nõ potest igitur esse principium constitutiuum indiuidui quod est ens per se;& cũ quantitas sit accidẽs , quomodo potest esse principium indiuidui quod est substãtia? Denique rationes,quibus supra refutauimus eorum sententiam,qui quantitatẽ faciebant indiuiduationis principium, valent etiam contra hanc opinionem.Deinde,cum ex aqua generatur aër,quæ nam quãtitas est principium indiuiduans aërem? an ea,quæ in aqua præcedit generationem aëris?at hæc secundum ipsos corrumpitur, nã in eo instanti,quo generatur aër,non est præcedens quantitas,siquidem idem instans est primum esse aëris, & primum non esse omnium

Refutatio secundæ opinionis.

omnium præcedentium formarum; necessarium autem est principium formaliter constitutiuũ alicuius,manere in eo, quod cõstituitur.An fortè est ea quãtitas , quæ cernitur in aëre generato? at hæc secundum ipsos ordine naturæ posterior est forma substantiali,& ipso composito, namque omniũ accidentium volunt subiectum esse totum compositum, ita vt priùs secundum naturam sit forma in materia, & ipsum compositum priùs sit indiuiduum,quàm habeat quantitatem:ex quo fit , vt quantitas adueniens composito,iam reperiat ipsum indiuiduum & singulare,& potiùs quantitas indiuiduetur per subiectum , quàm e contrario.Si quis autem per materiam cum quantitate,putet eos significare voluisse materiam prout habet in se respectum quendam ad quantitatem,fallitur:& vt ita sit, id tamen pari facilitate refellitur , nam talis respectus non potest fundari in materia prima, quippe quæ per se indifferenter respiciat quamlibet determinationem quantitatis;nec in quantitate aut præcedente, aut subsequente generationem indiuidui , propter idem,quod paulò ante de quantitate dictum est.ergo hic respectus est nullus. Præterea respectus non potest attingere,ne dum compiere, rationem formalem entis absoluti quale est indiuiduum.His accidit,quod secundum Thomistas materia priùs respicit formam substantialem quam accidentalem , quare priùs indiuiduatur per substantialem,quàm per accidentalem. Rationum autem, quæ pro hac sententia positæ sunt,ex his quæ mox dicemus,petenda est solutio. Cum igitur quid sentiant alij de quæstione proposita dictũ sit,restat vt dicamus quid nobis sentiendum esse videatur.

Vnitatem & distinctionem indiuiduorum principaliter esse à forma substantiali.

CAP. XII.

QVæ nobis probabilior videtur sentẽtia,ea duob. propositionibus explicabitur.Prima propositio sit hæc:Vnitas & distinctio indiuiduorum est à materia,& à forma. Altera propositio,talis vnitas & distinctio principaliter est à forma: Vtraq; propositio facilè probatur hac breui ratione. Vnũ , & ens cõuertuntur,& ab eodẽ vnũquodq; habet vnitatẽ & distinctionẽ, à quo habet esse , sed indiuiduum substantiæ materialis , cum sit cõpositũ ex materia & forma,habet suũ esse completũ à materia & forma, ergo ab eisdem habet vnitatem & distinctionem ; sed principaliter cõpositum est ens & vnũ & ab aliis distinctum propter formã;omnes nãque concedũt esse cuiuslibet rei, vel solum,

vel certè principaliter esse à forma, ergo vnitas & distinctio individuorum principaliter est à forma; cui rei etiam illud fidè facit, quòd materia est propter formam, etenim forma est finis materiæ, vt auctor est Aristot. 2. Phys. tex. 81. & 91. quare vnitas & distinctio materiæ est ob vnitatem & distinctionè formæ, melius enim est, vt inquit Auerr. 2. Anima comm. 60. existimare diuersitatem materiarum esse propter diuersitatem formarum, quàm è contrario, si enim vnitas & distinctio generica est à forma, similiter etiã specifica; cur nõ itidè numeralis erit principaliter à forma? præsertim cum Arist. in 2. de anima tex. 2. affirmet per forma fieri hoc aliquid, & text. 7. vnitatem & multitudinem rerũ principaliter esse ab actu, & in 7. Metaphy. text. 49. separare ac distinguere esse proprium actus. Auer. autem in 2. de Anima com. 2. 7. 8. 9. conceptis verbis docet substantiam fieri & esse individuam propter formam.

Sed hoc loco existunt duæ perquam graues dubitationes; Vna est per quid forma fiat singularis, cum ex se, vel sit vniuersalis vel certè indifferens ad vniuersalitatè & singularitatè? Altera dubitatio, cur Arist. & Peripatetici vnitatem & distinctionè numeralem indiuiduorum fere assignare soleant materiæ, si ipsę principaliter sumuntur à forma? Ad priorem respondendum est, formam per se nec vniuersalem nec singularem esse, si enim esset per se vniuersalis, ergo nunquam posset esse singularis, quare nec generari nec corrumpi, nam singulare est quicquid generatur & corrumpitur: sin autem esset per se singularis, nõ posset effici vniuersalis, nec cadere sub scientiam quæ est tantùm rerum vniuersaliũ: Etenim quod per se alicui conuenit, id necessariò ei conuenit, & nõ potest nõ conuenire. Sed quemadmodum vniuersalis existit per abstractionem intellectus, per hoc nimirũ ꝙ abstrahitur à materia signata, & à proprietatibus rerũ singularium: sic etiam fit singularis per productionem agentis, nam quod producitur ab agente in materia quadam singulari, & per dispositiones quasdam singulares, necesse est ipsum quoque euadere singulare. In rebus enim primis atq; simplicibus nõ est quærẽda causa intrinseca & formalis cur vel sint, vel tales sint, & si qua est illarũ causa ea prouenit extrinsecùs vel ab agente, vel à materia, vel ab ipsis dispositionibus. Ad posteriorem dubitationem respondendum est vnitatem & distinctionem numeralem assignari materiæ, tres ob causas. Primò quidem quia secundum nos manifestius est talem vnitatè & distinctionè fieri propter materiã, quam propter formã. Videmus enim vnã figilli formã variè multiplicari; propterea quòd imprimitur & recipitur in multis & diuersis subiectis,

Nota has dubitationes, quoniam ex earum solutione pẽdet huius quæstionis intelligẽtia & cõtrariorum argumentorum solutio.

Deinde

Deinde ꝙ multiplicari numeraliter nõ cõuenit formæ vt forma est, sed vt est forma materialis vel vnibilis materiæ, quocirca intelligentię, quia sunt immateriales, non multiplicantur secundũ numerũ; Anima verò rationalis, licèt sit per se subsistens & immortalis, tamen quia est vnibilis materię, & pars essentialis compositi materialis, multiplicatur secundum numerum. Ad extremum multiplicatio numeralis efficitur à natura propterea quod res est corruptibilis, vt per huiusmodi multiplicationem, si non eadem res numero, saltem eadem secundum speciem perpetuò conseruaretur, vt in 2. de Anima tex 35. & 2. de Gen. tex. 59. scriptũ reliquit Arist. At radix eiusmodi corruptibilitatis, est in materia, quare nõ immeritò ei attribuitur indiuiduorũ multiplicatio. Quas igitur ob causas vnitas & distinctio numeralis à Peripateticis interdũ materiæ ascribatur cũ ea principaliter sit à forma, hoc modo breuiter explicatũ sit. Atque hinc etiam facilè potest elici solutio earum rationũ, quibus supra docuimus Thomistas, Scotistas & alios probare velle nõ formã, sed vel quantitatẽ vel materiã signatam vel aliud quidpiam esse principium indiuiduationis, quarum rationum enodationę in hunc locũ distuleramus.

De forma relata ad suos effectus, ac primùm de existentia quæ est effectus formalis ipsius.

CAP. XIII.

DICTVM est de forma in se, & respectu tam materiæ quàm compositi; restat vt de forma disseramus respectu suorum effectuum. Est autem duplex effectus formæ vniùs formę vt forma est, quale est ipsum esse seu existẽtia; alter est formæ; vt est principium efficiens motuum & actionũ naturaliũ. De vtroque nunc dicendũ est sed priùs de existẽtia; de qua nõnullæ quæstiones breuiter ac dilucidè tractandæ sunt, his enim explicatis, quæ ad cognoscendam existentiam pertinent, cognita & perspecta erunt. Prima quæstio est an omnis existentia sit à forma, ad quam respondendum est duplicem esse existentiam, vnam quæ simpliciter & absolutè dicitur, per quam quidquid est in natura quocunque modo existit; alteram perfectam & determinatam ad gradum seu speciem aliquam entis. Alij eandem distinctionem existentiæ aliis verbis exponunt, aiunt enim aliam esse entitatiuam, & aliam formalem. Prior igitur existentia non semper est à forma, nam materia existit, nec existantiam suam per quam est extra nihilum, & actu est in rebus, accipit à forma, sed eam sua vi & suapte natura habet, quemadmodum supra libro 5. à nobis demonstratum fuit. Po-

1. *Quæstio an omnis existentia sit à forma.*

sterior autē existentia, semper est à forma, vnde Aristo. 5. Metaph. tex. 15. *alio*, inquit, *modo substātia dicitur quodcunque fuerit causſa existētiæ in rebus, ipsiſq; inexistēs, vt anima animali* & in 2. de anima tex. 36. *causſa*, inquit, *ipsius esse omnibus substātia est*. ipsius vocat autē ibi substantiā ipsam formā. & in 2. Physi. tex. 11. ait res naturales per materiam esse in potentia, per formam autem existere actu: & sanè meritò, nam cum generatio sit mutatio à non esse, ad esse, non sit autem mutatio ad materiam sed adformam, necesse est, esse quod per generationem acquiritur, à forma proficiſci, quare id quod Boetius in lib. de vno & vnitate ait, quod omne esse est à forma, & quod Philoſophi definierūt esse, existentiam formæ in materia, intellgendum est de esse perfecto & formali.

2. *Quæstio quid sit existentia.*

Secunda quæstio est: Quid sit existentia. Ad quam respondendum est. Primò quidem existentiam non esse quiditatem rei nec de quiditate rei, ac proinde nec esse materiā, nec formā, nec compositum, quod probatur testimonio Arist. & ratione. Etenim Arist. in 2. lib. Posteriorem distinguit quæstionē an sit à quæstione quid sit, & in textu 7. eiusdem libri ita scribit. *Quid autem est homo, & esse hominem, aliud est*, & paulò post subiūgit; *ipsum verò esse, nulli est substanti.* 4. Atque id sanè rationi valde congruit, nam definitio quæ declarat substantiam & quiditatem rei, nō significat rem esse aut non esse, & quiditas per se indifferens est ad vniuersalitatem & singularitatem; existentia verò semper atque necessariò coniuncta est cum singularitate rei; non enim existentia est vniuersalium, sed singularium. Deinde existentia non est accidens; nam si est accidens, erit in aliqua categoria vel quātitatis, vel qualitatis, &c. sed eā nihil horum esse manifestum est. Posteā, generatio terminatur ad ipsum esse, at generationis terminus non est aliquod accidens. Amplius, si est accidens, aut erit proprium aut commune, non proprium, cum existētia communiter insit in omnibus rebus; neque commune, quia posset abesse rei sine eius interitu, quod implicat contradictionē, sic enim res existeret sine existentia. Postremò, accidens capit suam existentiam à subiecto, quare si est accidens præsupponet aliā existentiā in subiecto, at illa cum etiam sit accidens, rursus aliā præsupponet, atque hoc modo numerus existentiarū procederet in infinitum. Existentia igitur cuiuslibet rei, nec est de substantia & quiditate eius, nec vnū aliquod de accidentibus quæ in ea insunt. Quid igitur est? nobis quidē videtur nihil aliud esse quàm modus quidā rei, quo res dicitur esse extra nihilum & à suis causſis producta, & actu esse in mundo; qui enim dicit hominem, significat naturam & quiditatē hominis non declarando an sit actu in rebus necne; qui autem dicit

dicit hominem existere, significat naturā hominis quatenus extra nihilum, & extra suas causſas producta existit in rebus. Ac modus quidem existentiæ sequitur modum essentiæ, nam si essentia fuerit completa per se, qualis est substantiæ completæ, existentia quoque est completa, vnde substantia dicitur per se existere; si autem essentia fuerit incompleta, cuiusmodi est accidentium & partium, existentia similiter incompleta erit, quocirca non dicūtur huiusmodi res per se existere, sed inexistere, inhærere, inesse in alio. Quanquam hoc non videtur habere locum in anima rationali, quippe quæ cum habeat essentiā incompletam, est enim pars, & forma hominis; habet tamen completam existentiam; siquidem à corpore seiuncta per se existit. Verum dici potest animam rationalem quatenus est independens à materia, & composito per se existere, quatenus verò est pars & forma inexistere & inesse in alio tanquam in toto & subiecto. Licèt autem anima separata per se existat, nō tamen (propriè loquendo) per se subsistit quia id est suppositorū, qualis nō est anima. Verum de hoc, alias.

Tertia quęstio est, quibus rebus propriè cōueniat subſtātia? Respondendum est, existentiam primò & per se conuenire singularibus & compositis, secundum quid autem vniuersalibus & ipſis partibus. Loquimur autem hic de existentia rerū duntaxat naturalium. Hoc autem ita probatur, ei conuenit existentia, quod actu vere existit per se, sed vniuersale nec per existit sed in singularibus, nec extra animam existit actu, sed tantùm potentiæ, ergo non propriè conuenit vniuersali existere. Deinde, existentia est earum rerum quæ generātur, corrumpuntur, mouētur, operantur, sunt in loco determinato, & sub tempore, quæ quidem non conueniunt vniuersalibus nisi propter singularia: nam vniuersale, vt dici solet, abstrahit ab hic & nunc. Præterea existentia accidit rei ex eo quia est producta, vniuersale autem per se non producitur, sed tantùm singulare, ergo &c. Quod autem existētia per se sit totius, non autem partiū, vel ex eo manifestum est, quia vt sæpenumero Arsti. ait, quod per se generatur, non est materia nec forma sed totum compositum, quare similiter etiam quod per se existit, erit totum compositum. His accedit quòd nec materia per se existit saltem existentia perfecta & determinata, nec forma quippe quæ inexistit materiæ, ergo quod per se existit est ipsum compositum. Restat quarta quæstio omnium grauissima difficillima, an existentia realiter distinguatur ab essentia.

3. *Quæstio quibus rebus conueniat existentia.*

Quarta quæstio. An existentia distinguatur realiter ab essentia & primùm exponitur opinio D. Thomæ.

CAP. XIIII.

MAgna est disceptatio tã inter Philosophos, quàm inter Theologos an existẽtia cuiuslibet rei distinguatur realiter ab eius essẽtia & quiditate. De qua re duæ sũt opiniones, vna D. Thom. qui in omnibus rebus creatis existẽtiã vult distingui realiter ab essentia. Altera aliorũ qui id negãt qui inter essentiã & existentiam solam rationis differentiam esse putant. Nos priori loco D. Thomæ opinionem diligẽter explanemus. Sententia D. Thomæ est, in qualibet re creata (solum enim Deũ excipit) esse, distingui realiter ab essẽtia. Vide D. Thomam in libro de ente & essentia & in 2. contra gentes cap. 52. & in 1. sent. dist. 8. in 4. Metaph. super tex. 3. vide etiam Egidium Romanũ in libro de Ente & Essentia quæst. 9. & 1. Quodlibeto quæst. 7. Hanc opinionẽ latissimè tractat Capreolus 1. Sen. dist. 8. & Paulus Soncinas super 4. Metaph. quæst. 12. Affirmat igitur D. Thomas dupliceꝫ in rebus creatis reperiri compositionem vnam ex materia & forma, vnde resultat essẽtia rei, alteram ex ipsa essentia & existentia: respectu prioris compositionis essentia habet se vt actus; respectu autem posterioris habet se vt potentia habet enim essentia potentiam recipiendi existentiam. quare existẽtia est vltima actualitas rei; in priori compositione res acquirit esse quidditatiuum, specificum, intelligibile, immutabile, indeterminatũ secũdum tempus & locũ, abstractum à singularitate & à respectu ad causas extrinsecas, vt ad efficiẽtem & finem. In posteriori autem acquirit esse existẽtiæ singulare, sensibile, generabile, & corruptibile, determinatum secundum tempus & locum, dependẽs non solùm à causis internis, sed etiã externis. At licèt prior compositio non sit nisi in rebus materialibus, posterior tamen in omnibus ineſt etiam in ipsis Intelligentiis.

Opinio D. Thomæ.

Quinque documẽta secundum D. Thom. doctrinã, diligenter obseruanda.

Ex his, quinque colliguntur quæ sunt secundũ hanc opinionẽ summa animaduersione digna, vnum est, nullã creaturã esse penitus simplicẽ; alterũ, nullã creaturam esse actum purum; tertium, nullius creaturæ operationẽ esse idẽ cũ eius subsẽtia: quartum, in omni creatura esse aliquod accidens; quintũ de nulla creatura verè dici posse quòd ipsa sit suũ esse, sed hoc esse proprium Dei, qui dixit. Ego sum qui sum. Quæ omnia vno eodẽque nituntur fundamento: Nam si cunctis in rebus esse distinguitur realiter ab essentia, ergo in omnibus est cõpositio ex esse & essentia, ergo in omnibus est potẽtia, quia in omni cõpositione implicata est ratio potentiæ

potentiæ & actus; ergo operatio distinguitur à substantia cuiusl bet rei; nã cũ operari sequatur esse, si esse distinguitur realiter ab essentia multò magis operari; ergo quia in quibuscunq; rebus operari distinguitur ab essentia, in his, operatio est accidens, in omnibus autem creaturis operari distinguitur à substantia rei, necesse igitur est in omnibus creaturis esse aliquod accidens. Denique si in creaturis esse extrinsecus aduenit essentiæ eíque imprimitur à primo agẽte, nulla creatura est suum esse. Quomodo autem se habeat illa duplex compositio in rebus, facilè intelligitur hoc exemplo. Est aër & perspicuitas & lumen: Aër est in potentia ad perspicuitatem, perspicuitas est in potentia ad lumen & perspicuitas est actus aëris, & lumen perspicuitatis. Sic materia est in potentia ad formam: forma vel essentia est in potentia ad existentiam. Sed quæret, aliquis quid sit talis existentia? Respondent, nõ esse vel substantiam, vel accidens, sed esse vltimum complemẽtum cuiuslibet rei, & reduci ad eam categoriam, in qua ea est res cuius est existentia (verbi gratia) existentia quantitatis ad categoriam Quantitatis, existentia substantiæ, ad categoriam substãtiæ. Describunt autem existentiam hoc modo: Existentia est vltima actualitas impressa rebus à primo agente. Nã esse, quemadmodum dicitur in libro de causis, est primus, vniuersalissimus proprius atque immediatus effectus primæ caussæ.

Hæc opinio sic explanata quod attinet ad id quod nunc quæritur an existentia realiter distinguatur ab essentia, cõfirmatur his argumentis. Primùm Arist. in 2. Post. iis locis, quæ præcedenti capite in explicatione secũdæ quęstionis citauimus, satis apertè declarat ipsum esse distingui à substantia rei; & Boëtius in libro de Hebdomadibus ponit huiusmodi sentẽtias. *Diuersum est esse & id quod est, & id quod est. accepta essendi forma est atque subsistit, & Item, omne quod est, participat eo quod est esse, vt sit.* Ex quibus colligitur esse distingui realiter ab essentia. Deinde essentia, secundũ se est indifferens ad esse & nõ esse, ab vtroque enim abstrahitur: essentia enim rosæ (verbi gratia) in hyeme non habet existentiam, in vere autem habet, ergo existentia distinguitur realiter ab essentia: nam si esset idem realiter cum existentia nunquã posset reperiri cum oppositio eius, quemadmodũ si aliquid esset idem realiter cum albedine, nũquam posset reperiri cum nigredine. Adde, quòd nihil est in potentia ad seipsum, sed essentia rosæ in hyeme est in potentia ad existentiam quam accipit in vere, ergo existentia rosæ differt realiter ab eius essentia. Postea, si idem est esse & quiditas, sicut quælibet res est sua quiditas, ita esset suum esse, ac proinde haberet esse infinitum, & illimitatum; omnis enim limi-

Probatur à Thomistis quinq; rationib⁹ existentiã re distingui ab essentia.

ratio fit vel per ſubiectum in quo recipitur, vel per aliquas differentias quæ contrahunt id quod limitatur: ſed ipſum eſſe non limitatur per receptionem in ſubiecto,nam cum ſit idem cum eſſentia non poteſt dici, quòd recipiatur in ea tanquã in ſubiecto, nec etiam limitatur per differentias,ſicut. n.ens non habet differentias,ita nec eſſe,non.n.habet eſſentiales differentias,quoniam hæ pertinent ad eſſentiam,nec accidentales,alioqui ſubſtantia exiſteret per accidens. Præterea, in accidente inexiſtentia differt ab eſſentia,poteſt.n.vnũ ab altero ſeparari,nã in quãtitate hoſtiæ conſecratæ manet eſſentia quantitatis,quæ priùs erat,non autem manet in exiſtẽtia,quia nõ inexiſtit alicui ſubiecto ſicut priùs inexiſtebat,ergo ſimiliter in ſubſtãtia exiſtẽtia realiter differt ab eſſentia.Poſtremò,quiditas nõ habet cauſam efficiẽtẽ(verbi gratia) hominẽ eſſe animal rationale,quiditatiuè à nullo fit, tũ quia hoc eſt æternũ,quod autẽ ſit à Deo,non eſt æternũ,tum quia,quod fit à Deo,poteſt nõ fieri, at nullo modo poteſt fieri quin homo ſit animal rationale, ſed exiſtẽtia habet cauſam efficientẽ, omnia.n. habẽt eſſe à Deo,& tã generatio,quàm creatio terminãtur ad eſſe rei,ergo exiſtẽtia differt realiter ab eſſẽtia.Hęc de opinione D.T.

Refellitur ſupradicta opinio,& demonſtratur exiſtentiam re non diſtingui ab eſſentia..

CAP. XV.

In intelligentiis ſecundum Ariſt. exiſtentiã re. diuerſã non eſſe ab eſſentia.

HÆc ſententia nobis non valde probatur, quibus autẽ rationibus ea refellitur, eiſdẽ comprobatur altera ſentẽtia eorum,qui cẽſent exiſtentiam non re, ſed ratione tãtùm diſtingui ab eſſentia,quàm ſequitur Henricus,Scotus,Durandus, Gulielmus Ochan, & alij quamplurimi. Primùm autem oſtẽdemus ſecundum Ariſt.in intelligentiis exiſtentiam re nõ diſtingui ab eſſẽtia:Tum idem ſimpliciter & vniuersè demõſtrabimus in omnibus rebus.Exiſtentiã non diſtingui ab eſſentia in intelligentiis ſecundum Ariſt,doctrinam.hinc manifeſtum eſt;Ariſtot.in 8. Metaphyſ.text.16, ait quæcũque nec ſenſibilem nec intelligibilẽ materiam habent,ſe ipſis ſunt ens, & vnum,& nõ per aliquid ſibi additum,ſed intelligentiæ nec ſenſibilẽ nec intelligibilem materiã habent,dicitur enim materia ſenſibilis ea quæ eſt in reb.Phyſicis,& intelligibilis,quę eſt in Mathematicis:quemadmodũ ipſemet Ariſto.declarat in 7.Metaphyſ.tex.35. ergo intelligẽtiæ non ſunt,nec exiſtunt per exiſtentiã additam eſſentiæ ſuæ, & ab ea,re diuerſam.Præterea, in abſtractis à materia idẽ eſt quiditas & habens quiditatẽ,vt Ariſt,ait in 3.de Anima tex.9.ſed habens quiditatẽ

tatẽ eſt res exiſtẽs,ergo in rebus abſtractis exiſtẽtia eſt idem cum eſſentia ampliùs ſi in intelligẽtiis eſſet compoſitio ex eſſentia & exiſtẽtia, vt volunt Thomiſtæ, eſſet in ipſis potentia. nã eſſentia habet potentiã ad exiſtentiam,ſed Ariſtot. omnẽ remouet potentiã ab Intelligentiis nã in lib.9.Metaph.tex.17. ait omnẽ æternũ carere potentia.& ſolùm ibi excipit cælũ, quod habet potentiam ad vbi,ratione cuius eſt mutabile & variabile,& in 12. Meta.tex. 30.ſcribit in intelligẽtiis nullã eſſe potentiã,ſiue in ſubſtãtia, ſiue in operatione.Cuius rei vtroque in loco hãc reddit cauſam, cum omnis,inquit,potentia ſit contradictionis, ſi Intelligentię haberent potentiã,vel in ſubſtantia,vel in operatione, poſſent eſſe, & non eſſe,etiam operari,& non operari, quare & motus cæleſtis,& Intelligentiarũ atque adeò ipſius mundi æternitas tolleretur.His accedit,quod apud Peripateticos tritiſſimum eſt, atq; certiſſimũ axioma,omnẽ cõpoſitionẽ eſſe nouã & diſſolubilem, quare ſi in Intelligentia eſſet compoſitio ex eſſentia & exiſtentia, Intelligẽtiæ non eſſent æternæ.Quid?quod Ariſt.in 12.Metap.tex.51. vult in Intelligentiis idẽ ſecundum rem eſſe intellectionem, intelligentẽ,& rẽ intellectam,ſi autem intellectio idem eſt cum ſubſtãtia Intelligentiæ,multò magis erit exiſtentia. Atque hæc quidem pauca de exiſtentia & eſſentia Intelligentiarũ ſecundum Ariſtoteliceę diſciplinę decreta,dicta ſint.Deinceps ad generalẽ eiuſdem rei demonſtrationem,quę omnes in res conueniat,aggrediamur.

Septem argumentis probatur, exiſtentiã cuiuſlibet rei non diſtingui ab eſſentia.

Omnes res qualeſcunque fuerint,habere exiſtentiam re nõ diuerſam à ſua ipſorum eſſentia,ad hunc modũ oſtendi poteſt.Primò Ariſtot.in 4.Metaphy.text.3.& in 5.lib.text.14.& in 10.li.tex. 8.ſcribit, ens & vnum abiuncta rebus, nihil amplius ſignificare, quàm res ipſas,ſed idem eſt exiſtens, quod ens,ergo exiſtere non ſignificat aliquam rem diuerſam ab eſſentia;probatur Minor, tũ quia hoc nomen ens impoſitum eſt,vt ait D.Thom.in lib.de Ente & eſſentia,ad ſignificandam eſſentiam in ordine ad exiſtentiã; tum etiam,quia cum exiſtere ſit trãſcendens, neceſſe eſt vt ſit vel idem quod ens, vel aliqua paſſio entis, ſed conſtat non eſſe aliquam paſſionem entis, ergo eſt idem quod ens, & confirmatur hæc ratio,exiſtere eſt tranſcendens; ergo non ſignificat aliquam rem diuerſam ab iis de quibus dicitur, probatur cõſequentia, tũ, quia cætera tranſcendentia vt ens,Vnum,Verum,Bonum,nõ ſignificant aliquid re diuerſum ab iis de quibus dicuntur, tum etiam quia hoc requirit ratio tranſcendentis; nam ſi eſt tranſcendens, ergo per omnes res peruadit, ſi autem exiſtentia eſt res quædam,ergo ipſa quoque exiſtet, nam tranſcendens de omnibus dicitur;vel igitur,ſe ipſa,vel per aliam entitatẽ, ſi ſe ipſa,

Tranſcendentia nõ ſignificant rem quam piã diuerſam ab iis de quibus dicuntur.

cur non itidem essentia existit se ipsa? sin autē per aliā entitatem, & illa similiter per aliam, res abibit in infinitum. Deinde, si existētia est res quædam diuersa ab essentia, necesse est eā esse vel substātiam vel accidens, non est substantia, quia nec est materia, nec forma, nec cōpositum, hæc enim pertinent ad ipsam essentiā, nec est accidens, tum quia substātia non existit propter accidēs, sed potius è contrario, tu etiam quia dici nō potest ad quam accidentis categoriam existētia propriè pertineat. Nec firmum est Thomistarum perfugium, qui respondent existentiā, nec esse substantiā, nec accidens, sed vltimā rei actualitatem, atque complementum: Hoc enim est, vt Aristotelico vtar prouerbio, præter fores rationi occurrere, siue enim existentia sit complemētum siue actualitas, siue quiduis aliud, id nō obstat, quominus necesse sit eam esse vel substātiam, vel accidēs, etenim diuisio entis in substantiā & accidens, immediata est, quippe cū ad contradictoria reducatur. Postea, existentia secundū Thomistas est actus, cum igitur Arist. 2. de Anima text. 2. & 5. distinguat actum in primum & secundū; quærendum est an existētia sit actus primus? sed is est forma secūdum Aristotelem, quare si existentia est actus primus, non poterit re distingui à forma. An secundus? at verò is est operatio: ergo existentia nullus est actus. Præterea, essentia secundū ipsos est in potentia ad existentiam, duplex autem est potentia, vt Arist. innuit 8. Phy. text. 32. & 2. de Anima 55. vna essentialis, altera accidentalis; sed essentia non est in potentia essentiali ad existentiam, alioquin essentia per se non esset completa, & per existentiā essentialiter compleretur, quod & falsum est, & decretis ipsorum repugnans, nec in potentia accidentali, quia existentia non est accidens, ergo, &c. Confirmatur hæc ratio, vel ex essentia & existētia fit vnum ens per se, vel vnū ens per accidens, nō vnum ens per se, quia cū essentia sit actus & similiter existētia, est apud ipsos quasi axioma certissimū, ex duobus entibus in actu non posse fieri vnū ens per se, hac enim maximè ratione pugnant ipsi contra eos, qui ponunt multas formas substantiales in vno composito; sin autem ex ipsa existentia & essentia existat vnum ens per accidens, cum res existens sit terminus generationis, generatio substantialis terminaretur ad ens per accidens. Amplius, si existentia re differt ab essentia, essent duo termini per se primi ipsius generationis, quod nequaquā fieri potest: Vnitas enim numeralis cuiuslibet motus, pēdet ex vnitate numerali termini ad quem; probatur antecedēs nam terminus generationis est forma, vnde Arist. formam sæpe vocat generationis terminum finem & cuius gratia; est etiam existentia terminus generationis, nam generatio definitur esse mutatio à non esse ad esse, generari est fieri, fieri autem per se terminatur ad esse, quare si esse secūdum rem differret à forma, duo essent termini generationis. Verùm Thomistæ respondent, esse quidem duos terminos, nō tamē æquè primos; sed vnum primarium, alterū secundariū: bene habet, sed quæratur ab illis vtrū velint esse primariū, formam ne, an existentiam? non existentiam, hæc enim posterior est forma, cum sit effectus formalis eius, nec ipsam formā: nā si generatio per se primò terminatur ad formā, secundario autem ad existentiā, ergo etiam si remoueretur existentia (quacunque ratione id fieri possit) generatio quantum attinet ad ipsam rationē generationis, completa & absoluta esset in sola forma, quod tamen implicat contradictionem, pugnāt enim hęc inter se, aliquid esse generatum & productū, quod tamen non existat, at si existentia esset terminus secundarius generationis, non accideret talis repugnantia: quemadmodum, quia calefactio primò terminatur ad calorem, secundariò ad raritatem, etiam si raritas separaretur à calore, nihilominus calefactio intelligeretur completa & absoluta per solā caloris productionē. Ad hæc in accidente essentia nō distinguitur ab existentia, ergo nec in substātia; par. n. est vtriusque ratio. Probatur antecedens. Si existētia accidentis est res diuersa ab essentia, quærendum est an talis res sit substātia vel accidens, non substantia, vt patet: si est accidēs, ergo similiter ipsum inexistit, aut igitur seipso, aut per existentiā à se diuersam: si seipso, cur non idem de primo accidente dictum est? si per aliam existentiā, idem rursus de illa quæri potest, atque hoc pacto res procederet in infinitum. Postremò, ratio Auer. in 4. Metaphys. com. 3. contra Auicennam affirmantem Ens, & Vnū significare dispositiones seu naturas quasdā adiunctas rebus de quibus dicuntur, quam rationē ibidem probat D. Tho. Hæc inquā ratio Auerr. non minorem vim habet contra hanc Thomistarum opinionem, quàm contra Auicennā. Est autem ratio Auerrois huiusmodi. Si ens, & vnum significant aliquid additum rebus, cū illud etiam sit ens & vnum, alioquin nihil esset, vel est tale seipso, vel per aliquid aliud, ū seipso, etiam quælibet res erit ens & vna seipsa; si per aliud, de illo itidem quæratur, & sic continget processus in infinitum: Hæc ratio similiter valet contra Thomistas; nam si existentia est res diuersa ab essentia, cum ipsa existat siquidem ipsum existere transcendens est, vel existit seipsa vel per aliam existentium, & cætera deinceps, similiter vt supra, connectantur. Quare, ne pluribus argumentis colligendis longiores simus, ex his quæ dicta sunt, manifestissimum est, existentiā non posse realiter distingui ab essentia, & sanè nulli viro sapiēti placere potest

In existentia accidē tis ab eius essentia re nō differt.

multiplicatio entium ſine cauſa & neceſſitate, pręſertim cum quę de eſſentia & exiſtentia dicuntur ſola rationis diſtinctione poſita. facillimè defendi & optimè poſſint explicari.

Soluuntur rationes quibus probabatur exiſtentiam re diſtingui ab eſſentia.

CAP. XVI.

REſtat, vt rationes Thomiſtarũ diſſoluamus. Ad Primã rationẽ eorum, ita reſpondemus. Illis teſtimoniis non cõcludi diſtinctionẽ realem inter eſſentiam & exiſtẽtiã, ſed tãtum rationis. Ad 2. Primũ, nõ valet, eſſẽtia eſt indifferens ad eſſe & non eſſe, ergo diſtinguitur realiter ab exiſtẽtia, nam etiam albedo eſt indifferens ad fundandam diſſimilitudinem comparatione nigredinis, & ſimilitudinem comparatione alterius albedinis, & albedo tamen nec à ſimilitudine, nec à diſſimilitudine re differt, non enim relatio re differt à ſuo fundamento. Similiter quantitas indifferens eſt ad hãc vel aliam quamlibet determinationem & figuram, at inter quantitatem & figurã non eſt diſtinctio realis. Deinde, falſum eſt eſſentiam poſſe eſſe cum exiſtentia & ſine exiſtentia, nunquàm enim eſt eſſentia ſine exiſtentia, & oppoſitum huius, implicat contradictionem, eſſentia enim nihil eſt ſine exiſtentia. Poteſt quidem eſſentia eſſe in intellectu ſine exiſtentia, id eſt concipi ab intellectu non concipiendo an exiſtat necne: neque exiſtere actu, nec nõ exiſtere actu, eſt de conceptu quiditatis vel eſſentiæ. Veruntamen ex hoc non poteſt colligi diſtinctio realis inter eſſentiam & exiſtentiam, alioquin cum exiſtentia poſſit concipi quatenus nõdum eſt actu, ſed poteſt eſſe, & quatenus iam actu eſt, & ad vtrunque ſit indifferẽs, ſequeretur ipſam exiſtentiã realiter diſtingui à ſeipſa prout actu eſt. Ad 3. Creaturam eſſe ſuam eſſe, dupliciter intelligi poteſt, vno modo, eſſentiam creaturæ idem ſecundum rem eſſe cum ſua exiſtentia, & hoc verum eſſe contendimus, nec id ſoli Deo cõuenit, ſed commune eſt omnium rerũ: Altero modo, creaturam habere eſſe à ſe non aliunde acceptum aut dependens, & hoc falſum eſt nec id eſt contra nos, nam hac ratione nec creatura eſt ſua quiditas: cum enim talis quiditas non ſit Deus neceſſe eſt eſſe à Deo, cuius proprium eſt eſſe à ſe. Quod autem quærũt, quomodo eſſe creaturæ limitetur ſi eſt idem cum eſſentia? Reſpondendum eſt, exiſtentiam cuiuſlibet rei intrinſecè limitari ſecundũ gradum, & menſuram ſuæ quiditatis, nam modus exiſtentiæ, vt ſupradictum fuit, eſt ſecundum modum eſſentiæ, extrinſecè autem determinari à primo agente, qui ſecundum ſapientiæ ſuæ diſpoſitionem, & volũtatis ſuæ determinationẽ, omnia cõdidit in põdere, numero, & mẽſura cũctiſq; rebus præfiniuit modum, ſpeciẽ & ordinẽ. Et ſanè quod ipſi quærũt de exiſtẽtia, idẽ planè ſimiliter quæri poteſt de quiditatib. rerum ſimplicium. Etenim cum in his vnumquodq; ſit ſua quiditas & omnis quiditas, quæ nõ eſt Deus, ſit finita, percũctari oportet à Thomiſtis quomodo huiuſmodi quiditates ſimplices contrahãtur ac determinẽtur? Ad quartã. Negãdum eſt quãtitatem hoſtiæ cõſecratæ amiſiſſe eã exiſtẽtiam quam habebat ante conſecrationẽ, nam cum exiſtẽtia ſeparari nequeat ab eo cuius eſt, ſine eius interitu, quid. n. aliud eſt corrumpi quàm priuari ſua exiſtẽtia? ſi quãtitas in cõſecratione hoſtiæ amiſiſſet priorem exiſtẽtiam, neceſſariò fuiſſet corrupta, & rurſus denuo generata. Quare eadẽ prorſus exiſtẽtia manet in quãtitate ante & poſt cõſecrationẽ, ſed diuerſo modo, nam antè erat in ſubiecto in ipſo inhærẽs & ab ipſo depẽdens, poſt aũt eſt per ſe abſq; vllo ſubiecto, quocirca antè verè dicebatur inexiſtere & ipſius exiſtẽtia verè dicebatur inexiſtẽtia, poſt autem minimè. Ad quintam. Falſum eſt quiditatem creaturæ nõ habere cauſam efficientẽ, nam ſi ipſa non eſt Deus, neceſſe eſt eam à Deo productam eſſe, quinimò quod producitur per generationem ſubſtantialem, eſt forma & quiditas, alioquin non eſſet generatio ſubſtãtialis, ſi ea nõ per ſe terminaretur ad ſubſtantiã. Falſum etiam eſt quiditates rerum prout habẽt eſſe diuerſum à Deo, & extra Deum, eſſe æternas; nã cum æternitas ſit duratio, quę eſt quaſi quędam extenſio ipſius exiſtẽtiæ, haberẽt profectò exiſtentiã æternã, vel probãda eſſet opinio Hẽrici qui affirmat creaturas ab æterno extra Deũ habuiſſe quoddã eſſe nõ exiſtẽtiæ, ſed eſſentiæ, quæ opinio & à Thomiſtis & ab aliis ferè Theologis reprobatur. Ergo Deus producendo hominẽ, ſimul etiã producit quiditatẽ hominis, & tribuẽdo ei naturã ſenſitiuã & rationalem, facit, vt de quiditate hominis ſit, eſſe animal rationale. Itaq; quiditas creaturæ vel nihil eſt, vel idẽ eſt quod Deus, vel ſi quid eſt à Deo diuerſum & ſeiunctum, id neceſſe eſt ab eo productum, atq; effectũ eſſe, vel tantùm notio ipſius quiditatis quam format intellectus.

An quæli bet res ſit ſuũ eſſe, & quomodo limitetur ipſum eſſe in rebus creatis.

An quidditas cuiuſlibet rei creatæ habeat cauſam efficientem & an ſit æterna.

De altero effectu formæ qui eſt operatio.

CAP. XVII.

DE actionibus quæ à forma proficiſcuntur, ea tantùm breuibus explicanda ſunt, quæ ad ampliorem certioremque formæ notitiam conducunt. Ac primùm quidẽ ſciẽdum eſt, ob quinque cauſas poſſe cõtingere, vt ab vna eadémq; forma

Quinque cauſæ cur abuna ſer ma multæ actuariæ actiones pro ficiſcãtur.

multæ ac variæ actiones proficiſcantur, vel enim vna per ſe prouenit à forma,altera verò per accidens,ſicut ab igne per ſe eſt calefactio,per accidens eſt congregare, ſegregare,rarefacere. Vel quod vna eſt à forma tanquã principali agente,altera eſt ab ea vt eſt inſtrumẽtum alterius agentis, quemadmodum ignis vt ignis calefacit,vt autem in viuentibus eſt inſtrumentum animæ, concoquit,attrahit,generat carnem & oſſa, Vel quia forma eſt conſociata cũ multis accidẽtibus,quomodo ignis per ſiccitatẽ exſiccat, per calorẽ calefacit,per leuitatẽ mouetur ſurſum,& anima per varias potẽtias,multas & varias explet actiones, Vel quia forma eſt cauſa vniuerſalis,& per agẽtia particularia determinatur & deducitur ad varias actiones & effectus,quã ob cauſã ſol & homo generant hominẽ,& ſol & equus aut planta generãt equũ aut plãtã,vel ob materiã in qua ineſt forma, aut denſiorẽ aut rariorẽ,ob eã rem calor in materia denſa acriùs vrit quàm in materia rara.

In Actione quatuor à Peripateticis cõſiderari ſolere.

Deinde conſiderandum eſt,in actionibus quæ manãt à forma, quatuor imprimis ſolere à Philoſophis perpendi: ſubſtãtiam ſeu naturã actionis,durationẽ eius,modũ,& effectũ. Natura actionis in eo,eſt vt videatur an ſit materialis vel immaterialis, corporea vel incorporea:Duratio,an ſit æterna nec ne, Modus,an ſit dependẽs vel independens,ſit ex nihilo an ex aliquo ſubiecto: Effectus quid ſit & quale id quod poſt actionem relinquitur & per ipſam actionem producitur.Ex his quatuor facilè cognoſcitur & æſtimatur cuiuſque formæ vis atque præſtantia,quorum omnium multa & illuſtria ſunt apud Ariſt.exempla:Etenim in 2.lib. de Generat. animal.c. 3. demonſtrat animam ſenſitiuam & vegetatiuã ante corpus eſſe non potuiſſe,propterea quòd earum actiones ſint penitus corporeæ:mentem autem, quod eius actio ſit incorporea, extrinſecus aduenire,diuinam ac ſeparabilem eſſe. Et in 1.de Anima text.13.docet ex operatione intellectus, cognoſcendum atque diiudicandum eſſe an is ſit à corpore ſeparabilis nec ne.Idem quoque in 8.Phyſ.& 12.Metaph.ex æternitate motus cæleſtis, cuius effectrices ſunt intelligentiæ,concludit eas eſſe ſempiternas, immateriales,indiuiſibiles,& immobiles.Ex modo autem agendi, Theologi oſtendunt infinitam eſſe Dei potentiam:nam quius nullus Dei effectus ſit infinitus, tamen quia multa creauit & quotidie creat ex nihilo, is modus agendi ex nihilo clariſſimè declarat infinitã eius vim atq; poteſtatem.Ad extremum, ex effectu rectiſſimè iudicatur de forma quæ eſt efficiens,nã cum omne agẽs producat(quoad eius fieri poſſit)aliud ſibi ſimile,qualis & quanta in rebus effectis ineſt atque cernitur nobilitas, talem atque tãtam in formis efficientibus eã ineſſe & æſtimari oportet. Atque hoc

hoc quidem intereſt inter formas cæleſtes & ſublunares, quòd illæ quò ſuperiores atque perfectiores ſunt, eò pauciores habent actiones:primum enim cælum quòd omnium eſt nobiliſſimum, vnico tantum ſimplici motu cietur,& Theologi in primis nobiles,affirmant quò Angeli ſuperiores & præſtantiores ſunt, eò minorem habere tum intellectionum, tum ſpecierum intelligibilium multitudinem ac varietatem; cum enim dignitate & ſimilitudine Deo propiores ſint,magis etiam diuinam vnitatem ; atque ſimplicitatem imitantur.Ex contrario autem res ſe habet in rebus ſublunaribus, in quibus quæ præſtantiores ſunt, ea videmus pluribus actionibus abundare.Etenim homo princeps omnium rerum caducarum atque mortalium,multitudine varietaréque functionum cęteras res longè ſuperat.Cuius rei hanc conſtat eſſe cauſſam, quod in mortalibus, quæ præſtantiora ſunt, plures formas ſeu plures facultates formales nacta ſint, è quibus neceſſe ſit plures etiam actiones dimanare.

Præclarã diſcrimen inter formas cæleſtes & ſublunares.

Poſtremò,illud etiam hoc loco intelligendum eſt, omnem actionem eſſe à forma. nullam autem à materia prima quatenus materia eſt, quod Ariſto.1.de Generatione, text.55.confirmat his verbis,*Materia ſecundum quòd materia,paſſiuum eſt* & in 2.li.tex.53. *Materiæ mouerí & pati,mouere autem,& facere alterius potẽtiæ*, quòd ſanè hoc modo probari poteſt, omnes agens producit ſibi ſimile.ſi igitur materia agit,quid producet?nam formam,quippe quę eſt illi diſſimillima atquẽ adeo oppoſita;ergo producet materiã: at materiam ingenerabilem & incorruptibilem eſſe ſuperiori libro oſtenſum eſt,poſtea ſi materia ageret, eius actio reciperetur in materia,quare ſi vna pars materiæ primæ eſſet agens,altera patiens cum omnes partes materiæ primæ ſint eiuſdem rationis hinc efficeretur,idem reſpectu eiuſdem eſſe agens & patiẽs,quod eſt abſurdum, quid multa? actio non eſt niſi inter contraria, materia nulli eſt contraria,non enim alij materiæ,ſiquidem contraria ſpecie differunt, omnes autem materiæ partes ſunt eiuſdem naturæ; nec formæ, vtpote quam in ſe ſuſcipit & ſuſtentat, vnum autem contrarium, vt docet Ariſtoteles primo Phyſicorum,textu 51.non ſuſcipit in ſe alterum contrarium: ergo materia nullius actionis eſt cauſſa efficiens: Forma autem triplicem habet cauſſalitatem nam quod Ariſtoteles de anima ſcribit libro 2. de anima, textu 36. id vniuersè conuenit in omnes formas naturales. Etenim reſpectu ipſius eſſe vel exiſtentiæ, eſt cauſſa formalis, reſpectu operationum & motuum naturalium, eſt efficiens, reſpectu generationis per quam ipſa producitur, eſt finis.

Nullam actionem proficiſci à materia vt materia eſt,pulchrè demõſtratur

Triplicíter forma eſt cauſſa.

An sit aliqua forma Physica separabilis à materia, & de immortalitate animæ rationalis secundum doctrinam Platonis.

CAP. XVIII.

RElictat extrema pars huius libri, in qua disquirendū est, an inter formas Physicas sit aliqua separabilis à materia & immortalis: quæ quidem quæstio solùm inducitur & proponitur tractanda propter animam rationalem quæ est vera & naturalis forma hominis. nā vel nulla est forma Physica separabilis à materia, vel si qua est, talis profectò sola est anima rationalis. Huius autem disputationis duæ sunt partes, vna complectitur veritatis declarationem atque confirmationē: altera continet solutionem argumentorum quę contra veritatē adducuntur: Nos in præsentia priorē tantùm partē exponemus, posteriorem autē reiiciemus in lib. de anima: nam si hac quoque pertractandam susciperemus, & li. magnitudo nimirū excresceret, & multa hic disputari necesse esset, ab instituta huius operis ratione valde aliena. Quare veram de anima rationali sententiā, nec ieiunè, nec indiligenter (quantum ad id de quo in præsentia agitur, attinet) expositam, nunc lector accipiat, enodationē autē explanationémque innumerabilium prope difficultatum quæ contra veritatem & solent & possunt afferri, alio loco a nobis expectet. Primùm igitur indicemus quid de immortalitate animæ rationalis duo Philosophorum principes Plato & Arist. senserint: tū doceamus an immortalitas animæ nostræ possit etiam lumine naturæ cognosci, & Philosophicis rationibus improbari: ad extremum, quia fortasse aliquis multitudine ac pondere argumentorum oppressus concederet quidem animā nostrā esse immortalem, sed ambigeret num ea sit vera & naturalis forma hominis, hoc est forma, vt vocant, informans & dans esse homini: idcirco ne quid veritati officere queat, hunc quoque ambiguitatis & dubitationis scrupulum eximamus. Ac de Platone quidem, quid is senserit de animi nostri immortalitate dicere ordiamur.

Decē argumenta ex doctrina Platonis ad probandam animi nostri immortalitatem

Certum est animam rationalem secundū Platonē esse immortalē: nam & plurimis in locis id affirmat, vt in Phædro, Phædone, Timæo, Philæbo, in Menone, in libris de Republica, in epistolis, præsertim ad Syracusanos: & ea de re cū nemo vnquam dubitauerit, nulla est controuersia. Rationes autē quæ ad id confirmandū ex scriptis & doctrina Platonis eliciūtur, hæ fere sunt. 1. Vnū cōtrarium nō recipit alterū, sed animus noster per se viuit & adfert vitā corpori, ergo nō est capax mortis. 2. Animus descendens ad res corporeas & sensibiles, obscuratur, atq; se ipso ignobilior vilior, & abiectior existit: abducēs autē & reuocās se à corpore ad res diui-

res diuinas & æternas, maximè illustratur & perficitur; tantū igitur abest vt ex separatione eius à corpore timeri debeat eius interitus, vt tū maxime perfectio & fælicitas ipsius separanda sit. 3. Animus imperat & dominatur corpori, vt planū est in viris iustis ac sapiētibus, ergo nō depēdet à corpore, nec est cum eo mixtus; rectè enim Anaxagoras dixit solū intellectū non fuisse mixtum cū aliis rebus, vt illis dominari, & imperare posset. 4. Scire nostrū nō est aliud, quā quoddā reminisci eorū quæ animus noster ante quàm in hoc terrenū & mortale corpus nostrū intraret, cognouit & gessit, vt Plato in Menone ostendit, fuit igitur animus ante corpus, quare est immortalis. 5. Animus à se ipso mouetur; ergo est immortalis, quia quod à seipso mouetur sēper mouetur nunquā enim seipsum deseret. Alcinous in libro de doctrina Platonis, cap. 25. ait Platonē vocare animā seipsam mouentē, quia habet vitam innatā, per seipsam semper operantē, quare cum Arist. propter hunc motum animæ Platonē reprehēdit in 1. lib. de Anima, is sanè non sententiā Platonis; sed eius tātummodo verba & modum loquendi redarguit. & Albertus in libro de Origine animæ, inquit hanc rationē Platonis, pauēis mutatis eandē penitus esse cum illa Arist. in 2. lib. de Generat. animal. cap. 3. qua probat mentem extrinsecùs aduenire diuinámque ac separabilem esse; propterea quòd cum eius actione nulla cōmunicet actio corporalis: & cum ea regula, quam idem Arist. tradit in primo de Anima, affirmans, si anima nostra habet propriam operationem nō communicantem corpori, eā separabilem esse: ita vt apud Platonem idem sit animum moueri à se, quod apud Arist. animum habere propriam operationem nō communicabilem corpori. 6. Vnumquodque corrumpitur à suo proprio vitio & malo, sed animæ propriū vitium atque malum est ignorātia, & improbitas, à quibus tamen ipsa non corrumpitur secundum substantiam; ergo simpliciter est immortalis. 7. Animus noster habet eundē vltimum finem, quem intelligētię, nempe cognitionē & amorem Dei, ergo similem quoque naturę immortalitatem obtinet. 8. Inter Animantia, solus homo habet cognitionem Dei, & cultum atque religionem; solus intimo conscientiæ angore torquetur, solus tāgitur appetitu & cura posteritatis atq; immortalitatis, solus studet, & contendit proximè ad Dei similitudinem accedere: quæ omnia immortalitatē eius declarāt. 9. Sublata immortalitate animorum, vnà quoque tolli prouidētiam Dei necesse est, quare nihil magis impium cogitari potest, hanc etiam rationē paulò infra, explicatiùs trademus. 10. Fides habēda est vaticiniis & responsis optimorum & sapientissimorum hominum, apparitioni-

bus & oraculis Deorum,quibus immortalitas animi nostri confirmatur:& certè,vt quisque iustissimus,& sapientissimus fuit;ita optimè de anima nostra sensit;multos item homines cõstat prouidisse & prædixisse ea quæ futura erant,quod sanè magnum argumentum est ad idem demonstrandum. Hæc igitur secundum Platonem de Animi nostri immortalitate breuiter dicta sint. Ex supradictis autem rationibus, quarta, falsa & absurda est;quinta, firma & necessaria, & vt vocant,demonstratiua:cæterarum, non paucæ satis probabiles,quædam verò aliæ leues & infirmæ sunt. Porrò Plato nonnunquam ea ratione confirmat animum hominis esse immortalem,quòd sicut corpus hominis, quia est simile rebus caducis & mortalibus, constat esse mortale,ita cũ animus & mens nostra Deo rebúsque diuinis quę sunt immortales,quam simillima sit,non est dubitandum eam quoque immortalem esse.Quam Platonis argumentationem,Porphyrius in iis quæ scripsit ad Boetum,mirificè commendat,& omniũ argumentorum quæ ad eam sententiam probandam adhiberi possunt, firmissimam & optimam esse affirmat, eamque multis disertisque verbis exponit atque corroborat: vt videre licet apud Eusebium libro vndecimo de Præparatione Euangelica cap.14. nam ea nos hoc loco,breuitatis studio commemorare supersedemus,sed veniamus ad Aristotelem.

Animum nostrum esse immortalem etiam secundum doctrinam Aristotelis.

CAP. XIX.

Plurimæ ac luculẽtissimæ Aristotelis sententiæ ad demonstrãdum animi nostri immortalitatem.

ARistotelem autem existimasse animum nostrum esse immortalẽ; ex multis locis eius planissimè intelligi potest:nam in 1.lib.de partibus animalium ca.1. affirmat animam intellectiuam esse abstractã à materia. In 2.de Generatione animal.ca.3.inquit solam mentem extrinsecus aduenire, diuinam, & separabilem esse,& cum eius actione non communicare actionem corporalem.In 2.libro de Generatione & corruptione,text. 45.absurdum esse,inquit,animam esse ortam ex elementis, cum eius actiones & operationes non sint corporeæ.In primo de Anima, textu 65.& 66. vocat intellectum nostrum incorruptibilem,diuinum,& impassibilem;& in tex.82. Rationabilissimum esse,inquit, intellectum antiquissimum esse & Dominum;& in text.92.difficile,inquit, est vel fingere in quâ parte corporis sit intellectus.In 2.lib.de anima tex.11. scribit nihil prohibere quasdam partes animę separabiles esse,quia nullius cor-

poris actus sunt.& in tex.21.ait intellectum speculatiuum esse aliud genus animæ, & separari posse ab aliis tanquam perpetuũ à corruptibili. In 3.lib.de anima, text.4.ait intellectum non esse mixtum,& in tex.6.esse incorporeum & inorganicũ,& text. 7.sensitiuum quidem non esse sine corpore, intellectum autem à corpore esse separabilem.In tex.15.affirmat intellectum,quia est sine materia.esse per se intelligibilem & intelligentẽ. In 12.Metaphysicæ.tex.17.nihil prohibere ait aliquam animam remanere interitum compositi,non quidem omnem, sed tantùm intellectiuam:& in tex.51. dicit intellectum humanum esse indiuisibilem,& sine materia.In 3.de Anima,text.18. ait intellectum possibilem esse in potentia ad omnia intelligibilia,talis autem non esset si nõ esset immaterialis,& incorruptibilis;& in text.19.vocat intellectum agentem separabilem, non mixtum, & impassibilem,in tex.autẽ 20.etiam immortalem; ergo similiter etiã intellectus possibilis erit separabilis & immortalis,tum quia paulo supra in tex.17.dixerat prædictos duos intellectus esse differẽtias animæ rationalis;tũ etiam quia inter agens & patiens debet esse proportio,qualis non esset inter intellectum agentem & possibilem,si ille esset immortalis,hic autem mortalis: & sanè si agens est immaterialis quia facit omnia intelligibilia,quomodo possibilis non erit etiam immaterialis & incorruptibilis,cum in se recipiat atq; cognoscat omnia intelligibilia? Quid? quod si intellectus possibilis est materialis omnia cognoscet materialiter,quid igitur ei opus erit intellectu agẽte? Multis in locis Aristoteles affirmat sensum quidem esse singulariũ,intellectum verò vniuersalium,atsi esset virtus materialis,omnia perciperet materialiter atque singulariter.In lib.3 Ethicorum,& in libro Perihermenias, vbi agit de futuris contingentibus, videtur astruere liberum arbitrium,quod sane,si animus est materialis & mortalis, nullum esset.Scripsit etiam Aristo.dialogum ad Eudemum Cyprium familiarem suum,cui etiã dicauit octo libros Moralium,qui nunc extant.In illo autem Arist. colligit multas rationes ad ostendendum immortalitatem animi nostri,vt refert Themistius in Paraphrasi super tertium de Anima, cap.37. Vide etiam Plutarchum in vita Dionis,& in Consolatoria ad Apollonium. Illius quoque Eudemi meminit Cicero in primo de Diuinatione,narrans somnium quoddam eius ad immortalitatem animi pertinens, disertis verbis ab Arist.confirmatum atque perscriptum.Hæc sunt de plurimis,nonnullæ illustriores Aristotelis sententię,è quibus intelligere licet immortalitatem animi nostri cognitam & probatam fuisse Aristoteli.Verùm de sentẽtia Platonis & Aristotelis

eorùmque teſtimoniis,hæc ſunt ſatis. Non enim huius loci aut Methodi eſt, omnia quæ ad probandum & illuſtrandum hanc quæſtionem adduci poſſunt ſubtiliter & acuratè perſequi. Ad rationes Philoſophicas,quibus immortalitas animi noſtri cuiuis ſanæ mentis perſuaderi poteſt,accedamus.

Probatur immortalitas animæ rationalis rationibus Philoſophicis.

CAP. XX.

LIcet Scotus in 4.S.d.43.q.2.& Caietanus Cardinalis in expoſitione ſua ſuper 3.cap.Eccleſiaſt.ſub finem,aſſerant immortalitatē animæ noſtræ,nec ab vllo Philoſopho demōſtratiuè probatā eſſe, nec poſſe naturaliter probari ſed fide tantū à nobis creditamē poteſt etiā immortalitas animæ noſtræ perſuaderi his rationibus. 1. Mens noſtra habet infinitam potentiam ad cognoſcendas omnes res, etiam immaterialiter,vniuerſaliter,& indiuiſibiliter: licèt enim Mens apprehendat materialiter,id eſt cum phantaſmate,iudicat tamen immaterialiter,diſcernens res materiales ab immaterialibus: ergo eſt ipſa immaterialis & incorruptibilis, alioquin id præſtare nullo modo poſſet.2.Sola Mens in ſe reflectitur, ſeipſam intelligens,ſuarum actionum arbitra, iudex, & domina,qnod virtuti materiali & extenſæ nequaquam conuenit,vt innuit Ariſto.1.de Anima.text. 46. 3. Actiones mentis, quo magis abſtrahuntur à corpore,& materia,eo puriores & præſtantiores euadunt,ipſamque mentem nobiliorem atque perfectiorem reddunt,ita vt Animam diſcedere à corpore,non ſit eum interire,ſed potius perfici.Vide Ariſt.1.de anima,tex.49.4.Operatio intellectus & voluntatis non circunſcribitur tempore, ſed vſque ad æternitatem aſpirat,nec niſi in obiecto ſempiterno conquieſcit. nam animus noſter non ſolum cognoſcit res æternas,ſed etiam ea ratione vt æternæ ſint eas cognoſcit & amat.5.Toti ſpeciei humanæ naturaliter eſt inſitus inſatiabilis quidam appetitus immortalitatis, qui cum ſit à Deo auctore naturæ,non poteſt eſſe inanis,aut fruſtra datus homini.6.Omnis virtus naturalis & materialis eodem modo operatur,vel ſemper,vel vt plurimum,& per ſe ac neceſſario pendet à Cælo,liberum autem arbitriū hominis, merè contingenter,& ad vtrumlibet operatur,nec per ſe depēdet à Cælo. 7. Si materiam primam quia eſt in potentia ad omnes formas materiales,oportuit eſſe ingenerabilem & incorruptibilē,quanto magis intellectum noſtrum oportuit eſſe immortalem, qui diuiniori quodam modo eſt in potentia ad omnes formas immaterriales & intelligibiles? 8. In ſolo homine eſt Dei cognitio obſeruantia,

ſeruantia,religio,deſiderium imitandi eum,& notitia æternitatis atq; diuinitatis, ea ratione, vt æternitas,atque diuinitas eſt.9. Nihil quod eſt limitatum & nō æternū,implet animū hominis, non tēpus,non locus,non imperiū,non honor,non voluptas,non vita,nullum denique bonū immò quātumuis maximū bonum, cum tāquam mortale & aliquando deſiturum apprehēditur, hac de cauſſa non ſatiat nec in eo animus noſter ſibi ipſe ſatisfaciat aut planè conquieſcit.10.Conſcientia ſcelerum,quæ nemine accuſante,hominem accuſat,torquet,cruciat,naturalis amor honeſti,vt ab vtili & iucundo diſtinguitur:naturalis quædam admiratio,laus,honor,obſeruantia in eos qui corpus negligunt, vitam paruipendunt vt virtuti & ſapientiæ inſeruiant; & quod in multis rebus iuſtum ac laudabile ducitur, vltro mortem appetere, hæc immortalitatem animi non obſcurè declarant.11. Præclara & admiranda inuenta & opera,ſiue quæ ſpectant ad ſciētias ſpeculatiuas,ſiue quę ad artes mechanicas,ſiue quæ ad res ciuiles, apertè demonſtrant rationem hominis, à qua profecta ſunt diuinam,& immortalem eſſe.12.Perſuaſum habere animū noſtrum eſſe immortalem,naturaliter inducit nos ad cultum Dei, ad parandas ſcientias,ad reſiſtendum vitiis,ad conſeruādam iuſtitiam, ad obtemperandum legibus,ad inſeruiendum Reip. etiam cum certo vitæ diſcrimine:contraria autem opinio & perſuaſio, contraria facit: quare cum illa naturaliter inducat hominem ad ſuā perfectionē,hæc autē ab ea remoueat, illa ſine dubio vera, hæc autem falſa iudicanda eſt.13.Sicut naturale deſiderium generandi ſibi ſimile,arguit æternitatem ſpeciei ita cum quilibet homo naturaliter velit nomen & famam ſuam in perpetuum propagari,vt etiam poſt mortem eius nomen cum laude & gloria perpetuò vigeat ac floreat,hoc ſanè indicat immortalitatem cuiuſlibet animę rationalis,14.Anima rationalis repugnat corpori ſuo, & contra quàm ipſum inſtigat & inclinat,ſæpenumero ipſa operatur bona eius negligens, & motus, atque propenſiones compeſcens: nulla autem virtus materialis facere poteſt circa ſuum ſubiectum, vtpote à quo in eſſe penitus dependeat & in operando. 15. Aut nullus eſt vltimus finis hominis aut ſi eſt aliquis, non poteſt ab eo comparari:quæ duo quàm ſint abſurda, nemo non videt.Aut ſi comparari poteſt,cum in hac vita obtineri nequeat,vtpotè in qua nihil mentem & voluntatem hominis omnino explere & ſatiare valeat,relinquitur igitur vltimum finem hominis poſt hanc vitam ei propoſitum eſſe, quare animus eius eſt immortalis.

16.Si animꝰ noſter eſt mortalis,ergo nō eſt Dei Prouidētia cir-

ca res humanas: sed Deus habet Prouidẽtiam circa res humanas, ergo animus noster non est mortalis. maior huius syllogismi sic probatur. In hac vita non videtur agi cum hominibus secundum eorum merita, quinimò cernitur in rebus humanis magna quędam inordinatio & inęqualitas. nam improbi ferè magis prospere viuunt quam boni illi plerunque abundant & affluunt omnibus bonis, superbè imperãt & tyrãnicè dominãtur viris iustis & innocẽtibus, hi autem cruciosè, calamitosè, ac miserè viuũt, ab omnibus celeratis oppressi & contritiinisi autem huiusmodi inordinatio & inæqualitas post hanc vitã emendetur atq; corrigatur ita vt diuina prouidentia vnicuique hominũ pro meritis vel delictis præmia aut supplicia dispenset, sed vna cũ corpore animus noster penitus intereat & extinguatur, nihilque post hanc vitam amplius aut sperandum, aut timendum sit, sanè præstabilior & optabilior videri posset malorum hominũ quàm bonorum cõditio, & improbis lucro esset improbitas; bonis autem detrimẽto esset virtus & innocentia: quod animus non omnino ratione captus, nõ solum credere, sed etiam cogitare res fugit atque perhorrescit. Minor autem eiusdem syllogismi sic etiam confirmatur. Quod Deus, habeat prouidẽtiam rerum humanarum, est notio quædã & opinio naturaliter innata & insita cunctis hominibus, ex qua continuo nascitur in omnibus naturalis quædam obseruãtia & religio erga Deum: ex quo fit vt in suis quisq; periculis quasi naturæ instinctu & impulsu ad diuinam opẽ optandam & implorandam confugiat. Ac si res naturales, quæ ratione carent, & dignitate ac præstantia naturæ sunt inferiores homine, tanta ratione reguntur & administrantur, vt rarò à proposito sibi fine debitáque perfectione deficiant; cuius amẽtiæ & insaniæ est, arbitrari res humanas casu & fortuitò contingere nec eas aliqua diuini numinis ratione, vi, & prouidentia contineri. quis non videt terrimam atque miserrimam fore conditionem hominum, nisi tanta rerum humanarum inordinatio quantam esse cernimus in hac vita ad aliquam certam legem, ordinem, & rationem aliquãdo tandem reuocaretur. Verum ne quis putet animum nostrum esse quidem immortalem, non autem esse veram & naturalem formam hominis, hoc etiam veris & necessariis rationibus addicamus.

Animam rationalem esse veram & naturalem formam hominis.

CAP. XXI.

TRibus tantũmodo rationibus, sed iis valde perspicuis & firmis, & ad id quod propositum est docendũ atq; confirmandũ accommodatis, vtemur; cæteras autem rationes

rationes magis abstrusas & à communi hominum sensu atque intelligentia remotas, vel speciosas magis quàm neruosas & populares potius quàm Philosophicas, in præsentia omittemus Prima ratio sit hæc. Homo est verè intelligens, ergo anima intellectiua est forma essentialis eius. Antecedens sic probatur. Primò. Ex communi hominum consensu, iudicio, sententia, & sermone clarum est, hominem, & dici, & esse verè intelligẽtem: at cum intellectio subiectiuè sit in anima intellectiua, si ea non esset naturalis forma hominis, sed tantum assistens, non magis propter talem assistentiam videretur posse dici homo intelligẽs, quam vel nauis, vel equus, vel currus, vel aliæ res similes possunt dici intelligentes propter assistentiam hominis qui in eis secundum intellectum operatur. Secundo. Sicut quilibet hominum experitur, se esse qui videt, & audit, & denique sentit, & non esse aliud quiddam ab ipso separatum; sic etiam quilibet experitur se esse qui intelligit, & non esse aliquam substãtiam secundum esse separatã ab homine, quæ producat & recipiat intellectionem. Tertio. Quilibet homo cum vult, & quotiescũque vult, & prout vult intelligit atque speculatur, ergo id quod producit intellectionem in homine, vel est ipse homo, vel aliqua pars eius; nam si esset aliqua substantia separata, illa profectò non dependeret in actionibus ex voluntate hominis, valde enim indecorum & inordinatum est, quod est superius atque nobilius, id esse sub voluntate, imperio & potestate inferioris & ignobilioris; quælibet autẽ substantia separata, secundum naturam nobilior est anima rationali. Quarto. Voluntas rationalis est propria cuiuslibet hominis, nihil enim videtur esse tam proprium hominis, aut tam in eius potestate quàm ipsum velle, sed volũtas & intellectus, sunt potentiæ eiusdem animæ atque eiusdem ordinis, ergo similiter etiam intellectus erit proprius cuiuslibet hominis & non separatum quidpiã ab homine. Quinto. Liberũ arbitrium est in anima intellectiua, sed liberum arbitrium est aliquid hominis, & proprium cuiuslibet; alioquin quilibet homo non esset dominus suorum actuum, & nõ esset in potestate cuiuslibet, bene vel male agere, quare nemo deberet propter bene facta vel male facto, laudari aut vituperari, præmiis aut suppliciis affici, ergo &c. 6. Quilibet homo naturaliter appetit immortalitatem, nec appetit immortalitatem alicuius substantiæ separatę ab ipso homine, sed suam ipsius quisque immortalitatẽ appetit; cum igitur hæc immortalitas sit animi, erit is naturalis forma hominis. Antecedens igitur primæ rationis his modis confirmatum est: Consequentia verò eiusdem ita probatur aut enim homo est intelligẽs

per aliquid ab ipso separatum & hoc non, vt ex iis quæ proximè dicta sunt, perspicuum est, aut intelligēs in ipso toto, & hoc non, tum quia licèt in substantiis simplicibus idem substantialiter sit quod operatur, & id quo operatur, tamen in substantiis compositis, hæc duo inter se differunt, in his nanque quod operatur, est compositum, id autem quo operatur, est aliqua pars eius: tum etiam quia vt innuit Arist. 1. de anima, tex. 64. & 66. passiones & operationes animæ sensitiuæ sunt in toto composito, quemadmodum etiam in eodē libro significauerat tex. 12, & 14. at ipsum intelligere non ita se habet, vtpotè quod subiectiuè tantum insit in anima rationali, quo circa bene Arist. in 3. de anima, negat ipsum commixtum esse materiæ & corpori, & in 2. de Generat. animaliū, cap. 3. ait cum actione mentis nihil cōmunicare actionem corporalem: aut est homo intelligēs per aliquā partem sui nēpe per materiā, & hoc non, quia materia nō potest esse principiū receptiuū aut productiuū actiōis immaterialis, qualis est ipsa intellectio: aut homo intelligit per formā suam, sed intelligit per animam intellectiuam, hæc enim immediatè producit & recipit intellectionem, ergo anima intellectiua est vera & naturalis forma hominis. Vnde Arist. in 2. de Anima, tex. 24. definit animam esse id quo viuimus, mouemur, sentimus & intelligimus. Atque ita prima ratio sit explicata.

Exponitur secunda ratio qua simpliciter probatur animam rationalem nullo modo esse assistentem.

CAP. XXII.

SEcunda ratio qua probatur animā rationalem esse formam & partem essentialem hominis, est hæc. Si anima rationalis non est essentialis forma & pars hominis, sed tantùm ei assistens, ergo est substantia quædam cōpleta habens quidditatem independentem à corpore, & liberam & absolutam ab omni ordine & ratione essentiali ad corpus, denique talis erit secundum substantiam qualis est intelligentia mouens, cælum, sed hoc est falsum, ergo &c. Maior est per se manifesta, nec vlla eget probatione; Minor autē ita probatur, operari sequitur esse & naturam quæ est principium operandi, nam qualis est modus & conditio naturæ, talis est modus & ratio ipsius operationis, si natura est materialis & dependens à corpore, operatio quoque erit materialis & dependens à corpore: sin autem natura est penitus independens à materia & à corpore, similiter etiam operatio ab ea proueniens erit prorsus independens à corpo-

corpore, Quare si anima rationalis est substantia completa, nec in esse, nec id quidditate vllo modo dependens à corpore, propria eius operatio, quæ est intellectio, debet esse omnimodo independens à corpore, at nos experimur eam semper obiectiuè dependere à corpore hoc est à Phantasmatibus, necesse enim est intelligentem phantasmata speculari, ergo falsum est animam rationalem esse substantiam completam sine habitudine quidditatiua ad corpus. Sed dicet aliquis, animā rationalem posse dupliciter considerari, vno modo vt est intelligentia quædam habens substantiam per se completam, & sic ipsam habere operationem quandam independentem à corpore, indeficientem inuariabilem: sibique inseparabilem & coæternā, hoc est diuinam quandam intellectionem, qua se & substantias superiores, sine vllo discursu & commixtione phantasmatum, pura, simplici, ac intuitiua cognitione perpetuò contēplatur: Altero modo considerari posse, vt est assistens homini & in eo operans: & hac ratione eam habere operationem variabilem & obiectiuè dependentem à corpore, hoc est intellectionem illam quam in nobis experimur fieri per phantasmata. quemadmodum intelligentia mouens cælum, vt est intelligētia, habet propriam operationem non communicatam cælo, nimirum intellectionem vt autem est assistens cælo, habet aliam operationē communicatem cælo, nimirum motū circularē. Verùm hoc responsum est admodū futile & planè fictitiū: ponere enim in anima rationali, præter intellectionem quæ fit per phātasmata, aliā quandam diuinā & cælestem operationē, per quā & perpetuò, & quidditiuè, & sine discursu, atq; phātasmatibus, se, ac superiores intelligentias cognoscat, est merum figmentum. Nam, vt inquit Commentator; experimentū sermonū verorū est vt consentanit cum rebus sensatis; & Aristot. in 3. lib. de Generat. Animal. cap. 10. docet, cum ratio aduersatur sensui & experiētiæ, magis esse credēdum sensui, quàm rationi; sic enim scribit *rationi tunc fides adhibenda est, si quæ demonstrātur, cōueniunt cum ijs quæ sensu percipiuntur rebus* sed animam rationalem habere in se intellectionem quandam perpetuam, sine discursu & phantasmatibus, nec ipsi experimur in nobis, nec vllū huius rei aut signum aut vestigium tenemus, ergo id sine ratione, ac temerè asseritur. Deinde, si anima rationalis haberet diuinam illā intellectionem, frustra haberet illam alterā quæ sit per phātasmata. Si dicatur, necessariā ei fuisse huiusmodi intellectionem, vt per eam cognosceret res sensibiles, & materiales; id sane friuolum est, nam per illā priorē, excellētiori, & diuiniori modo eiusmodi res intelligit; alioquin si talis cognitio rerum sensi-

bilium qualis est in homine, perfectior esset quàm earundem rerum cognitio, quam Deus & intelligentiæ eminenter in se habent oporteret similem modum cognoscendi res sensibiles, hoc est per phantasmata, Deo & intelligẽtiis attribuere & inesse. Præterea, quorsum anima rationalis exerceret operationẽ illam per phantasmata? An vt ipsa perficeretur? at ipsa iam est perfecta per priorem illam intellectionẽ diuinam & perpetuam, & non conuenit perfectionem substantiæ penitus immaterialis, sumi ac dependere è re materiali, id est à phantasmatibus: An exercet illam operationem, non vt ipsa perfectionem aliquam in se acquirat, sed vt eam communicet homini? Verùm hoc dici non potest, nam intellectio per phantasmata, cum sit operatio immanens, non transit in hominem, nec illi communicatur, sed subiectiue remanet in anima rationali à qua producitur, quare si anima rationalis non est pars hominis, sed substantia quædam ab eo separata, intellectio illius nullo modo pertinet ad hominem, nec ad eius perfectionẽ confert, nec potest cum homine communicari. Intellectio enim cum sit actio immanens, non potest ab vna re produci & in alia re suscipi, sed in eo solùm à quo producitur, hęrere & inesse potest. Sed veniamus ad tertiam rationem qua contra Auerroistas & Platonicos pugnandum est.

Explicatur tertia ratio, qua contra Assistentiam animæ rationalis, quam Auerroistæ finxerunt, acriter disputatur.

CAP. XXIII.

TErtia ratio sit hæc. Si anima rationalis non est forma dans esse homini: sed ei tantum assistens, vel igitur est vna numero in cũctis hominibus, vel singulæ sunt in singulis, ita vt ab initio mũdi certus quidà numerus animarũ cõditus & cõstitutus fuerit, quæ diuersis temporib. diuersa corpora humana ingrederentur & inhabitarent, quemadmodum placet Platonicis: sed vtrumq; horum nõ modo falsum, sed etiam absurdum & fabulosum est, ergo anima rationalis non est assistens homini, sed vera & naturalis forma eius. Maior manifesta est ex eo, quia tot fuerunt opiniones eorum Philosophorum qui existimarũt animã rationalẽ esse assistẽtẽ; prior enim opinio attribuitur Auerroi, Themistio, Theophrasto: posterior autẽ Platoni: minor probatur refellendo supradictas duas opiniones, Ac primum quidem quod non sit anima rationalis vna numero in cunctis hominibus ex eo perspicuum est. Primo. Quia, nec credibile est, nec verò intelligibile quomodo vna numero intelligentia simul & immediatè insit atq; operetur innumeris propemodum hominibus tantis locorum interuallis inter se dissitis, atque disiunctis. Secundo. Cum defensores huius sentẽtiæ pro certo & manifesto habeãt, ex principio æterno & immutabili, non posse immediatè prouenire actionẽ aliquãvel effectũ nouũ ac variabilẽ quo pacto docent & affirmant ex intellectu humano, quẽ aiunt esse Intelligentiã quandã quæ secundũ substantiã & propriã operationẽ est æterna & immutabilis, immediatè proficisci intellectiones humanas quæ infinities innouantur atq; variãtur? Nam motus cælestis qui efficitur ab intelligentia, multo aliter se habet: is enim licèt secundũ partes varietur, partes enim eius de nouo incipiunt & desinũt, tamen secundũ se totũ, propter continuũ fluxũ ac successionẽ, nullo vnquã tempore interruptã, semper idẽ numero vniformis & inuariabilis perseuerat. Tertio. Virtus intellectiua istius intelligentiæ, aut est infinita secundũ vigorẽ, aut finita, infinitã esse ipsi nõ cõcederẽt: si finita, ergo nõ potest simul producere infinitas operationes, alioquin esset infinita: sicut enim Sol quia est finitæ virtutis, & quia est finitæ lucis, nequit simul infinita corpora illuminare, sed est definitũ spatiũ quod potest sol illuminare, & vltra ipsũ non potest, ita etiã virtus intellectus humani non poterit simul illuminare phantasmata infinitorũ hominũ, nec poterit exercere intellectionẽ in infinitis hominibus, quare virtus eius determinata est ad certũ numerũ intellectionũ & ad certũ numerũ hominũ, in quibus simul operari potest. Hinc autẽ efficitur, vel homines qui simul in mũdo existere possũt, per se determinari aliquo certo numero, quẽ pertrãsiri sit impossibile, nimirũ vt talis numerus sit is ad quẽ virtus intellectus humani se extẽdit vt simul possit operari, sed hoc valdè remotũ est à ratione, nam quemadmodũ species rerum sunt determinatæ, sic specierũ indiuidua per se sunt indeterminata, quippe cũ illorũ multiplicatio prouenìat ex indeterminata materiæ potẽtia; quare quibuscunq; positis indiuiduis alicuius speciei, præsertim humanæ, nihil prohibet, aut repugnat, & pauciora illis, & plura existere. Vel si dicunt non esse determinatũ numerũ hominũ qui simul in mundo possunt existere, cum sit determinatus numerus hominũ, vt ostendimus, in quibus intellectus humanus simul potest operari, necesse est eos fateri, vltra talẽ numerũ existere posse aliquos homines, quibus tamen intellectus humanus non posset assistere nec in illis operari, quare illi non possent intelligere, nec essent vnius rationis cum aliis hominibus, siquidem homo & dicitur, & est homo, maximè propter vim intelligendi, quod quàm sit absurdum, nemo non apertè videt. 4. Aut iste intellectus humanus qui dicitur assistere hominibus, est vbique assistens omnibus rebus, & hoc non, quia cum non operetur in

omnibus rebus,sed tantũ in homine, frustra ei attribueretur talis assistentia:aut tantum assistit hominibus, & sic vel cum v.g. Petrus ex vno loco mouetur in alium,intellectus ei assistens deserit eum & tunc Petrus non posset intelligere, & sæpenumero experirentur homines se priuari facultate intelligendi tantummodo propter motũ localem: vel comitatur Petrum quocunq; ierit, & nunquam ac nusquam ab eo recedit, at si hoc dicatur, necesse est concedere intellectũ,moto Petro,vna cum eo moueri, aut igitur mouetur per accidens aut per se, non per accidens, nã quod mouetur per accidens ad motũ alterius, habet se ad illud vel vt accidens ad subiectũ, vel vt pars ad totũ, vel vt locatũ ad locũ, tot enim modis contingit aliquid moueri per accidens: at nihil horũ cõuenit intellectui respectu hominis cui assistit. Nec potest moueri per se,nam secundũ ipsos, nullũ incorporeum & indiuisibile potest per se moueri motu locali, immo intelligentias quæ mouent cęlos,aiũt nec per se,nec per accidens moueri propter motũ suorũ orbium.5. Cum intellectus applicat se alicui homini, qui recens generatur,aut cognoscit id cui se applicat, aut non, si non cognoscit,ergo nescit quid agat, & sicut se applicat homini posset applicare se vel bruto vel lapidi:sin autem cognoscit,quærendũ est ab illis,per quid cognoscat eum cui de nouo se applicat? an per phantasmata eius qui de nouo generatur? sed in eo qui nunc generatur, nondũ sunt ficta & expressa phantasmataan per phãtasmata aliorum hominũ? at fieri potest vt alios homines lateat generatio illius hominis,vt siquis in abstruso & remoto loco generetur extra notitiam aliorum. Sextò. Quando primùm intellectus aduenit homini? an statim ac formatus est in vtero fœtus?ac cũ tot annos postea nõ possit exercere operationes intellectus,frustra tunc se ei adiungeret, & toto illo tempore assisteret: an aduenit ei cum primum aptus est habere vsum rationis, quod dicitur cõtingere in fine primi septennij? at toto illo tempore præcedenti,non esset homo sed brutum, habens in se tantum animam sensitiuam, siquidem nec esset intelligens, nec haberet in se Intellectum. Præterea, cum tempus illud in quo incipit vsus rationis, nõ sit idem in omnibus,sed aliis celeriùs,aliis tardius contingat,quo modo Intellectus determinatè ac sine errore aduenire homini? qua enim ratione cognosceret quibus hominibus citiùs, quibus tardiùs se deberet adiungere:7.Si vnus numero intellectus producit& recipit in se intellectiones omnũ hominum, cum diuersorum hominum non solùm diuersæ, sed etiam plerunque contrariæ sint opiniones & electiones, quo pacto vnus numero intellectus simul tam diuersas & cõtrarias intellectiones ac volitiones immediatè poterit, producere,& in se recipere? vt simul putet idem esse verum falsum: & bonum & malum, eandẽque rem simul amet & oderit,nec valet exẽplum Solis quod Themistius affert in 3.de Anima ad hanc rationẽ diluendam;(Sol inquit cum vnus sit, multa tamẽ & diuersa corpora simul illuminat & variè illuminat propter variam eorũ corporum præparationẽ & affectionem:sic intellectus etiam si vnus sit,potest tamen in diuersis hominibus diuersas intellectiones efficere: nam vt inquit,cõmentator in 3.de anima,com.5. intellectus non per se ac immediatè intelligit, sed per species intelligibiles quæ eliciũtur à phantasmatibus, & intelligendo semper est cõiunctus cũ aliquo phãtasmate: ex quo fit, vt quia simul se applicat ad varia phantasmata,& diuersis specieb. intelligibilibus afficitur, idcirco potest simul in diuersis hominib. varias intellectiones habere,neq; opinari idẽ esse verũ & falsum, bonũ & malũ, implicat cõtradictionẽ quia intellectus hoc nõ facit in eodem, nec secundum idem, sed in diuersis hominibus secundũ diuersa phãtasmata atque diuersas species: Hoc inquam exemplum,& perfugium Themistij.atque Cõmentatoris, nõ est satis idoneum,ac firmum ad tuendã eorum sententiã longè enim dissimilis ratio est illuminationis quæ à sole efficitur,atque intellectionis quę producitur ab intellectu:si quidem illuminatio non est actio immanens in sole, sed transiens in res illuminatas: quocirca licet ea,vna & simplex à sole procedat,tamen necessariò multiplicatur & variatur secundum multitudinẽ & varietatẽ eorum in quib.recipitur: at intellectio nõ transit in phantasmata,nec in illis recipitur,non enim phãtasma,cum sit materiale, potest vel effectiuè vel subiectiuè concurrere ad intellectionem quæ est immaterialis, cum igitur intellectio sit actio immanens, quæ ab intellectu prõducitur & in eodem recipitur, semper manet difficultas vel potiùs absurditas, nimirum quomodo idem numero Intellectus possit in se habere simul innumerabiles intellectiones ac volitiones, earumque pleraſque omnino contrarias & pugnantes inter se. 8. Si est vnus numero intellectus, ergo secundum ipsos, qui mundum æternum faciunt, continget infinities eundem intellectum esse scientem & ignorantem, verum & falsum, stultum & sapientem, bonum & malum, miserum & beatum,qua tam miserabili vicissitudine, quid magis contra rationem? contra dignitatem intellectus? contra ordinem naturæ? denique contra aliarum intelligentiarum statum & conditionem fingi potest?Non esse igitur vnã animam rationalem assistẽtem cunctis hominibus quamuis multis aliis rationibus demonstrari

possit, tamen ex ijs quas adduximus, quæ sunt omnium firmissimæ & optimæ, satis, vt opinor, declaratum est.

Refellitur opinio Platonicorum de numero quodam definito Animarum rationalium à principio mundi constituto.

CAP. XXIIII.

Cõtra definitũ numerũ animorum, & eorũ assistentiam à Platone confictam.

NOn esse autem certum aliquem numerũ animarũ rationalium à principio cõstitutum, quæ diuersis tẽporib. in diuersa corpora seipsa insinuent, sicut opinatur Platonici, facilè est intelligere ex his paucis quæ nunc subiiciemus. Primò, oporteret hominũ, qui simul in mundo existere possunt, necessario definitũ esse aliquem vnum numerum, vltra quem non esset possibile existere aliquem hominem, non posset esse plures homines quàm sint animæ rationales. Deinde, oporteret magis ac magis in dies minui numerũ hominũ, & semper pauciores nasci; nam cũ semper in mundo sint aliqui iusti & sapientes viri, post eorũ obitum, cõstat animas eorum secundum Platonem, cõsequi beatitudinẽ: vel igitur istiusmodi animæ rursum deserentes beatum statũ, reuocabuntur ad corpora humana, sed in eo sanè fieret illis iniuria, idque esset cõtra rationẽ beatitudinis, quam oportet esse stabilẽ, permanentem, ac immutabilem: si autem nunquam reuocabuntur, ergo numerus animarum, quę inhabitant corpora humana, quotidie minuetur: cui etiam consequens est pauciores homines semper nasci, & existere. Postremò, aut vnio animæ rationalis cum corpore est secundum naturam, aut cõtra naturam: aut neutrum horum affirmari potest secundum hanc opinionem Platonicam, non enim ipsi dicere possunt eam esse secundum naturam, quippe cum sit ipsi animæ detrimentosa, & noxia, siquidem anima ex ingressu in corpus, obliuiscitur, secundum ipsos, omnium rerum quas antè sciebat, & ipsi vocant corpus sepulchrum & carcerem animæ, eique melius atque optabilius esse solũi atque liberari à corpore, quàm eo inclusam, & vinctã teneri, quam ipsorum sententiam innuens Aristoteles in 1. de anima, tex. 49. ita scribit *laboriosum est intellectum esse commixtum cõpori, & non posse ab eo absolui, idque fugiendum est. siquidem melius est intellectui, non cum corpore esse, sicut consuetum est dici & multis placet.* Neque verò talis vnio dici potest esse contra naturam, nam quod est præter & contra naturam, teste Aristotele, multis in locis, non fit semper nec vt plurimum, sed

sed rarò. Adde, quòd non potest vnio animæ cum corpore non esse naturalis & secundum naturam, cum separatio animę à corpore sit violenta & contra naturam, vt potè quam homo naturaliter refugiat, perhorrescat, & maximo cum sensu doloris substineat; est enim mors vltimum, summum, grauissimum, & acerbissimum omnium terribilium. Verùm de anima rationali, hactenus dictum sit: plura enim disserere non est huius loci. Nam vel hæc pauca quæ nunc tractauimus, eo tantum consilio docuimus; vt ostenderemus animam rationalem, licèt ea sit pars essentialis hominis, & forma quodammodo physica dans esse materiæ; in eo tamen cæteris formis Physicis esse dissimilem, ac longè præstantiorem, quòd per se existat; quòd sit à materia separabilis & immortalis, quòd denique sit æternitatis diuinitatisque particeps.

FINIS LIBRI SEXTI.

DE FORMA VT EST NATVRA.

LIBER SEPTIMVS.

EGIMVS de Forma vniuersè, vt Forma est, quæ consideratio tota planè Metaphysica est, deinceps agendum est de Forma, vt est natura, quæ tractatio est Physica, & ab Aristotele in 2. libro Physicorum explicata. Quæcunque autem pertinent ad huiusmodi tractationem, ea putamus explanatum iri commodissimè, si definitionem naturæ, quæ in 2. libro Physi. textu 3. posita est, copiosè ac diligenter explanemus. Etenim, vt auctor est Aristoteles in 1. de Anima, textu 11. & in 4. Physico 31. ea vis est bonæ definitionis, vt non solum eius rei, quæ definitur, naturam aperiat, sed etiam aditum patefaciat ad cognoscendas eius affectiones, magnámque opem ferat ad omnes quæstiones, & difficultates, quæcunque circa eam rem contingunt enodandas. Definitio autem naturæ hoc modo se habet. *Natura est principium & causa, vt moueatur & quiescat, id in quo est, primò perse, & non secundum accidens.* Nos igitur circa hanc definitionem, primùm, exponemus nomen naturæ quæ hic definitur; tum, singulas dictiones & particulas quæ sunt in definitione, sigillatim & subtiliter expendemus; ad extremum, graues quasdam & perobscuras quæstiones, quæ ex hac definitione existunt, diligenter explanabimus.

De

Declaratur nomen Naturæ, & quot modis dicatur esse aliquid Naturale.

CAP. I.

DE Natura agit Metaph. vt videre est apud Arist. 5. Metaph. tex. 5. vbi varias eius significationes distinguit: etenim Metaphysicus agit de substantia, cuius genera, & significationes explicare debet; substãtia autem diuiditur in naturalem, & diuinam, in mobilem, & immobilem, vt patet 12. Metaphysi. text. 5. Physicus etiam agit de natura propriè & per se, prout est principium motuum naturalium. Natura enim nonest nomen omnino absolutum, sed includit respectum ad aliud, quippe cum supra materiam, formam, & substantiam, addat hoc, quod est esse principium motus. Atque hoc fortè voluit intelligere Simplicius in 2. Phy. super text. 16. scribens naturam propriè sumptam, neque esse materiam, neque formam, sed habilitatem & aptitudinẽ quandã ad motus naturales, quę sententia Simplicij, si præcisè, ac nõ eo modo quo diximus intelligatur, falsa est; illa enim habilitas per se sumpta neque est substantia, neque est per se caussa motuum naturalium, nec est agens alicuius gratia, neque habet permulta alia quæ Arist. in 2. Physi. attribuit naturæ. Multæ autem sunt naturæ significationes: Boëtius in libro de duabus naturis & vna persona Christi, tradit quatuor significationes naturæ; primum, inquit, natura capitur pro omni re, siue substantia fuerit, siue accidens; & potest sic definiri; *Natura est earum rerum, quæ cum sint quoquomodo intellectu capi possunt.* dicit, *Cum sint*, quia Chymera, & alia figmenta licèt aliquo modo possint intellectu capi, tamen, quia non existunt non obtinent nomen naturæ; dicit etiam. *Quoquomodo* propter intelligentias & Deum, quæ res, ægrè, & tenuiter ab intellectu nostro percipiuntur. Deinde pressiùs accipitur natura tantùm pro substantia siue corpora siue incorporea, & sic definitur. *Natura est quod facere, aut pati, aut vtrumque potest.* Deus, tantùm est agens, materia, tantùm patiens: Anima verò & aliæ res his similes, & agunt & patiuntur. Præterea etiam angustius sumitur pro sola substantia corporea, & definiri debet sic vt definiuit Arist. *Est principium motus & quietis.* Postremò sumitur natura pro vltima & propria differentia cuiusque rei; vnde dicimus aliam esse naturam auri, & aliam argenti, & varias esse naturas animalium; & potest hoc modo definire. *Natura est vnamquamque rem informans specifica differentia.* Hæc Boëtius. Præter has significationes, sunt etiam aliæ; nã interdũ sumitur natura pro notione cuiusuis, siue fuerit ens, siue nõ ens, dicimus enim hanc esse naturam negationis, priuationis &

Quatuor significationes naturæ secũdum Boëtium.

ipsius nihil.nonnunquam accipitur pro caussis secundis, sic dicimus Deum & Naturam nihil frustra facere ; plerumque etiã sumitur pro vniuersitate rerum ex quibus coagmentatus hic mũdus constat,sic diximus in Natura nihil esse otiosum,aut inordinatum;deniq; tot modis Natura capi potest,quot accipitur ipsum Naturale,de quo mox dicturi sumus. Vide significationes Naturæ,quas ponit Themist.in 2.Phys.super tex.7.& Simplicius super tex.16 Nomen verò Naturæ non dicitur vniuocè, sed secundum prius,& posterius de materia & forma;hoc enim Arist.docet in 2. Phy.tex.12.& in 5.Meta.text.5: affirmans formam esse magis naturam , quàm materiam , & nomen naturæ conuenire materiæ propter ipsam formam,siquidem,vt scriptum est in 2.Physi.text. 81.& 91.forma est finis materiç,similiter etiam de natura corporis cœlestis,& rerum sublunarium nõ dicitur vniuocè, vt auctor est Auer.2.Metap.tex.vlti.propterea quod æterno & corruptibili corpori nihil potest esse commune vniuocum;& quamuis si spectetur dignitas , nomen naturæ magis conueniat cœlo, tamen si cõsideretur propria significatio , & prima impositio eius nominis,magis cõuenit reb.sublunaribus,ꝙpaulo inferi' explicabitur. Deinceps,quot modis dicatur esse aliquid naturale doceamus.

Quot modis dicatur esse aliquid naturale.

Porro dicitur aliquid naturale sex modis. Primo quatenus opponitur voluntario,& definitur esse id,quod fit sine cõsilio & deliberatione, sic dicitur nutriri esse naturale homini , at esse iustũ vel sapientem,non est naturale,sed voluntariũ.Secundo. Quatenus opponitur ei quod fit ab anima,& definitur id quod est determinatum ad vnum;nam Peripatetici distinguunt. Naturam ab Anima;quoniã Anima variis modis,& secundũ varias differẽtias positionis mouet ipsum viuẽs.Natura autem vno & determinato modo,vel sursum vel deorsum; quare motus lapidis deorsum dicitur naturalis,motus autẽ progressiuus animalium,appellatur voluntarius.Tertio.Quatenus opponitur violẽto, & definitur,id ad quod res habet naturalẽ inclinationẽ atque propensionẽ:violẽtum autẽ dicitur, quod accidit rei natura ipsius repugnãte.v.g, ferri deorsum lapidi naturale est,sursum autẽ violẽtum. Quarto. Quatenus opponitur supernaturali , & definitur esse id quod fit ab agente naturali,modo naturali,& secundũ ordinẽ naturalem. Vnde Theologi dona & opera Dei diuidũt in naturalia & supernaturalia.Quinto.Quatenus opponitur ei quod fit à casu,& definitur esse id quod vt plurimum & secundum intentionem agẽtis particularis,efficitur:à casu verò appellatur,quod raro contingit,vt monstra.Sexto.Quatenus opponitur Artificiali , quemadmodum sumit Arist.in 2.Phys.text.2.definiens esse id quod in se habet

habet principium motus & quietis; quantum autem inter Naturale hoc modo sumptum & Artificiale interfit , declarabitur sequenti capite.Dicitur autem esse aliquid naturale, non quia producat effectus naturales,sic enim Deus & intelligentiæ essent res naturales,quippe cum sint caussæ omniũ rerũ naturaliũ : nec appellatur aliquid naturale,quia productum sit modo naturali, vel per motum naturalem,etenim primus homo,res fuit naturalis,is tamen non est productus modo naturali ; similiter etiam si nunc à Deo crearetur ex nihilo vel homo vel equus , res quidẽ productæ essent naturales , at modus productionis non esset naturalis; est igitur atque vocatur aliquid naturale propterea quod habet in se insitum principium,& propensionem ad eum motum, quo ipsum mouetur.Verùm quoniam Arist.ex differentia,quæ est inter has res naturales & artificiales,colligit definitionem naturæ, quid inter has res differat,latiùs atque subtiliùs exponendum est.

Cur dicatur aliquid esse propriẽ naturale.

De differentiis inter res naturales & artificiales. CAP. II.

Octo differẽtiæ inter res naturales & artificiales.

VItis modis res naturalis differt ab artificiali;sed nobis satis visum est octo præcipuas differentias hoc loco indicare.Prima est hęc:Res denominatur artificialis extrinsecus,nimirùm ab arte : non enim res dicitur artificialis propter materiam aut formam simpliciter , quam habet in se,sed quia talis forma effecta fuit ab arte ; naturalis autem dicitur res intrinsecè,quoniam habet in se naturam,quæ est principium motus.hanc differentiam tangit Arist.6.Metaph.tex. 1.Secunda.Effectus artificialis conuenit cum agente suo tantùm secundum formam,non autem secundum esse;vt forma scamni; est similis formæ quæ est in mente artificis , sed habet diuersum esse, nam illa est materialis & sensibilis , hæc autem immaterialis & intelligibilis:effectus verò naturalis potest conuenire cum suo agente,& secundum formam,& secundum esse,vt homo genitus cum generante.Tertia.Omnes partes,& principia rei naturalis,sunt à natura , non enim ipsum animal tantum est à natura, sed etiam partes eius,vt brachium, & caput , & principia eius , vt materia,& forma:in rebus verò artificialibus , quamuis res ipsa, vt Statua, dicatur esse ab arte,attamen non omnes partes & principia eius sunt ab arte;sed à natura ; lignum enim, ex quo fit statua,est à natura:& hanc differentiam ponit Alexander , vt refert Simplicius super primum textum libri 2.Physicorum. Quarta. Omnis forma artificialis habet pro materia & subiecto ens aliquod actu completum,quod est corpus naturale , vt forma Sta-

tuę habet pro materia æs vel lignũ:at formæ naturalis potest im mediatè produci & inesse in materia prima,quod perspicuum est in formis elemẽtorum. Atque hinc sit,vt corpus naturale sit prin cipium corporis artificialis,vt est apud Arist. 2. de anima, text. 3. Hinc etiam fit,vt res artificialis videatur habere motum naturalem videlicet propter materiam naturalem,quam in se continet quę est caussa alicuius motus naturalis;sicut lectus fertur deorsũ propter pondus ligni ex quo est; ob hanc etiam caussam euenire putatur vt omnis forma artificialis sit accidentalis,& vt in re naturali,forma sit nobilior quàm materia;in artificiali autẽ,è contrario materia sit nobilior quàm forma. Quinta res artificiales sunt certæ ac determinatæ secundum formã & speciem:at secun dũ productionẽ,sunt contingentes & incertæ;exempli caussa forma Domus,vel scamni secũdu speciem suam est determinata, sicut etiam habet determinatũ vsum,& finẽ,effectio tamẽ domus, est contingẽs,quia proficiscitur ab artifice, qui operatur ex cõsilio & voluntate. Res autẽ naturales vtroque modo sunt determinatæ,nã & forma hominis,& materia,& generatio,& modus, tẽpus,locus,atque aliæ circunstantiæ;quę generationẽ comitantur, sunt naturaliter definitæ. Sexta,Formæ artificiales hæret extrinsecus tantũmodò in superficie,vnde ars dicitur operari tantùm superficie tenus,formæ autẽ naturales intimæ sunt rebus & intrinsecè vniuntur materiæ;hanc differentiã tradit Auerroës in Paraphrasi sua super libros de generatione animaliũ. Septima. Materia prima habet potẽtiam & inclinationẽ ad formas naturales,nõ autẽ ad formas artificiales ; quod duplici ratione probari potest. Primò,quia si materia haberet potẽtiã ad formas artificiales,eiusmodi formę essent in potẽtia passiua materię,quę potẽtia est naturalis:omni autẽ potentiæ passiuæ naturali,respondet etiam potentia actiua naturalis, alioquin inter agens & patiens non esset proportio;Si autem formæ artificiales haberẽt potentiã passiuã naturalẽ ex qua educerentur,& potentiã actiuam naturalẽ à quâ producerentur,non essent formę artificiales,sed naturales. Deinde si materia esset in potentia ad huiusmodi formas,ergo productio illarũ esset naturalis; quia principiũ illius productionis esset in materia quæ est natura:sicut generatio ignis ex aqua est naturalis propter materiã aquæ,quæ est in potẽtia ad formã ignis, nõ igitur bene Ari. diceret,res artificiales nullum in se habere principium suæ mutationis. Atque hoc etiã confirmat D. Thomas in 2. Phy. super tex. 2. scribens effectiones rerũ artificialium nõ esse naturales,quia tametsi habeãt pro materia aliquid naturale,tamẽ illud no est in potetia ad huiusmodi formas. Octaua,Res naturales

Materia prima nõ habet potẽtiam ad formas artificiales.

les habent in se principium eius motus quo ipsæ mouentur, vel actiuum vel passiuum,vel vtrunque;resautem artificiales, quà tales sunt,nullum habent principium atque hanc solam differentiam,cæteris omissis,Arist. ponit in 2. Phy. tex. 2.

An forma artificialis sit principium alicuius motus: & an re differat à subiecto in quo efficitur & inhæret.

CAP. III.

VErum meritò dubitari potest, an forma artificialis sit principium alicuius motus ; nã ars cãtandi videtur esse principium cãtus in cantore: & ars saltãdi,saltationis in eo qui saltat,in horologiis etiam, ars videtur esse principiũ eorũ motuũ qui in ipsis cernuntur:nonunquã etiam per artem fieri solet,vt res melius & commodiùs moueãtur, vt si quod erat quadratum fiat rotundum vel pyramidale,celeriùs & incitatius mouebitur. Sed hoc facilè soluitur:etenim ars nõ potest efficere motũ,potest tamen eum aliquo pacto determinare & modificare,ita vt hoc vel alio modo fiat,sicut patet in exẽplis propositis:nam saltatio,vt est motus,fit à facultate naturali motiua,quę est in membris saltantis,quod autẽ saltatio fiat hoc vel illo modo id est artificiose,id proficiscitur ab arte, similiter motus horologij per se proficiscitur à ponderibus quæ sunt in horologio respectu quorum aliqui motus horologii sunt naturales, aliqui etiã violenti,nam motus põderum dũ fit deorsum, est illis naturalis, dum autem fit sursum,est violentus,prout autẽ motus horologij est ordinatus & determinatus ad certam quandam regulã & mẽsuram temporis,sic est ab arte. Corpus quoque rotundum mouetur deorsum propter grauitatem naturalem,figura tamen rotũda,facit vt velocius moueatur, quoniam per hanc figuram meliùs discindit & dissipat medium aërem.

An forma artificialis sit principiũ alicuius motus.

Sed hic exoritur alia quædã grauior difficultas,an forma artificialis re differat à corpore naturali in quo tãquã subiecto efficitur,& inhæret. Hac de re duæ sunt opiniones. Vna est eorũ qui opinãtur,formã artificialẽ esse rẽ quãdã diuersã à corpore naturali q; est eius subiectũ his rationibus adducti. Primò,quę ponũtur in diuersis categoris,re distinguuntur inter se,sed forma artificialis pertinet ad quartã speciẽ qualitatis,subiectũ autẽ eius siue sit quãtitas,siue substantia,ad alias categorias spectat,ergo inter hęc est distinctio realis. Deinde quia si re nõ differrẽt ergo artifices nullã rẽ efficerent, quare ars nõ esset principiũ efficiendi aliquid, contra definitionem artis traditã ab Arist. libro 6. Ethicorũ,ars enim

An forma artificialis sit res aliqua diuersa à subiecto in quo inhæret.

definitur recta ratio factibiliũ.Postea,forma artificialis variat operationem.& determinat illã,ergo est aliquod ens reale.Postremò si duo sunt ita effecta inter se,vt vnum corrũpi possit altero incolumi & saluo,huiusmodi re differunt, sed forma artificialis potest corrũpi.salua penitus re in qua inerat,vt si dissoluatur domus nulla re earũ ex quibus constabat,corrupta,ergo &c. Cæterũ nobis nõ est verisimilis hæc sententia.existimamus enim formam artificialẽ non re,sed ratione tantùm distingui à subiecto in quo est; non si re differret;quotiescunque aliquis ceram quãpiam formaret atq; figuraret (posset autẽ id facere penè infinitis modis)tot res produceret,& corrũperet;quod est absurdũ.Deinde cum forma artificialis nõ producatur ex potentia materię,vt ante dictum fuit,si esset res quædam diuersa à corpore naturali,extrinsecus accederet & ex nihilo produceretur; quare productio eius esset creatio,& potẽtiùs atque nobilius agens esset ars,quàm natura:His accedit,quod vt tritum est Philosophorum sermone, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, debet enim sapiẽs imitari naturam,quæ nihil frustra facit:sed ad ea omnia, quæ de forma artificiali dicũtur & traduntur declaranda tuendáque,satis est dicere eiusmodi formas non re,sed ratione tantùm distingui, ergo frustra ponuntut distingui re.si enim dixerimus formam artificialem esse tantùm modum quẽdã, seu determinationẽ quãtitatis,per quã quãtitas aliter & aliter sese habẽt varias induit figuras,facilè occurremus omnibus argumentis,quæ superius exposita sunt cõtra hanc sententiã.Quod enim primo argumento dicitur,quæcũque pertinẽt ad diuersas categorias ea distingui re, falsum est.satis enim est ea distingui ratione, vt manifestũ est in actione & passione.Secundum item argumentum nihil cõcludit, nam licèt artifices non faciant rem aliquam nouam &diuersam, faciunt tamen,vt res alio & diuerso modo se habeat, quod multum iuuat ad operationẽ & meliorem vsum rei. Tertium autem argumentum pari facilitate soluitur,forma enim artificialis,non est principium motus,sed est determinans,& modificans modũ, vt supra declaratum est;quod sanè non ex eo accidit, quia sit res diuersa,sed quia est diuersus modus rei.Postremò, quod in vltimo argumẽto asseritur,ea re distingui quorũ vnũ potest esse sine alio,quãuis sit apud Scotistas certissimũ ac celebratissimũ axioma,tamen nec aliis viris doctis,nec verò nobis probatur; deprehẽditur enim esse falsum in materia & priuatione,in quãtitate & figura,in fundamento & in relatione, & in aliis multis;in quibus vnũ potest esse sine alio,nec tamẽ inter se differũt secũdũ rem,in quo licet Scotistæ repugẽt,tamen à nobis stat ratio, & aliorũ fe-

rè omniũ authoritas.Loquimur autẽ nos in hac disputatione, de effectibus artificiosis qui omninò fiũt ab arte,vt est domus & statua;nõ de iis qui ab arte quidẽ fiunt tanquã instrumento & administra naturæ,ab ipsa vero natura tanquã principali agente,vt est sanitas,& quæ vel Medicinę,vel Agriculturę arte conficiũtur.Sed eiusmodi effectus sunt sanè naturales simpliciter, secũdum quid autẽ artificiales.Verùm quia de natura quam definire volumus satis dictum est,transeamus ad excutiendas particulas definitionis eius,Sic autem habet definitio Naturæ,*Principium & caussa vt moueatur & quiescat id in quo est,primo,per se,& non secundum accidẽs.*

Declarantur particulæ definitionis Naturæ.

CAP. IIII.

PRima pars definitionis Naturæ est illa,*Principium & Caussa*,Albertus putat nomẽ naturæ cõuenire materiæ,& priuationi;& propter materiã quidẽ,ac formã,dici caussã: ob priuationẽ autẽ vocari principiũ: quia priuatio est principiũ à quo inchoatur motus naturalis. Sed non videtur definitio naturæ posse conuenire priuationi, nam mox.Arist.subiungit.*Primò per se.& non secũdum accidẽs.*At primò libro Phy.tex.66.scriptum est priuationem esse caussam per accidens.deinde in 2.Phy.tex.4.diuiditur natura tãtùm in materiam & formam;quid multa?priuatio nequit dici esse principiũ quietis. Alij aiunt, nomen principij significare caussam efficientem qualis est forma, nomen autem caussæ, significare principium passiuum,cuinsmodi est materia.Nonnulli putant nomen principij poni pro aliis caussis:nomen autẽ caussæ,pro caussa finali:natura enim,quæ est forma,est finis generationis.verùm hæc interpretatio parũ firma est,videtur ab illis pro ipsorum arbitrio cõficta,cum nomen caussæ & principij indifferenter pro omni genere caussæ apud Arist.vsurpatum reperiatur.Præterea, si forma prout est finis generationis,nondum actu est.qui fieri potest, vt sit ea ratione natura,quæ est principium motus & quietis in eo in quo est?Non desunt etiam,qui censent his duobus vocabulis tãtum significari principium actiuum quod est forma, existimãt enim nomen naturæ tantùm conuenire principio actiuo & formæ.Quod sanè si ita esset, nulla profecto generatio esset naturalis,nihil enim seipsum actiuè generat;nec alteratio elemẽtorum naturalis esset:cum enim elemẽta sint corpora simplicia, non possunt actiuè alterare seipsa.Nos igitur opinamur, quemadmodum primo libro Physicorum illa tria vocabula,principiũ causs-

Cur natura dicatur principiũ & caussa.

sa,& elementum,sæpe & vsurpata fuerunt pro eodem, sicut à nobis in 3. libro huius operis declaratum est,sic etiam hoc loco duo hæc vocabula,*Principium & causa* indifferenter sumi pro eodem, & illis significari tam principium actiuum,quàm passiuum: nam quædam res naturales habent in se solum principium passiuum sui motus,vt de generatione & alteratione elementorum manifestum est.quædam verò etiam actiuum, vt apparet in motib.animantium.

Secunda pars definitionis est illa,*Vt moueatur,& quiescat id in quo est*.Nō enim natura dicitur,quia id in quo est,moueat aliud, vt.v.g.quòd ignis calefaciat aliud,hoc enim dicitur potētia,quę definitur.5.Metaph.principium transmutandi aliud in quantum aliud: sed natura dicitur quia est causa vt moueatur id in quo ipsa inest, vt quòd ignis possit moueri sursum,vel ab alio alterari.Differentiam autem inter potentiam & naturam, tangit Arist.3.de Cælo, tex.28.Dicitur autem natura principium motus & quietis, nō simul,nam sunt opposita, sed successiuè non in omni re naturali, vtrumque,sed alterutrum præstans,omnes enim res naturales,vel tantùm mouentur,vel quiescunt tantùm, vel partim mouentur. & quiescunt,vt ait Arist.8.Physi.tex.21. Et quamuis hoc loco nomen motus sumatur amplè pro omni spatio motus,præcipuè tamen cōuenit motui locali,quippe qui sit prior,& perfectior aliis, & communis omnibus,rebus naturalibus,& certissimus index naturæ cuiusque rei naturalis:vide Arist. 4.Physi.tex.1.& octauo li. Physi text.56.vnde ipsemet Arist.1.lib.de Cælo, text.5. definitionem naturæ præcipuè accommodat motui locali, ex quo etiam concludit,cælum habere diuersam naturam à corporibus sublunaribus;propterea quòd habet diuersum motum localem.

Tertia pars definitionis,est illa,*Primò*.Id est vt placet Græcis,immediatè,& non propter aliud,nā lectus mouetur quidē deorsum, verùm non primo,sed propter aliud, nimirum propter lignū vel ferrum quod in eo est.vel aliter,vt Latinis placet:Primo,i.principaliter,& non instrumentariè, ita vt sic excludantur accidentia, quę licet sint principia motus,vt grauitas & leuitas motus localis, calor & frigus alterationis.tamē non sunt principia primaria, sed tantùm instrumētaria,principale enim principium est forma substantialis,quę ad operandum vtitur accidentibus quasi instrumētis. Quare nomen naturæ non conuenit accidenti,non enim accidens est natura,sed potius res secundum naturam vt Aristo.innuit 2.Physi.tex.5.Restat vltima illa pars definitionis. *Per se*.Hic Græci repetunt discrimen inter primum & per se traditū ab Arist. 1.Post. verum quid Arist.intelligat hoc vocabulo per se, exponit eō quòd proximè subiungit *& non secundum accidens*.vt per se,nihil aliud sit,nisi quatenus tale est,terra. n. deorsum mouetur per se.i.quatenus terra,lectus autē nō per se quia nō quatenus lectus, sed quatenus lignetus est. Signum autē eius quod est per se,& eius quod est secundū accidens, est posse separari inuicē vel nō posse quemadmodū ipsemet Arist. docet exponens hæc vocabula;etenim medicus per se medetur, quia mederi non potest separari à medico,nullus .n.scienter & ex arte mederi potest,qui nō sit medicus;at medicus per accidens; ædificat potest enim ipsum ædificare separari à medico:multi enim ædificant qui non sunt medici,& multi sunt medici qui non ædificant. Atque hæc quidem est germana interpretatio & intelligentia earū dictionū,quę sunt in definitione naturæ.Sed prius quàm hinc abeamus,diluendæ sunt nōnullæ dubitationes,quæ circa ea,quę adhuc diximus,occurrūt.

Explicantur quatuor dubitationes. CAP. V.

PRima dubitatio est,quomodo natura sit per se principiū quietis,cū quies sit priuatio & nō ens? Respōdeo, nomē quietis bifariam sumi, vel pro nuda cessatione motus præcisè,& sic est pura priuatio nō habēs per se principiū,& ita non accipitur hoc loco : vel sumitur pro eo quod est manere in suo loco naturali, nihil. n.est aliud ignē quiescere, quā manere in loco naturali,& hoc modo sumpta quies, est perfectior motu,quoniā est ipsius finis, idcirco enim mouetur corp⁹ simplex,vt perueniat ad suum locum naturalem,& in eo maneat, & sic quies habet principium per se,nam grauitas terrę,quæ facit eam moueri ad suum locum, eadem facit etiam quando ad eum peruenerit,vt in ipso maneat, nec inde,nisi vi depulsa, dimoueri queat.Secunda dubitatio.Non omnis res naturalis videtur mouori & quiescere,nam terra semper quiescit: cœlum autem semper mouetur.Verùm hoc ita soluitur.Terra secundum se totam quiescit,tum quia est centrum,circa quod mouetur cœlum, id autem circa quod mouetur aliquid, debet esse firmum & stabile, vt ait Arist.in lib.de Motu animaliū,& 2.libr.de Cœlo, tex.17.tum etiā, quia est sedes & domicilium animantium, quamobrem eā fixam & immobilem esse,necesse fuit.Mouetur autem terra secundum partes suas, & quia in corporibus simplicibus eadem est natura partium quæ est totius tam secundum motum, quàm secundum locum : ideo quod parti conuenit potest toti etiam attribui.Cœlum autem,quamuis semper moueatur, id tamen non obstat definitioni naturæ; nam illud, *Vt moueatur & quiescat* legendum est

An quies sit pura priuatio.

non coniunctè, sed disiunctè quemadmodum placet Porphyrio, Simplicio,& Auerroi, ita vt natura in aliquibus sit principiũ motus,in aliquibus quietis,sed hoc infrà latiùs & accuratius explicabitur.Tertia dubitatio.Natura est potentia quędam naturalis rationis expers,ergo nequit facere duo cõtraria, cuiusmodi sũt motus & quies,hoc enim interest, auctore Arist.9.Metaph.tex.inter potentias rationales & irrationales seu naturales, quod illæ possunt duo contraria facere, vt medicus sanitatem & ægritudinem: hæ verò minimè,sicut ignis potest quidem calefacere, nõ autem frigefacere.Respondeo illud Arist. dictum intelligendum esse de contrariis,non autem de ijs quę opponũtur priuatiuè,cuiusmodi sunt motus & quies.præsertim cum hæc ita se habeant, vt vnum sit propter aliud, nam in animatibus natura principaliter intẽdit motum & operationem, per accidens autem quietem, sicut de somno & vigilia animalium docet Arist. in lib.de Somno.in elementis autẽ principaliter intendit quietem illorum,huius autem gratia motum efficit.Quarta dubitatio. Quomodo ex differentia quę est inter res naturales & artificiales rectè colligitur ab Arist. definitio naturę?Respõdendum, secũdum Alexandrum & Auerroẽ colligi hoc syllogismo hypothetico,si res naturales, quà tales sunt differunt à non naturalibus quoniam habent in se principiũ motus,& quietis,ergo natura est principium motus & quietis: id enim propter quod sic differunt,proculdubio non est aliud quàm natura,sed res naturales differũt à nõ naturalibus, quoniã habent in se principium motus & quietis , ergo natura est principiũ motus & quietis.At secundum Simplicium , syllogismo categorico in prima figura colligitur ad hunc modum, naturalia differunt à nõn naturalibus,quoniam habent in se principium motus, sed natura est id per quod naturalia differũt à non naturalibus,ergo natura est principium motus & quietis. Secundum autem D. Thomam colligitur hoc syllogismo tertiæ figuræ, naturalia differũt à non naturalibus,quoniam habent in se principium motus , sed naturalia differunt à non naturalibus,quoniam habent naturam, ergo natura est principium motus & quietis. Quocunque autem horum trium modorum fiat talis deductio, constat eam esse per se certam & manifestam.Nam quamuis dubiũ sit,an omne quod mouetur habeat in se principium actiuũ sui motus, sicut de motu locali elementorum ambigitur, & an in omni motu , mouens sit re distinctum à mobili:nemini tamen dubium , aut obscurum esse potest, omne quod mouetur motu naturali , sic moueri propter insitã sibi naturã.Restat nunc, vt, quod tertio loco propositum fuit, graues quasdam ac perdifficiles quæstiones explicemus.

Pri-

Prima quæstio, An definitio Naturæ conueniat Cælo.

CAP. VI.

Motũ cæli turę non conuenire cœlo, vna est eorum, qui arbitran tur motum cœli nõ esse naturalem, ex quo fit necessa rio, vt cœli substãtia nõ sit natura quæ 2.Ph.definitur. Huius opinionis assertores sunt Auicẽna, Scotus, Albertus, Durãdus.Rationes Auicẽnæ & Scoti sunt hæ.Prima.Omnis motus naturalis sit ab imperfecto ad perfectũ, & ab innaturali dispositione ad naturalem, sed motus cœli non est talis: cœlum enim semper habet perfectam & naturalem dispositionem , ergo motus cœli non est naturalis.Secunda, Motus naturalis habet terminum à quo , & terminum ad quem, sed hi termini non reperiuntur in motu circulari cœli, ergo &c. Tertia , Motui naturali opponitur quies, sed motui cælesti non opponitur quies, nunquàm enim cælum quiescit, nec verò aptum est quiescere, ergo &c. Rationes Alberti quibus idem confirmat, sunt hæ. Prima. Motus cæli fit ab intelligentia quæ non est natura cæli: quippe cum sit substantia immaterialis operans per voluntatem & intellectum , ergo &c. Secũda. Nullus motus naturalis est infinitus, natura enim, vt est apud Arist. 1. de Gener. animal. cap. 1. horret infinitum, sed motus cæli est infinitus, ergo &c. Tertia. Motus naturalis non fit in loco naturali, cum enim res est in loco suo naturali , non mouetur , sed quiescit: sed cælum existens in suo loco naturali, mouetur , ergo eius motus non est naturalis. Rationes quas ad idem probandum Durandus affert sunt hæ: Prima. Vnius corporis simplicis vnus tãtum est motus simplex naturalis , quemadmodum in 1. de cælo scriptum est : nam cũ forma corporis simplicis sit vna & simplex nequit esse causa nisi vnius motus naturalis, sed in cęlo simul sunt multi motus (vt in luna est motus ab ortu ad occasum, & alius ab occasũ ad ortum, & alius epicycli) ergo tales motus nõ sunt naturales , nec valet dicere vnum esse tantummodo motum proprium cuiusque cæli, cæteros autem esse communes & inesse inferioribus cælis propter superiores: cum enim omnes cæli, sint vnius speciei, non potest in ipsis esse tanta diuersitas motuũ naturaliũ. Secũda. Omnis motus naturalis fit propter absentiã alicuius perfectionis, quæ per talẽ motũ acquiri debet, sed nulla perfectio abest cælo, quæ per motum ipsius acquiri possit, ergo &c. Tertia. Si motus cæli esset naturalis, ergo quies & cessatio à tali motu esset violenta : quare , cum in fine mundi debeat cælum quiescere, tũc esset in dispositione violenta & deteriori quàm nunc est, quod

videtur absurdum, tunc.n. melior atque præstantior erit mundi status: & certè nullum violentum potest esse perpetuum, quies autem illa cæli erit perpetua. Vult igitur Durandus, motum cæli, neque esse natura, neque ab anima, sed esse ab intelligentia, quæ eum liberè & contingenter cælum moueat, facit vt motus eius sit planè voluntarius, nec dici debeat naturalis nisi secundum quandam conuenientiam & analogiam.

Altera opinio eorum est, qui negant hanc definitionē naturæ conuenire cælo, non quia cælum nō sit corpus naturale, aut quod motus eius non sit naturalis; sed quia putant Aristotelis in 2. li. Phy. vbi definit naturam, consilium & propositum fuisse, non omnem naturam, sed eam tantùm quæ est in rebus corruptibilib. definiendo explicare; cui opinioni fidem facere conantur his argumentis. Primo. Quia de iisdem principiis agit Arist. in 2 lib. de quibus egit in 1. lib. Phys. sed in primo egit tantùm de principiis rerum corruptibilium. sicut ipse declarat 1. phy. tex. 68. ergo etiā in lib. 2. agit de natura quæ est tantum in rebus corruptibilibus. Deinde, Themistius exponens definitionem naturæ, dissertissimis verbis docet cælum ea definitione minimè contineri, ita scribēs. *Diuinum & cæleste corpus excipio, quod sempiterno & irrequieto motu cietur, in quo natura est quidem principium motus, non etiam causa quietis.* Postea, Arist. videtur hoc significare in 8. Metaphys. text. 9. his verbis, *naturam etiam solam profectò quis ponet eam quæ in corruptibilibus est. substantiam* præterea illa particula definitionis, *vt moueatur, & quiescat* non potest bene accommodari cælo vt potè quod semper moueatur nec vnquā aptum sit quiescere: moueri enim & quiescere, tantùm conuenit in res corruptibiles. Postremò, Arist. exposita definitione naturæ, mox diuidit naturam in materiam & formam, & inquit, naturam semper esse aut subiectū aut in subiecto, & in definitione naturæ dicitur, quod est causa, vt moueatur id in quo est, quæ omnia indicāt eam tātum naturam definiri quæ est in rebus compositis ex materia & formā, quod non competit cælo, præsertim secundum opinionem multorum, qui volunt cælum esse simplicem substantiam. Quamuis igitur naturę definitio possit aliquo modo accommodari cælo, tamen neque propriè ei conuenit, neque fuit intentio Arist. ipsum includere in huiusmodi definitionem, cuius rei haud obscurum signū est, quòd Arist. in 1. tex. 2. lib. Phy. enumerando genera rerum naturalium, vt inde colligeret definitionem naturæ, nullam cęli fecit mentionem.

Expli-

Explicatur vera sententia, refellendo supradictas opiniones, & demonstrando motum cæli esse naturalem.

CAP. VII.

VErùm prima sentētia falsa est, secunda verò nonnihil probabilis, sed omniū maximè probabilis est tertia opinio, quàm sequūtur Græci, Auerrōs & D. Thom. qui cēsent hac definitione naturæ, cœlum etiā cōprehēdi: quod quidē facilè demōstrari pōt his argumētis. Primò, Arist. 1. de cælo, t. 5. probat cælū habere aliquē motum naturalē, quoniā est corpus naturale habēs in se naturā. *natura autē* inquit *vt diximus est principiū motus* quib. verbis clarissimè significat & cælū esse corpus naturale, & motū eius naturalē esse, & definitionē naturę traditā in 2. Phy. ei cōuenire, idq; non solùm illo loco, sed etiam per alios textus qui sequūtur in eodem libro vsq; ad. t. 17. planū facit. Deinde, cælū est corpus naturale, vt patet ex 3. li. de Cęlo, tex. primo. de Partibus animalium cap. 5. Ex. 8. lib. Metaph. tex. 1. & 12. Ex lib. 12. Metaph. tex. 5. sed omne corpus naturale habet motum naturalem, impossibile enim est, vt inquit Auer. 1. de Cœlo, com. 81. esse corpus aliquod naturale sine motu naturali, tū quia propter hoc vocatur naturale; tum etiam quia alioqui tale corpus esset otiosum, ergo cælum habet motūm naturalem, & habet in se naturam quæ est principium talis motus, Postea, motus circularis quo cælum voluitur, aut est ei naturalis, aut violentus, non est autem violentus, tum quia est perpetuus, nullum autem perpetuum est violētum, tum etiam quia motus qui vni corpori est violentus, alij est naturalis vt docet Arist. 1. libro de Cælo. circularis autem motus neque vlli alij corpori est naturalis quàm cælo, relinquitur igitur vt is motus sit naturalis cælo. Atque hæc tota argumentatio est Aristotelis. 1. de Cælo. Prętera, omnis res naturalis habet naturalem propensionem ad suam operationem & perfectionem, sed propria cæli operatio & perfectio est motus circularis: nam si is non est, quid aliud fingi potest? ergo cęlum habet naturalem inclinationem ad motum circularem, quare talis motus est ei naturalis. Ad extremum quę sunt necessaria ad efficiendum motum circularem, ea omnia naturaliter in cęlo insunt, ergo & ipse motus circularis est ei naturalis, primum. n. cælo inest figura rotunda, abest grauitas & leuitas, est substantia incorruptibilis caréhsque cōtrario. quæ omnia requiruntur ad efficiendum motum circularem. Atque harum rationum prima quidem, refellitur secunda opinio, cæteris autem confutatur prima sententia.

Probatur multis argumentis, motū cæli esse, & verè dici ei naturam.

Quomodo motus cæli sit naturalis.

Est autem motus circularis naturalis cælo ratione principij passiui, quia in cælo est quædam habilitas, & propensio vt moueatur motu circulari: ratione autem principij actiui, quod est intelligentia, potest aliquo modo dici naturalis & aliquo modo nō; etenim intelligentia, si propriè loqui volumus, non est natura cæli, quia non dat esse illi, neque est pars ipsius, neque quidditatiua eius consideratio ad Phy. pertinet: potest tamen aliquo modo dici intelligentia natura cæli, tum quia sicut naturam cæli consequitur vt moueatur circulariter ita vt si careret illo motu, ipsum esset imperfectum, sic etiam (secundum Peripateticos) naturā intelligentiæ consequitur vt ipsa moueat cælum, quem motum si non ederet, esset (auctore Arist. 12. Metaph.) otiosa & imperfecta, tum etiā quia intelligentia perinde mouet cælum ac ipsum est sua natura aptum moueri, non secus ac si esset eius forma & naturali, mouet enim intelligentia cælum secundum eas differētias positionis, & tanta celeritate nec maiori nec minori quam conuenit naturali propensioni cæli. His accedit, quod & natura cæli & ratio motus circularis poscunt, vt intelligentia sit mouens ipsum, & non aliud mouens. Nam cum cælum sit substantia simplex, non potest moueri à se, si quidem moues & motum debent esse diuersa, nec potest moueri ab alio corpore, quia cælum est primū omnium corporum, & sic res procederet in infinitum, quare moueri debet ab aliquo mouente incorporeo, cuiusmodi est intelligentia. Motus item circularis, quia caret principio & fine, & est perpetuus, non potest effici nisi à mouente per intellectum, quod sit perpetuum. Et quia motus cæli est caussa efficiens & conseruans omniū animantium sublunariū, & quia ex eo pendet totius mūdi corporei ordo, gubernatio & perfectio, & quia eo sublato intelligentiæ nullam habere viderentur cum hoc mūdo sensibili & mobili cōiunctionem atque connexionem, deniq; quia nulla res inanima potest se ipsam in suo loco naturali perfectè mouere; ob has omnes causas necesse est motum cæli ab intelligentia effici. Sed hac de re possunt legi ea quæ scribit Auerr. 1. de Cælo comm. 5. & 2. de Cælo, comm. 3. & in disputationibus contra Algazelē per totā 14. disputationē. Quod autem motus cœli sit naturalis ratione principij passiui, cōfirmat D. Tho. in 2. Physico. super text. 2. his verbis *Motus localis corporum cælestium est naturalis, licèt sit à motore separato, in quantū in ipso corpore cæli est potentia naturalis ad talē motū.* Et in 1. par. q. 70. art. 3. ad 4. ita scribit. *Motus corporis cælestis est naturalis, non propter principiū actiuū, sed propter principium passiuum quia scilicet habet in sua natura aptitudinē, vt tali motu ab intellectu moueatur.* Et ibidē in responsione ad quintū docet eiusmodi motum posse dici naturalem

Motū cæli nō ab alio quàm ab intelligentia posse effici.

turalem, etiam in ordine ad principium actiuum hoc modo scribens, *Cælum dicitur mouere seipsum, in quantum componitur ex motore & mobili, non sicut ex materia & forma, sed secundum contactum virtutis, vt dictum est, & hoc etiam modo potest dici, quod eius motor est principium intrinsecum; vt sic etiam motus cæli possit dici naturalis ex parte principij actiui, sicut motus voluntarius dicitur esse motus naturalis animali, in quantum est animal, vt dicitur in 8. Phy.* Hæc D. Thomas.

Refelluntur qui putant Intelligentiam esse veram formam & naturam cæli.

CAP. VIII.

QVidam autem memoria nostra Philosophi in primis nobiles in scriptis suis reliquerunt, Arist. sensisse Intelligentiam re vera esse naturam cæli, nempe talem qualis hic definitur, quod his argumentis persuadere conantur. 1. Cælum est vērè animatum, tum quia id ait Arist. in 2. de cælo, text. 13. & 61. tum etiam quia animatum est nobilius inanimato, cælum autem multò nobilius est corporibus sublunaribus, in quibus tamen multa sunt animata. Sed cælum non est animatū anima vegetatiua aut sensitiua, vt patet, ergo intellectiua quæ est Intelligentia: omnis autem anima, est natura eius cuius est anima, relinquitur igitur Intelligētiam esse naturam cæli. Deinde cælum non est tantum materia, quia non ageret in hæc inferiora, nec haberet determinatam existentiam & quantitatē, & alia permulta accidentia, præsertim autem lucem; non est etiam tantum forma, quia non moueretur per se, ergo est ex vtraque compositum; forma autem eius non est materialis, alioquin esset corruptibile cælum, si autem est immaterialis, erit Intelligentia. Postea, tota definitio naturæ conuenit Intelligentiæ, vt patet expendendo omnes particulas eius. Amplius, si motus cæli extrinsecùs fit ab Intelligentia tantùm assistente; ergo est violentus, Arist. enim 7. Physi. tex. 19. ait quod extrinsecùs mouetur ab alio, id moueri violenter. Præterea, secundum Aristot. in 8. Physi. mobile à se, prius & nobilius est quàm mobile ab alio, sed, cælum est primum, ac nobilissimum omnium mobilium & mouetur ab Intelligentia, ergo ea non est extra cælum, sed intra ipsum vera eius forma existens. Hæc illi. Contra quos pauca quædam nunc dicemus, nam latiùs, & opinionem eorum refellere, & rationes soluere, non est huius loci, sed eius in quo disputatur, an cælum sit animatum. Ac primùm, si intelligentia est natura cæli, ergo quidditatiua eius consideratio pertinet ad Physicum, nam omnis forma, quæ est natura, est Physica, & qui considerat

Antonius Mirandulanus in opere de euersione singularis certaminis.

Intelligētiam non esse verā formam & naturam cæli.

materiam,idem etiam,vt ſcriptum eſt in 2 lib.Phyſicorum, debet conſiderare formam eius: Phyſicus autem conſiderat materiam cæleſtem, ergo idem quoque quiditatiuè conſiderabit intelligentiam,ſed hoc eſt contra Ariſt.is enim in 2.Phyſi.26.& 71. atque 73.ait formas ſeparabiles à materia, & quæ mouent ac non mouentur;non eſſe doctrinæ Phyſicæ,& in 6.Metaphyſicę ea potiſſimum re diſtinguit Metaphyſicā à Phyſica, quòd hæc agit de formis materialibus,illa de abſtractis;& propter intelligētias inquit lib.6.Metaphyſicæ, Metaphyſicam eſſe priorē atq; nobiliorē phyſica.alioquin ſi Intelligentiæ nō eſſent, fore vt Phyſica eſſet prima Philoſophia,& in 12. Metaphyſicæ.text.5.inquit omnē ſubſtantiam mobilem eſſe conſiderationis Phyſicæ;immobilem autem,minimè.Et ſane ſi intelligentia eſt natura cæli,neceſſe eſt eam motu cæli etiam moueri per accidens, quam tamen Ariſto. affirmat nec per ſe,nec per accidens,mobilē eſſe. Cúmque materia ſit propter formam, cur opus fuit vt Intelligentia informaret cælum?an propter eſſe eius? at per ſe ſubſiſtit cū ſit immaterialis; an ob propriam eius actionem?at ea cum ſit perfecta intellectio, non indiget corpore nec ſubiectiuè, quia intellectio præſertim Intelligentiarum eſt omnino immaterialis; nec obiectiuè, quia intelligentia non eget ſenſibus aut phantaſmatibus ſicut nos ad intelligendum; nec opus eſt ad efficiendum motum circularem cæli vt intelligentia ſit eius forma, ſatis enim eſt vt ſit ei aſſiſtens & moueat ſicut ipſum natura ſua moueri aptū eſt. Rationes autē omnes contrariæ ſupra poſitæ, hac vna ſolutione breuiter & facilè diluuntur.Cęlum ſumptum pro coniuncto & aggregato ex orbe & Intelligentia,poteſt dici quodammodo animatum; & eſt nobilius cunctis rebus ſublunaribus;& eſt mobile à ſe,vel motus ſeipſum:& ſic Intelligentia non eſt externum,ſed internum mouens cæli.Plura his de rebus non ſcribimus, ne ſi in his docendis longiores & accuratiores ſimus,quęſtiones,ab eo quod nunc agitur longè remotas,alieno loco ineptè tractare videamur.

Soluuntur rationes primæ ſententiæ eorum qui negant definitionem naturæ conuenire cælo.

CAP. IX.

NVnc reſpondendum eſt ad rationes prioris ſententię. Argumenta Scoti & Auicennæ, facilè ſoluuntur hac vna diſtinctione.Duplex eſt motus naturalis localis, vnus rectus,alter circularis. Rationes ipſorū vim & robur habēt in motu recto, non autem in motu circulari. Se etiam ſolui debent duæ poſteriores rationes Alberti; nam prima ratio

ratio eius tantùm concludit motum cæli non eſſe naturalem ratione principij actiui, quod vt diximus non eſt propriè naturæ cæli,& hoc nos ſponte concedimus. Quòd autem in ſecunda ratione dicit natura horrere infinitum,& motum cęli eſſe infinitū, diſtinguendum eſt de infinito, nam motus cæli eſt finitus ratione ſpatij quod tali motu pertranſitur, ratione autē durationis eſt infinitus.Vide Ariſt.9.Phy.tex.vlt. Itaque primum cælum quotidie ſemel motū ſuum cōficit,qui tamen infinities repetitur, tū propter globoſam cæli formā;non enim cælum mouetur ad locū,ſed circa locū,tum ob perennē & indefeſſam virtutem motiuā Intelligentię.Natura autē refugit infinitū,nō quod eſt infinitū duratione,ſed quod eſt infinitū magnitudine vel multitudine.Prima autem ratio Durandi ita ſoluitur.Vnius cæli tantùm eſt vnus motus proprius, alij ſunt à ſuperioribus cælis: neque verum eſt quod ait,omnes cælos vnius eſſe ſpeciei, quia ſic eſſent materiales & corruptibiles.Præterea,in indiuiduis eiuſdē ſpeciei infimæ, vnū nō eſt per ſe prius aut perfectius alio,vt dicitur li.3. Metaph. text.11 neque eſt inter ipſa ordo & dependentia eſſentialis, quæ tamen omnia cernimus in cęlis.Neque verò ipſi cæli ſecundū Ariſt. differunt ſpecie vnuoca,nam ſic eſſent compoſiti ex genere & differentia,id eſt ex actu & potentia eſſentiali,quamobrem eſſent corruptibiles,vt copioſè oſtēdit Auerroes 3. de Cælo, Com. 49.Ad hæc,ſi cæli eorúmque motus ſunt vnius ſpeciei, ergo ſimiliter etiā motores,id eſt Intelligentiæ erunt vnius ſpeciei, talem enim Ariſt.vult eſſe proportionem & ordinationē inter Intelligentias mouentes,qualis cernitur eſſe inter cælos qui mouēuentur,facere autē Intelligentias vnius ſpeciei, manifeſtè aduerſatur iis quæ ſcribit Ariſtoteles lib.12.Metaphyſicæ,tex.49.Secūda ratio Durandi,concludit quidē de motu recto, non autem de circulari:etenim ratio motus circularis in eo cōſiſtit;vt fiat circa eundem locum & vt talis motus nō fiat ad acquirendā aliquam perfectionem cælo,ſed principaliter quidem vt cælum per talem motum aſſimiletur Deo, cuius intelligibilem motum mirificè æmulatur cælum motu circulari:ſecundario autem,vt per talem motum cōmunicetur rebus ſublunaribus eſſe,& viuere,aliis clariùs,aliis obſcuriùs,vt eſt in 1 de Cælo,tex.100.& vt inde vniuerſa virtus inferioris mundi conſeruetur atque gubernetur. Tertia ratio Durandi non habet vim in Philoſophia,quia docere in fine mundi planè ceſſaturum eſſe motum cæli non attinet id ad Philoſophū,cū nec lumine naturæ cognoſci,nec rationibus Philoſophicis perſuaderi poſſit. Sed nihilominus reſpōderi pōt Durādo ad hūc modū. Creaturā priuari ſuo motu naturali ab alia crea-

An cœli ſint vnius ſpeciei.

tura,est illi violentũ,à Creatore autem,qui totius auctor naturæ est, minimè: sicut enim in omni creatura est potẽtia naturalis ad operationem propriam,ita est potentia quædam, quam quidam magni nominis Theologi obedientialem vocant, secundum quam apta est obedire Deo in omnibus quæ de ipsa facere Deus constituit. Sunt etiam quidam Theologi,qui putant cælum per se non habere inclinationem naturalẽ potiùs ad motum, quam ad quietem, sed ad alterutrum determinari ratione ordinis qui est in vniuerso;& quia ordo qui nunc est in vniuerso, propter vicissitudinẽ generationis & corruptionis rerũ sublunarium, necessariò exigit vt cælum moueatur,ideo nũc naturaliter mouetur: quoniam verò in fine mundi erit alius ordo vniuersi,sublata mutua sublunarium corporum transmutatione,idcirco tunc sic exigente vniuersi ordine,cælum naturaliter quiescet. Quare concludunt tam motum quàm quietem esse naturalem cælo, non secundum propriam eius naturam, sed secundum communẽ mũdi perfectionem,& propter varium vniuersi ordinẽ. Verùm hæc, si philosophicè perpendantur,facilè intelligentur esse falsa; nam, vt omittamus cætera, quid magis à ratione & Philosophiæ decretis alienum esse potest, quam quod habet determinatam naturam,id non habere etiam certam,ac determinatam propensionem ad suam perfectionem? quam necesse est, (vt manifestũ est ex iis quæ suprà diximus)vel in motu esse,vel in quiete. Sed ad rationes secundæ opinionis dissoluendas,veniamus.

An vacatio à motu, quæ dabitur cælo in fine mundi sit futura illi naturalis an violenta.

Soluuntur rationes secundæ opinionis.

CAP. X.

Licet autem secunda opinio probabilis sit,nec magno negotio defendi queat,tamen quia tertiam opinionem tum rationi,tum Arist. doctrinæ magis cõsentaneam esse ostendimus, rationes eius hic etiam soluendæ sunt.Rationum autem, quibus secunda opinio nititur, potentissima est illa de motu & quiete, non enim cælum habet in se principium motus & quietis, sicut natura definitur habere. Hanc dubitationem interpretes Aristotelis variè conantur explicare.Etenim Philoponus in 2. Physi.super text.3. & Alexander Aphrodisæus 2.libro Naturalium quæst.in capit.18.aiunt in cælo non esse propriè quietem, quæ est priuatio motus, sed tantum Metaphoricè, quatenus cælum ita conquiescit in illo perenni motu suo,tanquã in sua perfectione,nõ secus ac corpora sublunaria quiescunt in suis locis naturalibus,vel quatenus totũ cęlũ nũquã mutat locũ aut situ & vno simili̇q; motu semper cietur, quæ

An illa pars definitionis naturæ, (esse principiũ motus & quietis) possit cælo conuenire.

constantia & vniformitas eius,potest appellari quies.Neque verò Simplicius ab his discrepat,scribens cælũ quiescere ratione cẽtri, polorũ & axis,quæ in motu cæli semper manent eadẽ & immutabilia;hoc etiã videtur innuere Aristo.8.Phys.tex.75.ita scribens. *Mouetur & quiescit quodam modo sphæra, eundem enim ocupat locum.* Verùm cũ Arist.hic loquatur de quiete propriè ac Physicè sumpta,quæ nimirũ est vacatio & priuatio motus Phy.ea verò quam isti tribuunt cælo sit Metaphorica & Metaphysica, idcirco eorũ interpretatio probanda non est,tanquã parum congruens verbis Arist.Porphyrius autẽ(referente Simplicio)Auerroës item & D. Tho.volunt illa verba legi debere disiunctè, vt illa coniũctio,&; sit posita pro,vel,vt sententia illorum verborum sit hęc,naturam esse principiũ motus.vel quietis, vel vtriusque. Sed paulò durior est hæc expositio, incredibile enim videtur Aristot.in tam graui definitione,abusum fuisse huiusmodi vocibus.Nos autem censemus illa verba legẽda esse coniunctè, & habere hunc intellectũ, non vt omnis natura sit principiũ motus & quietis, sed vt omnis motus & quies naturalis,sit à natura; quæcunque enim vel mouentur naturaliter vel quiescunt,id habent propter naturam ipsis insitam.Hoc modo loquendi etiam vtitur Arist.2.de Anima.tex. 24.dicens,Anima est,qua viuimus,sentimus, mouemur & intelligimus; non quòd omnis anima faciat has omnes operationes, sed quòd omnes huiusmodi operationes,vbicunque reperiuntur, procedunt,ab anima.Itaq; nomen naturæ,in definitione eius ponitur simpliciter & indeterminatè,nomen autem motus & quietis,ponitur vniuersaliter & distributiuè;& quemadmodum cũ dicitur anima esse principium viuendi,sentiendi, mouendi & intelligendi,ex eo non rectè inferri potest, ergo omnis anima id in qua est facit viuere.sentire,moueri & intelligere; sic etiam cum definitur natura esse principium motus & quietis, non debet ex eo concludi, ergo omnis natura facit moueri & quiescere id in quo est:sed illud potiùs cõcludi debet,ergo omnis motꝰ,&quies omnis naturalis,efficitur à natura. Eodem modo posset exponi id quod ait Arist.4.Phy.text.30.scribens, omnem locum naturalem habere sursum & deorsum,hoc est,non quidem omnem locum esse sursum & deorsum,quod fieri non potest:sed,(vt eum locum explanans,inquit Simplicius)naturam loci diuidi per illas differentias sursum & deorsum. Reliquorum autem argumẽtorum solutio ex iis quæ scribit Auerroes 2.Metaphys.comm.vlti. petẽda est,etenim in eo loco affirmat naturã æquiuocè, id est,analogicè dici in corporibus cælestibus & in sublunaribus, atque illis quidẽ secundũ se,& secundum perfectionem; his aũt secũdũ

famositatem,id est secundum nos,& secundum vulgarem existimationem hominum,&primā eius nominis impositionem vsitatamque appellationem hoc nomen naturæ principaliùs conuenire,vulgus enim eam tantùm appellat naturā cuius generatio,corruptio,cæteriq; motus ante oculos omniū sūt:quo fit vt Ari.etiā definitionem,diuisionē & proprietates naturæ præcipuè accommodet ad naturam corruptibilem,vtpote quæ nobis magis cognita & perspecta sit.Itaque ea verba quæ ex 9.text.libri 8.Metaphy.citata sunt,ad hunc modum interpretari conuenit. *Naturam solam profectò quis ponet quæ in corruptibilibus est,substantiam.* Id est, si quis manifestam & vulgatam notionem & rationem naturæ spectet,solam existimabit naturam,eam quæ est mortalis. Quòd autem Arist.non putet,cælum excludi nomine & definitione naturæ,ibidē præcipuè declarauit appellās cælum in eodem lib.8.Metaph.tex.12.substantiam naturalem.Themistius autem,illis verbis quæ commemorata sunt,non excipit aut remouet cælū à definitione naturæ,sed ipsum eximit ex numero eatu rerū naturalium quę habet in se principiū motus,& quietis.Nec Themistiū latuit tria genera rerū naturaliū poni ab Arist.lib,8.Phys.vnū earū quę semper mouetur,quale est cælū:alterū earum,quæ semper quiescunt,cuiusmodi est terra si non secundum omnes partes at certè secundum totam elementi molem;tertium earū,quæ partim mouentur partim quiescunt,in quo numero sunt plātę,& animalia.

An definitio naturæ conueniat animæ,præsertim autē animæ rationali.

CAP XI.

Quæstio secunda, an definitio naturæ cōueniat animæ.

VAndoquidē cōstitutū est definitionē naturæ etiā cælo cōuenire,sequitur nūc,vt disquiramus an ea definitio cōueniat animæ.Simplicius quidē in 2.Phys.super text.1.& 3.& itē Albertus in eodē libro tracta. 1.cap.2. negant hanc definitionem conuenire animæ,eámque etātùm naturam hic definiri putant, quæ est in corporibus simplicibus & inanimatis:si autem animantes dicūtur habere naturam vel esse res naturales,ita dici aiunt propterea quòd in se habent corpora simplicia omne enim corpus,aut est elementum aut constans ex elementis,quæ sunt propriè res naturales.Atque hāc sententiam Simplicius ita confirmat ; esse naturale conuenit omnibus rebus naturalibus quà tales sunt, ergo conuenit illis propter aliquod principium,& propter aliquam substantiam communem omnibus:sed hæc substantia non est anima,quippe quæ non est nisi in viuentibus, neque aliud quicquam esse potest quàm substantia corporum simpliciū,hæc enim sola reperitur in omnibus rebus naturalibus:quare natura,quę hic definitur,est tantùm substantia corporum

corporū simpliciū.Deinde Arist.in 2.de Anim.definiēs animā esse actū corporis naturalis,apertè distinguit animā à natura si quidē facit naturā subiectū ipsius animæ,& in eod.lib.tex.37. ait corpora naturalia esse instrumēta animæ.Hoc ipsum etiā cōprobat testimonio Eudemi,qui idē sensit. Albertus verò idē confirmat his argumētis.Primò.Natura est determinata ad vnū,vel enim mouet sursum vel deorsum:anima autē habet multos & varios motus,secūdū omnes differētias positionū,quare nō est determinata ad vnūsnon igitur est natura.Deinde,natura definitur esse principiū motus per se,id est,immediatè & sine instrumentis,anima autē nō mouet nisi per instrumēta corporea veluti per musculos & neruos,ex his putat Albertus necessariò concludi animā nō esse naturam,nec eam supradicta naturæ definitione comprehendi.

Sed hæc sentētia multis modis falsa esse cōuincitur. Primò, Arist.in 2.Phy.tex.1.enumerans res naturales eásq; distinguēs à nō naturalibus,ex quo mox colligit definitionē naturæ cōmemorat plantas & animalia,idémq;facit semper aliis in locis in quibus recēset res naturales.Tū,definitio naturę tota sanè cōgruit animę, etenim anima est principiū motus & quietis,in eo in quo est,primò per se & nō secūdū accidēs.Neq; verò obstat,quod anima vtatur instrumentis ad mouendū;vt Albertus obiicit , nam etiam forma substantialis elemēti vtitur,accidētibus vel motiuis vel actiuis ad efficiēdos motus suos:non enim.(vt Ari. ait libro de Sēsu,& sensili cap.de odore)ignis calefacit,vt ignis est , sed vt calidus est.Itaq; Albertus malè interpretatur illud verbū *primò*, & sine caussa negat ipsum conuenire animæ. Postea,Arist.1. de Partibus animal.cap.1.ob eā causam Physico ait esse agēdū de anima sensitiua & vegetatiua,quòd ipsę sint naturę,& principia motuū naturalium.Præterea,motus animę est motus naturalis,ergo anima est natura:cōsequētia nota est ex eo, quia motus est proprius effectus,per quē definitur natura:Antecedēs autem ita probatur, primò Arist.in 2.Phy.tex.1.ponit inter motus naturales actionē, & decretionē,qui sut motus animę.Secūdò.Quia 3.Phy.tex.6.traditur motus definitio quę cōuenit animę motibus.Tertiò.Quia diuisio motus naturalis tradita 5.Phy;tex.9.cōtinet motū animę. Quartò.Quia principia,quæ tradūtur primis duobus libris Phys. cōmunia sunt aut omnibus rebus naturalibus, aut certè cūctis rebus corruptibilib⁹,nō ergo ab his debet remoueri anima.Quintò.Quoniā Arist.in 2.lib.Phy.tex.80,vt demonstret naturā agere ob aliquē finē,sumit argumentū ab animalibus & plantis,qua re declarat nomen &rationē naturæ,de qua Physicus agit,etiam ad animā pertinere.Atque in illius quidem loci explanatione , non

Probatur animā esse naturam.

sibi constat Simplicius;is enim in suis Commẽtariis illum locum explanãs,ita scribit,*In his autem velim animaduerti, animalia & plãtas vt quæ sint naturalia sumi ab Arist.etiam si sint animata,& ab anima regantur.* Et paulò post,hæc subiungit,*Num autem Arist. vocat naturam etiam quidquid animæ versatur in corpore?quamobrẽ etiã opus de Anima,vt quod multa tractet de huiusmodi anima,esse contemplationis naturalis existimant.* Hæc Simplicius. Ad extremũ Arist. 8.Phys. tex.27.apertissimè scribit,quod à seipso mouetur, vt est vnumquodque animalium,moueri à natura.Primę autem rationi Simplicij respondendum est,res naturales esse naturales,non propter vnam aliquam substantiam communem omnibus, sed propter rationem quandam communem quæ in omnibus inest:hæc autem ratio,est habere in se principium motus & quietis,quæ quidem reperitur in cælo,in viuentibus & non in viuentibus.Secunda ratio facilé soluitur si animaduertamus Aristotelẽ in libris de Anima pressiùs sumere nomẽ naturę quàm in lib.2.Physicorum: vel etiam Peripatetici,cum distinguunt tria principia rerum,naturam,animam & intellectum.Naturam enim vt opponitur animæ,definitur esse agẽs sine cognitione,& vno ac simplici modò operans;vt autem comprehendit animam,est principium motus & quietis in eo in quo est.Hic nomen naturæ sumitur ampliorã quadam significatione,nempe quatenus est principium motus & quietis: Similiter etiam respondendum est ad rationes Alberti, procedunt enim de natura secundum angustiorem eius significationem & vt distinguitur ab anima. De Eudemo autem nõ est multum laborãdum quid senserit.Anima igitur& dicitur natura & anima natura prout est principium motus in eo in quo est,anima verò,prout facit id inquo est moueri à se, nec vno tantùm & simplici motu,sed multis & variis motibus.At verò restat etiam nunc quidam scrupulus;etenim motus animæ, vel progrediendi, vel saltandi,non videtur esse naturalis corpori animalis, cum enim corpus animalis sit graue, solus is motus ei naturalis erit, quo deorsum fertur,cęteri autẽ omnes erunt violenti.Respõdeo, huiusmodi motus animalium esse quidem violentos corpori animalis vt est corpus mixtum,in quo præcellit & dominatur elementum terræ:esse verò naturales ei prout est instrumentum animę in id fabricatum à natura,vt inseruiat ei atque obediat;esse autem huiusmodi motus naturales corpori animalis,ex eo perspicuum est,quòd natura dedit corpori animalis instrumenta idonea ad eos motus perficiendos, vt sunt nerui musculi.pedes, & manus. Verùm adhuc de anima vniuersè disputatum est: deinceps de anima rationali propriè disseramus.

Solutio rationũ Simplicij.

An motus progressiuus animaliũ sit ex natura lis an violentus.

An

An anima rationalis sit natura.

CAP. XII.

DE anima rationali dubitari solet, an ea sit natura nec ne propriè sumpto naturæ vocabulo vt hic definitur. Ac Simplicius quidem in 2.Ph.super tex.3.negat animã rationalẽ esse naturã, nec eã vult hac definitione naturæ contineri,cui rei fidẽ facit his argumentis. Primò,quia in fra Arist.diuidit naturam in subiectum & in id quod est in subiecto,sed anima rationalis nec est subiectum, id enim est materia, nec est in subiecto,forma enim quæ est in subiecto,est materialis, & inseparabilis.Intellectum autem humanum esse immaterialẽ & separabilem docet Arist.in 3.de Anima, ergo anima rationalis nõ est natura.Deinde,Arist.in 2. Phy. tex. 12.ait naturam quæ est forma,nõ posse separari à materia secundum existentiã, sed tantummodo secundum rationem, quod non conuenit in animam rationalem,quæ secundum existentiam est à corpore separabilis. Ad hæc,forma naturalis educitur de potentia materiæ per generationem,& est terminus generationis.anima verò rationalis minimè,nam Arist.2.libro de Generat,animal. cap.3. ait mentẽ esse diuinam,& extrinsecùs aduenire.Postremò,Arist.nullum reliquit locum dubitandi hac de re,is enim in 1.de partib. animal.c.1.negat considerationem animæ intellectiuæ esse Physicã, tum propter alias causas, tum propter eam maximè quia non est natura quæ sit principium motus naturalis. Atque hæc fuit Simplicij opinio paucis verbis ab eo indicata,sed à nobis,vt quantum in ea esset probabilitatis intelligeretur,latiùs exposita.

Quæst,o tertia an anima rationalis sit natura.

Opinio Simplicij.

Nobis autem Simplicij opinio,nec planè probatur,nec sanè omnino improbatur.Existimamus enim animam rationalem partim esse,& appellari posse naturam,partim verò minimè. Sed,vt quod docere volumus melius intelligatur, sententiam nostram duabus propositionibus breuiter exponemus.Vna propositio est, Animam rationalem aliquo modo posse dici naturam.Hæc propositio ita probatur. Primò, Anima rationalis re verâ est pars essentialis hominis,& forma dans esse homini:sed homo,ea ratione vt est homo,est res naturalis,ergo anima rationalis erit eius natura.Præterea, quamuis intellectus,vt intellectus est,non efficiat in homine motum aliquem Physicum, regit tamen atque moderatur motus Physicos, eorumque vsum & exercitium determinat: exempli caussa, licèt motus loquendi, ingrediendi vel saltandi, efficiatur à virtute naturali motiua quę est in membris hominis;

Explicatio quæstionis.

attamen quantus is motus esset debeat, quo item modo fieri, aut cur & ad quem finem referri, præscribitur, definitur, & imperatur à ratione. Huiusmodi enim operationes, subsunt consilio & arbitrio hominis, ex quo fit, vt sint dignę laude vel vituperatione, pœna etiam vel præmio. Posteà, coniunctio animæ rationalis cum corpore, efficitur & cõseruatur per motum Physicum, ad proprias etiam actiones intellectus obeundas opus est phantasmate, nunquàm enim mens dum est in corpore, auctore Arist. 3. de Anima, tex. 30. & 39. intelligit sine phantasmate: phantasma autem est quidpiam materiale coniunctum motui physico: ob has igitur causas anima rationalis potest appellari natura. Altera propositio est. Animam rationalem secundum aliam quandam considerationem, non esse naturam de qua Physicus agit, quam propositionem veram esse, clarissimè perspicitur ex his paucis quæ sequuntur. Primò quia anima rationalis nõ producitur per motum Physicum sed per creationem ex nihilo, tùm, quia non efficitur ab agente naturali, sed immediatè à Deo. Ampliùs, quia inter eã & corpus ipsius, non est proportio Physica qualis esse debet inter formam & materiam naturalem, siquidem anima rationalis per se est immortalis, corpus autem eius suaptè natura est mortale. Deinde, quia propria operatio eius quæ est intellectio, per se (& quemadmodum Philosophi loquuntur) secundum substantiam suam, non est motus naturalis. Ad hæc vltimus finis animę rationalis quo adepto ipsa perfecta est, & naturalis appetitus eius planè conquieseit, est supernaturalis, media item ad eum finem consequendum necessaria, sunt supernaturalia. Quid plura? Physici est agere de natura, multa autem sunt in anima rationali quæ longè transcendunt facultatem & considerationem Physici, sed hac de re latissimè disputatum fuit in 1. libro huius operis. Ex his igitur clarum est, animam rationalem partim appellari posse naturam, partim verò minimè. Ex quo item in promptu est solutio eorum argumentorum quibus supra ex Simplicij sententia, probauimus animam rationalem non esse naturam. Illis enim argumentis nõ conficitur animam rationalem nullo modo esse naturam, sed tantùm secundum aliqua, quæ conueniunt ipsi ea ratione vt est expers materiæ atq; immortalis, quod nos libenter concedimus: Aristoteles etiam verè ait eam non esse omnino naturam, nempe talem quales sunt naturæ corporeæ ac mortales: nec eam considerari à Physico, nimirum omni ex parte, & secundum omnia quæ insunt in anima rationali, quod & verum est, & opinioni nostræ consentaneum.

In quibus rebus naturalibus, & respectu quorum motuum, Natura sit principium actiuum & passiuum.

CAP. XIII.

QVoniã in definitione naturæ positum est, naturã esse principiũ motus, declarandũ est, quorum motuũ natura sit principiũ actiuũ, & quorum passiuũ. Certum est, in omni re naturali, & respectu cuiusuis motus naturalis, esse naturã, quæ sit principium passiuũ: tũ quia in omni eo quod mouetur, ineſt materia quæ est principium passiuũ, tum etiam quia quicquid naturaliter mouetur, suaptè natura aptum est ita moueri, quare necesse est in eo esse potentiam passiuam ad huiusmodi motũ: Sed obscurum est, & in quibus rebus naturalibus, & quorum motuum naturaliũ sit natura principiũ actiuum. Sunt autem multa genera motuum, est enim motus generationis, corruptionis, alterationis, accretionis & motus localis, quæ item naturaliter mouentur, alia sunt corpora simplicia, alia mixta, sed inanimata, & alia quæ vitam, atque sensum habẽt. In singulis & mobiliũ & motuum generibus, videndũ est an natura sit principium actiuũ nec ne. Ac primũ de generatione & corruptione dicamus.

Nulla res habet in se principium actiuum suæ generationis. Et enim aut hoc principium esset materia, aut forma, non materia, quippe quæ nullius est actiuitatis, nõ forma, tum quia ipsa est quę generatur, quare non potest esse generans, tum quia generans est ante generationem, forma verò non nisi post generationem existit, cum primùm enim adest forma, generatio cessat. Dicuntur autem quædam habere in se principium suæ generationis sicut viuentia, quatenus vis generans hæret ipsis coniuncta; quemadmodum virtus seminis est coniuncta cum fœtu donec absoluatur eius generatio. Atque ob hanc causam videtur natiuitas seu viuentium generatio, distingui à generatione eorum quæ vita carent, vt innuit Arist. 5. Metaph. tex. 5.

Quarta quæstio, an in aliquo natura sit principiũ generationis actiuũ.

Sed affert difficultatẽ locus Auerr. in 7. Metap. com. 29. vbi scribit, sicut in motu locali quædam mouentur à seipsis, quædam ab alio, sic in generatione quædã generari à seipsis, quædam ab alio. Verùm hoc facilè soluitur si bene ponderentur verba Auerr. non enim eo in loco Auer. agit de generatione substãtiali, sed de generatione accidentiũ, quorũ ait quędam tãtùm posse effici extrinsecùs ab arte, vt domus, lectus, & alia his similia, quædã verò tãtùm à natura quæ est in subiecto ipsorũ, vt risibile, quædam autem, & intrinsecè à subiecto & extrinsecè ab arte, vt sanitas, sanãturenim quidã à Medico, alij verò à seipsis. Ex his palàm est Auerr. loqui

Dubitatio ex Auerroe.

de generatione accidentium,quæ dicuntur à seipsis generari,quatenus non extrinsecùs ab arte,sed à caussis,quæ sunt intra eorum subiectum,procreantur.

In quibus rebus natura sit principiũ actiuũ corruptionu, quæstio quinta.

De Corruptione autem non potest quicquam vniuersè promũtiari sed distinctione opus est.Etenim alia sunt corpora simplicia vt elemẽta,alia mixta vt metalla &viuẽtia.Nullũ autẽ corpus simplex habet in se principium actiuum suæ corruptionis,omnis enim res expetit esse, & quoad eius fieri potest, se suáque conseruat ac resistit corrumpenti, ergo nulla res potest seipsam corrumpere. Deinde, quodnã erit in corpore simplici principiũ corrumpẽs?materia ne an forma?non materia,quia non est actiua;neque formæ,quia forma dat esse,nõ igitur aufert ipsum esse, præsertim cum esse sit effectus internus & inseparabilis à forma; Præterea aut forma corrumpet seipsam, aut materiam ;non seipsam,id enim inuoluit contradictionem, nam quod corrumpit, existit,quod corrumpitur,non existit;neque materiam, tum quia materia est incorruptibilis,tum quia corrumpens est cõtrarium ei quod corrumpitur,forma autem non est contraria materiæ.

Omne autem mixtum perfectum,qualecunque fuerit siue animatum siue inanimatum,habet in se principium actiuũ suę corruptionis siquidem omne mixtum in se cohibet quatuor elemẽta & quatuor qualitates inter se contrarias ac pugnantes,quocirca cum vna earũ exuperat plusquã ratio mixti patitur,opprimit reliquas ;atque hoc modo dissoluitur certa quædam proportio qualitatum in qua tantum modo conseruari potest natura mixti. Mixta verò heterogenea vt sunt animalia,præter hũc modũ corruptionis communem omnium mixtorum,habẽt alium sibi peculiarem,quatenus vna eorum pars potest alias corrũpere & ita toti mixto interitum afferre: cum enim partes animalium sint dissimiles ac quædam etiam inter se contrariæ, siquidem cor est calidum,cerebrum frigidum,os siccum,caro humida;quatuor etiam humores sanguis,pituita & vtraq; bilis habent qualitates & temperamenta inuicẽ contraria:ideò sæpe contingit,vt vna pars læsa,& male affecta, cæteris perniciem & exitium afferat, vnde totius animalis interitus existat. In mixtis autem homogeneis, non est hic modus corruptionis;cum enim omnes eorum partes sint vniformes eiusdémque naturæ,non potest vna corrumpere aliam,debet enim corrumpens esse diuersum,atque contrarium ei quod corrumpitur. Quanquam si subtiliter loqui,& ad tenuẽ rationem elimare voluerimus, comperiemus nullum mixtum habere in se naturam quæ sit principium eius corruptiuum: Natura enim principaliter est forma substãtialis,quę nulli corpori, cuius est propria forma & naturalis,interitum afferre potest,cum potius ipsa faciat illud existere. Id igitur accidit mixtis, propter accidentia inuicem contraria quæ in ipsis insunt,quæ, ea proportione & temperatione quam in mixtis naturaliter habent,extrinsecùs ab aliquo agente dissoluta & sublata,pugnant inter se sibiq; inuicem exitium moliuntur.Ex quo euenit, vt mixta quoque,in quibus illa sunt accidentia,necesse sit interire.Atque ita de generatione & corruptione breuiter dictum est,sequitur vt de alteratione & accretione dicamus.

In quibus rebus natura sit principium actiuum alterationis:

CAP. XIIII.

Sexta quæstio,In quibus corporib.natura sit principium actiuum alterationis.

DVplex est alteratio Phy.vna corruptiua, quæ tãdẽ affert interitum rei quę alteratur,vt calefactio aquę,altera quę dicitur perfectiua,per quã res,tãtùm abest vt corrumpatur,vt magis perficiatur,propulsans quæ sibi cõtraria & noxia sunt,& augens atque corroborãs vires suas ; sic aqua feruẽs remota ab igne,paulatim calorẽ pellit & recuperat pristinã frigiditatem,sic etiã quędã corpora ob antiperistasim euadũt vel frigidiora vel calidiora quàm fuerãt antea.De alteratione igitur corruptiua,quod attinet ad principiũ actiuũ eius,idẽ iudiciu est, quod supra esse diximus de corruptione,quæ accidit tã mixtis quã simplicibus:propterea quòd illiusmodi alteratio,est via certissima ad corruptionem:de altero autẽ genere alterationis,quã vocãt perfectiuã,magna dubitatio est inter Philosophos à quo aqua calefacta & ab igne remota,actiuè reducatur ad pristinã frigiditatem. Quidã enim aiũt aquã reduci ad frigiditatem à generate,quẽadmodum Arist.ait grauia & leuia moueri à generãte.Alij à qualitate quadã virtuali,quæ in aqua occultè id operetur: Alij à circũstãte,vt ab aëre vel ab alio corpore quod ambit aquã. Alij propter exhalationẽ vaporũ qui permixti cũ aqua reddebãt eã calidã, his autẽ ex aqua excedentib.redit aqua ad suã frigiditatem. Alij putãt in calefactione aquæ,frigus seipsum collegisse & abdidisse in partes interiores aquæ, exteriores autem partes occupatas esse à calore:cũ aũt aqua remouetur ab igne,frigus quod latebat in partibus interioribus,expellere calorem ab exterioribus partibus,& in his gignere frigus sibi simile,atque ita totam aquam frigidam euadere sicut ante erat.Si quis autem obiiciat,cum calor feruẽtis aquæ,iudicio sensus sit longe maior quàm frigus aquæ, fieri non posse vt calor ab hoc frigore vincatur & appellatur:Respondent,

Quomodo aquæ calefactæ & remotæ ab igne reddeant ad suã frigiditatẽ variæopiniones.

Semper in aqua dum est aqua, inesse plus frigoris quàm caloris, alioquin non posset conseruari forma substantialis aquæ; iudicari tamen in aqua feruenti esse plus caloris quàm frigoris, tum quia calor est qualitas magis actiua vehementius mouens & afficiens sensum quàm frigus, tum quia calor insidens in partibus exterioribus aquæ frigore introrsum compulso, magis occurrit sensui, quin etiam licet minus esset frigus in aqua feruenti quàm calor, tamen esset illo potentius, propterea quod frigus est natiuum aquæ, proprio & naturali subiecto inhærens, & cum forma substantiali aquæ coniunctum, cui est admodum affine: at calor est desertus à suo agente id est ab igne, nec hęret in suo naturali subiecto, & est simul cum forma substantiali aquæ, à qua suaptè natura plurimum dissidet. Tot igitur & tales sunt opiniones Philosophorum circa hanc opinionem, quas subtiliter discutere ac diiudicare & quid pro vero certóque habendum sit, constituere, non est huius loci: à nobis autem in libris de elementis, quos confecto & absoluto hoc opere edere (Deo iuuante) cogitamus, hæc quæstio diligentissime tractabitur atque profligabitur. fortasse autem ad eiusmodi effectum, hoc est vt aqua redeat ad priorem frigiditatem, vel omnes supradictæ causæ, vel complures, vel aliquando vna, aliquando aliæ concurrunt.

De Accretione autem quod sit principium actiuum eius, paucis explicari potest: nã cum ea, quæ propriè dicitur accretio, in solis viuentibus reperiatur, manifestum est principem eius causam efficiẽtem esse animam, calorem autem naturalem esse quasi administrum & instrumẽtum animę, sicut Aristoteles scribit 2. de Anima, à tex. 38. vsque ad 41. Diximus autem (propriè) quoniam est quædam accretio quæ fit per solam additionem & aggregationẽ vnius corporis ad aliud corpus, quæ reperitur etiam in rebus non viuentibus, cuius principium efficiens non est intra, sed extra.

An in Mixtis in animis sit alia ratio & (vt vocant) gradus naturæ quàm est in elementis.

Sed quia supra dictum est de corruptione & alteratione tã simplicium, quàm mixtorum corporum, meritò dubitari potest, an mixtum inanimatum habeat alium gradũ naturę quàm elementa, nam cum natura sit principium motus, videntur motus quibus mouetur mixtum inanimatum, effici ab elementis quæ in eo insunt, motus enim localis mixti vel sursum vel deorsum, fit ab elemento prædominante, vt dicitur primo de Cælo, text. 7. motus autem alterationis, efficitur à primis qualitatibus elementorum, ab his enim tantùm prouenit ea quę propriè est, & dicitur alteratio, quare non videtur esse alia ratio naturæ in mixto inanimato quàm in elementis. Verùm non ita res habet, nam cum mixtum habeat diuersam formam & naturam ab elementis, cum habeat facul-

Quæstio 7.

facultates quasdam & actiones præstantiores & admirabiliores quàm elementa, qualis est in Magnete, vis attrahẽdi ferrum, cum denique habeat in se principium efficiens suæ alterationis & interitus quemadmodum supra ostensum est, negari non potest, quin in mixto inanimato sit alia ratio & superior quidam gradus naturæ quàm in elementis. Ergo si amplè vtamur nomine & significatione naturæ, fatendum est in mixtis esse naturam quandam diuersam ab elementis: Sin autem nomen & vim naturæ presse sumamus, ea nimirum ratione, vt definitur esse causa cur naturaliter moueatur id in quo ipsa ineſt, probabilissimum est, in mixtis inanimis non esse aliam naturæ rationem vel gradum, quàm reperitur in Elementis. Restat vt dicamus de motu locali.

An natura in Elementis sit principium actiuum motus localis quo ipsa naturaliter mouentur.

CAP. XV.

Quæstio etiana an natura sit principiũ actiuum motus localis elemẽtorum.

DVplex est motus localis, vnus simplex per se primò cõueniens elemẽtis, eorúmq; causa, etiã mixtis, alter mixtus, qualis est animaliũ, primùm de simplici, tum de mixto dicamus. Magna quæstio est, nec satis adhuc explicata, quæ sit causa efficiẽs motus simplicis in elemẽtis, exempli causa, cum terra mouetur deorsum, quid sit quod eũ motum præcipuè efficiat? Quidã existimant motũ naturalẽ elementi efficiẽ à generante, ita vt generans sit princeps causa eius motus, forma autem substantialis & grauitas, sint tanquã eius instrumenta; nec referre, an generans adsit cum fit talis motus nec ne, sed satis esse vt vim mouendi à principio tribuerit, quemadmodum sagittæ motus causa efficiens est is qui iaculatus fuit, licèt postea recesserit vel interierit, & in generatione hominis, princeps causa generans est pater, vis autem seminis est quasi instrumentum illius. Hanc opinionem duo faciunt admodũ probabilẽ, vnum est, quod Arist. vbicunque loquitur de motu corporum simplicium, loquitur autem sæpissimè, vt in 8. Phy. tex. 17. 29. 32. & in 4. de Cęlo, 25. & 1. de Anima, 19. & 5. Phy. 18. & 2. de Cęlo, 9. & in lib. de motu animalium, cap. 3. semper non solùm innuit, sed etiam apertè docet & argumentatur eiusmodi corpora non moueri à se, sed à generante vel à remouente prohibens. Alterum est, quod cum in eo omni corpore quod mouetur à seipso, necesse sit inesse duas partes, vnã quæ sit tanquam mouens, altera quæ sit tanquam mota, quas in corpore simplici reperire non possumus, nã vt ipsa forma corporis simplicis dicatur esse mouens, quid erit in eo tanquã

Opinio Thomistarum.

mõtum?an eadem forma?at idẽ mouere & moueri reſpectu eiuſ dem motus,niſi per accidens,eſt impoſſibile?an materia? at quod mouetur debet eſſe ens in actu, & materia prima per ſe non habet maiorem propoſitionem & habilitatẽ ad motum qui ſit ſurſum,quam ad motum qui ſit deorſum,Cum igitur ita ſit,vtin corpore ſimplici non poſſit diſtingui mouens à moto,neceſſariò cõcluditur eiuſmodi corpus non poſſe moueri à ſeipſo.Vide D.Th. 1.par.q.18.art.1. in reſpon.ad 2. & in commentariis eius ſuper ea loca Ariſtotelis quæ proximè ſupra citauimus.

Opinio Auerroiſtarum & Scotiſtarũ quæ eſt probabilior.

E cõtrariò,alij opinantur corpus ſimplex non à generante,ſed à ſeipſo moueri, quod ſanè tam multis & firmis rationibus confirmant,vt id cuiuis facilè perſuadere poſſe videãtur.Etenim quę runt,quomodo motus lapidis deorſum,efficiatur à generante?tri pliciter enim poteſt generans ad eum concurrere,vel impellẽdo lapidem,aut eam occultam quandã vim,qua moueatur deorſum, impertiendo, ſed hoc non eſt veriſimile,tum quia ſæpe contingit,vt cum lapis mouetur,generans eius non adſit, quin etiã multò antè interierit,oportet autem cum ſit actu motus, adeſſe actu mouens & mobile,quia motus definitur ab Ariſt.3.Phy. tex.23.actus mouentis in mobili;tum etiam quia motus pulſionis quo vnum corpus mouetur ab alio,numeratur ab Ariſt. 7. Phy.tex.10. inter motus violentos.Illa verò occulta vis, quam generans imprimit lapidi,quænam aut qualis ſit,ne fingendo quidem dici poteſt,non enim eſt alia qualitas vel virtus quæ moueat deorſum, quàm grauitas,& quicquid aliud dicitur,quale quale fuerit id,perſpicuè cognoſcitur ſuperuacaneum, atq; fictitium eſſe.Vel dicẽt generans concurrere ad motum lapidis, quatenus lapis eam vim motiuam,quæ in eo inhęret,& propter quam fertur deorſum,accepit à generante,quam ob cauſſam talis motus meritò aſſignatur generanti.Verum hoc nihil eſt, nam ſic etiam dici poſſet calefactionẽ,qua ignis calefacit aquam,non effici ab igne,ſed ab eo quod generauit ignem,quandoquidẽ vim calefaciendi, ignis accepit à ſuo generãte,Præterea, ſi quia lapis vim motiuã deorſum habet à generante,ideo motus eius deorſum,actiuè fit à generante,ergo pari ratione, cum potentia paſſiua & habilitas quæ eſt in lapide,vt moueatur deorſum,ſit etiam lapidi tributa à generante ſiue ea ſit grauitas,ſiue aliud quiduis, nõ ſolùm lapis non dicetur moueri à ſe actiuè,ſed nec etiã paſſiuè, quod eſt cõtra Ariſt.in 8. Phy.32.& eſt cõtra rationẽ,quia ſi in lapide nec eſt principiũ actiuũ,nec paſſiuũ eius motus qui fit deorſum,non eſſet is motus naturalis lapidi.Vel deniq; poſſent dicere,propterea talẽ motũ lapidis effici à generante,quia generãs producẽs formã lapidis, ſimul etiam

etiam per modum (vt aiunt) ſequelæ producit eius motũ, ſecũdum illud quod dici ſoleti;dans formam dat omnia conſequentia formam:atqui hoc longè abeſt à vero,nam ea dicuntur à generãte produci per modum ſequelæ, quæ per eandem actionem qua res generatur producuntur ſicut homo & riſibile, nam quia eadem actione producitur homo per ſe primo, & eadem producitur riſibile ſed ſecundariò,ideo dicitur riſibilẽ generari per modum ſequelæ ab eodem generante a quo generatur homo.At generatio lapidis fit in inſtãti per primũ ſui eſſe, motus autem eius ſecundum locum incipit in tempore per vltimum ſui non eſſe; quare eo inſtanti quo fit generatio,non eſt motus,& cum fit motus,tunc non eſt generatio lapidis; quare non verè dicitur motus lapidis effici à generante;atque hoc quod nunc diximus,manifeſtius apparet cum lapis non ſtatim ac generatus eſt,mouetur,deorſum, nempe cum ob aliquod impedimentũ in loco ſuperiori retinetur;ſi enim poſtea ſublato impedimẽto, deorſum moueatur,quis dicet hunc motũ tunc fieri à generante?Perſpicuũ igitur eſt,nullum modum fingi poſſe ſecundum quem dicatur generãs concurrere ad motum lapidis.Præterea, ſi Deus creet lapidem,is proculdubio mouebitur deorſum, non aliter atq; quiuis alius lapis naturaliter productus;quærendum eſt à quo efficiatur motus illius lapidis;nam ſi non fit intrinſecè ab ipſomet lapide,cum nõ habuerit generans naturale,neceſſariò,ſecundum iſtos, dicendũ eſt eum motum fieri à Deo creante,quod qui non ducit abſurdũ, neſcio quid ei abſurdum videri poſſit. Cauſſa enim efficiens motum naturalem lapidis,certa,definita,& vnius modi eſt,ſiue lapis creetur ex nihilo,ſiue ab agente Phyſico generetur. Hanc ſententiam defendit Scotus 2.ſent.diſtinct.2.quæſt.10. ſed eam ſubobſcurè declarat,& leuiter confirmat

Secunda ſententia quod nimirum elementa moueantur à ſe, tanquàm probabilior confirmatur.

CAP. XVI.

QVod autẽ Ariſt. exiſtimauerit elementa moueri à ſeipſis,multis in locis perſpicuè declarat. Etenim 2.Phy. tex.84. ait naturalia eſſe quæcũq; ab aliquo in ſe ipſis principio cõtinuè mota perueniunt ad aliquẽ finem; in 4.Phy.tex.86.innuit graue,& leue eſſe factiua lationis:in 7.Ph. tex.10.inquit, omnia quæ mouentur extrinſecus ab alio,moueri violẽter;in 4.de Cęlo,tex.24 ponit hãc differentiã inter graue,& leue,& inter ſanabile,quod hoc extrinſecus mouetur ad ſanitatẽ, illa verò habẽt in ſe ipſis principiũ ſuorũ motuũ.Ad hæc, Eudemus & Alexãder perſpicuis verbis demonſtrãt (quæ verba refert

Ariſtoteles ſenſit elementa moueri à ſeipſis.

Simplicius in 2.Phys.(super text.1.) in elementis esse principium actiuum naturalium lationum quibus ad sua loca mouentur: nã aiunt in elementis nullius motus naturalis esse principium, nisi eius motus qui fit secundum lationem: loquũtur autem de principio actiuo, nam principium passiuum est in illis, non solùm respectu motus localis, sed etiam alterationis, generationis & corruptionis. Arist. autem his in locis, quibus ait corpora simplicia non moueri à se, sed à generante, nihil aliud significare voluit, quàm eiusmodi corpora non moueri à seipsis eo modo quo mouentur animalia; quæ vndecunque & quocunque, & quandocunque volunt, possunt seipsa mouere, ac simpliciter etiam quiescere; corpus autem simplex non potest moueri, nisi ex certo loco ad certum locum, id est ex non naturali ad naturalem; & cum cœpit moueri, non potest sistere motum suum & interquiescere, donec perueniat ad suum locum naturalem, vt non sine caussa Arist. in 5. Phy. 18. scriptum reliquerit, corpora simplicia non tam mouere se ipsa quàm ferri; quare corpus simplex comparatione animalium potest meritò dici non moueri à seipso. Præterea, sicut sentire dicitur esse quoddam pati, non quòd anima non efficiat actionem sentiendi, sed quia necesse est priùs quàm anima actionem sentiendi perficiat, eam pati aliquid extrinsecùs ab obiecto, accipiendo ab eo vel speciem sensibilem vel aliud quidpiam; quoniam igitur sensationem præcurrit passio quædã animæ, sentire dicitur esse quoddam pati. Sic etiam quamuis corpus simplex moueatur à seipso, tamen quia motũ eius necessariò præcedit aliquid immutans ipsum corpus simplex, siue fuerit generans, siue remouens prohibens, ideo tale corpus dicitur moueri à generante vel à remouente prohibens. Quamuis autem corpus simplex à se vt diximus moueatur, tamen non mouetur per se, sed ex accidẽti; nempe ratione medij; quemadmodũ enim remex mouendo triremem, seipsum mouet, sic etiam corpus simplex pellendo medium, perducit seipsum vsque ad locum suum naturalem. Atque hæc est opinio Auerrois, quam is in 3. li. de Cælo, com. 28. & in 4. de Cælo, com. 22. disertissimis verbis exposuit. Quam sententiam etiam Aristoteli placuisse, ipsemet Aristoteles ostendit 3. de Cælo, text. 28. scribens naturam ad efficiendum motum localem corporum simplicium siue naturalem siue violentum, vti medio aëre tanquam instrumẽto, atque eo sublato neutrum motum effici aut cõstare posse; & in 4. Phys. text. 72, affirmat sine medio, vel quod idem est, in vacuo, nullum motum corporum simplicium esse posse, totámque causslam successionis quæ est in eo motu, assignat medio. Quamobrẽ eorum ratio,

Cur elementa nequeat Aristoteles interdũ moueri à seipsis.

Elementa moueri à seipsis ratione medij, opinio Auerrois

ratio, qui putant corpus simplex non moueri à seipso propterea quòd in eo non sunt duæ partes, quarum vna sit mouens, altera mota, facilè diluitur. Id enim verè dicitur in eo, quod perfectè & per se mouetur à seipso, eiusmodi est animal, non autem in eo quod ex accidẽti & propter aliud mouetur à se, qualis est motus corporum simplicium, quoniam enim lapis trudit aërem, aërque trusus pulsúsque cedit lapidi, ideo lapis seipsum promouet deorsum. Quanquam si rẽ ipsam accuratiùs expendamus, non minus quàm nos, hæc ratio vrget ac premit eos qui censent corpus simplex moueri à generante; nam cum talis motus actu non efficiatur proximè à generãte, quippe cum plerumque ipsum non adsit, necesse est eum fieri ab aliquo principio, quod sit in corpore simplici; quare etiam ipsi cogũtur demonstrare in corpore simplici aliquid, quod sit proximè eliciens & efficiens illum motũ, & alterum, quod eum motum recipiat. Hæc de principio actiuo motus localis qui est in elementis, à Philosophis in vtranque partem disputantur. Ego licèt posteriorem sententiam probabiliorem esse iudicem, in eo tamen quod ait, medium esse necessariũ quasi instrumentum ad efficiendos motus naturales elementorum, multas, magnásque difficultates existere non ignoro, quas in libris de Elementis tractaturi sumus.

Motus autem localis animalium proculdubio actiuè fit ab ipsa anima, tanquam ab agente principali; intercedunt tamen multa instrumenta, vt nerui, musculi, spiritus, & pro varietate motuum, vel pedes vel brãchiæ vel alæ. Quadruplex enim cernitur huiusmodi motus in animalib., vnus ingrediẽdi vt in homine, alius repẽdi vel serpẽdi vt in vermibus & serpentibus, alius volãdi vt in auibus, alius natandi vt in piscibus. Potest autẽ horũ motuũ caussa dici etiam aliquid externum nempe ipsum obiectũ, cuius appetitione vel fuga, animal impellitur ad motũ, sed ea caussa non est efficiens sed potiùs tanquã finis, neque mouet motu Physico;

An Natura quæ hic definitur sit non solùm forma, sed etiam materia; & an vtrique nomen naturæ conueniat vniuocè.

CAP. XVII.

QVidam putant naturam, quę 2. lib. Phy. definitur, esse solã formã, propterea quòd cum dicitur natura esse principium motus, interpretãtur ipsi principiũ actiuũ, quale non potest esse nisi forma. Sed hi falluntur, quia Arist. in 2. Physi. tex. 4. diuidit naturã in eam, quæ est subiectum, & in eam quæ est in subiecto, hoc est in materiam & formam: text. 7. comparat

Quæstio vtrũ natura sit materia an forma.

materiam cum forma,concludens text.12.naturam,licet ea de vtraque dicatur,principaliùs tamen dici de forma;in tex.etiam 21. cũ duplex,inquit,ſit natura,vtriuſq; cõſideratio pertinet ad Phyſicum.Deinde,ſi materia non eſt natura,ergo nulla generatio eſt motus naturalis,vtpote cuius non eſt principium actiuum in eo quod generatur;alteratio item & corruptio elementorum non eſſent mutationes naturales, neque verò cælum eſſet corpus naturale,neque motus circularis eſſet ei naturalis ſi quidem intelligentia,quia eſt effectrix illius motus,non eſt propriè natura cęli. Quid?quòd potentiæ actiuæ reſpondet potentia paſſiua? quare ſi eſt aliqua potentia actiua quæ ſit natura,ſimiliter etiã erit aliqua alia potentia paſſiua quæ ſit natura, qualẽ conſtat eſſe materiam: & in 5.Metaphy.tex.5.Ariſt.exponens ſignificata naturæ tandem concludit naturã dici de materia & forma;eáque fuit ſententia omnium Græcorum interpretũ, quam Simplicius confirmat etiã teſtimonio Syriani.Sunt porrò nonnulli,qui in omni re naturali volunt formã eſſe principium actiuum cuiuſlibet motus quo ea res mouetur:& fingunt quaſdam inchoationes formarũ in materia,quas dicũt eſſe priuationem, quæ eſt tertium principiũ, propter quod generationes & corruptiones corporum ſimplicium ſunt naturales:quam opinionem egregiè confutat D.Thomas in 2.Phy.ſuper text.ſecundum: *cum enim* inquit, *principium agendi ſit actus, illa vero inchoatio formæ non ſit actus,ſed tantùm aptitudo quædam ad actum,nullo modo poteſt eſſe principium actiuum motus;& quãuis illa inchoatio eſſet forma completa non ageret tamen in ſubiectũ ſuum alterando ipſum:quia forma non agit ſed compoſitum, quod non poteſt ſeipſum alterare,niſi in eo ſint duæ partes quarum vna ſit alterans, & alia alterata. Materia igitur quatenus habet naturalem potentiam ad formã & ad motum eſt natura,& facit vt motus eius rei in qua eſt, ſit naturalis.* Hæc.D.Thomas.Verùm hanc quęſtionem ſatis copioſè & accuratè tractat Scotus 2.ſent.diſt.18.quæſt.vnica.

Præclara D. Thomæ ſentẽtia.

Quæſtio decima, an forma magis ſit natura quàm materia.

Deinceps videamus an nomen naturæ vniuocè ac æqualiter dicatur de materia & forma.Simplicius ſuper tex.3.2.Phy.negat definitionem naturæ eſſe vniuocam, idque cõfirmat teſtimonio Syriani:idẽ ſentit Auer.ſuper eundem tex.& AlbertusMagnus in 2.Phyſi.tract.1.cap.3.& ſanè meritò, nã nõ poteſt ea definitio eſſe vniuoca, cuius & definitum & partes definitionis dicũtur analogicè.id quod accidit huic definitioni:natura enim quæ definitur, dicitur analogicè de materia & forma,vt ait Auer.2. Phy.com.1. atque id confirmari poteſt teſtimonio Ariſtot.qui in 2.lib.Phyſi. tex.81.& 91.formam inquit,eſſe finem materiæ, & materiam eſſe propter formam,quod latius edocet 1.dePartibus animalium, cap.1.

ca.1.in lib.autem 5.Metaph.tex.5. ſcribit naturam primò & propriè dictam,eſſe formam,materiam verò dici naturam quatenus eſt ſuſceptiua formæ: generationem item,ſiue ipſum naſci, appellari etiam naturam propterea quòd eſt via ad formam. Præterea, natura dicitur analogicè in cælo & in rebus ſublunaribus ſicut ait Auer,in 2.Phy.com.1.& in 2.de Cælo,com.3.& in 2.Met. com.vlt.& in Diſputationibus contra Algazelem, diſputatione 14.cuius rei cauſſa,& ratio in promptu eſt, non enim poſſunt res corruptibiles & incorruptibiles vno genere Phyſico comprehẽdi,neque principia rerum immortaliu atq; mortaliũ vnius rationis eſſe poſſunt:Vide Ariſt.in lib.10.Metaph.tex.vlt. & Auer. in lib.de Subſtantia orbis cap.1.Deinde nomen principij dicitur analogicè de actiuo & paſſiuo,de illo quidem principaliter, de hoc autẽ minus principaliter, quemadmodũ Auer.innuit Cõ.1. 2.Phyſ.Poſteà, nomen motus non dicitur pari ratione de omnibus motuum generibus,ſed præcipuè de motu locali,quod Ariſt. lucuienter oſtendit lib.8.Phy.à tex.55.ad 61.Nomen deniq; ipſius quietis,ſi expoſitionem Græcorũ ſequeremur qui cenſent etiam ipſum cælum quodammodo quieſcere, propriè dicitur in rebus corruptibilibus,in cælo autem non niſi metaphoricè.

An in compoſito naturali præter materiam & formam ſit quædam alia tertia natura re diuerſa à partibus.

CAP. XVIII.

Quæſtio vndecima an totum eſſentiale re diſtinguatur ab omnibus ſuis partibus.

VLtimo loco tractanda eſt illa quæſtio,an totum re diſtinguatur ob omnibus ſuis partibus ſimul ſumptis; totũ,inquã non vniuerſale,non quantitatiuũ vel integrale,non mixtum,ſed totum eſſentiale, quale eſt animal reſpectu corpòris & animæ,& ignis reſpectu materię,& formæ ex quibus conſtat.Neque verò quiſquã putet huius quæſtionis tractationem alienã eſſe huic loco;hinc enim cognoſci & iudicari debet,an ſit tantùm duplex natura,materia nimirũ & forma, an verò præter illas ſit tertia longè potior,atque præſtantior quæ eſt ſubſtantia ipſius compoſiti naturalis. Quam ſit autẽ difficilis hæc quæſtio,vel ex eo animaduerti poteſt, quòd hac de re non ſatis conſtãter loqui videntur Peripatetici, Etenim Ariſt.in 7.Metaphy.text.vltimo,ſatis apertè ſignificat totũ re diſtingui à ſuis partibus,ſcribens ipſum BA,eſſe aliud quidpiã, quã b,& a,ſicut caro eſt alia res quàm ignis & aqua; idémque inſinuat faciens multis in locis tres ſubſtantias,nẽpe materiã, formã, & compoſitum.At in 1.Phyſ.tex.17.& in 2.de Anima, tex.10,videtur contra ſentire.Deinde Auerroes in 1.Phy.Comm.17. ait totum nihil

aliud esse quàm suas partes:idémque confirmat in 7. Metaphys. com.20.& 44.At contrarium docet in 7.Metaph.com.vlt.in 3.de Anima.Com.5.in 5.Metaph.Com.6.in 7.Metap.com.27.Quamobrem Auerroistæ distracti sunt in contrarias opiniones: Aliis aientibus,aliis autem negantibus totum re distingui à suis partibus.Similiter etiam Thomistarum non est concors sententia, quidam enim distinctionem realé totius à suis partibus probãt: Alij verò reprobant,propterea quòd D.Thomas in 4.cõtra gentes,cap.81.videtur eiusmodi distinctionẽ refellere,in 3. autẽ Senten. dist.2 q.1.ar.3.q.3.& in 3.parte q.6.ar.5.videtur eã approbare. Nos igitur primùm ostẽdamus quid alij senserint, tũ doceamus, quid doctrinæ Ari.congruentius,ac probabilius esse videatur.

Prima opinio eiusque refutatio.

Quidam existimarunt vt refert Heruæus.Quodlibeto 2.quæst. 14.totum re distingui à suis partibus; quam opinionem probant declarando tria:vnum est,totum distingui à partibus per modos quosdam intrinsecos quos superaddit partibus & in se simul cõplectitur qui modi duo sunt esse in alio qui est formæ, & esse id in quo est aliud,qui est materiæ:Alterum eorum dictum est, huiusmodi modos re distingui à partibus, nẽpè ipsum esse in alio, re distingui à forma,&esse id in quo est aliud,à materia.Tertium est,non facere compositionẽ cum ipsis partibus, id est cum materia & forma.Hæc sententia falsa est, quam Heruæus quantum ad tria quæ continet,bene confutat.Primùm enim isti modi per quos differt totum à suis partibus,vel sunt partes totius,& sic totum differret ab omnibus partibus per aliquas partes, quod est impossibile: vel sunt passiones totius,sed cum passio sit posterior subiecto nec essentiam eius attingat,nõ poterit totum per se primò ac essentialiter distingui à partibus per illos modos: Vel isti modi sunt ipsum totũ:at id esse nequit, namtotum est vnum, illi modi sunt duo inter se distincti & oppositi;totũ,quale est homo & equus,est ens absolutũ & ponitur in categoriis; illi modi sunt respectus quidã nec per se,vt fatentur assertores istius opinionis, vllũ in categoriis locũ habẽt.Deinde qui fieri potest vt isti modi re distinguatur ab ipsis partibus?hinc enim efficietur vt isti modi habeãt alios modos,& ita res eat in infinitũ?nam vel sunt accidẽs vel substãtia,si accidens,ergo habent esse in alio:si substantia vel materia,vel forma,quare vel habebunt esse in alio vel erunt id in quo aliud habet esse.Postremò,istos modos,cum re distinguãtur à partibus,non facere cum eis vllam compositionem, quis sanæ mentis possit credere?Nam esse duo quæ re differant & vnum sit in alio ei coniunctum citra vllam compositionem, nõ solùm est incredibile,sed neque est intelligibile.

Exponitur

Exponitur secunda opinio ponentium distinctionem realem inter totum & partes.

CAP. XIX.

ALtera opinio est eorũ qui arbitrãtur totũ re distingui à suis partibus,non per aliquos modos,verùm seipso quatenus ex vnione formæ cũ materia, resultat tertia quædã entitas quæ est substantia & quiditas ipsius cõpositi,& propter quã ipsum totũ formaliter & cõpletè habet vt sit totum.Hanc opinionem tuentur magni tum Theologi,tum Philosophi:Scotus 3.Sentent dist.2.quæst.2.Heruæus Quodlibeto 2.quæst.14.& principes Thomistarum Capreolus,Caietanus, Ferrariensis & item Auerroistarum,Burlæus,Iandunus. Rationes quibus hæc probatur opinio ex Scoto & Scotistis magna ex parte sumptæ,sunt hæ.Prima Ratio.Totum est vnum ens per se,sed omnes partes simul sumptæ non sunt vnum ens, sed multa entia, ergo totum distinguitur re à suis partibus:alioquin nihil interesset inter totum quod est vnum ens per se,& inter totũ quod est vnum per aggregationem, vel per accidens, hæc enim tota non sunt aliud,quàm suæ partes simul sumptæ velut domus aceruus lapidum,exercitus,&c.Secunda.Generatio, tum quia est vna mutatio numero, tum quia est substantialis, debet habere pro primo &.proprio termino ad quem,aliquid quod sit verè vnum & substantia,sed hoc non est materia neque forma, quia secundum Arist.nec materia nec forma per se generantur; neq; est materia & forma simul sumptæ,quia ipsæ non sunt verè vnum ens: sed duo entia,cum igitur cõpositum sit id quod generetur, erit ipsum re diuersum à suis partibus. Nec valet quod respondent quidam, materiam & formam, vt sunt simul & inuicem vnitæ, esse ipsum totum,& id quod per se generatur: hoc inquam non valet,nam ista simultas seu vnio,est relatio, quare non potest esse terminus generationis,tum quia secundum Aristot.in 5.Phys. nõ fit per se motus ad relationem,tum etiam quia terminus generationis debet esse substantia.Tertia,Sequeretur id quod corruptum est etiam post corruptionem suam remanere integrum atque completum secundum essentiam suã sicut erat antea;etenim corrupto homine remanet materia & anima rationalis,sed homo nihil aliud est secundum eos qui nolunt totum re distingui à suis partibus,quàm materia & forma,ergo post corruptionem hominis,remanet integer homo secundum essentiam:nam vnio corporis & animę quæ ante corruptionem erat in homino, post corruptionem autem nõ supereſt,cum sit relatio quædam, nihil, planè attingit essentiã hominis,Quarta.Ea de quibus simul

Secunda opinio satu probabilis.

verè dicuntur contradictoria, non possunt esse idem secundum rem, sed de toto & partibus enuntiantur cõtradictoria: siquidem de toto dicitur quod est vnum de partibus quòd sunt multæ: de toto quòd caussatur & componitur ex partibus, de partibus quòd caussant & componunt totum: ergo totum & partes non sunt idem secundum rem. Quinta. Nihil caussat seipsum, & caussa realis semper caussat aliquid à se diuersum realiter, sed materia & forma sunt caussæ reales, & simul iunctæ caussant ipsum totum compositum, ergo hoc re distinguitur ab illis. Sexta. Vnius passionis vnum est subiectum, cum ergo multæ sint propriæ passiones ipsius compositi vel totius, partes autem eius simul sumptæ non sint verè vnum aliquid, relinquitur ipsum totum re diuersum esse à suis partibus. Septima, Si in homine præter materiam & formam non est tertia quædam res quæ sit substantia totius necessariò sequitur animam rationalem esse quantam & diuisibilem: probatur consequentia, nam subiectum quantitatis præsertim terminatæ est totum compositum: quare si homo non est aliud secũdum rem quàm materia & anima rationalis, necesse est quãtitatem hominis subiectiuè inhærere in materia & in anima rationali: ex quo necessariò efficitur, animam rationalem necessariò esse quantam, non enim fieri potest vt quantitas subiectiuè insit in aliquo, & non continuò reddat ipsum quantum. Octaua. Si homo non est res quædam diuersa à materia sua & forma, ergo homo generando hominem nihil producit, quare falsò dicitur generare: quid enim producit? an materiam? sed ea est ingenerabilis & incorruptibilis: an formam? sed anima rationalis, quę est forma hominis non producitur ab homine sed ex nihilo creatur à Deo: an vnionem animæ, cum corpore? verùm ea cum sit respectus quidam, non potest per se produci. præsertim cum terminus generationis sit substantia. Nona, Aristoteles in 2. de Anima tex. 2. & in 7. Metaphy. tex. 7. & in 12. Metaphys. text. 14. diuidit substãtiam tripliciter in materiam, formam & compositum, & ait esse tres substantias: cum igitur membra diuidentia debeãt esse inter se diuisa, erit substantia compositi re diuersa à materia & forma: alioquin si compositum est idem quod materia & forma, non erunt tres, sed dũæ tantùm substantiæ, nisi fortè illam simultatem & vnionem materię & formę, libeat appellare substãtiam, quod quantum à vero abstit, nemo est qui non videat. His igitur rationibus hęc secunda opinio comprobatur. Veniamus ad tertiam opinionem quæ cæteris est probabilior.

Tertia

Tertia opinio eorum qui negant totum re distingui à suis partibus.

CAP XX.

DVrandus lib. 3. Sent. dist. 2. quæst. 2. & Gregorius Arimi nẽsis 1. Sen. dist. 24. quæst. 1. ar. 1. & alij graues viri opinãtur totũ nõ re, sed ratione distingui ab omnibus partibus suis simul sumptis: quã opinionẽ his rationibus conãtur persuadere. Prima. Secundum Scotum, omne ens absolutũ & realiter distinctum ab alio, potest saltem per diuinam potentiam, separari ab illo, cum igitur totum sit ens absolutum, & secundum Scotum, re distinctum à partibus, posset ab omnibus suis partibus separatum existere: quod tamen implicat contradictionem, quia de ratione totius est, habere in se partes. Secunda. Vel totum distinguitur à partibus secundum aliquid sui, si secundum se totum, ergo secundum omnes partes suas quare secundum omnes partes suas differt ab omnibus part busiſ secundum aliquid sui, cum id non possit esse passio totius quippe quæ sit eo posterior, erit pars totius, quare secundum aliquam partem differret ab omnibus partibus; vtrumuis eorum dicatur, implicat contradictionem, ergo, &c. Tertia. Quidquid aduenit enti in actu est accidẽs, sed ista entitas totius aduenit formæ vnitæ cum materia quæ forma est actus, ergo illa entitas totius est accidens. atque hæc ratio est D. Thomæ in 4. contra Gẽtes, cap. 81. Quarta. Ternarius esset quaternarius, nam præter tres vnitates partiales, esset quarta vnitas, nimirũ entitas totius ternarij, & sic nõ posset dari binarius. 5. Tota aliqua quãtitas, esset maior quàm omnes suæ partes simul sumptæ, nã tota quãtitas habet omnes quãtitates omniũ suarũ partiũ, & præterea habet entitatẽ totius quæ nõ potest esse aliud quàm quantitas, ergo habet plures quantitates, quare est maior. Sexta. Essent cuiuslibet generationis duo termini, vnus forma, alter entitas totius, at vnius motus numero, vnus tantúm terminus esse potest. Septima. Videtur secunda opinio esse contra Auerroem, & contra Aristotelem, ac veteres Peripateticos. Nam secundum eos tota quidditas compositi naturalis est forma, vt supra ostensum fuit, at si præter materiam & formam est illa tertia entitas totius, necesse est ipsam esse quiditatem rei, non autem formam. Octaua. Ista entitas totius si est à partibus suis distincta, ergo ex tali entitate & partibus fit vnum ens per se, & fit aliud quoddã compositum & aliud totum, quare erit duplex vnum ens per se, duplex compositum, & duplex totum; quæ omnia non modo sunt manifestè falsa, sed etiam inuoluunt contradictionem. Nona. separetur cogitationè ista

entitas totius ab entitatibus omnium partium, & quæratur an in illa entitate totius separatim à partibus considerata, includãtur partes nec ne? non includi eas, est contra rationem totius, includi autem, est contra suppositionem, neque dicat quisquã non posse cogitatione separari entitatem totius ab entitatibus partiũ: etenim cùm entitas totius sit absoluta, & diuersa à partib. nulla causa est, nec verò fingi potest, cur nequeat animo secerni & seorsim considerari. Decima. Damascenus ait, & id videtur probatum, & receptum ab omnib, Theologis, Verbum Diuinum in Christi incarnatione nihil assumpsisse, quod postea dimiserit, at si præter animã & corpus, est tertia quædã entitas hominis, eã Verbum Diuinum assumpsit, quã tamẽ postea in morte Christus dimiserit, non enim sicut post mortem Christi remãsit materia & anima quibus cum semper vnita fuit Diuinitas, sic etiã dicere possumus remãsisse humanitatem, quippe cum eã per disiunctionem, atque separationem animi à corpore necesse sit desinere. Vndecima. Si in composito naturali præter materia & formã est ista entitas totius, ipsa erit natura, omnis enim substãtia Physic. est natura, quare nõ tãtùm duplex erit natura nimirum materia & forma, vt vult Aristoteles in secunda Physica, sed erit triplex, at cuius motus ista natura principium erit? aut qua ratione definitio naturæ ei poterit accommodari? aut quale principium erit, actiuum ne an passiuum? aut quo pacto erit causa, vt moueatur id in quo est? Duodecima. Aristot. in septimo Metaph. tex. vlt. quo in loco qui secundã opinionem sequuntur existimãt eum ipsis suffragari, satis aperte declarat, quemadmodum velit totum distingui à partibus, cum enim scribat aliud esse, b a, & aliud, b, &, a, quis non intelligit eum non ponere distinctionem realem inter totum & partes, sed tãtùm discrimen rationis? non enim, b a, est alia entitas, quàm, b, &, a simul, sed tãtùm ab illis differt in sono pronuntiationis sicut dictiones differũt à syllabis & literis, tum sono, tum significatione. Præterea, nonne Aristoteles alibi sicut in principio huius quæstionis indicauimus, apertissimis verbis docet totum non esse aliud quã omnes partes simul sumptas? His rationibus confirmatur tertia hæc opinio & secũda quę ei contraria est, refellitur. Nos autem, quia putamus vtrãque opinionem probabilem esse, & neutrius rationes vel necessarias vel etiã admodum firmas esse, ideo quæ pro vtriusque sententiæ confirmatione posita sunt argumenta, breuiter dissoluemus.

Solum-

Soluuntur rationes secundæ opinionis,

CAP. XXI.

NE Lõgiores simus singulas rationes cuiusq; opinionis subeuntes & explicatè soluẽdo, idcirco breuem tãtummodo cuiusq; rationis solutionem attingemus. Ad rationes igitur secundę opinionis, hoc modo respõderi. posset. Ad primã. Sicut ternarius dicitur vna species numeri, non propter vnã aliquã entitatẽ re distinctã à trib. vnitatibus, quomodo enim vna res numero in trib. alijs rebus distinctis & discretis esse queat? sed quia est vna quædã certa ac determinata collectio vnitatũ; sicut etiã domus dicitur vna propter vnã compositionẽ & figurã partium, sic etiã cõpositum naturale est vnum propter naturalẽ vnionẽ, & coniunctionẽ formę cum materia: neq; enim vel propriæ affectiones rei naturalis existere, neq; motus naturales effici possent, nisi forma esset vnita & coniuncta materiæ. Interest autem multùm inter vnũ per se, quale est cõpositum naturale, & vnũ per accidẽs: quia in illo partes habent inuicem essentialiter ordinẽ atq; dependentiã, adeo vt vna pars non possit obtinere perfectionẽ suã sine altera, in hoc autem non sic est. Ad secundã. Generatio terminatur ad formã substantialẽ, nõ quidẽ separatã à materia, sed ei inhærentem intimèq; coniunctã: quamobrem dicitur generari cõpositum, quia nihil est aliud cõpositũ, quã forma coniuncta cum materia, vnde Aris. in 7. Metap. tex. 27. *Non*, inquit, *generatur hoc vel hoc, sed hoc in hoc.* Hoc est nõ generatur materia, aut forma separatim, sed forma in materia: & paulo infra sic ait, *nõ fit forma sed copulatio formæ cũ materia.* Ad tertiã. Essentia hominis integra, nõ est sola forma separata, sed est forma vnita cũ materia; & quia post mortem hominis anima non habet esse in materia, nec in ea operatur, idcirco tunc nõ est integra essentia hominis. Ad quartã. Hæc ratio non concludit, ea de quibus simul verè enuntiantur contradictoria, re distingui inter se, sed tantùm probat ea distincta esse debere saltem ratione, alioquin necessarium esset re distingui, vniuersale à singularibus, priuationem à materia, totum quantitatiuum à suis partibus, relationem à fundamento, figuram à quãtitate, actionem à passione: de quibus tamen propositiones inuicem contradicentes verè confici & pronũciari possunt. Ad quintã. Hæc ratio vim habet in eo, quod causat effectiuè, non autem in eo quod causat intrinsecè, vel essentialiter, vt sunt materia, & forma: nec valet in eo quod causat quantitatiuè, alioquin eadem ratione concludi posset totum

quantitatiuũ re distingui à suis partibus. Nam sicut partes essentiales causant totum essentiale, sic quantitatiuæ totum quantitatiuũ efficiunt. Dicuntur autem materia, & forma causare ipsũ cõpositũ, propterea quòd sunt sibi inuicẽ causæ, nam materia est causa formæ quatenus forma educitur ex potentia materiæ & in ea recipitur, forma verò vicissim est causa materiæ, quatenus eam actuat, determinat, & perficit, ex hac autem mutua earum causalitate efficitur naturalis earum vnio, & coniunctio, propter quam est & nominatur compositũ naturale. Ob hãc igitur causam materia & forma compositũ causare dicuntur. Ad sextã. Propriè passiones dicuntur esse ipsius compositi, quia non oriuntur ex materia, nisi prout est actuata & determinata à forma, nec oriuntur à forma, nisi ea ratione, vt est vnita materiæ. Ad septimã. Permultis viris doctis non probatur quantitatem subiectiuè esse in toto cõposito, sed putant eam immediate inhærere in materia prima, accipere verò hos vel illos terminos ab agẽte, secundũ varietatẽ formarum, quas inducit in materiã, quoeerca anima rationalis, licèt sit actus materiæ quantæ, tamen quia ab ea non pendet, sicut in se non recipit ipsius materiæ, vt ita dicam, materialitatem, ita nec ipsius quantitatis in se recipit extensionẽ ac diuisionem. Ad octauam. Non possumus inficiari multis in rebus longè diuersã esse rationẽ generationis hominis, quàm cæterarum rerum naturalium, verumtamen dicitur homo generare hominem, tum quia efficit ipsum corpus humanũ, tũ etiam, quia largitur dispositiones propter quas materia sit capax animæ rationalis, & præbet ea quæ necessaria sunt ad efficiendam vnionem animæ cum corpore, qua vnione posita, existit homo, eáque sublata corrumpitur & interit. Ad nonam. Propterea vocat Aristoteles compositum, tertiam quandam substantiam, quia forma coniuncta materiæ habet substantialem quendam modum essendi, qui modus consistit in naturali partium vnione, qui modus, est diuersus à modo proprio materiæ, & à modo proprio formæ ea ratione vt per se considerãtur disiunctæ inuicem arq; dissociatæ.

Soluuntur rationes tertiæ opinionis.

CAP. XXII.

QVoniã autem breuiter docuimus, quemadmodum rationes secundæ opinionis solui possent, consequens est, vt ad rationes tertiæ opinionis simili breuitate respondeamus. Ad primã. Respondet Antonius Andreas primæ classis Scotista, in 7. Metap. q. vlt. maiorem propositionem illius

illius argumentationis esse veram, si illud absolutum est prius, & non dependens essentialiter ab alio: at compositum est posterius, & essentialiter dependens à partibus; si quis autem instet, quod facit Deus accidens sine subiecto, cum tamen accidens sit posterius, & dependens essentialiter à subiecto: respondet non esse simile, quia accidens non habet subiectum pro causa intrinseca, sicut compositum habet materiam & formam, nullus autem effectus simpliciter, & omnino dependet à causa extrinseca præterquam à prima, quia Deus omnem causalitatem extrinsecam potest supplere sine causa secunda, non sic de causis intrinsecis, quippe quæ includunt imperfectionem, nimirum esse partem causati. id quod in Deum cadere nullo modo potest. Hæc ille. Ad secundum. Entitas totius, dupliciter considerari potest; vel in se formaliter, & præcisè, vt est quædam res distincta à suis partibus, & sic se tota differt ab omnibus suis partibus, vel constituiuè, & integratiuè, vt dicit relationem ad partes ex quibus componitur, & sic non differt aut se tota aut secundum aliquid sui à suis partibus. Ad tertiam. Ista ratio D. Thomæ supponit non posse esse in vno composito naturali multos actus substãtiales, quod non probatur multis, qui putant in aliquibus compositis esse multas formas substantiales. Nam quod aduenit enti in actu completo, nec habenti vlterius potentiã essentialem ad alium actum perfectiorem, id est, accidentarium, at quod aduenit enti in actu apto perfici & determinari per alium actum perfectiorem, id est, substantiale. Ad quartam, & quintam. Alia est ratio totius essentialis, & alia totius quantitatiui: illud diceret aliqui re distingui à suis partibus, hoc autem minimè. Præterea, vnitas illa totalis ternarij non est numeralis, sed entitatiua, & transcendentalis, quare cum alijs tribus vnitatibus non facit numerum quaternarium. Similiter etiam entitas totius magnitudinis, est entitas formalis & transcendentalis, non habens in se extensionem, quare simul cum suis partibus, non facit quid maius secundum molem, quàm omnes eius partes simul sumptæ. Ad sextam. Nihil prohibet esse duos terminos generationis diuersa ratione, vnum vt quo, qui est forma, alterum vt quod qui est substantia composita. Ad septimam. Quia proprium quiditatis est determinare, distinguere, &c. Hæc autem magis conueniunt formæ, quàm entitati totius, idcirco forma potius appellatur quiditas, quàm illa entitas totius. Ad decimam. Hæc ratio Theologica, est, quare eius solutio non est hoc loco à nobis qui Philosophiam tractamus, requirenda. Eam verò infirmam esse & multis modis solui posse, ostendit Capreolus in 3. Sen. distinct. 2. quæstio. vnica

articulo 3. in responsione ad argumenta contra secundam conclusionem. Satis erit in præsentia lectorem monere, illam Damasceni sententiam, Verbum, quod semel assumpsit nunquam dimisit, intelligendam esse de partibus essentialibus humanæ naturæ, corpore nimirum & anima rationali, à quibus nunquam Verbum diuinum separatum est, ne illo quidem triduo, quod inter mortem & resurrectionem Christi, interiectum est. Atque hanc esse veram propriámq; verborum Damasceni sententiam liquidò cognoscet quicunque locum illum & verba Damasceni tantùm non oscitanter legerit. Porrò cæteræ rationes, quas hic insolutas relinquimus, videtur nobis admodum probabiles, quare tum propter eas, tum etiam quia non sunt multiplicanda entia sine caussa & necessitate, tertiam opinionem, probabiliorem esse iudicamus. Atque his expositis, finem habet liber septimus.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

DE CAVSSIS

LIBER OCTAVS.

POST explicationem materiæ, formę, ac naturæ, proximè disserendum est de causis; tum quia illarum commune est, esse causas, tum quia causarum mentio persæpe fit in Phisiologia, & omnis quę ratione cõficitur doctrina, ex causis proficiscitur & omnino pendet. De causis autẽ, etsi agit Logicus atq; Metaph. multò aliter tamen quàm Phy. etenim Logicus agit de causis ea ratione, vt sunt principia cognoscendi & sciendi res; scire enim, est rem per causam cognoscere, & tam demonstratio quàm definitio, quæ sunt duo instrumenta Logica sciendi, ex causis procedunt: Metaph. autem agit de causis quatenus causa, & causatum diuidunt ens quod est subiectũ Metaph. siquidẽ omne ens est aut causa aut causatũ, & quia ratio causę pertinet ad omnes res tã materiales quàm immateriales. suas nãque Intelligentiæ etiã causas habẽt. At Physicus eo modo sermone habet de causis, vt eas consideret in ordine ad motum, namq; corpora Physic. præsertim sublunaria, omnia quatuor causarum genera complectuntur. Neque verò nobis animus est minutissima quęque ac leuissima quę de causis dici possent consectari, sed eas tantùm res quæ abditiores sunt, & à vulgari notitia remotiores, grauiores etiam & obscuriores quæstiones enodare.

De numero Caussarum.

CAP. I.

ARist. vbi agit de causis, nusquam tradidit generalem definitionem causæ: fortasse quia cum causa non dicatur vniuocè, difficile fuit eiusmodi definitionẽ confícere. quę in quodlibet genus causę cõueniret. Quidã ita definiũt causam, *quæ dat esse rei*, sed nõ bene, nam nec materia, nec finis dãt esse rei, sed id est intrinsecè quidẽ formæ, extrinsecè

Definitio causæ.

autē efficiētis. Fortasse hoc modo definiri: *Causa est quæ in suo genere per se & principaliter concurrit ad constituendū effectū*, Dicitur illud *in suo genere* quia licèt materia sit infima causlarum, ea tamen in genere causlæ materialis principaliter ac per se concurrit ad effectum, nec suam causalitatem accipit ab alijs causlis. Dicitur *per se & principaliter* vt excludantur causlæ per accidens, & quæ principibus causlis tanquam administræ inseruiunt. Quatuor autē esse causlārū genera nusquā etiam Aristo. demōstrauit, sed id tanquā per se clarū sine probatione assumpsit. Posset autē ad id ostendendū adhiberi ea ratio quā affert Simplicius 2. Phys. super tex. 68. Quod efficitur inquit, tantùm potest habere duas causlas internas, materiā ex qua fit, & formā per quā fit hoc aliquid, neq; plures causlæ fingi possunt quæ sint intra effectum: extrinsecus autē effectus indiget efficiente, nihil enim fit à seipso, sed quicquid fit, ab alio fit: Efficiens autem naturale non agit temerè & inordinatè sed determinatè ob certū aliquem finē, aliquin non constanter, non ordinatè, non eodem modo plerunque ageret: quare in effectione rerum naturalium omnes supradictæ quatuor causlæ cernuntur, nec opus est pluribus.

Breuis demōstratio. quòd sint quatuor genera causlarum.

Ideam esse quintum genus causæ diuersum ab aliis quatuor secundum Platonicos probatur quatuor rationibus.

Verùm Platonici adiungunt quintam causlam, quam ipsi vocant Ideam & exemplar. Namque Deus molitor effectórque omnium rerum, cum nihil agat nisi sapienter, id est perfectè intelligendo quid, & quorsum agat, habere debet ipse Ideas, id est, notiones & formas intelligibiles earum rerum quas agit, nihil enim fit in rebus quod non ante imò quod non ex omni æternitate fuerit in Intelligātia & scientia Diuina. ac velut artifex animo conceptam habet Ideam & formam operis quod efficit, ita Deus omnium suorum operū ideas & rationes habet. Quæ Platonis sententia confirmari potest his argumentis. Primò, quot modis fieri potest de rebus quæstio propter quid, totidem causlas esse necesse est, nam quæstio propter quid petit causlam, sed potest fieri quæstio propter quid de re aliqua, cui non possit benè responderi & satisfieri per quatuor supradictas causlas ab Aristotele traditas, sed tantùm per causlam exemplarem, ergo poni debet causla exēplaris. Maior per se nota est. Minor autem hoc modo probatur: Si de imagine Socratis quę est sima quęratur propter quid sit illa imago sima, ad id responderi nequit vel propter materiā imaginis, vel propter formā seu figurā, vel propter artificē, aut finē id accidisse, sed tātùm propter exēplar quod sibi artifex imitandū proposuit. Idcirco enim imago Socratis est sima, quia Idea & exēplar Socratis, quod voluit pictor in illa imagine exprimere, habebat simitatē; erat enim Socrates simus. Deinde, hoc

hoc idem Simplicius sic argumētatur, res naturales sunt id quod sunt, quia participāt forma quæ est in materia; in omni autē participatione, tria reperiri debent, id quod participat, & quod participatur, & à quo siue ad cuius similitudinē fit participatio: materia est quę participat; forma naturalis quę participatur, ergo debet esse quiddā tertium à quo manet participatio, & cuius participeps efficiatur forma quæ inducitur in materiā; hoc autē nihil aliud est quā Idea & exemplar. Pręterea, nisi essent Ideæ non posset reddi vlla causa, cur in effectione mundi tā multę ac varię species rerum fuerint conditę: Nam ipsum nihilum ex quo mundus creatus fuit, ex se indifferens & indeterminatū est; potentia item Dei est infinita & indifferens ad omnes effectus, nisi ergo Deus haberet in se varias rerū Ideas ad quarū similitudinē effingeret quęcunque molitur, nō posset reddi causa cur hominē potius creet quā equum aut leonem aut aliud quidpiam. Posteà, si tollas Ideas & rationem exemplarē, quam afferes causam ei qui petet, cur homo vel alia quęuis species sit ita definita & determinata, vt semper eādem perfectionem essentialē immutabiliter obtineat? vel cur homo sit animal rationale & non potius equus vel lapis? cur etiam natura semper eodem modo producat hominem? Qui autem amplectuntur causam exemplarem, facilè has & alias similes quæstiones explicare & expedire possunt. Modus. n. numerus & mensura omniū rerum naturalium prescriptus & definitus est à Deo secundum vniuscuiusque speciei Ideam & exemplar, quod ipse mente sua continet. Hæc Platonici pro causa exemplari.

Aristot. causam exemplarè refert ad causā quæ est vt forma vel efficiens.

Verùm Aristot. huiusmodi causam exemplarem aut nullam esse putat, aut non separat à supradictis aliis quatuor causis, siquidem eam refert ad causam efficientem: nam cum duplex sit efficiens, vnum quod agit sine cognitione, quod vocatur agens naturale: alterum quod agit cognoscendo & intelligendo vt homo: sicut agens naturale habet in se formā naturalem per quam producit effectum, & cuius similem eum facit: sic etiam agens per intellectum habet in se formā intelligibilem eius rei quam effecturus est, & contendit, quoad eius fieri possit, facere opus suū simile eius formæ siue Ideæ quam animo comprehensam tenet. Atq; hoc spectans Arist. ait in 7. lib. Metaph. domum materialem effici à domo quæ est in mente artificis, & sanitatem quæ fit in corpore, proficisci à sanitate id est, à sanitatis Idea, & forma, intelligibili quæ est in mente Medici. Itaq; sicut forma quæ est in agente naturali pertinet ad causalitatem efficientis, nec facit diuersum genus causæ, sic Idea quæ est in agente per Intellectum non facit quintum quoddam genus causæ separatum ab illis qua-

tuor,sed pertinet ad completam rationem causalitatis effectiuę quæ est in agente per Intellectum:sicut igitur calor ignis,est efficiens caloris in aqua ,& licèt calor respectu ignis sit forma, tamen respectu caloris aquę,est efficiens; sic etiam domus intelligibilis quæ est in mente architecti, & nihil aliud est quàm Idea domus,efficit domum in materia sensibili , & illa Idea est forma architecti vt est artifex , sed est efficiens ipsius domus sensibilis, atq; hanc ob causam Arist.2.Phy.tex.28.definiens causam formalem ipsam appellat rationem & exemplar. Atq; ex his quæ diximus, facilè erit cuiuis soluere rationes quæ pro causa exemplari sunt allatę.Hęc autem de causa exemplari dicta sint, ne,quod ad numerum causarum pertinebat,id omninò prętermissum esse videretur.Causę autem instrumentarię, reducuntur ad genus causæ cuius sunt instrumẽta;vt si fuerint instrumenta efficiendi,reduguntur ad causam efficiẽtem;si instrumẽta & prępara tiones materię ad accipiẽdam formam,reuocãtur ad causam materialem.

Explicantur definitiones & causalitates singularum causarum.

CAP. II.

NVnc singularum causarum vim,rationem atq; causalitatem expendamus.Materia in 2.Phy.ita definitur, *id ex quo fit aliquid ita vt insit*.Quæ definitio differt ab ea quæ traditur in 1.Phys.text.82. quia illic definitur tantùm materia prima,quocirca ponuntur in definitione illę particulæ(subiectum primum & vltimum)hic autem definitur materia tam prima quàm secunda,tam naturalis , quàm artificialis; non tamen definitur materia accidentium , quoniam accidens cum sit forma simplex,nõ habet materiã ex qua fiat, sed tantùm in qua fiat & insit,vt est apud Arist.8.Metaph.tex.12.Peripatici vocant id quod subest accidenti & in quo ipsum accidens inhæret, non quidem materiam sed subiectum,quare esse in subiecto ita proprium est accidentis,vt nulli cõueniat substantiæ:Habet autẽ materia duplicem causalitatem , vnã respectu compositi, quæ est esse id ex quo fit &cõstat ipsum compositum,& ratione cuius habet subsistantiã,ita vt nullo modo insit in alio;Alteram respectu formæ,quæ est esse id ex cuius potentia forma educitur, & à quo recipitur & sustentatur. Cętera quę de materia hic dici possent,copiosè tractata sunt in5. huius operis libro.Forma definitur esse (ratio & quod quid erat esse rei) appellatur etiam exemplar,species, terminus, & aliis nominibus quæ omnia sunt à nobis supra lib.6. subtiliter explicata.Duplex itẽ est causalitas formæ,vna respectu compositi,quæ est dare ei esse tam quiditatiuũ quàm actualis existentiæ, idq; cõstituere in certo gradu entium, & ab aliis rebus essentialiter distinguere:Altera est respectu materiæ,quę

Duplex causalitas materiæ.

Duplex causalitas formæ.

teriæ,quæ est eam actuare,determinare, eiusq; informitatẽ perficere & ornare.Cum igitur supradictum fuit materiam esse causam formę,nunc autem dicamus etiam formam esse causam materię,palàm est has duas sibi inuicem causas esse; vnam subiectiue,alteram(vt ita loquar)actuáctiuè & formatiuè.Quemadmodum etiam se inuicem finiunt atque terminant,materia quidem finitur à forma qnatenus materia habet potentiam indifferentem ad omnes formas,quę suscipiendo vnam aliquam earum,determinatur: forma verò finitur per materiam , quatenus forma per se sumpta indifferens est ad multa,& vniuersalis,atque communicabilis:Cùm autemrecipitur in materia,determinatur,fitq; singularis & incommunicabilis.Hoc tamen interest, quod indeterminatio materiæ significat imperfectionem eius,determinatio autem perfectionem:è contrario verò res habet in forma, cuius determinatio declarat eius perfectionem , determinatio autem ferè adiunctam habet imperfectionem; sæpe enim forma cum producitur in materia,non habet tantã perfectionem quam tam habere posset,propter indispositionem materiæ cui vnitur. Vide D.Thomam 1.part.quæst.7.art.1.

Materia determinat formam, & forma materiã sed diuersomodo.

Efficiens definitur(primum principium motus)& vocatur primum,non absolutè, nã finis prior est,& ab eo mouetur efficiens ad agendum,sed dicitur primum Physicè,nam causa quæ primò mouet motu Physico , est efficiens; finis enim non mouet motu Physico , sed Metaphorico , motu nimirum desiderij & amoris. Additur, motus,non quòd efficiens tantùm faciat motum, producit enim etiam formam substantialem , sed vel quia quicquid facit, per motum facit , vel quia effectus non dependet necessariò ab agente nisi in fieri & dum motus durat quo ab agẽte producitur , vel vt distinguatur efficiens Physicum à non Physico; nam licèt Deus sit causa efficiens Intelligentiarum, tamen quia non est efficiens per motum, sed per creationem aut simplicem emanationem,idcirco non est,nec appellatur efficiens Physicum Duplex autem est efficiẽs causalitas,vna respectu materiæ quam mouet, præparat. & sic afficit vt opus est ad formam substantialem accipiendam , & est causalitas agentis erga patiens, & mouentis erga mobile.Altera est causalitas respectu formæ substantialis,vel potius respectu ipsius compositi quod producit, & hæc est propria causalitas efficiens vt est efficiens.

Duplex causalitas efficientis

Causalitas finis duplex est,vna respectu mediorum,quę est dare illis bonitatem,amabilitatẽ,mensuram & ordinem; multa.n. per se non amarentur,quæ tamen amantur, quia conferũt ad fi-

Duplex causalitas finis.

nem,vt potio amara grata est propter sanitatem. Similiter quæ debeat esse mensura mediorum,vel quis ordo,spectatur ex fine, sicut perspicuè cernitur in curatione ægroti,quod.n.medicamẽtum,quantum,quo tempore,quomodo adhiberi debeat, attendi tur ex sanitate, hæc enim præscribit & præfinit omnia medicis prout conducit sanitati ægroti.Illud.n.ab Arist.1.lib.Politicorum ca.6. rectè dictum fuit,in fine nõ esse modum aut mẽsuram,me diaverò habere modum quem ex fine capiunt:vt sanitas sine mo do & mensura expetitur,nempe quanta maxima esse potest,medicamentaverò hactenus tantummodo expetuntur & sumuntur quatenus conducunt sanitati. Altera causalitas finis est respectu agentis,quæ nihil aliud est,quàm esse id cuius gratia agens operatur,vel ad quod per se ordinatur actio agentis, vel est mouere agens ad agendum desiderio sui.Cùm.n.finis mouere, non intelligitur priùs & Physicè, nam quod mouet Physicè,actu est,finis autem vt finis,nondum actu est;deinde quod mouet Physicè est efficiens & mouet ob aliquem finem, quare idem esset finis & efficiens, & finis moueret propter finem,sicq; res abiret in infinitum.Mouet igitur finis Metaphoricè,vel quia iniicit agenti desiderium & amorem sui qui est motus Metaphoricus,id quod accidit iis,quæ cognoscendo & eligendo agunt:vel quia cum finis sit id cuius gratia agens operatur,& ad quod ordinat suam actionem,perinde se habet ac si moueret agẽs. Etenim sic habet vsus loquendi,vt cũquidpiã facimus alicuius gratia,dicamur id fecisse moti ab illo:vt quia mercator lucri faciẽdi & augendi causa laborat,dicitur is moueri & trahi à lucro vt tantos subeat labores.

Explicantur tres Dubitationes.

CAP. III.

SEd contra ea quę de fine proximè sunt à nobis explicata, occurrunt tres dubitationes; vna est, non ens non potest causare,aut mouere quicquam,sed finis vt finis,nondum est,ergo nequit causare vel mouere.Altera dubitatio est non videtur finis posse dare bonitatem mediis quę ad ipsum finem referuntur, tum quia cum finis non sit actu,& ac ipsis mediis efficiatur,non potest eis communicarevllam bonitatem,tum etiam quia talis bonitas aut est in ipsis mediis,& sic erunt bona non finaliter,id est,propter finem,sed formaliter,id est,per se:aut est in fine,& sic non media, sed ipse finis dicetur bonus,aut est in quadam relatione mediorum ad finem, at non videtur relatio esse quidpiam per se bonum &amabile.Tertia dubitatio:dictum fuit finem mouere Metaphoricè quatenus iniicit agenti amorem & desiderium sui,quod non videtur esseverum,nam licet agens per intellectum vt homo,moueatur desiderio finis ad agẽdum,quippe cum habeat vim cognoscendi & amandi, attamen agens naturale,quod caret cognitione,quomodo ad finem propter quem agit moueri poterit?an Physicè?at hoc supra refutauimus,finis.n. cum nondum sit actu,mouerè Physicè non potest;an Metaphoricè per amorem & desiderium? atqui hoc cadere non potest in agens naturale,quod est omnino expers cognitionis.

Ad quas dubitationes breuiter hoc modo respondendum est. Ad primam.Non ens non potest causare effectiuè, nec mouere Physicè,sed non ens actu,quod tamen & esse &à nobis parari potest,nihil prohibet causare finaliter,quod nihil aliud est quàm esse id cuius gratia aliquid fit.Nos.n.non solum operamur propter id quod iam actu est,sed etiam propter id quod nondum est, potest tamen esse & à nobis actione nostra comparari. Ad secundam.Bonitas quæ assignatur mediis,partim est in fine, partim in mediis, partim in relatione mediorum ad finem; est in fine quatenus si finis bonus aut malus fuerit, media item habentur bona vel mala;& multa sunt quæ propter se nunquam à nobis expeterentur,ea verò tanquam bona expetuntur à nobis propter finem:est in relatione mediorum ad finem,quatenus media ob id ducuntur plus minúsve bona, quia plus minúsve conferunt, & conducunt ad finẽ:est deniq; in ipsis mediis,quia quòd medium conducat ad finem,habet propter aliquam virtutem, vel qualitatem,vel aliud quidpiam in ipso insitum.Ad tertiam.Apprehensio &amor finis,satis est,vt sit in agente principali &primo à quo mouentur & reguntur inferiora agentia;in agente autem instrumentario non est necessaria cognitio finis,sed loco eius est inclinatio & propensio ad finem.Itaque cognitio finium naturalium & directio actionum naturalium ad illos fines, est in Deo & intelligentiis à quibus mouentur & reguntur agentia naturalia,in ipsis autem agentibus naturalibus non est apprehensio finis, sed eis ab agenti primo insita est virtus aliqua naturalis propter quã inclinantur & propendent ad suos fines, quemadmodum lapidi data est grauitas propter quam propendet,& fertur deorsum: Potest autem id quod diximus illustrari exemplo Imperatoris, qui cum aliis principibus exercitus,nouit finem belli & rerum in eo gerendarum,quem priuati milites plerunque ignorant:sed cum regantur ab Imperatore,satis illis est ab eo habere mandata & rationem rerum agendarum.Idem cernitur in Architecto, qui operis quod efficitur causas omnes rationesq; cognoscit, ac fabri cæmentarij,cæteriq;administri,quid fiat,aut fieri debeat norunt quidẽ;cur autẽ quidq;ita fiat,nec sciũt,necverò scire eos opus est,

Præclara verèq; Peripatica de fine doctrina diligenter obseruanda.

Hæc dicuntur ab iis qui de fine adhuc scripserunt. Quæ nobis quidem videntur nec satis Aristotelicè, nec Philosophicè dici. Et enim fortasse secundum Arist. (quæ multorum magnorumque Philosophorum est sententia) Intelligentiæ, aut nullo modo cognoscuntur species rerum sublunarium, aut certè non propriè ac distinctè, sed tantùm eminenter ac vniuersaliter cognoscunt, nec eas mouent atq; regunt alio modo quam per motum ac lumen cæli. Deinde fingamus mũdum esse sine Intelligentiis, num quæ in eo essent grauia & leuia, aut non mouerentur, aut aliter mouerentur, aut non ad eadem loca mouerentur sicut nunc mouentur? Præterea, qualis est ista motio & directio agentium naturalium ab Intelligentiis? aut quorsum est necessaria? immo verò quomodo non est superuacanea? Cum enim in agentibus naturalibus sint naturaliter insitæ qualitates ac virtutes actiuæ, per quas eiusmodi agentia naturaliter ac sufficienter determinantur ad suas actiones & fines; quid præterea opus est illis singulari quadam intelligentiarum rectione, vt ad suos fines moueantur atq; perueniant? Quem enim Philosophum, si ex eo quæratur, cur ignis calefaciat, aut cur calefaciendo producat calorem, aut ignẽ, non pudeat respondere; propterea id euenire quia ignis mouetur & dirigitur ab intelligentia? ac non potius, si sapiat, respondeat id effici quia ignis est calidus, hanc autem esse naturalem vim caloris vt calefaciat, & calefaciendo, calorem, & ignem producat? Similiter etiam si quæratur cur graue moueatur deorsum ridiculum fuerit respondere, propterea moueri deorsum quia dirigitur ab intelligentia, cum id prouenirat ex grauitate, quæ inhærens lapidi inclinat & necessariò mouet eum deorsum, nec potest vel alio vel aliter mouere. Neque verò illud rectè habet quòd à multis dicitur, ita se habere agentia naturalia comparatione Intelligentiarum, sicut sagittam aliquò iactam; respectu iaculantis à quo nisi ea moueretur ac dirigeretur, nunquam directò ferretur in scopum. Nam in sagitta non est naturalis inclinatio aut virtus pertendendi atque perueniendi ad scopum, quocirca indiget motione & directione iaculantis: at in graui & inquolibet agente naturali, est virtus & inclinatio naturalis per quam determinatè & necessariò ad suas actiones & fines perducuntur. Neque hoc dicimus (id enim diligenter intelligi volo) quia existimemus res naturales non administrari à Deo opera & ministerio Angelorum, quis enim Aristotelica & Christiana doctrina vel mediocriter eruditus, hoc inficiari possit? Sed vt doceamus non propterea agens naturale agere propter finem, quia eius fines cognitio sit penes Intelligentias, sed quia virtus

virtus actiua ipsius ad talem actionẽ, actio verò ad talem effectũ naturaliter determinatur. Itaque sicut se habet in agente per intellectum apprehensio & desiderium ad ipsum finẽ propter quẽ agit, sic in agente secundum naturã, virtus actiua & naturalis inclinatio, se habent ad finem naturalẽ. Maneat igitur, quamuis in his quæ per intellectum agunt, finis moueat agens amore & desiderio sui, tamẽ vniuersè loquendo, causalitatem finis in eo esse, vt sit id ad quod per se & vltimò terminatur agentis operatio.

An iis quæ agunt per intellectum finis causset prout habet esse in anima an prout habet esse extra animam in ipsis rebus.

CAP. IIII.

HOc loco quæri potest, & sanè cognitu dignũ est an cũ (verbi gratia) sanitas sit finis medici & ægroti, cáq; duplex esse habeat, vnũ intẽtionale seu intelligibile in mẽte Medici, alterũ reale cũ per curationẽ efficitur in ægroto, quæri, inquã potest vtrũ secundũ esse, sanitas sit finis, & habeat propriã rationẽ atque causalitatẽ finis. Hãc difficultatẽ, quẽadmodũ nos sentimus, breuiter enodabimus. Primò, finis nõ est causa, nec habet rationem finis prout iam actu adest agẽti ab eo acquisitus. Etenim finis est cuius gratia aliquid fit, at nihil fit eius gratia quod iam actu existit & habetur ab agẽte. Finis item est prima causa, eiúsque causalitas præcedit causalitates aliarũ causarũ at prout est iam acquisitus, est vltimum quidpiã & post alias causas. Deinde, finis nõ est causa secũdùm esse intẽtionale quod habet in mẽte agẽtis. Nam vna est ratio finis in omni fine, & respectu cuiuslibet agentis, esse autem intentionale non habet finis in omni agente, sed in eo tantum quod agit per intellectum. Præterea, finis & bonum idem sunt, at sanitas non est bonum & perfectio ægroti secũdum esse intentionale quod est in animo & cogitatione Medici vel ægroti, sed seçũdum esse reale & materiale. Præterea, finis est cuius gratia aliquid fit, at neq; Medicus neque ægrotus adhibendis sumendisque potionibus tantopere laborant propter sanitatem intentionalem, sed propter realem. Nam sanitatem intentionalem iam actu habent in animo. Denique finis est qui explet appetitum agẽtis quo præsente cessat actio & in cuius possessione agẽs cõquiescit; hæc autem nullo modo conueniunt in finem intentionalem. Quare non debet probari sententia Auicennæ, qui in 6. suæ Metaphysicæ, cap. 15. cui etiam subscribit Paulus Soncinas in 5. Metaphysicæ affirmat finẽ causare secundum esse intentionale, quod habet in anima. Finis igitur propriè ac per se causa secũdũ esse reale extra ani-

Finis non causat secundũ esse intẽtionale quod habet in anima.

Quomodo causset finis.

mam futurum & possibile acquiri ab agẽte. Diximus (futurum) nam finis vel nõdum existit & per motum efficitur, vel si iam est, saltẽ debet acquiri & possideri ab agente. Quare semper est futurus, vel secundum effectionem, vel secundũ possessionẽ. Est enim duplex finis, vnus qui per motũ & actionẽ acquiritur quomodo forma naturalis dicitur finis quia per generationẽ acquiritur; & Arist. in 2. Phy. tex. 23. definiuit finẽ esse terminũ motus cõtinui, & sic nõ reperitur finis in rebus diuinis, atq; Mathematicis, quod Arist considerans scripsit in 3. Metap. tex. 3. neque caussam efficientem neq; finẽ esse in immobilibus, quo nomine appellat res Mathematicas. Nam cum huiusmodi res abiunctæ sint à motu, non possunt habere eum finẽ qui motu cõparatur. Alter est finis, qui non efficitur motu, sed præexistit operationi agentis, agens autem propter illum operatur, nõ vt eum efficiat, sed vt ei coniungatur & assimiletur, eoque perfruatur: sic Deus est finis Intelligentiarũ vt Arist. innuit in 12. Metaph. 37. atq; etiam omniũ rerum naturaliũ vt ipse docet in 2. de Gener. in 2. de anima. Sed reuertamur ad id quod supra dicebamus. Finẽ igitur apprehẽdi & amari ab agẽte, nõ est vera & propria eius caussalitas, sed est cõditio, sine qua non caussaret in agẽte per intellectũ. Etenim licèt finis esset bonus & possibilis, nisi eum tamẽ agẽs per intellectum cognosceret esse talẽ, nũquam profecto moueretur ab eo ad agẽdum. Quemadmodum licèt ignis habeat vim cõburendi & stuppa sit cõbustibilis ab igne, tamẽ nisi vnum sit propinquum alteri nulla erit cõbustio: hæc autem appropinquatio ignis & stuppę non est caussalitas ignis, neque est id per quod aut propter quod ignis combnrit, sed est cõditio seu circunstantia necessaria igni ad cõburendũ. Itaq; sicut se habet appropinquatio ignis & stuppæ ad caussalitatem ignis sic etiam se habet apprehensio & desiderũ finis ad eius caussalitatem. Quare Auicẽna affirmans finẽ caussare secũdum esse intẽtionale, fortasse significare voluit, hoc esse intẽtionale, cõditionẽ necessariã esse fini ad caussandũ: vel si sec̃ putauit deceptus est: cuius erroris caussa esse potnit, aut quia nõ intellexit quo pacto finis posset caussare nisi esset præsens & actu existẽs: aut quia nõ distinxit cõditionem sine qua nõ, à ratione formali caussæ. Nos certè auctorẽ sententiæ nostræ vt omittamus alios, habemus Auerroem qui 12. Metaph. Comm. 36. ita scribit *forma balnei, prout habet esse extra animam, mouet vt finis* ergo esse cognitum non est propria ratio finis, sed est tantùm cõditio sine qua non, respectu non cuiuslibet agentis, sed tantũ eius quod agit per intellectũ. Verum deinceps inuestigemus. an inter caussam efficientem & finem sit necessaria connexio.

An inter

An inter caussam efficientem & finem sit necessaria connexio.

CAP. V.

CErtum & indubitatũ est, quicquid habet caussam efficiẽtẽ etiã habere finẽ propter quẽ sit: quod enim efficitur alicuius gratia semper efficitur. Nã licet quædã respectu agẽtium particulariũ temerè ac fortuitò effici dicantur, ea tamen si caussarum vniuersalium & ordinis vniuersi intentio & ratio spectetur, non carent suo fine; quemadmodum infra de monstris dicturi sumus, sed an quod habet finem id necessario quoque habeat caussam efficientem, non similiter manifestum ac certum est. Nam Eudemus & Alexander, existimarũt Deum finem quidem esse Intelligentiarum nõ autem caussam efficientem, idémque sensisse Aristotelem contendit Gregorius Ariminensis & alij viri docti. Verum hos redarguit Auer. in lib. de substãtia orbis, cap. 2. scribẽs finem necessaria significatione inferre agẽs: nã finis definitur cuius gratia aliquid fit. Quã sententiã Auerrois egregiè probat Heruæus 2. Quodlibeto, quæst. 1. Quod enim inquit, non habet efficientem, non habet esse ab alia, sed à se quod habet esse à se, est propter se & non propter alium; ergo non habet finem: quare illa duo non cohærent, sed maximè pugnant inter se, habere finem & non habere caussam efficientem. Deinde, tolle è mundo cogitatione Deum, & quæratur an sic Intelligentia retineat suum esse an non? si retinet, ergo intelligentia per se non dependet à Deo tanquam à fine, sed per accidens: siquidem quod alicui rei conuenit per se non potest ab ea separari sine eius interitu, at siue sit Deus siue non sit, nulla ex parte tollitur esse Intelligentiæ; sin autem remoto Deo Intelligentia amittit esse suum, ergo illud esse non habebat à se, sed à Deo: nam quod est à se quocunque alio remoto ipsum remanet, nihil autem habet esse ab alio quàm à suo efficiẽte, relinquitur igitur si Deus est finis Intelligentiarũ, esse quoque earum caussam efficientem. Præterea operari sequitur esse, & quale est hoc, tale est illud, si est à se, operatur propter se, si non est ab alio, non operatur propter aliud: quare si nõ habet caussam efficientem, nec finem habet. Huic autem quod demonstratum est, illud etiam est necessariò consequens atque cohærens, eandem omnino rem esse vltimum finem & primam caussam efficiẽtem: nam si Deus est primum efficiẽs, aut agit propter se, aut propter aliud, si propter se, habemus quod volumus: si propter aliud, ergo cũ, finis sit nobilior, & agens dependeat à fine in agẽdo, idem autem sit in Deo agere & esse, sequeretur & aliquid esse nobilius Deo, & Deum aliunde in suo esse dependere; quod est contra ratio-

An quid habet finem necessariò etiam habeat caussam efficientem.

nem primi entis & primi efficientis;cum igitur primum efficiens non possit agere nisi propter se,necessariò efficitur, quod est primum agens,esse vltimum finem, & contra, quod est vltimus finis,esse primum agens.

Discrimẽ inter quatuor causarum genera cum ad effectũ concurrũt.

Ac de singulis quidem generibus causarum ita dictum sit,Inter eas verò hoc interest, quòd finis tantùm concurrit ad productionẽ effectus,quo producto cessat eius causalitas:efficiens, aliquod concurrit ad solam effectionem rei, vt pater ad solam filij generationem,aliquod autem etiam ad conseruationẽ, quomodo lux se habet ad lumen ab ea productum,& causæ vniuersales ad effectus particulares:Materia vtroque modo necessario concurrit ad effectum,effectus enim naturalis depẽdet a materia & cum sit & quãdiu est,namq; materia est subiectum generationis, & pars essentialis rei compositę:forma,vt forma est,concurrit ad effectum non in fieri,sed tantum in esse,vnde forma definitur quod quid erat esse rei;& quamuis Arist.1. Phy.scribat formã esse vnũ ex tribus principiis generationis,ibi tamen non accipit formã, vt forma est,sed vt est terminus & finis generationis,siquidẽ cũ forma est,res iam est generata & planè cessat motus. Porrò,si quæratur cui harum quatuor causarum prẽcipuè conueniat nomẽ & ratio caussæ?ita respondendũ est, si spectetur origo & initiũ caussandi, prima caussa est finis ; si ratio motus Physici, prima est efficiens, definitur enim esse primum principium motus:si esse & quiditas rei,prima est forma:si antiquitas & permanentia,prima est materia:simpliciter autem & absolutè prima videtur esse forma, nam efficiens per formam & propter formam agit, materia propter formã mutatur,& finis generationis nihil aliud est quam forma: certè ad sciendam rẽ quamlibet, hæc maximè confert,& præstat cæteris,definitio enim,quæ est nobilissimum instrumentũ sciendi,constat ex caussa formali. Sed videamus, an omnes quatuor causæ sint inter se necessariò connexæ.

Cui generi causæ nomen & ratio causæ magis competat.

An omnes causæ sint inuicem necessariò connexæ.

CAP. VI.

HÆc quæstio de connexione causarum inter se,potest dupliciter intelligi,vel an vnum genus causæ sit necessariò connexum cum alio quolibet genere, vt materia cũ aliis causis,& aliæ causæ cum materia;vel an causæ quæ sunt eiusdem generis quarũ aliæ sunt priores,& vniuersaliores,aliæ autẽ posteriores & particulares, sint inuicem necessariò coniunctæ,sicut in genere causæ efficientis se habent sol & homo. Secundum igitur priorem quæstionis intellectum,dicendum est finem & efficientem necessariò inuicem coniungi, nam quod habet efficientem, etiam

etiam necessariò habet finẽ,& contra;sicut paulò superius declaratũ est.Finis autem & efficiens non necessariò dependent à materia & forma , id quod perspicuè cernitur in Intelligentiis , quæ cum finẽ,& efficientẽ habeãt ipsum Deũ, caret tamen materia & forma,quippe cum sint substantiæ simplices: materia verò & forma necessariò pendent à fine & efficiente , quicquid enim est ex materia formáque compositum ; id factum atque conditum est; ad omnem autem effectionem quę non casu & fortuitò eueniat, necesse est concurrere caussam efficientem & finem. Inter materiam etiam & formam necessaria est coniunctio , nam neque materia sine forma, neque forma Physica sine materia cohærere potest.Secundum autem posteriorem intellectum quæstionis dicendum est causas particulares necessariò pendere ab vniuersalibus,& vicissim vniuersales indigere particularibus ad agendum (loquor de causis vniuersalibus Phy.& de iis quæ agunt secũdum ordinarium cursum naturæ,quod addo propter infinitam Dei potestatem,quæ ad agendum quodcunque Deus vult,nec eget causis secũdis, nec illis semper est alligata,)quod nos planũ faciemus in causis efficientibus:idem tamen tranferri,& accommodari poterit ad alia genera causarum.Primum igitur mutuam hanc causarum vniuersalium & particularium inter se connexionem necessariam esse , facilè ostendi & probari potest vel ea tantùm ratione,quia bonum & perfectio vniuersi consistit in ordine omnium partium,præsertim autem causarum, quarum decet ordinẽ esse optimum & perfectissimum, melior autem est ordo per se & immutabilis quàm ordo per accidens & quàm connexio solubilis:decet igitur causas vniuersales eo ordine cum particularibus collocatas atque connexas esse , vt aliæ aliarũ vi & causalitate ad agendũ indigeant,& aliæ sine aliarũ cõcursu nihil agere possint, Præterea , causa vniuersalis per se indifferens est ad quemlibet effectũ,non potest igitur ab ea immediatè produci vnus aliquis effectus particularis potiùs quàm alius quilibet, necesse enim est particularium effectuum sensibiliũ atq; corruptibiliũ, vt est in 3. lib.de Cælo,tex.61.causas proximas ac proprias esse particulares, sensibiles,& corruptibiles , nãque debet esse naturalis proportio, conuenientia, & similitudo inter causas proprias , & earum effectus.Quamobrẽ Arist.in 7.Metap. & aliis locis valdè reprehẽdit Platonẽ,qui existimabat Ideas, quæ sunt naturæ quædã immobiles,& immateriales , esse proprias caussas omnium rerum naturalium. Quòd autem caussæ particulares necessariò dependeant ab vniuersalibus,manifestè ostendit Arist.scribens in 8.Phy.text. 56.nullum motum sublunarẽ existere posse sine motu circulari,

& affirmans in 1.Meteororum, cap.2.hunc mũdum inferiorẽ necessariò coniunctũ esse cum cælestium corporũ lationibus,quoniã ab illis omnis eius virtus cõseruatur atque gubernatur : quin etiã docet in 2.lib.Metaph.& 8.Phy.in ordine causarum efficientium & mouentium,secundas causas non agere nec mouere, nisi motas à primis & sanè quãuis in aliis causis veluti in ordine materiarum & in ordine formarum,priores nõ dependeãnt à posterioribus,& sine illis causalitatem suã exercere possint, vt materia prima non dependet à secunda,nec anima vegetatiua à sensitiua, & neutra ab intellectiua, in causis tamen efficientibus priores sine posterioribus, & posteriores sine priorib. nihil possunt agere: & ratio est,quia in aliis causis causalitas priorum & posteriorum non terminatur ad eundem effectum;diuersæ.n.materiæ habent diuersos effectus materiales , & diuersæ formæ diuersos effectus formales,inuicẽ separabiles,vt anima vegetatiua facit esse viuẽs, anima sensitiua facit esse sentiens, potest autẽ aliquid esse viuens & nõ sentiens,vt planta: in causis autem efficiẽtibus,causalitas vniuersalis causæ & particularis ad eundem numero effectum terminatur,nec est alius vllus effectus causæ vniuersalis, quàm causæ particularis.

An causalitas causæ vniuersalis sit potior, quam particularis.

Si autem quæratur, vtrius causæ, vniuersalis nè an particularis potior sit ac principalior causalitas ? Respondendũ est vim,atque causalitatem vniuersalis causæ multas ob causas esse præstantiorẽ. Primò,quia est amplior,& latiùs patens, si quidẽ vis causæ vniuersalis ad multos effectus pertinet particularis autẽ contracta & determinata est ad vnum effectum,homo enim tantũ generat hominem,sol autẽ & hominem & equum & alia. Tum,quia est efficacior , nam non solùm concurrit ad productionem effectus, sed etiam ad conseruationem eius,ad perfectionem , ordinationem & æternitatem. Deinde,quia est prior,nam vniuersalis causa non solùm concurrit ad producendum effectum , sed etiam concurrit mouendo causam particularẽ ad agendũ. Itaq; vniuersalis,habet se vt agẽs principale,particularis verò,vt agens instrumentariũ. Ad extremũ,vniuersalis causa est magis independens, nam licèt ea sit remotior ab effectu, tamẽ causalitas eius non est dependens à causa particulari,mouet enim ipsam, nec tamen ab ea mouetur; causa autem particularis, licèt propinquior sit effectui, tamen dependet à causa vniuersali , non enim mouet nisi mota ab illa. Quamobrem,tritum illud est in scholis Philosophorum & Theologorum , causam vniuersalem immediatiùs concurrere ad effectum immediatione virtutis: causam autem particularem , immediatiùs concurrere immediatione suppositi.

An

An causa vniuersalis præsertim autem prima qui est Deus, necessariò concurrat actu cum causa particulari ad quemlibet eius effectum,& operationem.

CAP. VII.

ILlud hoc loco disquirẽdum & explicandũ est quotiescũque causa particularis aliquid operatur indigeat immediato & actuali cõcursu causæ vniuersalis& primę.Hac de re duę sunt opiniones,vna est Durãd.in 2.Sent.dist.1. q.5. qui affirmat cũ operatur causa particularis verbi gratia,cũ calor producit calorem, tunc nõ cõcurrere causam vniuersalẽ actu & immediatè,sed tãtùm mediatè ; nimirũ quatenus ipsa produxit causam particularẽ,eiq; dedit virtutẽ agendi,& quatenus tã ipsam causam particularem,quàm virtutem,eius actiuam in esse cõseruat.Quã sententiam ita confirmat.Si.n.causa vniuersalis quando calor producit calorem,etiã concurrit actu ad productionẽ illius caloris,aut concurrit eadem actione qua calor producẽs aut diuersa:non eadem,quia impossibile est eandẽ numero actionem esse à duob.immediatis & perfectis agentib.quę sint numero distincta;quamuis enim eadem actio possit procedere ab vno mediatè & ab alio immediatè,& à duob.partialiter agentibus,tamẽ,vt immediatè & perfectè procedat à duob.est impossibile;Aut cõcurrit diuersã actione,& hoc non,quia aut per illã actionem producitur totus effectus causæ particularis,& sic actio causæ particularis superflua esset,aut tãtùm pars illius effectus , at sic causa vniuersalis esset causa partialis , & non concurreret cum causa particulari ad producendum idem numero secundum idem,quare aliquid produceret causa particularis, quod nullo modo produceret causa vniuersalis,& cum nõ possit dici quę & quanta pars effectus producatur à causa vniuersali,& quę ac quãta à causa particulari,videtur id,esse simile figmento. Hęc Durandus. Cuius sentẽtia potest etiã comprobari tripliciter.Primò,talis cõcursus causę vniuersalis nõ est necessarius,neque ad producẽdum,quia calor vt octo sufficiẽs est per se ad producendũ calorem vt sexvel vt octo cũ effectus nõ sit supra virtutem causę,sed vel ęqualis,vel etiam inferior; quare ad eum producendum non eget adiumento alterius causæ : neque vt causa particularis determinetur ad producendũ hunc vel illum effectum , nam agens naturale naturaliter & necessariò ex sua virtute determinatum est ad effectum,vt calor ad calefaciendum,& graue vt moueatur deorsum : neque propter applicationem causę particularis ad suum effectũ , nam talis applicatio vel

Deum non concurrere actu cum causis secundis, opinio Durãdi, sed nec pia nec vera & valde periculosa.

fit naturaliter per concursum motuum & agentium naturalium, vel fit liberè ab homine, vt cum ignem quispiam applicat ligno. Nulla igitur causa satis idonea afferri potest cur talis concursus causæ vniuersalis necessarius sit. Deinde, hic cõcursus videtur impossibilis; nam si causa vniuersalis producit totum effectum, superfluè agit particularis; sin autem partem ergo vniuersalis & particularis non sunt causæ totales subordinatæ, sed partiales, nec concurrunt ad idem, nec particularis per se, sed per accidẽs & secundũ quid dependeret ab vniuersali. Si quis autem respondeat, effectũ produci à prima causa quantũ ad esse ipsius, à causa verò particulari quantum ad determinatum esse (verbi gratia) homo, quod sit ens & habeat esse, accipit à Deo, quod autem sit tale ens, id est homo, habet à suo generãte; Hoc respõsum infirmũ est, tũ quia ens & tale ens, nõ differũt secundũ rem, sed tantùm ratione, siquidẽ ens non significat aliquã naturam superadditam rebus de quib. dicitur, idem enim est ens homo & homo, vt dicitur 4. Metaphys. tex. 3. quare nõ potest, esse, & esse hominis, separatim produci à diuersis agentibus. Tum etiam, quia sic ignobilior esset effectus Dei quàm causæ particularis; nam nobilius est esse hominem, quàm esse ens tantùm, semper enim nobilior est forma posterior. quàm prior, & prædicatum inferius, quam superius.

Arduum & perdifficile argumẽtum.

Postremò, videtur talis concursus tollere libertatem nostrę voluntatis, etenim si voluntas non vult nisi mota à Deo, ergo non vult liberè. Probatur consequentia, nam voluntas nõ potest mouere se ad aliquid volendũ nisi ad id moueatur & determinetur à Deo, & cum mouetur à Deo; nõ potest nõ moueri, nam implicat contradictionem vt mouens moueat ipsum mobile, & vt sic mobile non moueatur nec valet si respondeatur propterea voluntatem moueri liberè, quia Deus eã libere mouet, hoc enim demõstrat libertatem Dei, non autẽ voluntatis nostræ. Sicut enim non quia Deus liberè concurrit ad motum cæli, aut ad calefactionem ignis, idcirco verè dici potest aut cælũ liberè moueri, aut ignem liberè calefacere; ita non quia Deus liberè voluntatem nostram mouet, verè dici posse videtur voluntas liberè operari. Dices Deum mouere voluntatem ea ratione vt eius naturæ cõueniens est atque consentaneum; & quoniam voluntas suaptè natura est libera, facit Deus eam moueri liberè: sicut facit vt cælum moueatur necessariò, & vt res sublunares, quia sunt contingentes, moueantur contingenter; Sic enim eiusmodi rerum natura postulat. Sed Durandus, vel aliquis pro Durandi opinione pugnans, primò quidem negaret, cælum necessariò moueri, nam cum, motus pendeat ex motore; motor autem cæli, qui est intelligentia, liberè

liberè & contingenter ipsum moueat, si nõ secundum Peripateticam; certè secundum Christianã Philosophiãnon põt cęli motus esse omninò necessarius. Deinde non Pugnãt hęc duo inter se, aliquid moueri necessariò, & moueri ab alio: at hęc duo, moueri aliquid liberè ita vt in potestate eius sit moueri ac nõ moueri, & tamen semper moueri ab alio, quo mouente nõ possit non moueri, videntur inter se vel maximè pugnare. Cùm igitur voluntas nõ possit velle, nisi à Deo mota & determinata ad volendum, mouẽte autem Deo voluntatẽ effectiuè ad volendum, non põt voluntas non velle; non est autem in potestate voluntatis vt Deus eam vel moueat vel nõ moueat ad volendum: ergo non est in potestate voluntatis velle aut non velle. Quare si Deus semper actu concurrit effectiuè ac determinatiuè ad quamlibet operationem nostræ voluntatis, videtur labefactari ac funditus tolli libertas voluntatis. Atque; hæc quidem pro opinione Durandi possent disputari.

Exponitur & probatur opinio D. Thomæ quæ est vera.

CAP. VIII.

ALtera est opinio D. Tho. qui lib. 3 aduersus Gentes ca. 67. & in prima parte q. 105. ar. 5. ait Deũ actu cõcurrere ad quamlibet actionem secundarum causarũ quinq; modis; ipse enim vires & facultates agendi dedit cau- *Opinio D. Thomæ lõgè probatis secundis; ipse illas facultates sustẽtat & tuetur in esse & vigore; biliſſima.* ipse applicat causas secũdas ad agendũ, ipse dirigit eas in agendo vt ad fines suos ipsis ignotos ordinatè perueniant: ipse deniq; determinat eas ad agendum & mouet, ceu principale mouẽs instrumenta mouet & regit in operando. Hanc opinionẽ ea potissimũ ratione probat, quod in mouentib. per se subordinatis, inferius nõ mouet nisi motum à superiori; ex quo Ari. 2. lib. Metaph. concludit, huiusmodi mouentia esse non posse infinita, quia motio priorum mouentium, cum ipsa sint infinita, nunquam perueniret ad vltimum mouens, quod tamen sine motione priorum mouentium, mouere non potest. Atq; hoc perspicuè cernimus in agentib. naturalibus, & iis quæ operantur ex arte: agentia namq; sublunaria, atque adeo totus hic mundus inferior omnino pendet ex lationibus corporum cælestium: sol enim & homo generant hominem, idémque contingit in aliis. Artes quoque inferiores, non nisi ex præscripto & directione superiorũ artiũ quibus subordinatæ ac subiectæ sunt operantur. Argumenta verò Durãdi, &

multo ante Durãdum D.Thomas, vt erat acerrimo ingenio perspiciebat, & locis paulò supra citatis, omnia sigillatim & propriè soluit.

Sententia auctoris.

Hæc doctrina, in eo quod ait D.Thomas Deum actu concurrere ad quamlibet secundarum causarum operationem, non est opinabilis aut probabilis tantùm, sed est omnino vera, certa, & indubitata; de qua fas nõ est Christiano Philosopho dubitare. Etenim sæpenumero in diuinis literis scriptum statúmque legimus, nihil fieri vel magnum vel paruum, vel in cælo vel in terra, vel vsquam alibi, sine voluntate, rectione & concursu Dei. Hinc sunt illa. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine, Isaiæ 26. & Ipse operatur in nobis velle & perficere, ad Philippenses 2. & sine me nihil potestis facere. Ioannis 15. In ipso viuimus, mouemur & sumus, Act. 17.* & Isaias hominẽ facit cõparatione Dei tanquã securim cõparatione artificis. Solet etiã sacra scriptura operationes effectionésq; causarũ secundarũ Deo auctori tribuere, vt ostendat eas principaliùs à Deo quam à causis secundis proficisci. Quocirca Deum inquit, formare corpus hominis, singuláq; membra manib. suis fingere, & suo quæq; loco aptè disponere, solis ac lunæ cæterorúmq; syderũ cursus moderari, fundere imbres, concitare ventos, accẽdere fulgura, terrã tremefacere, animantibus cibum vitámq; largiri. Hanc etiam ob causam, Theologi aiũt Deũ esse in omnibus rebus per præsentiam & potentiã, quia cognoscit omnia, & vis atq; efficacitas eius per omnia pertinet atque peruadit. D.etiã Augustin. lib.9. super Genesin ad literam ca.15. *Si Deus* inquit, *subtrahat operationẽ suam intimam, qua naturam creatam substinet, continuò tanquam extincta, nulla remanebit.* Et paulò post. *Nisi Deus continenter operaretur, nec aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum natura subsisteret.*

In eo autem quod adiungit D.Thomas, causas secundas, & in his voluntatem nostram à Deo moueri, applicari, & determinari ad volendum, licèt nonnulli dissentiant Theologi, ego tamen manibus pedibúsque in eam sententiam perquam libenter eo; hoc enim est ingenium, hæc conditio, hic nexus atque contextus mouentium, & causarum per se ac essentialiter subordinatarum, vt posterior non moueat nisi mota à priori; In ordine mouentium inquit Aristoteles libro 8. Physicorum, textu 41. *quod prius est, magis est causa mouendi quàm sequens, & mouetur magis.* Et in libello de causis, Propositione prima, dicitur causa prima plus vehementiùs, intimiùs, & inseparabiliùs concurrere ad effectus causarum secundarum, quàm ipsas causas secundas, & iuuare causas secundas in operationibus ipsarum, & magis esse causam effectus, quàm causas secundas. Quemadmodum igitur

igitur in aliis causarum generib. per se subordinatis inuicem, posterior causa necessariò præsupponit causalitatem priorum, velut in formis esse sensitiuum presupponit vegetatiuum, & hoc esse corporeum; & in materiis; secundæ præsupponunt primam, idémq; in finib. per se subordinatis euenit; sic etiam in mouentibus & efficientibus per se inuicem subordinatis posterius necessariò præsupponit primum, & primæ causæ causalitas prior natura est quàm causalitas secundæ causæ. Quid multa? Causæ secundæ, comparatione Dei, sunt tanquam instrumenta artis, comparatione artificis; à quo nisi moueantur & ex arte regantur, nec mouere quidquam, nec facere artificiosè aliquid possunt.

Soluuntur argumenta contraria.

CAP. IX.

Solutio trium difficiliũ argumentorum.

REstat vt argumenta quæ supra posita sunt pro opinione Durandi, ea nunc breuiter dissoluamus. In illis autẽ tria præcipuè tanguntur quæ difficultatẽ habent, & explicationem requirunt; vnum est, videri superfluum concursum Dei cum causis secundis, cũ causa secunda per se sufficiens sit ad producendum effectum suum: Alterum est, concursum illum Dei videri impossibilem, siquidem impossibile videtur eundem numero effectum proficisci ac pendere totum ex Deo & ex causa secunda: Tertium est, illum Dei concursum cum nostra voluntate auferre ei libertatem, & agendi atq; non agendi necessitatem afferre. Adhæc igitur tria, eodem ordine respõdendum est. Ad primam. Licèt ignis (quod autem de igne dicimus, idem quoq; in cæteris causis secundis intelligendum est) vt est causa secunda & particularis, sit per se sufficiens ad producendum ignem propterea quia non indiget alius causæ secundæ concursu & auxilio ad illum effectum producendum, absolutè tamen ac simpliciter non est per se sufficiens, ita vt primæ causæ concursu non egeat. Ergo sufficientia ignis, excludit quidem indigentiam alterius causæ secundæ ac particularis, non excludit autem, nec verò potest excludere indigentiam diuini concursus, & dependentiam à causalitate Dei. Etenim Deus, tum quia est infinitus, infinitum autem vbique est, in omnib. rebus operatur; tum quia est prima causa & ens per essentiam, cætera verò sint causæ secundæ illi tanquàm instrumenta diuinæ sapientiæ subiecta, sicut in existentia pendent ab illo, sic etiam in operando. In eo.n. vel maximè consistit ratio creaturæ, vt sicuti ex nihilo creata fuit à Deo, ita nisi perpetuò quasi manu Dei teneatur & iuuetur, nihil agere, nihil esse possit. Non igitur superuacaneus est concursus Dei cum causis secundis sed est quàm maximè necessarius. Ad secũdam. Quemadmodum

si ego aliquid calamo scribam, vel serra lignum secem, illa scriptio & sectio tota quidē fit à calamo & serra instrumentaliter, eadem verò tota etiam fit à me tanquam à principali agente a quo illa instrūmenta, ad operandum mouētur, determinantur, atq; dirigunturisic etiā quilibet effectus causę secundę, totus à causa secunda conficitur, idémq; totus proficiscitur à Deo in cuius virtute operatur causa secunda, quę nisi ad agēdum à Deo determinaretur, moueretur, atque dirigeretur, nihil plane posset agere.

Nota diligenter doctrinā hanc de libertate nostræ voluntatis.

Ad tertiam. Licet voluntas nostra nihil operetur nisi mota & determinata à Deo, qnia tamen mouetur à Deo conuenienter naturę suæ, & vt suapte natura apta est moueri, hoc est non necessariò sed liberè, ideò verè dicitur veréque est libera. Si.n. voluntas ita moueretur à Deo, vt ipsa se nullo modo moueret & ad agendum determinaret, omnis profectò meriti & demeriti libertatis ratio funditus tolleretur; sed quia Deus eam sic mouet, vt ipsa nihilominus simul etiam se ipsam moueat & per suam deliberationem se determinet ad agendum hoc vel aliud quidpiam, ob eam causam meritò appellatur libera & verè est libera. Non.n. intelligendum est voluntatem esse liberam omnino, ita vt à nullo pendeat, nulliq; subiiciatur; hac.n. libertate solum Deum liberum esse agnoscimus, quippe qui sit omnino liber à nullo dependens, nullius indigens, nulli subiectus, per se sufficiens sibi ad omnia. Hæc autem libertas in nullam creaturam potest conuenire; ratio.n. cuiusuis creaturæ necessariam & inseparabilem cōtinet dependentiam eius à creatore tam in existentia, quàm in omni operatione. Ergo libertas nostræ voluntatis ea est quæ potest competere creaturæ, nempe quæ separat & distinguit voluntatem ab agente naturali. Quadruplex autem discrimen reperio inter voluntatem & agens naturale: Etenim agens naturale determinatum est ad effectum & operationem vnius modi; quæ.n. sunt vnius speciei, ea omnia cernimus eadem ferè, eodémq; modo semper operari: voluntas hominis indifferens & indeterminata est ad omne bonum, hoc est ad omne ens, nam bonum tam latè patet quam ens: habet etiam voluntas triplicem in operando varietatem, aut volendo, aut nolēdo, aut suspendendo & cohibendo omnem actum suū. Deinde, omne agens naturale per se pendet effectiuè ex motu & causalitate cæli, voluntas autē effectiuè à nulla re præterquam à Deo per se pēdet, nisi fortè per accidens secundum quid, indirectè, & (vt loquuntur nunc Philosophi ac Theologi Scholastici) inclinatiuè tantùm, non autem necessariò. Posteà, adhibitis positisq; omnib. rebus quę ad agendum ex parte obiecti requiruntur, ita vt nihil desit, nihilve obstet agens naturale non potest non agere; at voluntas, etiam tunc potest agere & non agere, & agere illud quod ei proponitur, vel etiam contrarium. Postremò agens naturale non mouet & determinat se ad agendum, cognoscendo, & deliberando, & eligendo id quod agit; quod tamen facit in omni sua operatione voluntas nostra. Ex quo fit, vt vnus omnium animalium homo verè sit dominus suarum actionum, & vt suis actionibus apud Deum & homines, aut benè aut malè mereri queat. Sed hæc omittamus, habent.n. & bene longam & satis litigiosam, certè valdè remotā ab hoc Physiologię instituto, quod nunc persequimur, disputationē. Quoniā autem docuimus concursum vniuersalis causę, præsertim autem primæ cū causis secundis, ad productionē cuiuslibet effectus esse necessariū, sequitur vt videamus, an, effectus debeat plus causę vniuersali, an particulari: & an omnis causa sit nobilior suo effectu

Explicantur duæ dubitationes.

CAP. X.

An effectus debeat plus causæ vniuersali, quam particulari.

DVæ hoc loco dubitationes existunt; vna est, an effectus, plus debeat causæ vniuersali quàm particulari: altera est an omnis causa sit nobilior effectu. Ad priorem ita respondendum est, effectum partim debere plus causæ vniuersali, partim autem particulari: Debet enim plus vniuersali, quatenus ab ea dependet non solum in fieri veluti à causa particulari, sed etiam in esse & operari; quandiu enim est & quotiescunque operatur, eget concursu & ope vniuersalis causæ. Debet autem plus causę particulari, quatenus accipit & habet ab ea conditionem, speciem, & gradum naturæ, eique assimilatur. Namque effectus naturalis est contingens & corruptibilis, non propter causam vniuersalem quæ est necessaria & incorruptibilis, sed propter causam particularem. Adde, quod cum quæritur causa alicuius effectus, non debet afferri vniuersalis, sed particularis & proxima. vt si quæras, quę sit causa efficiens hominis; non benè respondebis eam esse solem, sed hominem. Quocirca definitiones & demonstrationes, huiusmodi causas præcipuè complectuntur. Atque hinc dirimi potest nobis illa controuersia inter Platonicos & Peripateticos, an Natura dici debeat agens principale, an verò potius agens tantummodo instrumentarium. Platonici enim censent omnia agentia naturalia & particularia, esse tantùm instrumentaria & non principalia agentia, solum autem Deum, & causas vniuersales, esse agentia principalia; quod hoc argumento confirmant. Illud est agens principale, quod efficit & non efficitur, mouet & non mouetur,

Pulchra disceptatio inter Platonicos & Peripateticos, an agens naturale

sit agens principale an tantum sit agẽs instrumentale.

maniffestum est Deum esse & causas vniuersales,illud autem est agens instrumentarium,quod non mouet nisi quia mouetur ab alio,nec cognoscit finem suum propter quem agit,sed regitur& dirigitur ab alio finem ipsius cognoscente:Sed talis est natura & agens naturale,vt cuius perspicuum est,ergo natura magis est,& appellari debet agens instrumentarium quàm principale.Peripatetici vero contra disputant, quamuis causa vniuersalis sit agens principalius quam particularis,non ob id tamen negandum esse quin etiam causa particularis appellari debeat agens principale potius quam instrumentarium:quando quidem effectus, vt paulò antè dictum fuit,assimilatur causę particulari secundum quid ditatem,secundum esse,secundum modũ operandi,& secundum proprietates, atq; accidentia , eiusq; perfecta cognitio præcipuè pendet ex notitia causę particularis,quòd sanè in agens quod est uerè &tantummodo instrumentarium,minimè conuenit.Sed hi iudicio nostro,non tam re quàm verbis inter se dissident,tota.n. dissentio in eo posita est,vt constituatur quid nomine instrumenti intelligendum sit. Platonici.n.ampliorem instrumenti significationem amplexi sunt;Peripatetici verò pressiorem,& angustiorem sequuntur. Platonici enim definiunt instrumentale agens, quod non mouet nisi motum,& quod non cognoscit finem propter quem agit;hęc autẽ ratio instrumenti omni agenti naturali cõpetit.Peripatetici verò,definiunt agens principale, quod in se habet naturalem & perfectam vim producendi effectũ sibi simile; quomodo natura & causę secundę sunt agentia principalia.

Ad posteriorem dubitationem hoc modo respondendum est de materia non ambigitur quin ea sit ignobilior tã forma,quàm compositio. De forma,an sit nobilior composito disputatum est in 6.lib. Agens vniuersale quod appellatur æquiuocum sine dubio præstantius est effectu , vt Sol & intelligentiæ dignitate excellunt effectus omnes Physicos : dicitur autẽ huiusmodi agens vniuersale æquiuocum,quia non est eiusdem speciei &naturę cuius effectus ab ipso productus,& quia nõ ad vnum aliquem tantummodo effectum , sed ad multos & diuersos effectus producendos concurrit.Agens autẽ particulare vniuocum, id est quod eiusdem speciei est cum effectu,partim est nobilius , partim minimè;nam secundum cõditionem, seu dispositionem quandam est nobilius:quatenus homo generans iam est actu,qui generatur nondum est,ille iam est perfectus, siquidem perfectum iudicatur esse id quod potest sibi simile generare,hic verò est imperfectus;ille nullo modo dependet ab hoc,hic autem, saltem cum generatur,ab illo dependet.At verò secundum essentialem perfectionem

An omne efficiẽs sit nobilis suo effectu

fectionem,non est nobilius,eorum.n.quę continentur eadẽ specie,par est dignitas & perfectio essentialis, nam vt dicitur in categoria substantię,non suscipit substantia magis & minus;&seriptum est in 8.Metap.tex.10.substantiam esse sicut numerum cui nihil addi aut detrahi potest sine commutatione speciei; quin etiam in 3. Metaphysicæ,tex.11.Arist.affirmat in indiuiduis eiusdẽ speciei,non esse prius & posterius , neque nobilius & ignobilius secundum essentiam. Finis autem duplex est , vnus qui efficitur ab agente, sicut forma naturalis per generationem producitur ab agente naturali , & hic finis, licet nobilior sit actione , agentis cum eius tamen sit effectus, non potest esse nobilior agente. Alter finis est qui præexistit agenti, propter quem agens principaliter agit,& ad quam præcipuè ordinatur à natura,qualis est in agentibus naturalib.æternitas speciei;& assimilatio Dei;quem finem perspicuè constat esse nobiliorem agente.Sed diceet aliquis, si agens non potest esse ignobililius suo effectu,quomodo videmus ab accidente produci substantiam:sæpe.n.contingit à calore qui est in ferro ignito, quinetiam à motu & à lumine produci ignem.Respondendum est, an accidens producat substantiam, esse valdè dubium & controuersum , quare quantum in præsentia satis erit ad id quod propositum est explicandum,de hoc dicendum est breuiter,exponendo quid alij sentiant,& quid nobis tanquam verisimilius maximè probetur..

An accidens possit producere substantiam.

CAP. XI.

HAc de re sunt tres opiniones:vna est Scoti,4.sent.dist. 12.q.3.& Ochan,lib.2.sent.q.23.&Durandi,1.sent.dist. 2.q.2 .qui censent accidens nullo modo habere vim producendi substantiam, sed eam immediatè producendi à substantia,quæ opinio ita probatur. Nullum agens potest agere vltra virtutem suã, ergo accidens cum sit imperfectius substantia,non potest eam producere; consequentia per se est manifesta.Antecedens autem probatur dupliciter , tum quia illa propositio est per se nota, qua negata non relinquitur vllus modus ostendendi Deum,qui est causa omniũ,esse ens perfectissimum; nam non valeret,ab ipso producta sunt omnia, ergo ipse est perfectissimus omnium ; dicet.n.aliquis, posse quod est perfectius produci ab eo quod est imperfectius;quamobrem fieri posset(sicut ait Scotus)vt mundus fuisset conditus ab aliqua musca, tum etiam;quia si effectus posset esse perfectior causa,diuidatur cogitatione ille effectus in duo, nimirũ in id in quo secundum perfectionem æquatur causæ suæ;& id,in quo secundum perfectio-

Nullum accidens habere vĩ producendi substantiam opinio Scoti, Durandi & Ochan

nem ſuperat cauſam;& quęratur,vnde habeat effectus id in quo ſuperat cauſam ſuam?non à ſe,vt patet non à cauſa quia nihil dat quod non habet, & quicquid à cauſa eſt in effectu, præexiſtit in cauſa, vel perfectiori modo ſi fuerit cauſa æquiuoca, vel ſaltem æquè perfecto, ſi fuerit vniuoca,Atque hæc eſt ratio Scoti. Dein de Ochan idem confirmat aliis duabus rationib.ſi.n. inquit,non poteſt ſubſtantia immediatè produci à ſubſtantia, aut id eueniet propter perfectionem ſubſtantiæ,at Deus,qui eſt perfectiſſimus immediatè ſecundum ſuam ſubſtantiã res ipſas produci:vel pro pter imperfectionem eius, ſed cum accidens producat accidens, vt calor calorem; cur nõ etiam ſubſtantia producet ſubſtantiam quandoquidem accidens eſt imperfectius ſubſtantia.Præterea,in generatione vniuoca ſimile generatur à ſimili,cum igitur ignis generat ignem,ſubſtantia generatur à ſubſtantia,nõ ab accidente,alioquin nonnunquam reperiri poſſet generatio vniuoca,nec vnquam vera eſſet illa ſententia,ſimile generari à ſibi ſimili.His accedit,quod quiditas ſubiecti,eſt cauſa propriæ paſſionis & non ſecundum potentiam paſſiuam,quia omnis potentia paſſiua eſt contradictionis ad eſſe,& non eſſe,propria autem paſſio non eſt eiuſmodi vt poſſit adeſſe & abeſſe ſubiecto, ergo ſecundum potentiam actiuam quiditas rei eſt cauſa proprępaſſionis.ergo ſub ſtantia poteſt immediatè producere aliquid,&ſi poteſt produce re accidens,cur non etiam ſubſtantiam?Hæc ſunt pro prima opi nione.Contra quam eſt Ariſto.& experientia. Etenim Ariſtot.in lib.de ſenſu & ſenſili,cap.de ſapore,ait ignem non agere vt ignis eſt,ſed vt calidus eſt;at ſecundum Scotum,principalis actio ignis quæ eſt productio ſubſtantiæ, non eſt ab igne vt calidus eſt, ſed vt ignis eſt. In primo etiam libro de Generat. ſcriptum eſt actionem non poſſe fieri, niſi vbi eſt contrarietas, debet enim agens eſſe contrarium patienti: at contrarietas non eſt propriè in ſubſtantia. Auerr. etiam in 7. Metaphyſic. comm. 22. & 31. & in 12.Met.comm.18.ait, idem eſſe agens diſponens materiam & inducens formam:Sed accidens diſponit materiã,ergo ipſum quoque aut per ſeipſum procreatur forma ſubſtantialis. Ibidem quoque ait nec elementa nec vllas ſubſtantiales formas eſſe actiuas & paſſiuas,niſi propter qualitates;& ſemen quod non eſt actu animatum facere actu animatum per calorem naturalem qui in eo ineſt.Experientia item frequens, perſpicuè declarat ſubſtantiam gigni ab accidente,namque videmus calorem qui eſt in ferro ignito ignire ſtuppam & à lumine aëris,ob reflexionẽ radiorum,produci ignẽ;Similiter etiam per motum localem,alliſione nimirum & attritione duorum corporum,ignem procreari.

Explicatur

Explicatur opinio D.Thomæ,accidens in virtute ſubſtantiæ poſſe producere ſubſtantiam.

CAP. XII,

ALtera eſt opinio Thomiſt.qui aiũt accidẽs v.g.calorẽ, habere duplicẽ modũ operãdi vnũ in virtute propria quatenus accidẽs eſt,ſecundũ quem tãtum poteſt pro ducere calorem:in virtute ſubſtantiæ cuius eſt natura lis virtus & inſtrumentum,ſecundum quẽ poteſt etiã producere ſubſtantiam:ſicut calor qui eſt in animali & in ſemine, quamuis per ſe non habeat niſi calefacere,tamẽ quatenus eſt naturale inſtrumentum animę & generàntis,poteſt producere carnem & oſſa atque adeo ipſum animal.Vide D.Thomam in 3.par.quęſt.77. art 3.& in 4.ſent.diſt.12.quæſt.1.& 1.par.quæ.77.art.1.Vide etiam in eiſdẽ locis Thomiſtas, vt Capreolum atque Caietanum ſuper primam partem quæſt.77.ar.1.Confirmatio huius opinionis pẽdet ex ſuperioris ſententiæ confutatione.Etenim certum & perſpicuum eſt, vt ſupra oſtendebamus, ſubſtantiam ſæpe produci ab accidente,non autem poteſt eam accidens producere virtute propria,quemadmodum prima ratio Scoti euidenter & neceſſariò concludit, ergo virtute alterius, hoc eſt ſubſtantiæ cuius eſt naturalis virtus atque inſtrumentum. *Secunda opinio D. Thomæ ac cidẽs produ cere ſub ſtantiã nõ ſua vi,ſed virtute ſubſtãtiæ.*

Verùm hæc opinio licet à multis probetur ac defendatur,pluribus tamẽ rationibus vehemẽter oppugnatur ac propemodum euertitur.Primùm enim,qualitates actiuæ,quę ſunt quatuor primæ qualitates immediatè inhærent in materia prima & ordine generationis præcedunt formas ſubſtantiales, ſicut à nobis ſupra oſtenſum eſt in 5.libro,ergo nõ agunt in virtute formarum ſubſtantialium. Poſtea, aut ignis producit ſubſtantiam ignis per actionem aliquam ſubſtantialem diſtinctam à calefactione, at ſic & relabimur in opinionem Scoti & accidẽs nullo modo produceret ſubſtantiam nec ſua nec aliena virtute,ſed ſubſtãtia produceretur per actionẽ ſubſtãtiæ propriam & incommunicabilem accidenti:aut ignis producit ſubſtãtiam per calefactionem, ſed calor ſua virtute calefacit,ergo ſi ignis calefaciẽdo producit ſubſtantiam virtute caloris eam producit. Deinde, quid eſt illud agere in virtute ſubſtantiæ?vel enim eſt accidens moueri & dirigi à ſubſtantia,ſicut dicimus ſecurim agere in virtute artificis, quia nõ ageret niſi ab eo moueretur & regeretur; at quo pacto accidens moueatur & dirigatur à ſubſtãtia,ne intelligi quidẽ aut fingi à quoquam poteſt.Vel eſt,ſubſtantiam influere aliquam virtutem accidẽti,per quam fiat potẽs ad producendam ſubſtantiam,

at talis influxus atque virtus ſtatim videtur eſſe figmentum:& cũ nihil ſit in accidente quod ſit ipſo nobilius, ſi accidens non agit virtute ſua,neque aget virtute illius influxus. Præterea, cum iſte influxus ſeu virtus ſit accidens, quæretur quomodo habeat vim producẽdi ſubſtantiã?ſi enim non virtute ſua,ſed ſubſtãtiæ, exiſtet eadẽ difficultas,réſque procedet in infinitũ:ſin autẽ ſua,idẽ à principio de priori accidente dici debuit.Aut (id quod aiunt acutiores Thõmiſtę) accidens producit ſubſtantiã,quia eſt naturalis, & propria virtus ſubſtantię,ab ea dependens eiq; à natura tributa,tanquã inſtrumentũ ad obeũdas eius actiones.Verùm hoc nihilo plus valet qua ſuperiora,tum quia totũ id quod ſic aiunt,nihil aliud eſt,quàm relatio quędam accidentis ad ſubſtantiã: quæ relatio ſicut non poteſt eſſe per ſe primò terminus actionis, ita nec eius principiũ:tum etiam quia falſum eſt ignem produci à calore, vt is eſt naturalis quædã virtus ignis namque calor qui eſt in aëre habet etiam vim gignendi ignẽ:ſiquidem vera ſunt quæ ſcribit Ariſt.in 2.lib.de Gener.ex duobus elementis à ſymbolis tertiũ vtrique ſymbolum effici poſſe,vt ignẽ ex aëre & terra:ſi enim aër calore ſuo vincat frigiditatem terræ; relinquendo in ea ſiccitatem,tunc in materia terræ,cum inſit calor & ſiccitas,neceſſariò exiſtet forma ignis.Præterea, non ſolùm ignis gignitur à calore ignis,ſed etiam per lumen & motũ localẽ.Illud autem ridiculum eſt,quod quidam aiunt,calorẽ propria quidem virtute calefacere vſque ad ſeptimũ gradũ,octauum autem gradu vel ſi quis eſt alius,qui ſit immediata diſpoſitio ad introducẽdã formã ignis,hunc inquã,nõ in propria virtute producere,ſed in virtute ſubſtantiæ;quis hoc non tanquã merũ planè figmẽtum derideat? cum enim ignis naturaliter & neceſſariò agat,ſemper agit eodẽ modo, quomodo igitur priores omnes gradus virtute propria producit,vnum verò illum vltimũ non poteſt eadẽ virtute producere?quid enim tũc de nouo accedit calori producẽti quod ante non habuit nam ſi nihil aduenit eodem modo ſe habebit calor ante & poſt,quare etiam eodem modo aget, nam idem manens idem ſemper natum eſt facere idem,vt dicit Ariſt. in 2. lib. de Generatioue.

Tertia opinio probabilior cæteris ponitur, & ſoluuntur rationes contrariæ.

CAP. XIII.

TErtia opinio eſt.quę nobis videtur probabilior accidẽs ſua virtute poſſe ſubſtantiã producere, ita vt cũ ignis producit ignẽ,tota ea productio intrinſecè& effectiuè

procedat à calore,neque ad eam effectiuè concurrat forma ſubſtantialis quæ eſt in igne.Quæ opinio refutatis iam ſuperioribus ſententiis longa non eget probatione,nam ſi ſubſtantia producitur ab accidẽte; vt demõſtratum eſt contra Scotum, & non in virtute ſubſtantiæ vt oſtẽſum eſt, contra Thomiſtas relinquitur igitur vt accidens virtute ſua producat ſubſtantiam.Reſtat nunc vt ſoluamus rationes Scoti,& alias quaſdã dubitationes quæ videntur eſſe contra tertiam opinionem explicemus. Ad Primam rationẽ quæ eſt Scoti reſponderi poteſt dupliciter,primùm hoc modo,inter accidens & ſubſtantiam poteſt fieri comparatio, vel in ratione entis,& ſic clarũ eſt accidens eſſe ignobilius ſubſtãtia, vel in ratione productiui & producibilis,& ſic eſt proportio inter ea,nã ſicut accidens naturaliter eſt productiuũ ſubſtantiæ, ita ſubſtãtia naturaliter eſt producibilis ab accidente, nec in hoc eſt inæqualitas;& ſanè vtrumque eſt eiuſdem ordinis cum ſit quippiam naturale,& materiale,& corruptibile. Altero modo etiam reſponderi poteſt,duplicem eſſe effectum agentis,vnum intrinſecum actui agẽtis,vtpote qui per eius actionem attingitur alterum externum actioni agẽtis,qui quoniã habet naturalẽ & neceſſariam cõnexionem cũ primo illo intrinſeco effectu ideirco cum hic internus producitur,ille externus quoque per motum naturalis ſequelæ producitur ab agente exempli cauſſa: Calefactionis, intrinſecus & immediatus effectus eſt calor:mediatus autem,& huic naturaliter conſequens eſt raritas & leuitas. Inter hæc autem duo genera effectuum hoc intereſt; quod prior non poteſt eſſe nobilior agente:poſteriorem autem eſſe vel nobiliorem vel ignobiliorem,nihil prohibet;& ratio eſt,quia ille, cum per ſe producatur ab agente,neceſſariò ſequitur menſurã & modum virtutis actiuæ,hic autem, cum producatur per ſe minimè commenſurari & correſpondere debet virtuti & perfectioni agẽtis;ſiquidẽ præſtantia agentis & actionis, æſtimari debet ex primo & immediato termino atque effectu,non autem ex aliis quę propter naturalem rerum conſequentiam & connexionem producuntur. Cùm igitur ſubſtãtia ſit effectus accidentis non priori ſed poſteriori modo, nam cum in materia eſt calor vt octo, neceſſariò erumpit,& exiſtit forma ignis, non enim poſſunt hæc duo inuicem ſeparari;ex quo fit, vt calor producendo in materia calorem vt octo,conſequenter etiam producat ſubſtantiam ignis,ob hãc cauſſam fit,vt quamuis accidens ſit ignobilius ſubſtantia,eam tamen poſſit producere.Ad Secundã.Repugnat ſubſtantiæ immediatè producere aliquid:non ratione perfectionis vel imperfectionis,ſed quia productio eſt actio,actio autem nõ ſit agere.

Nota doctrinãhãc de duplici effectu agentis.

Cur ſubſtãtia immediatè nihil poſſit agere.

Potest esse nisi vbi est contrarietas, hæc autē non competit substantiæ, nisi propter accidentia, quare nec aget substantia nisi per accidentia. Ad Tertiam. In producente & producto duo considerare oportet, vnū est id quod producit, & quod producitur; alterum est id quo producit & quo producitur: exempli gratia: ignis ex aqua producit ignem, quod producit & producitur est ignis, similiter etiam quo producit & quo producitur est calor tū qui est in igne producēte, tum qui inducitur in materiam aquę. Ergo in generatione vniuoca est similitudo, si comparentur inter se, vel quod producit & quod producitur: nam vtrumque est substantia, vel id quo producit, cum eo quo aliud producitur vtrumque enim est accidens: nō oportet autem comparare id quo producitur, cum eo quod producit, quia non fieret comparatio inter ea, quæ sunt eiusdem rationis.

An subiectum sit causa efficiens suæ propriæ passionis.

Ad Quartam. Subiectum non est causa efficiens propriæ passionis, nam vel produceret eam per eandem actionē, qua ipsum producitur; at hoc repugnat; quia producere præsupponit esse quare si subiectum per huiusmodi actionem producit, iam est: si per eandem producitur, nondum est, ergo simul est & non est; & esset posterius illa actione, vtpote per quam ipsum producitur, & esset prius illa eadem actione, vtpote per quam producit ipsam propriam passionem: vel per aliam actionem, sed hoc modo propria passio esset tempore posterior subiecto, & non flueret ex quiditate subiecti simpliciter, sed ex quiditate rei existentis, quod falsum est, nam non est necessaria connexio quiditatis cum sua existentia, nulla enim res, præsertim earum quæ sunt generabiles, necessariò existit, at connexio propriæ passionis cum subiecto, necessaria est: siue enim triangulū existat siue non habet tres angulos æquales duobus rectis. Est igitur eadem causa efficiens subiecti & passionis, eadem enim actione vtrumque producitur, sed illud per se primò, hæc autem per modum naturalis & necessariæ consequentiæ. Neque etiam subiectum est in potentia passiua Phy. ad propriam passionem, nam id dicitur Phy. esse in potentia passiua respectu alicuius, quod nondū actu habet, aptū tamen est ab agente naturali trāsmutari ad illud. Arist. enim in 5. & 9. lib. Metaphy. principiū rei quo est transmutabilis ab alio vt aliud est, potentia passiua definit: si igitur subiectū est in potentia passiua ad suā propriam passionē, necesse est cogitare subiectum prius esse, & tum ab aliquo agente transmutari ad suā passionem, quod falsum est: cū subiectū & propria passio simul sint & simul producantur. Atq; supradicta quidē potentia passiua est illa quā Aristotel. tot locis appellat potentiam contradictionis ad esse & non esse. Si quis autem existimat propterea subiectum habere potentiam passiuā & contradictionis respectu passionis, quia propria passio in ipso inhæret, is sanè non rectè sentit, ob eandem enim causam dicere deberet, substantiam cæli habere potentiam passiuam contradictionis respectu quantitatis in ipso cælo inhærentis, quam tamen constat ab eo esse inseparabilem.

Quid sit potentia passiua Physicè, vel potentia cōtradictionis secundum peripateticos.

Enodantur quatuor aliæ dubitationes.

CAP. XIIII.

Quatuor dubitationes contra tertiam opinionem.

EXistūt præterea quatuor dubitationes, quæ videntur officere tertię opinioni, quā cęteris probabiliorē esse iudicauimus. Prima dubitatio est, cū communis sit & trita multorū Philoso. sententia, accidēs cū producit substantiam, agere in virtute substantiæ: idq; secundū tertiā opinionem defendi nequeat, non videtur ea opinio probanda esse, vt quæ communi sententiæ aduersetur, Secunda dubitatio. Si forma substantialis neq; mediatè, neque immediatè operatur, ergo frustra est & otiosa, & cum melius sit habere vim atq; facultatē agēdi quā non habere, nobilior erit conditio accidentis, quàm substantię, quin etiā facillimē credi poterit nullā esse formā substātialē, namq; formā esse, & qualis ea sit, non aliter cognosci potest quàm ex operatione. Tertia dubitatio. Forma substantialis nullo modo posset appellari natura, siquidē natura deffinitur esse principium motus, at secundum tertiam opinionem substantia nullo modo est principium actiuum alicuius motus. Quarta dubitatio. Si substantia producitur per solā actionem accidentis, ergo non per se producitur sed per accidens, quare generatio non erit per se mutatio aliqua: probatur consequentia, nā per actionem accidentis non potest intrinsecè & immediatè produci aliud nisi accidens, sicut per calefactionem primò non aliud quam calor producitur, quare si per eandem actionem etiam substantia producitur, necesse est eā consequenter, & per accidens produci. Ad has dubitationes breuiter respondendum est hoc modo. Ad primam. Potest dici accidens agere in virtute substantiæ tripliciter, primùm, secundū denominationē, nam licèt actio effectiuè procedat ab accidēte, tamen quia actiones denominatiuè sunt suppositorū vel rerum per se subsistentiū, non denominatur agens nisi quod est per se subsistens, huiusmodi nō est accidens, sed substantia accidente affecta. Deinde substētatiuè; nā quia operari sequitur esse, accidens autem habet esse in virtute substātiæ quatenus ab ea substētatur, ob eā quoque causam potest dici agere in virtute substantiæ. Postremò, determinatiuè; nā substantia ignis non

Quomodo accidens dici possit agere in virtute substātiæ.

producitur per calorem, vt calor est, alioquin perquemlibet gradum caloris produceretur, sed vt est tantus calor, verbi gratia, vt octo, non habet autem calor vt sit tantus ex eo quod sit accidens, sic enim indifferens est ad omnẽ gradum, sed ex substãtia in qua est, quæ vt secundum naturam suam perfectè se habeat vendicat sibi tantum calorem, determinatio igitur accidentis, subiectiuè quidem prouenit ex substantia in qua inhæret; finaliter autem ex substantia quæ per ipsum produci debet: Ad Secundam. Non est substãtia otiosa etiã si nihil operetur, tum quia otiosum est id cuius potest esse aliqua operatio & non est, quod non conuenit substantiæ; tum etiam quia forma substantialis tametsi nihil operetur, ob alias tamẽ causas necessaria est, quas nos in principio sexti libri exposuimus. Adde quod potest dici operari, si nõ effectiuè, certè illis trib. modis, quos paulò ante memorauimus. Ad Tertiã. Forma substantialis est natura & principiũ motus, non effectiuè, sed illis tribus modis quos in solutione primę rationis posuimus. Ad Quartã. Forma substantialis ordine generationis seu productionis cõsequenter & secũdariò producitur, at si spectetur intentio, dispositio, & ordinatio naturæ, quæ per se primo intendit formam substantialem, & propter eam præmittit & producit in materia accidẽtia, existimandũ ac dicendum est, forma substantialem per se primo produci. Atque hæc quidem de præsenti quæstione probabiliter disputata sint; neque enim priores duas opiniones contemnimus, aut damnamus, sed tertiam illis præferimus, vt quæ nobis propensior ad veritatis similitudinẽ videatur: quam tamen ita probamus, vt eã formam substantialẽ è medio tolli nullo modo velimus: nec verò tolli oportere iudicemus.

An idem numero effectus à multis causis possit effici.
CAP. XV.

POtest hoc loco tractari. quod à multis quęri & disputari solet, an idẽ numero effectus à diuersis causis proficisci queat. De quo nos, quia neq; multę difficultatis est, neq; magni momẽti, breuiter dicemus. Primò potest idẽ effectus fieri à multis causis diuersi generis, immò necessariò concurrũt quatuor causæ ad producendũ effectũ naturalẽ. Prętera, idẽ effectus potest fieri à multis causis eiusdẽ generis, verùm subordinatis, quarũ vna est vniuersalis, altera particularis: sol enim & homo generãt hominẽ. Deinde, põt idẽ effectus effici à multis causis eiusdẽ generis & proximis atq; immediatis, sed quę sint (vt vocant) partiales non autẽ totales, velut triremis mouetur à multis remigibus: sed is motus non fit à singulis eorum omnino totus, seu ab omnibus illis simul, ea ratione vt vnius causæ integræ ac perfectæ vim & potestatem explent. At vt idẽ numero effectus producatur à multis causis eiusdẽ generis immediatis & perfectis, ita vt quælibet earũ per se sufficiens sit ad totũ effectũ omnino producẽdũ, videtur esse impossibile. Primò, quia sicut non potest esse nisi vna proxima materia, & vna proxima forma ipsius effectus, ita nec efficiẽs, tum quia sic nõ esset necessaria & determinata connexio effectus cum sua causa quamobrem talis effectus sciri non posset: quia scire est rem per causam cognoscere propter quã res est & quod non contingit aliter se habere. Postea, quia in natura nihil est superfluum & otiosum, at si essent multæ causæ vnius effectus, eo modo quo diximus, præter vnam illarum, cæteræ otiosæ essent. Deinde, vna numero actio non potest fieri à duobus agentibus, nã actio dependet ab agente & per ipsum definitur, ergo nec vnus numero effectus; nã actio re non differt ab effectu, qui est intrinsecus & immediatus eius terminus. Ad extremum, sit C. effectus, sint eius causæ A. & B. sequeretur effectum à neutra causa per se ac necessario dependere, quod est falsum; nam effectus necessariò dependet à causis suis per se: probatur consequentia, C. non dependet necessariò ab A. alioquin eo remoto non posset effici ab ipso B. at ponitur posse etiã fieri ab ipso B. similiter C. non dependet à B. propter eandem causam, ergo à neutro per se & necessariò dependet. Et quãquam ita sentiant Thomistæ, vt videre est apud D. Tho. in 1. par. q. 52. ar. 3. & Paulum Soncinatem, in 5. Metaph. q. 6. tamen cum ipsi affirment genita ex putrefactione & semine esse eiusdem speciei, videtur concedere multas causas efficientes eiusdem effectus proximas & perfectas, quarum quælibet per se sufficiens est ad producendũ effectum: mus enim secundum ipsos, æquè generari potest ex semine: ac ex putri materia. Sed ipsi respondere possent dupliciter, vel se tantùm loqui de causis efficiẽtibus eiusdẽ rationis, id est vel ambabus vniuocis vel æquiuocis, at generatio muris ex semine est vniuoca, ex putri autem materia, est æquiuoca; vel se loqui tantùm de causis efficientibus, quæ simul concurrunt ad vnum numero effectum producendum, nunquam autem contingit eundem numero murem simul generari ex semine, & ex putri materia.

Solet etiam ab aliis in dubium vocari, an effectus qui ab hac causa efficiẽte, & in hoc loco, atq; hoc tẽpore productus est, idem numero potuerit produci vel ab alia causa efficiente, vel in alio loco, vel alio tẽpore. Ad quod nos breuiter respondemus, videri nobis probabilius, id fieri nõ posse. Primò, quia debet esse deter-

An idem effectus numero potuerit ab alia causa vel alio loco & tempore effici.

minata habitudo & connexio effectus cum sua causa,quæ nõ esset,si effectus à qualibet alia causa produci posset:tum quia vnã numero actio non potest esse à diuersis agẽtibus, aut in diuersis temporibus:quia ad vnitatem numeralem motus requiritur vnitas numeralis mouentis vt dicitur 8.Phy.tex.49.& vnitas numeralis temporis vt dicitur in 5.Phy.text.41. si autẽ actio variatur per quam effectus producitur,fieri non potest quinetiam effectus varietur. Postremò,quia effectus particularis per se dependet à cælo,quare variato cæli aspectu & siderum,quem omni puncto temporis variari necesse est, non potest idem numero effectus produci.Verum de his satis.

Nunc declarandum est,an effectus eiusdẽ speciei, possint produci à causis efficientibus diuersæ speciei,vel etiam generis, quarum quælibet sit proxima & perfecta causa ipsius effectus. Atque hîc locum habet insignis illa quæstio de genitis ex semine& ex putri materia, an sint eiusdẽ speciei:exẽpli causa.An mus qui sine semine gignitur ex putri materia,sit eiusdem speciei, cuius est is qui gignitur ex semine alterius muris. Circa hanc quæstionem reperimus tres opiniones.Quidam enim putarunt omnia animalia tam imperfecta,quàm perfecta, etiam ipsum hominem,posse gigni ex semine & ex putri materia. Alij censent,nullum animal eiusdem speciei posse vtroque illorum modorum gigni:sed quęcunque gignũtur vno modo,specie distingui ab his quę gignuntur altero modo.Sunt etiam multi,qui arbitrantur animalia quidem perfecta, tantum posse gigni vno modo nimirum ex semine,cuiusmodi sunt,leo,equus; homo; Imperfecta verò qualis est mus,vermis,serpẽs,scorpio,vtroque modo gigni posse: quinetiã sunt quædam imperfectissima,quæ non nisi ex putri materia generanturiita vt sint tria genera animaliũ, quorum quædam tantùm ex semine,alia tantùm ex putri materia, nonnulla vtroque modo generantur.Has igitur tres opiniones sigillatim discutere, ac diiudicare operæpretium fuerit.

Quæ generantur ex semine & ex putri materia,an sint eiusdem speciei. Ac primò examinatur opinio Auicennæ.

CAP. XVI.

Mirabilis opinio Auicẽnæ hominem etiam sine humano.

PRima opinio est Auicenne in libro quẽ scripsit de Diluuio,& à quibusdam etiã tribuitur Alberto, quã innuit Arist.in 2.Politicorũ, cap.6.vbi reprehendens priscos legũ latores,ait eos vel ex corrupto semine,vel ex terra natos fuisse,& in Sect.10.Problemate 15.& Plato in Menexeno & Philoponus in 3.de Generatione animaliũ nominãt Stesicorũ qui dicebat post

post diluuiũ homines fuisse renatos ex putri materia: potuerunt autẽ hi fortasse sumere huius opinionis occasionẽ ex iis quæ cõtinentur in sacris literis,vel de formatione Adã, qui ex limo terræ à Deo fictus est,vel de generali diluuio.Quæ opinio his argumentis probari posset.Primò, eadem est materia generationis & nutritionis,ficut Ari.docet in 2.de Genera.tex.50.& in 2.de Anima,sed terra suggerit materiã qua possit homo nutriri, vt herbas & fructus:ergo potest ipsa quoque præbere materiam ex qua homo generari queat. Deinde,quicquid potest virtus inferior, potest etiam superior, si igitur virtus quæ est in semine, cum sit particularis causa & ignobilior virtute cælesti, gignit hominem; cur non idẽ facere possit cælum cum elementis? Postea,cælũ potest afferre interitum homini,ergo etiam eius generationem perficere,siquidem oppositorum eadem est ratio, Præterea ars imitatur naturam,sed ars quamlibet formam potest exprimere in diuersis materiis,vt formam hominis in ligno argento,marmore, ergo similiter natura poterit quamlibet formam naturalem in diuersis materiis producere. Postremò,homo liberè generat hominem,quare potest non generare: & ex ea parte qua homo generatur ex homine,potest deficere species humana: cum autem impossibile sit eam simpliciter deficere, propterea quod species continent vniuersi perfectionem,præsertim autem humana,quæ est omnium nobilissima, necessarium est dicere generationem humanam non solùm ex semine hominis, sed etiam alio modo, & ex alia materia effici posse.Itaque secundum hanc opinionem, fœmina non est per se necessaria ad generationem hominis, sed tantùm per accidẽs, nimirum propter locum matricis qualis locus extra fœminã,id est tam oportunus, tam commodus,& conducens generationi, conseruationi,& accretioni hominis, donec in lucem edatur,non facilè reperiri potest.

naturaliter posse procreari.

Refutatio Auicẽnæ

Verũ hęc opinio indigna est Philosopho,quippe qui non debet, vt est apud Arist.8.Phy.tex.15.& in 2. de Generat.tex.42. quidquã asserere,quod nõ vel experientia vel ratione aliqua probabili cognitum habeat,& aliis suadere queat. At nulla experientia docet hominem aliter generari posse naturaliter quàm ex semine; neque ab initio mundi vllus hominum(nisi forte Poetarum fabulis putemus habendã esse fidẽ)ex putri materia generatus est: & sanè quod nunquã adhuc factum fuit, Physicè loquẽdo de iis quæ ad speciem pertinent plusquam verisimile est, neque deinceps aliquando futurum,neque fieri posse naturaliter.Ratio autẽ reclamat,hominẽ ex putri materia generari posse,quomodo enim tã varia,subtilis,delicata & artificiosa, tot mẽbrorum & partiũ hu-

mani corporis compactio, conformatio, distinctio, figuratio ex putri materia efficiatur? aut quis locus præter matricẽ fœminineæ, qui sit calidissimus, nõ igneo sed vitali quodã calore, & ab omnibus elementorũ cælique iniuriis tutissimus, reperiatur? Sed esto, generetur homo ex putri materia; at postquã est conceptus & in lucẽ æditus, quo alimento nutrietur & substãtabitur? non etiam quodlibet illi ætati congruit, & cũ homo per multos annos non possit per se sine adiumento parentũ vitam degere, quis nam ei ex terra nota, hæc necessaria adiumenta & præsidia præstabit? An natura quidem generabit ex terra, eum autẽ generatũ conseruare non poterit, sed mox interiturũ deseret? quis hæc tã insipienter & impiè de natura vel potiùs de Deo qui est naturæ cõditor & rector, loquentẽ ferat? Verùm plura cõtra hanc opinionem disputare superuacaneum est: stultũ enim est, vt ait Arist. attendere quid quisque dicat: & quidam lepidè ait, sapientes viros ambigere, vter stultior sit, isne qui stultè dicit, an qui stultè dicentem serio refutare contendit. Nec verò quisquam miretur tam ineruditam, tam absurdam & incredibilem sententiam cuiquã Philosopho probari potuisse; namque non minùs verũ quã scitum est illud quod Cic. scribit in 2. lib. de Diuinatione. *Nescio inquit, quomodo nihil tam absurdè dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philos.*

Quare breuiter ad rationes huius opinionis respondeamus.

Solutio rationum opinionis Auicennæ.

Ad Primã Duplex est materia nutritionis, vna remota, vt herba & fructus, altera proxima, vt sanguis; illam terra dare potest, hãc non potest, de qua tamen intelligitur id quod dicitur eandẽ esse materiam nutritionis & generationis: ac licèt eadem sit materia generationis & nutritionis, quæ tamen generationi inseruit, & appellatur materia seminalis, multo purior, efficacior, & perfectior est, quàm alimentalis materia, cuius rei signũ est illud, quædam membra ex materia seminali à principio formata, si postea corrumpantur, frangãtur, ac mutilẽtur, non posse rursus per nutritionem renasci aut reparari. Ad Secundã. Causa vniuersalis, duplex est, vna prima & simpliciter vniuersalis vt Deus, qui propterea quod liberè agit; infinitam habet vim ad agendum, potest quicquid ab agẽtibus particularibus & causis secundis efficitur, proximè sine illis efficere: altera est causa vniuersalis secunda quę est vniuersalis nõ simpliciter, sed tantum respectu rerũ sublunariũ vt cælum, quæ causa tum quia est finitæ virtutis & naturaliter operãs, tum quia per se est indifferẽs & indeterminata ad productionẽ, cuiuslibet effectus particularis, nequit sine proximis & propriis causis particularibus, earum effectus producere. Ad Tertiã. Non valet consequentia, nam multò plura, & maiora præsidia neces-

necessaria sunt ad generandum hominẽ, quàm ad eum corrumpendum, etenim si vnum quodlibet elementorum exuperet cætera, potest homini exitium afferre, at perspicuum est non posse hominem ex vno elemento generari. Ad quartam. Inter naturam & artem multum interest, primùm. n. forma quã efficit ars, non est substantia, vel res quædam diuersa à subiecto, sed est varia quædam determinatio, conformatio, & figuratio quantitatis in qua ratio figuræ cõsistit. Deinde, materia quæ accipit formam artificalem, non habet ad eam naturalem potentiam & inclinationem quemadmodum est in 7. lib. explicatum. Propter hanc igitur quę est inter naturam & artem dissimilitudinem, fit, vt forma artificialis in diuersis materiis effici queat, naturalis autem minimè. Ad quintam. Coniunctio maris & fœminæ per quam semen exhibetur matrici, liberè fit: at postquam matrix semen virile complexa est, omnis illa operatio subsequens, per quam generatio hominis absoluitur, per se non liberè sed naturaliter efficitur. Neque verò, quia initium generandi in nostra est voluntate atque potestate, ideò metuendum est ne ipsa hominis generatio aliquando deficiat. Etenim appetitus generandi, cuilibet homini naturaliter insitus & penitus infixus, acerrimus & incitatissimus est: isque post labefactatam, primi hominis scelere, integritatem naturæ nostræ, multò etiã vehementior & effrenatior extitit: vt tam ardens procreandi cupiditas ne quando in cunctis hominibus omninò restinguatur, nequaquã sit pertimescendum & sanè quod adhuc nunquam accidit, non est verendum ne in posterum aliquando contingat. quamuis si Theologicè ac verè loqui volumus, aliquando cessaturam esse generationẽ hominis minimè dubitandum est; post resurrectionem. n. neque nubent neq; vxores ducent (vt ait Dominus) sed erunt velut Angeli Dei.

An generatio hominis sit naturalis, an potius liberè fiat & an possit aliquã do deficere.

Declarãtur secunda opinio quæ est Auerrois.

CAP. XVII.

Opinio Auerrois generata ex semine & ex putri materia semper inter se distingui. eic.

ALtera opinio est Auerrois, quam is copiosè tractat in 8. Ph. comm. 46. & in sua Paraphrasi super 1. lib. de Generatione animal. cap. 1. affirmãs nullam speciem, seu viuentium seu animaliũ, posse generari ex putri materia & ex semine, & quæcunque his duobus modis generantur, quamuis in speciem similia sint, specie tamen inter se distingui. Hanc sententiam, tum ipse, tum eius sectatores, confirmant multis rationibus. Prima ratio. Materia & forma sunt ad aliquid, ita vt quemadmodum formæ differunt, sic necesse sit materias quæ proximè ac propriè illis formis respondent, diuersas esse, sicut Arist. ait in 2. Phys. text. 26. sed putris materia & seminalis, inter

se differunt specie,ergo formæ quæ ex illis educuntur,& in illis recipiuntur,non possunt esse eiusdem speciei. Ad hoc qui contra sentiunt,fortasse responderent dupliciter. Primò, quamuis materia putris per se & à principio multũ differat à seminali,tamen per virtutem caloris cælestis,vel aliarum influentiarum, sic afficitur & temperatur,vt habeat temperationem quandam & constitutionem qualitatum,valde similem ei quam materia seminalis habet in matrice, quamobrem non est mirandum si possit etiam similem formam recipere. Deinde,duplex est mãteria,vna transiens, altera immanens. nihil prohibet eiusdem speciei esse diuersas materias transeuntes, velut sanguis efficitur ex carne, fructibus & pane: similiter etiam ex materia putri & seminali, quæ sunt materię transeuntes,poterit eadem species produci. Materia autem immanens (dicerent forsitan illi) non est alia quàm materia prima,siquidem omnis forma substantialis immediatè vnitur materię primę,quare cum materia prima, quæ est in corpore putri,& quę est in semine,sint eiusdem rationis,relinquitur animalia quæ generantur ex putri materia & ex semine,habere materias immanentes eiusdẽ speciei. Secunda ratio. Mus æquiuocè dicitur de eo qui generatur ex semine & ex putri materia, ergo illi mures non sunt eiusdem speciei,consequentia satis per se manifesta est. Antecedens autẽ ita probatur, æquiuoca sunt quorum nomen est commune & ratio substantiæ diuersa sed illi mures habent nomen muris commune, definitionem autem substãtialem diuersam,ergo,&c. Minor probatur, etenim materia necessariò ponitur in definitione rerum naturaliũ,vt est apud Arist. 1.de Anima, text.16.& in 6.Metaph.tex.2. præsertim cum secundum eos qui huic opinioni aduersantur, materia sit pars quiditatis,ergo si est diuersa materia,impossibile est eandem esse quiditatem & definitionem: cum igitur illi mures ex diuersis materiis existant,non possunt eandem habere quiditatẽ. Ad hoc quid responderent aduersarij, facilè coniici potest ex superiori responsione,dicerent enim licèt materię,quas vocant transeuntes,in illiusmodi animalibus,sint diuersę speciei,materias tamẽ manentes, quæ propriè pertinent & adhibentur ad definitiones rerũ naturalium,vnius esse speciei. Tertia ratio. Connexio effectus cum suis causis, per se necessaria & immutabilis est; alioquin tolleretur scientia siue quę demonstratione,siue quæ definitione constitur; siquidem scire definitur rem cognoscere per causam propter quam res est,& quod non cõtingit aliter se habere: at illi mures cũ tam ex materia putri,quam ex seminali generari queãt,cũ neutra materia habent connexionem quæ sit necessaria per se.

Quarta ratio. Generatio muris ex semine,fit secundum naturam vt patet,ergo fit vel semper,vel vt plurimũ,sic.n. Arist.in 2. Phy. & in 1.de Cęlo definit id quod est secundum naturam: ergo oppositum huius, est pręter naturam & rarò,ac per accidens contingit sed mures qui gignuntur ex putri materia, ita frequenter & per se generantur sicut illi qui ex semine,hoc igitur est manifestissimum signum,hos & illos,non esse eiusdem speciei. Quinta ratio. Vnius naturę vnus est modus generationis,ergo diuersus modus generationis arguit diuersas naturas. Antecedens innuit Arist.in 1.lib.de Gen.anim.c.1. Sexta ratio. Natura nihil frustra & superfluè facit nec facit per plura, qđ potest facere per pauciora; ergo si eadẽ species animaliũ generari potest ex semine & sine semine, alter istorum duorum modorũ erit superfluus, cum vnus illorum sufficiat. Si dicant id facere naturam propter maximam solicitudinem,quam habet de conseruatione huiusmodi animalium; id sanè ridiculum est,nam multò æquius esset istiusmodo curam & solicitudinem habere de animalib.perfectiorib. quæ tamen non nisi vno modo generantur. Si dicant,hoc idcirco fieri, quia perfectorum animaliũ prestantia,non patitur ea generari aliter quàm ex semine. Nec id profectò satis firmum est, nam si sunt animalia quædam imperfectissima, quæ tantùm generantur ex putri materia,& alia quædam perfectissima, quæ non generantur nisi ex semine,& ad horum animalium propagationem & conseruationem vnus tantùm generationis modus sufficit, cur non item ad murium speciem propagãdam & cõseruandam vna generationis ratio sufficiet? sed oportuit naturã ad eorum propagationem atq; cõseruationem,duplicẽ generandi modũ adhibere. Septima ratio. Mutationes differentes specie, habent terminos ad quos differentes specie,vnitas.n.& distinctio specifica motuũ,au ctore Arist.in 5.Phy. sumitur ex terminis ad quos tendunt,sed generatio exputri materia,& generatio ex semine,sunt mutationes inter se specie differentes, ergo termini earum different specie, quare animalia quę illis duobus modis generantur,erunt diuersæ speciei: minor ita probatur, termini à quibus procedunt illæ duę generationes specie differunt inter se,nãvt sępe dictũ est,materia putri & materia seminalis,nõ possunt esse vnius speciei,ergo similiter etiã termini adquos tẽdunt,specie differẽt: probatur consequẽtia. Primò. terminus à quo,est cõtrarius termino ad quẽ omnis.n.mutatio,vt dicitur in 1.& 5.Phy. fit ex cõtrario in cõtrarium. Deinde,sicut Arist.docet in 1.lib.de Cælo,& in 10.lib. Metaph.vnum vni tantummodo est contrarium,nec vni rei possunt esse duo cõtraria, quę specie differãt; cum igitur terminus à quo

generationis ex putri materia,& terminus àquo generationis ex semine, inter se specie differant, & vterq; illorum sit contrarius suo termino ad quem.si termini ad quos tendunt illæ duæ generationes,essent vnius speciei,iam tunc vni,duo quæ sunt diuersæ speciei,essent contraria.Octaua ratio. Forma cognoscitur ex operatione,nam quę habent formam,& naturam eiusdem speciei similes quoque habent operationes, sed animalia quæ nascuntur ex semine & ex putri materia, dissimiles habent operationes ergo non sunt eiusdem speciei: probatur minor , animal natum ex semine,per se habet vim generandi & quidem generandi sibi simile,animal autem ex putri materia natum, aut nihil omnino generat sicut Arist.docet in 2.de Anima.text.34.his verbis.*Generare est naturalissimum operum quæ in viuentibus sunt quæcunque perfecta,& non mutilata sunt,aut generationem spontaneam habeant.* Cuius generis esse constat ea quæ oriuntur ex putri materia:aut si generat aliquid,id nec est eiusdem speciei cum generante , nec habet vim aliud quidpiam amplius generandi.Nam quod generatur ab eo quod productum est ex putri materia,si esset eiusdem speciei cum illo,haberet quoque eundem modum generationis quare sicut illud ex putri materia genitum est, ita hoc gigni debuisset;vel sicut hoc ex semine natum est,sic illud nasci oportuisset:quæ sunt.n. eiusdem speciei,vnum habent,similémq; generationis modum. Præterea, si hoc quod generatum est ab eo quod fuit productum ex putri materia,etiã generaret aliud quidpiam, vel hoc esset eiusdem speciei, at nõ habet eundem generationis modũ cum primo generante;vel esset diuersę speciei,& sic generatio specierũ procederet in infinitum.Atq; tota hæc argumentatio,eisdem propemodu verbis tractatur ab Arist.in 1.li.de Gener. animal.c.1.quo in loco ita scribit.*Quę non ex coitu,sed ex putri materia oriuntur,ea generant,quidem.sed genus diuersum, quodque prodijt, nec mas est,neque fœmina;quod iusta euenit ratione,nam si ex coitu eorum quæ non ex animalib.orta sunt,animalia orirentur,hæc si eiusdem generis essent, primum quoq; parentum ortum talem esse oporteret,quod rectè ita censemus,quando sic euenire in cæterũ animalibus patet. Sed si dissimilia quidem,sed quæ coire inter se possent gignerentur,rursus ex his alia quædam natura procrearetur,& alia ex ea,idq; in infinitũ procederet.* At *natura infinitum vitare solet,infinitum.n. fine caret:natura autem semper finem quærit.* Ac ne puteturArist.hoc in loco id fortuitò dixisse,vel probabiliter tantùm vt quidam nostræ memorię scriptor ait,disputare eandẽ sententiã similib. penè verbis expressam reliquit in 5.lib.de Historia animal.c.1.hoc modo scribens. *Quæ per se,vel in animali,vel in terra,vel in stirpe, vel etiam in eorum ipsorum partib,*

Nota præclarã hãc sententiã & doctrinã Arist.

creantur,eademq; maris,ac fœminæ sexu distincta sunt,iis coeuntibus gignitur quidem aliquid,sed ex quo nihil amplius gigni possit;verbi gratia Coitu pediculorum,lendes dictæ procreantur, muscarũ,vermiculi,pulicum genus pediculorum ouium speciem referens,ex quibus nec ea quæ generarint prouenium,nec aliud vllũ animal,sed id quod sunt,sordes tantum existunt. Hæc & si quæ sunt alia afferri possunt, quasi firmamenta & præfidia,ad opinionẽ Auerrois muniendam atq; confirmandam.

Explicatur tertia opinio.

CAP. XVIII.

TErtia opinio est,quemadmodum animalia perfectissima tantùm generantur ex semine,& imperfectissima tantùm ex putri materia,ita quæ media sunt, secundum eandem speciem propagari posse tam ex semine quàm ex putri materia. Hanc opinionem sequitur D. Th. in 7.Metaph.super text.23.& ferè probatur à Theologis,& Latinis Philosophis,præsertim huius temporis:quæ sententia his posset argumentis persuaderi.Prima ratio sit hęc.Arist.in 7.Metaph. tex.23.docet sanitatem effici posse ab arte & à casu, sicut à natura,fiunt quędam animalia tam ex semine quàm sine semine;quę similitudo vel exemplum,nihil planè valeret, nisi animalia quæ gignuntur ex semine & sine semine,essent eiusdẽ speciei,namq; manifestum est sanitatem quæ ab arte efficitur,nõ distingui specie ab ea quæ casu quodam sine arte contingit : idem quoq; innuit Arist.paulò infra hunc locum,tex.31.Deinde,in Probl.Sect. 10.Problem.64. Aristot. ponit hanc quæst. Cur animalium alia non solùm coitu,sed etiam spontè naturæ procreantur,alia coitu duntaxat prouenium,vt homo&equus:quam soluit,dicens id ob eam causam accidere,quia illorũ animaliũ generatio breui tempore absolui potest,quocirca nihil prohibet ea ex putri materia nasci:horum autem procreatio longissima est , atque operosissima;quo fit vt ex putri materia fieri nequeant . Quis non videt si non sunt eiusdem speciei quæ generantur ex semine & putri materia,& ipsam quæstionis propositionem sophisticam,& solutionem eius futilem ac friuolam esse? Præterea Theophrastus in 1. lib.de Plantis, cap.1. scribit plantarum & animalium in eo similem esse rationem,quod in vtroque genere,quædam tantùm generantur ex semine,quædam tantùm spontè naturæ sine semine quædam autem vtroque modo.Secunda ratio.Quæcunque indicare solent vnitatem formæ specificæ,ea omnia cernuntur in huiusmodi animalibus,quæ ex semine & sine semine nascuntur,ergo ipsa sunt eiusdem speciei;probatur antecedens; nam est in iis similis color, figura.magnitudo, motus, distinctio membro-

Egregia huius opinionis cõfirmatio.

rum,est idem ingenium,sunt idem mores,est eorum inter se cõgregatio atq; consociatio,easdem res expetunt ac persequuntur, eosdemq; oderunt atq; fugiunt hostes;similiter etiam generant, frequens.n.testatur experientia,in nauib. recens extructis in quibus nulli erant mures,postea in media nauigatione plurimos reperiri,ex his deinceps magnam eorum copiam propagari : constat autem primos illos mures non aliunde quàm ex putri materia generari potuisse.Tertia ratio.Si quid obstaret quo minùs animalia, quæ ex semine & sine semine generantur; essent eiusdem speciei,illud profectò in primis esset,quod vnius naturæ vnus tantùm videtur esse debere modus generationis,&quia frustrà multas &diuersas generandi rationes natura instituisset,cum ad cuiuslibet speciei propagationẽ atq; conseruationem vna sufficiat;verùm hæc ratio infirma est:etenim multa sunt in natura quæ concessu atque confessione omnium cum vnius sint speciei variè procreantur,sicut ignem effici videmus & ab igne , & à lumine propter radiorum reflectionẽ & per motum,& ex cõflictu attritúq; duorum corporum.Quarta ratio. Minùs probabile est, eandem naturæ reiq; speciem & à natura & ab arte effici , quàm ab eadem natura diuersis modis procreari , sed potest eadem res effici à natura,& ab arte,etenim Alchymistę pro certo habent,& aliis persuadere conantur,verum aurũ opera & arte scientiæ Alchymisticæ posse ab ipsis effici, non secus quàm à natura efficitur in aurifodinis vi agentium particularium,& beneficio virtutum cęlestium;ergo multo probabilius est,idem animal diuersis modis à natura generari posse.

Responsa Auerroistarum ad rationes tertiæ opinionis.

Cæterum ad hæc,Auerroistæ ita respondent;cum Arist.ait eadem animalia generari vtroq; modo,significare non eadem speciem infimam,sed subalterna;vel appellare eadem quia propter magnam eorum similitudinem sic vulgò existimantur; nec debere aiunt sententiam Arist.spectari ex iis locis vbi hac de re perfunctoriè &velut exempli causa loquitur , sed ex iis, vbi ex professo agit,qualis est locus ille de quo supra diximus in 1.lib. de Gener. anim.c 1.negant etiam animalia,quæ sunt ex putri materia, habere facultatem generandi sibi simile,quippe cum hoc ipsum neget Arist.in his locis quæ supra commemorauimus ; nec contra hoc est vlla experientia,nam quod de muribus in naui genitis atque propagatis dicunt,nullam fidẽ facit; etenim sicut priores illi mures sine semine nati fuerint,sic etiam posteriores simili generationis modo procreari poterunt , quam etiam ob causam credendum est tantam illam murium copiam extitisse. Iam vero, quod aiunt ignem multis modis generari posse non habet magnam

gnam vim contra secundã opinionẽ; siquidẽ valde dissimilis ratio est imperfectissimarum specierum,cuiusmodi sunt elementa, quorum formæ substãtiales immediatè sunt in materia prima,& parum distant à qualitatibus primis,earúmque productionem in materia,naturali quadã consequentia & connexione consequuntur,atque earum specierum quæ inter perfectiores mũdi formas numerantur,in quibus continẽtur animalia.His accedit,quòd varia & multiplex generatio ignis maximè necessaria erat, propter ea quod ignis necessarius est ad generationem, conseruationem, perfectionem,cunctáque omnium mixtorum operationes,præsertim cũ ignis ille elementaris qui supra cętera elementa residet cælo proximus , non tam facilè ad generationes mixtorum descendere , & concurrere possit.quod verò dictum est , verum aurum,sicut à natura efficitur,sic etiam per artem Alchymisticã effici posse,hoc ipsi constanter negant.Hęc igitur de præsenti quæstione tã variè ac subtiliter,in omnes partes à Philosophis disputantur.Nobis autem sicut facilè est primam opinionem tãquam falsam,& absurdam condemnare, ac repudiare, ita difficillimum est,vtra duarũ posteriorũ probabilior sit,propter paria ferè vtriusque opinionis rationũ momenta,iudicare. sed nescio quo modo fit vt nos tertia opinio magis ad se trahat; quanquam non sumus ignari,totam huius controuersiæ explicationẽ ex ipsa experientia præcipuè pendere;si enim experiendo compertum fuerit,mures verbi gratia,qui sunt ex putri materia,generare alios sibi similes,non aliter quàm eos qui nati sunt ex semine , nulla erit causa cur negetur illos esse eiusdem speciei cũ aliis:sin autem è contrario rem se habere experientia declarauerit , id erit magno argumẽto inter huiusmodi animalia esse distinctionẽ specificam.Verùm,quoniam in vltima ratione tertiæ opinionis dictũ fuit , verum aurũ,quemadmodum efficitur à natura,sic etiam effici posse ab hominibus ea arte quam vocant Alchymisticam;de hoc etiam in præsentia dicendum est,non solùm vt exploratum sit an quod in illa ratione positum est,& vulgò iactatur, verum sit aut falsum; sed etiam,vt cognoscatur an quilibet effectus qui à natura efficitur,similiter etiam possit ab arte cõfici:quæ res maximè pertinet ad eam quam de causis instituimus tractationem.

Sententia auctoris de præsenti quæstione.

An possit verum aurum effici per artem Alchymisticam,ac primò quod non possit effici,opinio multorum exponitur.

CAP. XIX.

Auicẽna

AVicẽna in quibusdã suis cõmẽtariis in libros Meteororũ,vt refert Ægid.in 3.Quodlibeto, q.8. de Alchymistico auro,ita scripsit,*sciãt artifices Alchymiæ, species*

metallorũ transmutari nõ posse. quamuis similia illis fieri possint; & quamuis Alchimistæ queãt tingere ipsum æs colore quo volunt, donec sit multũ simile auro, & abstergere immunditias plumbi, ità vt videatur argẽtum, semper tamen secundum substantiam manebunt æs & plumbum.

Auerroes. Auerroës in Paraphrasi superprimum librum de Genera. animalium explanando primum caput in eandem sententiam hæc scribit: *similiter etiam si datur aliquid artificiale valde simile naturali, tanta poterit esse similitudo, quòd existimabitur esse idem specie, & si ars Alchymiæ habet esse, hoc est quod potest fieri in ea.* & ibidem Auer. declarat sicut se habent mures ex putri materia ad mures ex semine (inter eos enim est tanta similitudo, vt quamuis reuera inuicẽ differant specie, tamen vulgò putẽtur esse eiusdem speciei) ita etiam aurum Alchymisticum se habere ad verum & naturale aurum. Idem sensit Auicenna cuius verba paulò infrà memorabũtur initio capitis proximè sequentis.

D. Thomas. D. Thomas in Secunda Secundæ conditionaliter loquens de auro Alchymico quæstione 77. art. 2. ad primũ ait, *si aurũ quod fit ab Alchymista, non sit verum & tale, quale fit à natura; eius vẽditionem pro vero fraudulentam & iniustam esse: sin autem fiat verũ aurũ ab Alchymista id licitè pro vero auro vendi posse, nihil enim prohibere artem vtendo causis naturalibus, naturales & veros effectus producere.* Sed quid ipse simpliciter, & absolutè setiret de auro Alchymico, satis perspicuis verbis declarauit in 2. Sen. dist. 7. quæst. 3. art. 1. ad quintum ita scribens. *Potest quidem ars virtute naturalium agentiũ aliquas formas substantiales inducere in materiã: sunt tamen quædam formæ quas nullo modo ars potest efficere, quòd propria actiua, & passiua earum, non potest inuenire atq; adhibere. sed bene aliquid simile illis efficere; sicut Alchymistæ faciunt aliquid simile auro quantum ad accidentia exteriora sed tamen non faciunt verum aurum, quòd forma substantialis auri, non per calorem ignis, quo vtuntur Alchymistæ sed per calorem solis in loco determinato, vbi viget virtus minerali: & ideo tale aurum nõ habet operationem consequentem speciẽ: & similiter in aliis quæ eorum operatione fiunt.*

Egidius. Egidius in 3. Quodlibeto, quæst. 8. affirmat Alchymistas posse quidem facere metallum aliquod quod tantùm constet ex permixtione aliorum simplicium metallorum, cuiusmodi est electrum, quod dicitur constare ex tribus partibus auri & vna argẽti: & quia sæpe in venis metallicis vnum metallum confunditur & permiscetur cum alio, Alchymista per actionem ignis segregando & separando aurum, quod erat permixtum cum alio metallo, videbitur de nouo facere aurum; tantum autem abest, vt possint verum aurum facere, vt ne simile quidem vero auro ita effici queat. vt nõ possit aliquo modo dignosci & discerni. Porrò existimat

existimat Egidius aurum Alchymisticum non posse sine peccato vendi pro auro naturali; non solùm quia incertum pro certo, & falsum pro vero venditur, sed etiam quia in medicinis adhibetur aurum ad confortandum cor, & morbos quosdam profligã dos: maximum autem periculum esset: ne aurum Alchymisticum propter diuersam rationem constitutionis, minimum læderet complexionem humani corporis, eique insigne aliquod detrimẽtum afferret. Quòd autem verum aurum confici nequeat ab Alchymistis, Egidius ita probat, vel potiùs declarat. Cernimus in vnoquoque genere entium, quædã illius generis esse perfecta, alia verò imperfecta; perfectorum autem generationem esse determinatam tam secundum principium actiuũ & secudum materiam, quàm secundum locu in quo fit: Imperfectorum autem, minimè: exempli causa, in genere animalium, quæ sunt perfectiora, ita se habent natura, vt equus non generetur nisi ab equo, & ex sanguine mẽstruo equæ & intra matricem eius; at mures possunt generari ex semine & sine semine, intra matricem & extra. Idem perspicitur in plantis: idémque similiter contingit in elementis, nam purus ignis elementaris; nec generari, nec conseruari potest, nisi in suo loco naturali, id est in concauo Lunæ: ergo similiter etiam eueniet in metallis: quare cum aurum sit perfectissimum omniũ metallorum habebit determinatum agens, & materiam, & locũ naturalem, id est propriam venam quæ latet intra sinum & ventrem terræ, extra quem locum, aurum nullo modo cõfici possit. Neque valet illud quod posset afferri contra hoc quod diximus: nimirũ si mures qui sunt perfectiores auro, possũt generari extra matricem, multò magis aurum effici poterit extra suum locum naturalem: & si serpentes fuerunt arte Magica producti à Magis Pharaonis, vt legimus in Exodo, cur non etiam poterit effici verum aurum industria, & beneficio artis? Hoc, inquam, non valet, nam eadem ratione probari posset, cum mus sit perfectior qualibet planta, & mus generari queat sine semine, quamlibet etiam plantam posse absque semine procreari: quod falsum est, nihil ergo prohibet quod est imperfectius alio simpliciter esse perfectius illo secundũ quid. Quamobrem quòd aurum requirat determinatũ locũ suæ generationis, non arguit ipsum simpliciter esse perfectius aliquo animali, sed tantùm secundũ quid. Hæc ex Egidio.

Egidius negat aurũ chymicum licitè vẽdi posse pro vero.

Conciliator in Differentia 209. Sic ait. *Metallum non potest fieri per artem, & in aliud transmutari, cum ars solam faciat permutationem in accidentibus, non autem in substantia; vel fortasse si possibile est tamen id est homini ignotum, vnde Commentator 3. de Anima ait, dicitur de multis artificiis, quòd videntur esse possibilia, sed sunt causarum ignotarũ.*

Vt (verbi gratia), Alchymia, & si talis ars constituatur. fortasse hoc erit per accidens & inspiratione diuina potiùs quàm artis humanæ sapientia. Nõ enim (inquit Conciliator) ars eo peruenire potest, vt agentia & materiam, cum tempore, modo & aliis circunstantiis sciat ita proportionare vt inde nouum constituatur metallũ. Quòd si apparẽter videatur, id erit, quia ars fallaciam eius humano ingenio nequit detegere. Vnde aurum arte constructum, vim non puto habere confortandi cor sicut habet aurum à natura productum. Fideles mihi tamen experti, dicunt argentum decoctione per artem fieri verum, non tamen videtur apparenter lucrari, probationibus omnibus quibus vtuntur, exploratum.

Quidam rerum metallicarum peritissimi, de quibus etiam subtiliter & accuratè scripserunt, affirmant, primùm atq; summum fundamentum quo nititur ac sustentatur ars Alchymiæ, nullum esse: quo licet intelligere, ipsam artem (si tamen ars dicenda est quæ in se nihil veri & certi habet) inanem & fallacẽ esse. Etenim Alchymistæ putant, materiam omnium metallorum esse sulphur & argentum viuum, quamobrem profitẽtur se ex varia sulphuris & argenti viui inuicem permixtarum temperatione, posse quodlibet metallum efficere, in quo sanè vehementer fallunturnam si sulphur & argentum viuum est materia auri & argenti, ergo in venis in quibus generatur aurum & argentum, apparerent aliqua vestigia sulphuris & argenti viui similiter etiam in venis sulphuris, & argenti viui, reperirentur aliqua indicia auri, vel argẽti, sed ipsi, qui totam pene vitam curiosissimè lustrandis & considerãdis venis, locisque metallorum, consumpserũt, nunquam tale aliquid reperire potuerunt. Quare falsa est opinio Alchymistarum, & aurum quod ab ipsis fit ex sulphure & argento viuo, non est verum aurum: nõ enim, vt dictum fuit, talis est materia veri, & naturalis auri. Aurum autem quod fit ab Alchymistis, licèt simillimum videatur vero auro, falsum tamen esse multis modis cognosci & iudicari potest, nempe vel ex pondere; vel ex eo, quia non sustinet vim ignis; vel ex eo quia iniectum in vrinam, amittit colorem suum; vel quia non est ductile in tenuissimas laminas: vel denique quia non habet naturalis auri proprietates, quarum in primis illa commendatur, confortandi cor humanum. Hæc illi.

Non esse materiam omnium metallorum sulphur & argentum viuum.

Cardanus lib. 17 de subtilitate hæc scribit, *Sunt verò chymicæ inuẽta vitrum ducere in lõgissimas lineas, tenax aut prædurum efficere posse. Vidi ego dudum, sphæram exiguam ex vitro, quæ omni conatu illisa solo lapideo, non comminuebatur, sed resiliebat ad trabes. Einsdẽ facultatis chymicæ est, vitrum albis lineis intinguere, cælare in eo imagines, falsa fabricare gemmas, purgare caphuram, metalla miscere, immutare, aut nobiliora imitari.* Exempla verò fallacis Alchymiæ, vide apud eundem in

Cardanus

Inuẽta & opera artis chymicæ.

in 10. lib. de Varietate rerum, cap. 51. quo in loco etiam hæc subiungit, *Aurum & argentum facere seu ex aliis metallis ea cõficere, aut gemmas fabricare, aut viliores in nobiliores transmutare, nemo non optare debet vt sciat, at quid horum fieri possit difficile scitu admodum est; & si hoc etiam sciuerimus, lõgè difficilius est scire quomodo fiat. Quæ autem ab Alchymistis fiunt: ea vel ad voluptatem pertinent, vel ad vsum ad voluptatem sunt gemmæ, & metalla nobiliora: ad vsum tinctũræ, colores materiæ vasorum & alia similia. Circa quodlibet autẽ horum tria excogitari possunt vel vt fiant, quod maximum est, vel vt purgentur: vel vt perficiãtur. Horum primum de metallis adhuc sub iudice lis est an fieri possit: secundum & tertium, ferme inuentum est ad summã perfectionẽ: ac licet ars chymica non faciat verum aurum quatuor tamen præstat magnas vtilitates. Prima est quia potest vnum metallum facere simillimum alij vt ferrum æri, æs auro & argẽto, idque clarius apparet in gemmis. Secunda. Cum id, quod in aliqua potentia continetur, per vim ignis excitat extrahit, & ad perfectionẽ perducit. Tertia. Cũ ea quæ superflua sunt, vi sua absumẽdo degit, vt cum ex calce alumen exciputur, quod non genitum est vi ignis, sed exceptum, ita fit id quod vocant multiplicationem, cum ex terra ipsa quæ aliquid continet quod cõtinetur excipiũt. Quarta. Ars chymica vi ignis multas facere potest compositiones, atque separationes, non minus vtiles & lucrosas ijs, quæ ab Alchymistis tam anxie quæruntur & ambitiosè promittuntur trasmutationibus.* Hęc Cardanus, ex quibus verbis perspicitur eum arbitrari chymisticam illam auri generationẽ, vel esse impossibilem, vel propemodum esse impossibilem.

Vtilitates artis chymicæ.

Declaratur opinio eorum qui defendunt Alchymiam. CAP. XX.

ALbertus in libro suo 3. de Mineralibus, ca. 9. hãc de facultate Alchymiæ quæstionẽ pertractãs primũ exponit sententiã Auicẽnæ, quæ fuit hæc, *Sciant.* (inquit Auicẽna) *artifices Alchymiæ species metallorũ permutari nõ posse, quãus aliquid illis simile fieri possit, quod enim differẽtia specifica aliquo collatur ingenio, non credo possibile, sed expoliatio accidentium nõ est impossibilis, vel saltem diminutio eorum: non enim permutantur species metallorum nisi prius in primam materiam metallicam reducantur & sic inunamine artis deducantur in speciem metalli quod voluerit.* Atque idem quoque sensisse ait Haftem Philosophum præcipuũ in Phy. & in Mathe. Deinde Alber. subiũgit ea quæ sequũtur. *Oportet nos dicere Alchymicos peritos nõ aliter operari quã peritos medicos qui per medicinas purgatiuas purgãt materias corruptas & nocẽtes sanitati, & postea per remedia cõfortantia naturã iuuãt virtutẽ naturalẽ, vt digerendo, sanitatẽ*

Opinio Auicennæ.

Sententia Alberti.

inducant: quæ ſanitas eſt effectus & naturæ & artis: ſed illius effectiuè & principaliter huius autem organicè & inſtrumentaliter: ſic Alchymiſta primò bene purgantes materiam argenti viui & ſulfuris inſitam omnibus metallis, confortant; deinde deducunt virtutes elementares & cæleſtes tali materiæ inhærentes, ad proportionem mixtionis metalli, quod intendunt inducere, & tunc ipſa natura operatur & non ars niſi organicè iuuando & expoliendo, vt diximus; & ſic verum aurum & argentum educere & facere videntur: quod enim virtutes elementares & cæleſtes faciunt in vaſis naturalibus; hoc etiam faciunt in vaſis artificialibus ſi artificialia formatur ad modum vaſorum naturalium: & quod facit natura calore ſolu & ſtellarum, hoc faciet ars calore ignis; dummodo ſic contemperetur vt nõ excedat virtutem ſe mouentem, & informantem quæ eſt in metallis: huic enim cæleſtis ineſt virtus, quæ primò commiſcuit eam, & hæc inclinatur ad hoc vel ad illud per artis iuuamẽ. Alchymia igitur per hunc modum procedit, id eſt corrumpens vnum à ſua ſpecie remouendo, & cum inanime eorum, quæ in materia inſunt, alterius ſpeciem inducendo, quare omnium operationum Alchymicarum melior eſtilla, quæ procedet ex eiſdem ex quibus procedit natura; ſicut ex purgatione ſulfuris per decoctionem & ſublimationem & expurgationem argenti viui, horúmque bona permixtione cum materia metalli, in his enim & ex virtutibus horũ, omnis metalli ſpecies inducitur. Qui autem per alba albificant, & per citrina citrinant, manẽte ſpecie prioris metalli in materia, proculdubio deceptores ſunt & verũ aurum atque argentũ non faciunt: & hoc modo feré omnes vel in totos vel in parte procedunt. propter quod ego experiri fect aurũ Alchymicũ quod ad me delatum eſt, & poſtquam ſex aut ſeptem ignes ſuſtinuit tãdem amplius ignitum conſumitur & perditur & quaſi ad fæcem reuertitur. Hæc Albertus. Ecce ſupradictis verbis Albertus, non ſolũ docet verum aurum poſſe fieri per Alchymiam, ſed etiam quis modus eius ſic efficiendi ſit poſſibilis, & quis impoſſibilis, manifeſtè declarat.

Quinque rationes pro Alchymiſtis.

Quidam Ianus Lacinius, qui de facultate chymica in tranſmutandis metallis multa diſputauit, eiúſque diſputationis ſummam memorat Cardanus loco ſupradicto, probat arte chymica poſſe confici verum aurum his rationibus. Primò, metalla ſunt quædã pura & concocta vt aurum & argentum. quædam cocta, ſed impura, vt æs ac ferrum, quædam cruda, & impura, vt vtrumque plũbũ: ſed impura repurgari, cruda concoqui poſſunt, igitur ex ære, ferro & plumbo, aurum & argentum fieri poteſt. Quod autẽ talia concoqui poſſint, demõſtrat ex ſententia Ariſt. 4. Meteor. vbi de concoctione agit. De purgatione dubium non eſt, quippe cum proprium ſit ignis ſeparando purgare. Deinde, propinquitas, paruúmque cauſſarum diſcrimẽ, hoc idem ſuadet, cum ab iiſdem omnia fiant. Supponit autem omnia metalla conſtare ſulphure & argento

argento viuo, quæcunque verò ſimilia ſunt, facile inuicem tranſmutantur, eóque magis, quod natura videtur ſemper perfectiſſimum intendere in omni genere velut aurum; quæ igitur imperfecta ſunt, artis beneficio perfici poſſe videntur; tum vt ad finem, tum vt ad motus ipſius perfectionem perducantur. Poſtea, ſi ars auctore Ariſt. in 2. Phy. & 4. Meteor. eſt imitatrix naturæ, cum natura concoquendo purgandóque ex ſulphure & argento viuo, aurum argentúmque perficiat, cur nõ etiam idem ſimili ratione operans ars, poſſit efficere? Ad hæc, ea dici debent ſecundùm naturæ ordinem copulata, & inuicem tranſmutabilia, quæ non habeat omnino diuerſas operationes ſed eaſdem in eo tãtùm, differentes, quòd quædam habent eas imminutas & imperfectas, velut fœtus, infantis comparatione, ouum pulli, aurelia papilionis. At plumbum, æs, ferrum, argentum, nullas habent operationes ab auro diſtinctas, ſed quas illud habet, vtpote liqueſcere, duci, graue eſſe, nitere, ignibus reſiſtere; eaſdem habent hæc, ſed vitiatas & imminutas, non enim ita ſplendent, non ſunt adeo grauia, minus reſiſtunt ignibus non tota liqueſcunt, non tam tenuiter ducuntur; igitur hæc dici debent aurum imperfectum, & beneficio artis perduci queunt ad perfectionem auri. Atque hoc putat Cardanus eſſe maximum argumentum quod pro Alchymiſtis afferri poſſit. Poſtremò, idem aſtruit exemplo ranarum, quæ ſtatim ob Præparationem materiæ, ex puluere generãtur. Sunt autem ranæ Perfectiores auro, & vt animalia perfecta, non ſolum partium ſimilarium compoſitione, ſed etiam inſtrumentorum conformatione indiguerunt. Auicennam quoque citat dicentem, vitulum in nubibus generatum ſemiuiuum excidiſſe inter imbres. Generantur etiam ex iuuenculo ſtrangulato apes, ex Baſilico ſcorpiones, ex elixatura Anatis ſub dio expoſitæ bufones, ex Aſinis veſpę, ex equis ſcarabæi, ex mulis locuſtæ, aquę, quibuſdam in locis cõuertuntur in lapides: aër concuſſus inter duriora corpora, repẽte tranſit in ignem, fumus metallorum præcipuè plõbi, cogit argentum viuum, cortex mali punici ferrum mutat in chalybem. Si igitur hęc tã admiranda & pene incredibilia fieri poſſunt, atq; adeo quotidie fieri videmus, cur incredibile videatur, poſſe ab Alchymiſtis verum aurum confici? Hæc ille diſputat pro Alchymiſtis.

Antonij Mirãdulani.

Antonius Mirandulanus Philoſophus noſtræ memoriæ præſtans & in Ariſtotelis doctrina excellenter verſatus, in illo ſuo opere, quod ſcripſit de Euerſione ſingularis certaminis, li. 19. ſect. 7. hanc de Alchymiſtis ſententiam pronunciat. *Dicimus veram eſſe Alchymiſtarum opinionem quod aurum poſsit fieri & ab arte & à natura, quia trãſmutare poſſunt argentum viuum & alia quæ ad id requirũtur*

ita vt fiat eadem materia: sicut non solum à natura, sed etiam ab arte animalia, vt scorpiones generari possunt. Verùm quia illa aurum fit rarissimè & cum maxima difficultate, multa enim quæ ad id concurrunt, facillimè impediri possunt, idcirco non videtur fieri posse; sed rei difficultas nõ arguit impossibilitatem. Non est autem danda opera illi arti, non quia non sit vera, sed quia tantæ est difficultatis, vt sit vtilius eã omittere, quàm exercere: & multi quidem ditissimi ad mægnam inopiã redacti sunt, propterea quòd maximis sumptibus impensis, vel nũquam assequuti sunt quod hæc ars pollicetur, vel certe rarò & parum, ita vt sumptus longè maior sit lucro, quare satius est aliis artibus certioribus operam dare, quæ maiori ex parte finem suum præstant, quàm huic quæ rarissimè, propter res naturæ absconditas, finem suum assequitur. Hæc Mirandulanus.

Explicatur breuiter opinio auctoris.

CAP. XXI.

Sententia auctoris de auro alchymistico.

NObis autem propositã quęstionem Philosophicè cõsiderantibus atq; perpendẽtibus, tria videntur hac de re valde probabiliter dici ac affirmari posse; vnũ est, nullã esse rationẽ Philosophicã, vel necessariã, vel etiam admodum probabilem, qua demonstretur rationem chymicam efficiendi verũ aurũ, esse impossibilem. Cur enim putetur impossibilis? An quia nihil eorum quæ fiũt à natura potest fieri ab arte, at hoc in generatione multorũ animalium, aliarúmque rerũ quę opera & ministerio artis nõ secus generãtur quàm à sola natura, falsum esse cognoscitur. An quia (vt volebat Egidius) nihil eorũ quę sunt in suo genere perfectissima, potest produci nisi vno modo, id est, solum ab agente suo naturali? Verũ si Egidius verisimili aliqua ratione hoc comprobaret, aliquantulum fortasse valeret, ad persuadendum: cum autem nullam huius rei probationem afferat, qua facilitate ab eo id dicitur, eadem planè à nobis contemni ac reiici potest. An denique quia aurum naturale generatur virtute caloris cælestis, aurum verò chymicum efficitur à calore igneo, qui duo calores cum multùm inter se differant, non poterunt eundem effectũ præstare? sed hæc ratio dupliciter peccat. Primùm enim falsum est, calorem cælestem & ignem specie inuicem distingui: cum enim ab eodẽ contrario hoc est, à frigore similiter corrumpantur, cum ab eadẽ causa interdum producantur nimirum à lumine, cum se inuicem intendant atque augeãt, cum ad productionẽ ignis & mixtorum simili ratione conducãt, fieri non potest vt ea ratione qua calores sunt, specie distinguantur inter se: differunt igitur ea re solũ, quòd calor cęlestis propter ordi-

Calor cælestis & elementaris non differũt specie.

ordinatum cæli motum, est valde temperatus & accommodatus ad generationem & conseruationem rerum sublunarium, quam ob causam appellatur salutaris & viuificus: calor autẽ igneus ex se non est temperatus, sed agit quantum potest agere, & res sibi subiectas tandẽ destruit atque interimit, quocirca vocatur à Philosophis destructiuus & corruptiuus rerum. Verùm si hic calor aliunde corrigatur atque temperetur, nimirum vel à facultate animæ vt in animalibus contingit; vel ab arte, vt fit in multis mixtis & medicamẽtis, quæ à calore igneo, moderatione artis procreantur; efficietur profectò vt calor igneus talis propemodum euadat, qualis est cælestis. Deinde, experiẽtia manifestè ostendit quędam animalia similiter generari posse calore igneo atque calore cælesti. Nam apud Ægyptios, pulli calore igneo ex ouis excluduntur atque procreantur. Quam rem Iulius Scaliger, vir propter excellentem omnium disciplinarum eruditionem admirandus, in iis quæ scripsit contra Cardanum exercitatione 23. pulchrè describit his verbis. *In Aegypto ad Cayrum furnos construunt alij alio multiplici formice imposito, in quorum thori supremi medio foramen est per quod calor vis vus, quæ immodica possit officere, subit atque exhalat in imo ignem ac cędunt temperatum: Quorum multas centurias in formicum superiore planitie disponunt: statis diebus erumpit pullorum turba quos illi nõ numero, sed mensura venales habent, modiolum statuunt sine fundo, quem vt implerunt, tollunt, neque hæc fabula est, sed fabulæ illi ipsi qui negant.*

Animalia genera ri posse solo calore ignis argumentũ Iulij Scaligeri.

Alterum verò, quod eadẽ de re probabilissimè potest asseri, illud est, chymicam rationem efficiendi verum aurũ, vel impossibilem, vel propemodum impossibilem videri, nõ propter vllam rationem Philosophicam quæ adhuc ab vllo sit allata sicut ostẽsum est, sed propter ipsam experientiã, quæ in rebus naturalibus, moralibus, atque artificialibus, summi argumẽti firmissimæque rationis vim debet obtinere. Etenim cũ plurimi in chymicæ facultatis tractatione & exercitatione diu multúmque laborauerint, & in veri auri effectionẽ acerrimis studiis atque incredibili cupiditate incubuerint, nemo tamen adhuc fuit, quem liquidò constet verum aurum & omni ex parte probatum, ac perfectum effecisse. Quod si effectio auri per artem chymicam est possibilis, cur ea cum tamdiu & tam multũ optata, quæsita, & procurata fuerit, nondum tamen reperta, & vsitata fuit? nam quia possibilis est generatio animalium, medicamẽtorum aliarúmque non solùm per naturam, sed etiam per solertiam, & industiam humanam, iampridem inuentæ sunt artes quæ eiusmodi res & verè & facilè possunt perficere; cur igitur idem non contingit in auro chymico? nisi quia vel talis modus efficiendi tale aurũ simpliciter est

Cur nõ vi deatur esse vera ars Alchymiæ.

impossibilis,vel si est possibilis,nondum tamē is est humano ingenio, & fortasse non potest esse, exploratè perfectéque cognitus.Atque hoc argumentum ab experientia ductum. non solum apud Philosophum naturalem,qui nunquàm à rebus sensatis,experientiáque comprobatis,vel transuersum (vt aiūt)digitum discedit, sed etiam apud quemcunque hominem sanæ mentis rectique iudicij plurimum valere debet.

Ad extremum, illud non tantùm probabiliter dici, sed etiam pro vero certóque confirmari potest, artem chymicam, licèt ea fortassis sit vtilis in distillationibus & aliis rebus quas superius ex sententia Cardani memorauimus, tamen in eo quod spectat ad effectionem veri auri, quam illa profitetur atque in primis pollicetur,vanam esse,noxiam ac perniciosam Reipublicæ. Primò. Quia,aut nunquàm,aut rarissimè præstat quod promittit ex quo non semel factum est,vt multi ad extremam inopiam,atque paupertatem redacti fuerint;vnde rectè quidam ait, Alchymistas nō efficere aurum,sed absumere, non implere crumenas,sed magis deplere,& exhaurire.Deinde,quia faciant falsum aurum falsāmq; monetam,atque gemmas pro veris passim distrahent atq; diuendent ex quo Respublica hominúmque societas magnum caperet detrimentum Postremò,quia verum aurum non rarò adhiberur in medicinis ad exhilarandum & confortandum cor: aurum autem chymicum,cum vel non sit verum aurum, vel certè imperfectius auro naturali, vel non habebit eiusmodi proprietates,vel non ita vitales & salutares humano corpori;quare non sine diserimine salutis & periculo vitæ,in medicinis adhiberetur. Hęc igitur nobis visa sunt de chymica facultate efficiendi verum aurum probabiliter posse disputari.

Non esse permittendū in Republica vsum Alchimiæ.

FINIS OCTAVI LIBRI.

DE FORTVNA CASV ET CONTINGENTIA.

LIBER NONVS.

SEQVITVR vt de fortuna & casu,breuiter disputemus;nempe quantum satis sit ad explendam absoluendámq; eam quam de causis lib.præcedenti instituimus tractationem.Tractatio autē fortunæ latissimè patet,& ad plures disciplinas pertinet:agit.n.de fortuna,Rhetor,Logicus, Physicus,Metaphysicus,Philosophus moralis,deniq; Theologus. Agit Rhetor,quatenus in laudando & vituperando,suadendo & dissuadendo,accusando & defendendo,in vtranq; partē magnum momentum habet fortuna;permagni.n. refert,an quid fortuitò contingat,an potiùs consultò & scienter dictū factúmq; fuerit. Vide Arist.in 1.lib.Rhetoricę adTheodectē,c.5.&10.Agit Logicus tum vt doceat enuntiationes,quæ sunt de rebus futuris contingentibus,in quibus locum habet fortuna & casus, non habere certam definitamq; veritatem:tum etiam vt ostendat ea quæ casu & fortuitò contingunt,cum rarò,indeterminatè, & per accidens euenient,excludi à scientiis;Vide Arist.in fine 1.Perihermenias,& in 1.Post.text.43.Agit Physicus,vt redarguat illorū Philosophorum sententias,qui vel putabant omnes res naturales fortuitò contingere,vt Democritus, & Leucippus; vel è contrario opinabantur omnes effectus naturales sempiterna quadam, & immutabili serie nexuq; causarum euenire,quę fuit postea Stoicorum opinio. Vide Arist.in 2.Phy.Agit Metaphysicus,quia Metaphysici est distinguere omnes gradus entium & causarū,in quibus sunt entia fortuita,& causæ per accidens;atq; etiā demonstrare, non omnia fieri ex necessitate:Vide Arist.in 6.Metaphys.à tex.5.vsque ad 8. Agit Philosophus moralis, vt declaret an fortuna sit causa fælicitatis humanæ,& quanti bona fortunæ existimanda sint, & quomodo res fortuitæ vel pœna vel præmio dignę habeantur. Vide

Consideratio & explicatio casus & fortunæ ad vtias scientias pertinet.

Arist.1.Moralium ad Nicomachum,c.9.& 2.lib. Magnorũ moralium,c.9.& 7.lib.Moral.ad Eudemũ,c.17.& 18.Agit deniq; Theologus,demonstrans, neq; diuinã prouidentiam obstare quo minus sit in rebus fortuna & casus,neq; tamen quicquã fortuitò aut casu posse contingere respectu diuinę prouidẽtię. Vide Magistrũ sententiarũ 1.lib.dist.39.& ibidem Theologos Scholasticos. Primùm igitur,agemus de fortuna; tum de casu vel de iis,quæ casu fieri vulgò putãtur,cuius generis sunt monstra. Quoniã autẽ fortuna & casus locũ habẽt in rebus naturalib.& humanis, quia eiusmodi res sunt cõtingentes,ideo extrema huius lib.parte de cõtingentia,quę est fortunę atq; casus,velut radix&origo disseremus.

Refellitur opinio eorum qui penitus auferunt de rebus Fortunam & Casum.

CAP. I.

ALbertus in 2. Physi.cap. 10. scribit suo tempore fuisse nonnullos, quos vocat ipse socios suos, qui tollebant de medio Fortunam & Casum adducti his argumentis, Primò, illud dicitur fieri à fortuna, quod non fit ab aliqua causa:sed sicut ex nihilo nihil fit,sic à nihilo nihil fit, ergo nihil fit à Fortuna. Deinde, effectus fortuitus, vt Thesaurus inuentus à fodiente terram,est ens per se,& determinatum,vt per se manifestum est,ergo per se habet causam veram & determinatam,quare non est fortuitus. Postea,sicut omne ens per accidens reducitur ad ens per se,ita omnis causa per accidens reducitur ad causam per se, ergo quod fit à causa per accidens, quæ vocatur fortuna,idem fiet ab aliqua causa per se,quare simpliciter nõ fiet à fortuna.Præterea,omnis actio est finita,habens certum aliquem finem,ergo omnis actio fit ob aliquem finem, sed nulla actio fortuita fit ob aliquẽ finem, ergo nulla est actio fortuita.Adhæc,sicut opinio nostra non facit ad esse vel non esse rei, sic nec intentio nostra quicquam conferre potest ad esse ipsius effectus,vt nimirũ sit effectus per se vel per accidens;quare si quis veniens in forum offendat amicum suum,siue voluerit illum reperire,siue non,non debet talis inuentio amici propterea effici effectus vel per se vel per accidens,vel fortuitus:nam sicut esse rei non dependet ex opinione hominum, ita neque ratio effectus potest ex eorum intentione dependere. His accedit, quòd agentia hæc inferiora, mouentur & gubernantur à cælo: sed cælum determinatè,ac necessariò semper agit, ergo non patietur aliquid agi in his rebus inferioribus fortuitò & indeterminatè.Postremò,Fortuna & Casus repugnant præscientiæ & Prouidentiæ Dei,ergo non debent poni,antecedens patet,quia illud dicitur

dicitur fortuitò fieri,quod non fuerit præcognitum,& intentum ab agente:sed nihil potest fieri in mundo,quod sit præter cognitionem,& voluntatem Dei,ergo nihil casu & fortuitò potest fieri.Non posse autem res fortuitas vel ab ipso Deo prænosci atque prouideri confirmat Cicero.lib.de Diuin. his verbis. *Mihi ne in Deum quidem cadere videtur. vt sciat quid casu & fortuitò futurum sit. si enim scit,certè illud euenietisin certè eueniet, nulla fortuna est, nihil.n. est tam contrarium rationi & constantiæ quàm fortuna.*

Sed hanc opinionem facile est redarguere:nam multa in rebus fortuitò accidere,clarius est quàm vt egeat demonstratione:etenim præter communem sententiam omnium hominum, qui perinde ac fuerint à natura edocti, ita de fortuna sentiunt & loquuntur,eiusque nomen & vim crebris sermonib. vsurpant.Accedit etiam ratio,quæ cogit nos idem credere & asserere, nam si fortuita dicuntur ea,quæ accidunt præter cognitionem & intentionem agentis, quis non videt multa huiusmodi esse in rebus humanis: quis enim mortalium potest animo prouidere omnia quæcunque possunt contingere?timidæ enim sunt (vt scriptum est libri Sapientiæ cap.9)cogitationes mortalium,& incertę prouidentiæ nostræ;& coguntur etiam prudentissimi viri illud crebrò dicere(quàm non putaram?)Deinde, aut omne ens est necessarium, & omne agens necessariò agit,aut non, sed est aliquod ens contingens,& est aliquod agens cuius causalitas nonnunquã frustrari & deficere potest: si priùs dixeris, ex eo sequitur mundum non esse perfectum,quia non habet omnia genera entium quæ in eo possent esse:& omnia necessariò euenire,vel ipsorum sensuum iudicio refellitur:sin autem posterius dicas,ergo agens contingens nonnunquam deficiet & à suo fine aberrabit, atque talis error & defectus dicitur fortuitus,& casu accidere.Nec maiori difficultate rationes eorum diluentur, quàm fuit à nobis istorum opinio refutata.

Soluuntur rationes supradictæ opinionis.

CAP. II.

AD Primam igitur rationem ita respõdemus. Non dicitur effectus aliquis fortuitus,eo quod non procedat ab aliqua causa efficiente,id.n.multò magis impossibile est,quàm fieri aliquid ex nihilo: nam effectus ea ratione qua est effectus non eget materia,semper tamen necessariò eget efficiente; sed dicitur effectus aliquis esse fortuitus, quia fit à causa per accidens atq; indeterminata,& quia præter eius intentionẽ euenit.Ad secundã.Thesaurus,vt est ens,est quidpiam determinatum & ens per se, sed quatenus est inuentus fo-

diente terram,est quiddam indeterminatum,& per accidens respectu causalitatis & intentionis eius qui fodit terram:non.n.fodiens terram vel semper vel vt plurimùm thesaurũ reperit;& inuentio thesauri potest habere innumerabiles causas per accidẽs, propter quas accidere queat. Sed dices, omni effectui respondet propria causa,ergo effectus fortuitus habet propriã causam. Respondemus,effectum fortuitũ,sicut ipse est per accidens & indeterminatus, sic habere similes causas, nimirũ per accidens & indeterminatas.Ad tertiam.Potest respondere dupliciter,primò.n. dici potest omnes effectus fortuitos reduci ad aliquã causam per se,nempe primam,hoc est Deum,à quo cognoscuntur, & intenduntur vel effectiuè vel permissiuè.Deinde potest etiam dici,effectum fortuitũ reduci ad causam,quę sit causa per se,non respectu effectus fortuiti,sed respectu alius effectus per se intenti,quę per accidens consequitur effectus fortuitus: quia cum non possit causa producere effectũ, quẽ per se intendit, quasi deficiens & aberrans producitur effectu qui dicitur à casu:quẽadmodum natura per se intendit gignere hominẽ integrũ & perfectũ , à quo effectu quoniã impedita nonnunquã deficit & aberrat , producit hominem monstruosum.Fodiens quoque terram per se intendit extruere sepulchrũ vel aliud quidpiam, euenit autẽ vt præter eius opinionem inueniat thesaurũ subtus terrã delitescentem, ergo effectus fortuitus habet causam , quæ respectu alterius effectus est causa per se,respectu autẽ effectus fortuiti , est causa per Ad quartam.Omnis quidẽ actio habet aliqem finem,se dfinis est duplex:vnus intentus ab agente,propter quẽ agens agit,alter verò minimè,actio igitur fortuita habet finẽ,id est,terminũ,sed nõ finem intentũ ab agente.Quocirca Arist.in 2.Phy.tex.23.& in 1. de Partib.animal.c.1. dẽfiniens quid sit finis naturalis ait eũ esse terminũ motus continui & non impediti: eiusmodi igitur actio habet finẽ,hoc est terminũ, quia est finita, sed non habet finẽ intentũ ab agentę.Ad quintã. Quamuis intentio nostra non mutet esse rei , tamen variat rationem eius prout est effectus proficiscens ex hominis consilio ac voluntate:nam ex intentione agentis spectatur an effectus sit volũtarius,vel fortuitus laude vel vituperatione,pæna vel præmio dignus.Ad sextam. Licèt res naturales & corporeę quę cõplexu orbis Lunę coercentur,per se pẽdeant ex motu & causalitate cæli, non tamen pendent ex eo per se res humanæ,in quibus fortuna versatur. Vel aliter, etsi cælum necessariò mouet & agit,tamẽ illius motus:& actio,in his rebus inferiorib.nõ recipitur necessariò.sed contingenter, quoniã hæc inferiora propter inordinatã,atq; indefinitã materiæ potentiam sunt

sunt contingentia,& corruptibilia, & possunt impediri in agendo;nec id mirũvideri debet,nam quod in aliquo recipitur,id non recipitur secundùm modum agentis,sed secundum modum patientis atq; recipientis,vt licèt agens sit necessarium,si tamen patiens fuerit contingens,actio ipsius agentis,recipietur in patiente,non necessariò,sed contingenter.Verùm,licèt sit hoc peruulgatum,atque tritum responsum, magnam tamen habet difficultatem: etenim valde obscurum & ambiguum est, an in rebus sublunaribus possit esse vllus effectus naturalis , qui dici queat à casu respectu corporum cælestium; quare hac etiam de re infra post solutionem septimi argumenti breuiter dicemus.

Ad septimam. Casus & fortuna non aduersantur prouidentiæ Dei;non.n ponimus casum & fortunam respectu Dei, sed respectu agentium particulariũ , nam quod à fortuna est respectu hominis,vel quod à casu respectu naturæ, id respectu Dei nec à fortuna nec à casu existimari debet. Sed quia effectus assimilatur causę particulari & proximæ,& ab ea denominationem suam accipit ;dicitur.n.effectus materialis & corruptibilis , non propter causam primam & vniuersalem, sed propter causas secundas & particulares:idcirco dicitur simpliciter esse in rebus aliquid à casu & à fortuna,id totum,referendo nõ ad causam primam,sed ad causas secundas & particulares: quod autem nihil sit fortuitum respectu Dei,pulchrè declarat Boëtius lib.5.de Cõsolatione Prosa prima,his verbis,*Si quis euentum nulla causarum connexione productum,casum esse definiat,nihil omnino casum esse confirmo. Quis.n.coercente in ordinem cuncta Deo,locus vllus temeritati relictus esse potest?* Et paulò post:*Casus*(inquit)*est inopinatus ex confluentibus causis , in his quæ ob aliquid geruntur euentus:cõcurrere verò causas, facit ordo ille ineffabili connexione procedens,qui de prouidentiæ fonte descendes, cuncta suis locis temporibusq; disponit.* Et in Metro ita canit.

Præclara Boetij sententia.

Et quæ permissus fluitare videtur habenis
Sors patitur frenos,ipsáque lege meat.

Nihil autem esse tam fortuitò & casu contingens , quod latêre ac fugere possit Dei scientiam , atque prouidentiam, luculenter exponit his versibus.

Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt,
Non nox artis nubibus obstat
Vno mentis cernit in ictu
Quæ sint,quæ fuerit, veniántque,
Quem quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere Solem.

Ciceronis autem sententia,quæ ad huius argumenti confirmationem adiuncta fuit , vel tanquam falsa omnino reiicienda est, vel bonam in partem ad hunc modum interpretãda;vt dicantur

res fortuitæ,ea nimirum ratione vt sunt fortuitæ, à nullo posse cognosci,quod verum est,nam Deo à quo cognoscuntur,no sunt fortuitæ,sed certæ ac definitæ.Sin autem Deo(quod fieri non potest)aliquid esset simpliciter fortuitum,id ab eo non posset certè cognosci. Sed quod paulò supra in solutione sexti argumenti dicere promisimus, an in rebus sublunaribus sit aliquis effectus naturalis casu contingens,respectu cæli,deinceps inquiramus.

An in rebus sublunaribus aliquis effectus naturalis possit casu contingere respectu cæli.
CAP. III.

Opinio D. Th. affirmantis, nonnulla in reb⁹ naturalib. casu & per accidens respectu cæli euenire posse.

DIuus Thomas multis in locis affirmat posse in rebus naturalib. aliquid cõtingere,quod sit per accidens,& casu eueniat respectu cæli,nam in 1.parte q.115.artic. 6.ita scribit. [Omne quod est per se, habet causam, quod autem est per accidens,non habet causam, quia nõ est verè ens,cum non sit verè vnum:albũ.n.causam habet,similiter etiam & musicum,sed album musicum,nõ habet causam, quia non est verè ens,neq; vere vnum.Potest autem fieri aliquis concursus vnius rei naturalis cum alia re naturali,qui sit per accidens respectu cæli,ergo nec talis cõcursus per accidens,habebit causam per se in cælo, nec id quod ex tali concursu efficietur poterit reduci per se ad causam aliquam cælestem:quare vtrunque eueniet casu & per accidens respectu cæli. Probatur minor hoc exemplo, quòd.n.aliquod corpus terrestre ignitũ in superiori parte aeris generetur & deorsum cadat,habet causam,aliquam virtutem cælestem:similiter etiam quòd in superficie terræ sit aliqua materia combustibilis,potest reduci ad aliquod cæleste principiũ;sed quòd ignis comburens,huic materię occurrat,& comburat eam, non habet causam cæleste corpus,sed est per accidẽs.] Et ibidem in responsione ad tertium subdit,quòd [Licèt tam causa producens aliquem effectũ,& est causa impediens eius productionem, per se reducantur in corpus cæleste tanquam in causam, tamen huiusmodi causarum concursus nonnunquam fit per accidens, nec per se reduci potest in aliquam causam cælestem,] Hæc D. Th.in illo loco,cuius simile scribit Secunda Secundæ, qu.95.art. 5.In 6.autem lib.Metaph.in illa sua pererudita digressione de Fato,& prouidentia,sic ait. [Tripliciter potest aliquid per accidens euenire. Primò, propter concursum duarum causarum, quarum vna non continetur sub altera, vt cum præter intentionem occurrunt mihi latrones, hic enim concursus causatur ex duplici

plici virtute motiua,mea scilicet & latronum,secũdò propter defectum virtutis agentis,cui accidit debilitas vt non possit peruenire ad finem intẽtum, sicut cum aliquis cadit in via propter lassitudinem: tertiò propter materiæ dispositionem,quæ no recipit formã intẽtam ab agente sed alterius modi; sicut accidit in monstruosis partubus animalium.Quoniam igitur virtus corporis cęlestis & incorruptibilis est,& impassibilis, nõ potest exire aliquis effectus ordinem causalitatis eius propter defectum & debilitatem ipsius virtutis. Sed quia cęlum agit mouẽdo,& omne tale agens requirit materiam determinatam & dispositam, potest cõtingere, vt in rebus naturalibus virtus cælestis non consequatur suum effectum propter materiæ indispositionem,& hoc erit per accidens:& quia agens quod inducit effectum suum, vt in pluribus & nõ semper,sequitur vt deficiat in paucioribus & hoc est ei per accidẽs, cælum autem effectus suos inducit in hæc corpora inferiora vt in pluribus,at non semper propter materiæ indispositionem,ob hoc igitur aliquãdo contingit, vt virtus cælestis effectũ suum minimè consequatur, quod est ei per accidens & tanquam à casu,] Hæc D.Thomas in 6.Metaph.In 3.verò libro Contra gentes ca.86. idem sentit, atque confirmat hoc modo[Si nihil in rebus naturalibus eueniret à casu & per accidens respectu cæli, ergo respectu cæli omnes effectus naturales ex necessitate euenirent; sed hoc est falsum ergo,&c.] maior per se manifesta est,minorem autem comprobat ratione & testimoniis, summa autem rationis in eo est,quòd quamuis cælum sit mouẽs, & agẽs necessarium, tamen quia non per se proximè & immediatè producit effectus sublunares,sed per agentia inferiora quæ sunt contingentia & defectibilia,& quia non agit ex nihilo,sed cum sit finitę virtutis,requirit determinatam atque dispositam materiam, hinc fit vtrum propter defectum agentium particularium, tum propter indispositionem materiæ, non semper ipsum cęlum consequatur effectũ suum,quem per se intẽdit. Comprobatur etiam hoc,testimoniis Arist.qui in 1.Perihermenias,in 2.Phy.& in 6.li. Metaph.docet nõ omnia ex necessitate euenire,& in li.de Diuin. per Somnũ,ca.2.ait ea quorũ sunt in cælo signa & indicia, cuiusmodi sunt pluuiæ,venti & horũ similia,interdum nõ ita euenire ob vehemẽtioris causæ impedimentũ: idémque firmatur auctoritate Ptolemæi qui in opere suo quadripartito dicit, effectus qui ex superioribus corporibus procedũt,nõ euenire ineuitabiliter. In Centiloquio etiã dicit signa cęlestia quæ sunt indicia rerũ sublunariũ,esse media inter id quod est necessariũ& possibile.Rationẽ autem quã supra posuimus,D.Thom. in 1.Parte,q.114. ar.6.in

respõsione ad 1.& 2.his verbis complectitur.[Corpora inquit cęlestia sunt caussa inferiorum effectuum mediãtibus caussis particularibus inferioribus, quæ deficere possunt in minori parte,& quia virtus cæli non est infinita,ideo requirit determinatam dispositionem,in materia ad educendum suum effectum & quantùm ad distantiam loci,& quantùm ad alias conditiones.Et ideo sicut distantia loci impedit effectum cæli,non enim sol eundem caloris effectũ habet in Dacia quem habet in Æthyopia,ita vel grossities materiæ,vel frigiditas,vel caliditas,vel alia similis dispositio impedire potest effectum corporis cælestis.] Hæc ibi D. Thomas.Cuius opinionem sequitur Ægidius Quodlibeto.4.

Opinio aliorum,qui negant vllum effectum simpliciter naturalem, casu euenire posse respectu cæli.

CAP. IIII.

ALij opinãtur remoto libero arbitrio omnia in rebus sublunarib. ex necessitate euenire,nihilq; posse accidere per accidẽs & à casu respectu cæli, quod ipsi hoc modo declarãt.*In iis quæ omninò naturaliter fiũt nõ potest aliquid fieri casu simpliciter respectu cæli.*Dicitur.*In iis quæ fiũt naturaliter.* Quia in agẽtibus liberis,vt est volũtas nostra quæ per se non subiacet caussalitati corporum cęlestium,hoc non est verũ.Nã cũ cælum sit agens corporeum per alterationem,quæ est transmutatio materiæ,non potest per se agere,nisi in res corporeas materiales,quocirca volũtas nostra quæ est incorporea & immaterialis nõ potest pati à cælo nisi per accidẽs.quatenus ex actione cælesti sit immutatio in quibusdã animę partibus corporeis, cuiusmodi sunt phãtasia &appetitus sensitiuus á quibus volũtas inclinatur ad agendum hoc vel illud sed non necessariò, cum enim liberа sit,potest passionibus resistere; quin etiã fieri potest vt quis ex impressione aliqua cælesti,inclinetur vel ad iram vel ad tristitiam,qui non solùm potest non sequi talem inclinationem eam reprimendo, sed etiam potest animum inducere ad contrariam affectionem;nimirum ad mansuetudinem & lætitiam; quod sanè accidet præter intentionem caussarum cælestium ; præclarè enim illud à Ptolemæo dictum est, sapiens dominabitur astris. Deinde positum est illud *Omnino naturaliter*.Quoniam posũt aliqui effectus naturales produci vel ab homine, vel à Dæmone, applicando actiua passiuis,qui effectus sunt præter intentionem corporum cælestium,nunquam enim per solum concursum cęli tales effectus extitissent,nec sanè possunt existere. Additum est illud

Voluntas nostra per se nõ subiacet caussalitati cæli.

illud,*Respectu cæli simpliciter*.Propterea quòd licèt respectu huius vel illius constellationis, possit aliquid contingere casu, vel per accidens,non tamen respectu totius cæli exempli caussa,si sit cõstellatio cælestis fauens generationi hominis, & tunc ex semine humano generetur,vel mus,vel porcus,aut secundũ rẽ,aut certè secundũ figuram,talis effectus respectu talis constellationis erit per accidens & quasi à casu verũ respectu alterius constellationis cælestis cuius virtus & influxus illã generationẽ hominis ita corrupit & deformauit,non fuit per accidẽs;respectu totius cæli, omniúmque virtutũ cælestiũ nõ potuit esse per accidẽs & à casu.

Hęc opinio duabus rationibus comprobatur.Primò enim cum omnis motus omnísque operatio agentium naturaliu per se dependeat à motu & caussalitate cæli,id quod D. Thomas putat & verum esse & doctrinæ Arist.cõsentaneum;nullus potest esse motus,siue is fuerit caussæ producentis effectum per se intẽtum,siue agentis contrarij impedientis illius effectus productionem,siue fuerit iſtiusmodi vel aliarum caussarum concursus, qui sit extra caussalitatem cæli,ac proinde respectu ipsius esse queat per accidens & à casu.Imo cum multi putent secundum Arist Deum nõ aliter agere in res sublunares quã per motũ & lumen cæli,si posset esse aliquis effectus per accidens & à casu respectu cęli,is profectò etiam secundum Arist.esset per accidens & à casu respectu Dei,quod tamen,qui priorem opinionẽ sequuntur nequaquam concederent.Deinde,agens naturale,si habet quæcũque Dei sunt necessaria ad agendum,non potest nõ agere;similiter etiã si quid illorũ ei desit,nõ potest agere;quare cum agit,necessariò agit, & si non agit,hoc ideo est,quia non potest tunc agere;quare si producit effectum necessariò producit,& si non producit,necessariò tunc impeditum fuit ne produceret,Quamuis igitur res sublunares secundum Arist non eueniãt ex necessitate,sicut res cælestes, nempe quia non semper eodem modo eueniunt;& quia interdũ deficiunt à suo ordine naturali & cursu,tamen quia cum eueniũt, necessariò eueniunt,& cum deficiunt,necessariò deficiũt,possunt dici hoc modo euenire ex necessitate.Atque hanc opinionẽ tenuit Auicenna in sua Metaphysica,vt refert D.Thomas in 3.cõtra Gentes c.86.eámq; sequitur Ochan 1.Quodlibeto, q.17.à qua sanè nõ videtur interdum abhorrere D.Thomas,quippe qui in 1. part.q.19.art.6.ita scribit. *Potest aliquid fieri extra ordinem alicuius caussæ particularis,non autem extra ordinem caussæ vniuersalis sub qua omnes caussæ particulares comprehenduntur;quia si aliqua caussa particularis deficit à suo effectu,hoc est propter aliquam aliam caussam particularem impedientẽ,quæ cõtinetur sub ordine caussæ vniuersalis, vnde effectus*

Opinio Auicennæ & Ochã quæ interdum placuisse videtur etiam D. Thom.nullum effectũ omninò naturalem casu euenire posse respectu cæli.

ordinẽ cauſſæ vniuerſalis nullo modo poteſt exire; & hoc etiã patet in corporalibus, poteſt enim impediri quod aliqua ſtella non inducat ſuum effectũ, ſed tamen quicunque effectus ex cauſſa corporea impediente in rebus corporalibus conſequatur, oportet quòd reducatur per aliquas cauſſas medias in vniuerſalẽ, virtutem primi cæli. Hæc ibi D. Thom. & in Prima Secundæ quæſtione 109. art. 1. ait, quod ſicut omnes motus corporales reducuntur in motum cęleſtis corporis, tãquam in primum mouens corporale, ita omnes motus tam corporales, quàm ſpirituales reducũtur in primum mouens ſimpliciter quod eſt Deus ex quo licet inferre omnes effectus corporales per ſe inferri ad aliquam cauſſam cæleſtem, quare nullus effectus corporalis erit per accidens & à caſu reſpectu cæli. Hæc diſputantur à viris doctis: & vtraq; quidem opinio eſt ſatis probabilis Verùm ſi ponamus id qnod à Thomiſtis omnibus & aliis præterea Philoſophis ponitur atque conceditur, nimirum ad productionem cuiuſlibet effectus corporalis, neceſſarium eſſe actualem cæli concurſum, ex hac conceſſione neceſſariò conficitur, nihil in rebus Phyſicis & corporeis per accidens & caſu effici poſſe reſpectu cæli, quippe cum ad cuiuſuis effectus Phyſici productionem vis & cauſſalitas cæli neceſſariò & per ſe concurrat. Sed pergamus ad alia.

An Fortuna ſit diuinum aliquod numen, vt vulgò putatur.

CAP. V.

OPinio exiſtimãtium Fortunã eſſe numẽ aliquod occultũ & diuinũ, peruetus fuit, eámque Ariſt. in 2. Phy. tex. 47. his verbis innuit. *Sũt quidã, quibus fortuna videtur qui dẽ eſſe cauſſa, immanifeſta autẽ intellectui humano tanquã diuinũ quiddã exiſtens & fælicius.* quem locũ explanãs Simplicius ita ſcribit. *Nonnulli fortunam & eſſe, & cauſſam eſſe dicunt, quid ſit autem dicere nequeunt, cum eam humanæ mẽti ignotam exiſtiment, vt quæ ſit res quædam diuina & propterea humanam exuperet cognitionem; quemadmodum videntur Stoici dicere: quod autem multi in hac fuerint ſententia ex eo clarum eſt, quod fortunam tanquàm Deum adorent, & templa ei ædificent, & in eam hymnos canant. Videtur autem hæc opinio quòd ſit diuinum quid fortuna, etiam ante Ariſt. fuiſſe apud Græcos, & non fuiſſe primos in hac ſententia Stoicos, vt quidam exiſtimant. Etenim Plato in legibus, Deus quidem,* (inquit) *omnia, & cum eo fortuna & occaſio vniuerſas res humanas gubernãt.* Hæc Simplicius Quinimo Ethnici tãtum tribuebant fortunæ vt à Romanis multa ei tẽpla & ſimulachra erecta fuerint variis nominibus cõſecrata; vt videre eſt apud Liuium, & apud Plutarchum in Problematibus: exempli cauſſa Romæ conſecrata fuit ædes Malæ Fortunę & Deteſtatę in exquiliis; fuit etiã ædes Fortunæ Fortis in ripa Tyberina iuxta Theatrum:

trum: Erat templum Fortunæ Paruæ, & Virginis Fortunæ, & Primigeniæ, & Obſequentis ad Capenam: & Priuatæ & Publicæ & Viſcatæ & Virilis & Conuertentis, in Palatio. & Beneſperantis, & Auertentis, & Blandæ, & Dubiæ, in Auentino: & Mammoſæ in duodecima regione: & Barbatæ & Muliebris, quibus omnib. principium dedit Seruius Tullius, tum quòd ab ea ex ſeruo in Regnum eſſet euectus, tum etiam proſpiciens eam occaſionibus rerum plurimum habere in vtramque partem momenti, omniq; in re humana dominari; ſicut Plutarchus inquit in Problematibus. Hæc ex Ludouici viuis, hominis ſanè diſerti & eruditi, commentariis, in 18. cap. 4. de Ciuitate Dei B. Auguſtini ſumpta, hoc loco commemoranda duximus. Verùm de templis, Fortunæ olim dicatis, Simplicius in 2. Phy. ſuper text. 47. hæc ſcribit. *Quod autem quidam etiam Fortunæ templa ædificauerint, veriſimile eſt id fuiſſe poſtea, id eſt poſt Platonem, & Ariſtotel. conſtitutum, non enim habemus apud veteres Fortunarum templa in hiſtoriis narrata, vel dies feſtos deſcriptos: quanquàm Fortunæ nomen ſciamus in honore fuiſſe apud veteres. Delphis autem præcedebat hoc etiam in Sciſcitationibus, O Fortuna, & Apollo, huicne reſpondes? quin etiam apud Orpheum eius mẽtio facta eſt.* Hęc Simplicius. Qualis autem ſit fortuna, ſimulachrum eius ab antiquis expreſſum, pulchrè declarabat; quod ſecundũ Albertum in 2. Phyſ. ſuper te. 47. ita ſe habebat; erat ſimulachrum quoddam in rota, cæcum, & vna parte album, altera, nigrum. in rota, propter volubilitatem eius, cæcum, propter imprudẽtiam, partim album, & partim nigrum, propter euſortunium & infortunium, quę ſunt partes fortunæ. Cæcitatem autem fortunæ breuiter indicat Ariſt. in Sect. 29. Problemate 8. his verbis. *Cur diuitiæ magna ex parte ab hominib. prauis potiùs quàm à bonis habentur? An quia fortuna cæca eſt, & diſcernere atque ſeligere non poteſt quod melius aut deterius eſt.* Quocirca rectè Ariſtophanes fingit Plutum qui eſt Deus diuitiarum, cum a Ioue mittitur ad homines bonos, incedere claudum, cum verò pergit ad malos, lætiſſimum, & celerrimum exilire. Quamobrem ſapienter D. Auguſtinus in 4. lib. de Ciuitate Dei, cap. 18. redarguit eos qui fortuna colunt vt Deam. *Quomodo*, inquit, *bona eſt fortuna quæ ſine vllo iudicio venit & ad bonos & ad malos? Vt quid aũt colitur, quæ ita cæca eſt paſſim in quoſlibet incurrens vt ſuos cultores plerumque prætereat, & ſuis contemptoribus hæreat? aut ſi aliquid proficiunt cultores eius, vt ab illa videamur & amentur, iam merita ſequuntur, nõ fortuita venit. Vbi eſt ergo deſinitio illa fortunæ? vbi eſt quod à fortuitis etiã nomen accepit? nihil enim prodeſt illum colere ſi fortuna eſt, ſi autem ſuos cultores diſcernit vt proſit, fortuna non eſt.* Audiamus etiam Plinium; lib. 2. cap. 7. inſanam mortalium de numine fortunæ opinionem,

Simulachrum fortunæ.

D. Auguſtinus.

Elegans Plinij entētia.

elegantissimis & lepidissimis verbis eludentē. *Inuenit* (ait Plinius) *sibi ipsa mortalitas numen, quo minùs etiam plana esset de Deo cōsectatio. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium vocibus fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur & cum conuiciis colitur; volubilis à plerisque, etiā cæca existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorū fautrix. Huic omnia expensa, omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit, adeóque obnoxiæ sumus sortui, vt sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.* Hæc Plinius. Est igitur inanis & plenus amentiæ fortunæ cultus, vt non insciè Poeta ille cecinerit.

Nullum numen abest si sit prudentia, sed te
Nos facimus Fortuna Deam, cælóque locamus.

Sed, vt vis & natura Fortunæ, eiúsque proprietates atque conditiones intelligantur, & si quæ sunt in hac materia graues & obscuræ quæstiones illustrentur & explicentur, definitionem fortunæ ex Arist. doctrina & sententia confectum, exponemus.

Exponitur Definitio Fortunæ.

CAP. VI.

EX iis quæ Ari. scribit in 2. Phy. t. 52. potest colligi hæc definitio seu descriptio fortunę. *Fortuna est causa per accidēs, in iis quæ operātur ob aliquē finē, ex electione, neq; semper, neq; vt plurimū.* In qua definitione cōtinētur quinq; particulæ, quę sigillatim explanādę sunt. Prima est. *Causa.* Secunda est. *Per accidens.* Tertia est. *Ob aliquem finem.* Quarta est. *ex electione.* Quinta. *Neque semper, neque vt plurimum.* Et quāuis hāc vltimā particulam Arist. supradicto textu nō exprimat, ea tamē elicitur ex 48. tex. *Causa.* Nomē Fortunę vulgo ferè vsurpatur nō pro aliqua causa, sed pro fortuitis euētis, quam opin. sequēs Boetius 5. lib. de Consolatione Prosa prima, ita definiuit fortunam & casum. *Casus est inopinatus aliqus ex fluentibus causis, in iis quæ ob aliquid geruntur, euentus.* Sed Ari. Fortunā facit causam non quidem vt materiā & formam, nā hę sunt partes essentiales ipsius effectus necessariò, et cōiunctæ, at fortuna verbi gratia, thesauri inuēti à fodiēte, neque est pars essentialis eius, neque cum eo necessariò coniūcta: potest enim thesaurus & fortuitò & non fortuitò reperiri. Neq; verò ratio finis cōuenit fortunæ; finis enim est cuius gratia aliquid fit, & est propositus atq; intētus ab agēte, quod longè remotum est à notione ipsius fortunæ. Relinquitur igitur fortunam referendam esse

esse ad genus causæ efficientis, sicut Ari. ait in 2. Phy. tex. 65. quod etiam declarāt quæ ab antiquis iactātur de fortuna, aiūt enim illam esse dominam omnium rerum, & pro suo arbitrio regere & administrare res humanas, nullā item habere rationem ad discrimen bonorum ac improborum: quæ sanè ostendunt fortunā esse causam efficientem.

Per Accidens. Dupliciter aliquid est causę per accidens, aut quia est accidens causæ per se, vt musicus est causa per accidens domus, quoniam esse musicū accidit ædificatori, qui est per se causa domus, aut quia est causa alicuius quod accidit effectui suo per se intento, vt Medicus per accidens sanat musicum, quia ægroto, qui sanatur per se à Medico, accidit ipsum esse musicum. Ac in priori quidem genere, causa per accidens est diuersa à causa per se, effectus autem vtriusque est idem: in posteriori autem, causa vtraque est eadem res, effectus verò sunt diuersi. Atque huius posterioris generis fortuna dicitur esse causa per accidens, nam idem homo fodiens agrum, est causa per se illius fossionis, & est causa per accidens, quæ dicitur fortuna, thesauri qui ab eo inuenitur, quatenus talis inuētio thesauri accidit fossioni. Verùm huiusmodi effectus per accidēs, tribus modis (vt rectè ait D. Thomas) potest esse cōiunctus cum effectu per se alicuius causæ, vel necessariò, vt homo per se generat hominem, per accidens autem risibile, quod tamē est necessariò coniūctum cum homine, vel frequēter seu vt plurimum, vt homo per accidēs generat lachrymantem, sed frequenter accidit vt qui nascitur prodeat lachrymans, vel denique rarò & indeterminatè, vt quod cum nascitur homo, cælum cōrumpatur, vel terræmotus fiat. Effectus autem fortuitus, neque necessariò, neque vt plurimū connexus est cum effectu per se causæ efficientis, vt patet in thesauro inuento à fodiente terrā. Quod autem fortuna sit causa per accidens, sic probatur: Nam omnis causa per se, est determinata, & certò sciri potest, & semper vel vt plurimum eodem modo operatur, & agit ob aliquem finem determinatum & à se intentum; sed hæc omnia remotissima sunt à fortuna, ergo ipsa non est causa per se, sed per accidens.

Ob aliquem finem. Non quòd Fortuna intendat aliquem finē, aut quod effectus fortuitus sit quasi effectus intētus ab agēte; id enim est cōtra rationē fortunę; sed hoc debet exponi dupliciter, at quia res fortuita eiusmodi est, vt si præuisa fuisset ab agente, procul dubio fuisset ab eo intenta, vel ad eam expetēdam vel ad fugiēdam. Et hoc videtur significare Arist. in 2. Phys. text. 51. his verbis, *causa recipiendi argentum venisset, reportaturus pecuniam si sciuisset, veni-*

autem non huius gratia, sed accidit venisse & fecisse hoc reportãdi gratia, aut quia effectus fortuitus est coniunctus cum alio effectu per se intento ab agente, vt inuentio thesauri cum plantatione vineæ cuius gratia terra fodiebatur; quauis igitur fortuna ea ratione vt fortuna est, non agat propter finẽ, necessariò tamẽ est in eo agẽte, quod vel agit, vel aptum est agere propter finem; quare si esset aliquod agẽs quod neque ageret, neque esset aptũ agere propter finẽ, nihilq; haberet sibi determinatè præfixũ ad quod eius operatio vel naturaliter, vel ex electione referretur, id profectò nunquàm ageret fortuitò. Etenim fortuitũ est, quod accidit præter intẽtionẽ agẽtis, quemadmodũ si nõ esset motus naturalis, nõ esset etiã violẽtus, quia violẽtus præsupponit naturalẽ cui est cõtrarius, vt docet Arist. in 1. & 3. de Cælo. Potest autẽ dici aliqua actio non fieri, propter finẽ, tribus modis, vel quia ipsa est propter se & non propter aliud, vt actio in qua est fœlicitas: vel quia fit ab agẽte nõ intendẽte ipsam, vt si quis aliud attẽtè cogitãs, vel vngues rodat, vel fricet barbã, huiusmodi. n. actiones nõ fiũt ex electione ob aliquẽ finẽ, sed ex sola imaginatione: vel quia talis actio est cõiuncta & accidit ei actioni, quæ per se intenditur, vt inuentio Thesauri accidit fossioni terræ, & sic effectus fortunæ nõ fit ob aliquẽ finẽ.

Tribus modis actio non fit, ob aliquem finem.

Ex electione. Fortuna est tantùm in iis, quæ agunt ex electione, cuiusmodi est homo: nam in iis est fortuna, quos dicimus fortunatos, vel infortunatos, hi autẽ propriè sunt homines: quamquàm hoc nomen transfertur etiã ad ea quæ carent ratione, sed impropriè, & metaphoricè, & sic ille Poeta dixit fortunatos esse eos lapides, qui sunt in aris templorum, nam cum cæteri conculcẽtur, illi coluntur, & honorantur, vide Arist. in 2. Phy. text. 58. & 59. vbi scribit fortunam esse in iis quæ agunt, agere autem proprium est hominis, nam is propriè agit in cuius potestate est agere & non agere, talis est homo, qui est Dominus suarum actionum, reliqua verò quæ rationem non habẽt, potius dici debẽt agi quam agere. Nam actio, quæ Græcè dicitur πρᾶξις est est ea quæ tantùm fit ex electione in qua cõsistit virtus aut vitium. Rectè igitur Arist in 2. Phy. tex. 52. affirmãt circa idem versari intellectum & fortunam: quamquàm fortuna accidit ob defectum intellectus, qui non potest prouidere omnia futura, ne quid accidat præter eius intẽtionem: quare idẽ Arist. pulchrè scribit, vbi est multũ intellectus, ibi esse parum fortunæ, & vbi multum est fortunæ, ibi esse parum intellectus, quò fit vt respectu Dei cuius intellectus omnia liquidò cernit, nihil fortuitò possit accidere, bene item dicebat Polus, & est apud Platonem in Gorgia, & apud Arist. in Metaphy. fortunam esse inimicam arti, esse autem sociam & comitẽ imperitiæ.

Expo-

Exponitur vltima pars definitionis fortunæ, & expenditur opinio Auicennæ aientis fortunam versari in iis quæ sunt ad vtrumlibet.

CAP. VII.

NEq; *semper, neque vt plurimum.* Cælũ semper eodẽ modo mouetur atq; operatur & sicut habet incorruptibilem substantiã, ita quoq; habet modum agendi immutabilẽ: cuius rei causa est, quia caret ea materia, quæ habet in se priuationem & potentiã cõtradictionis, ex qua oritur indeterminatio & inordinatio, omnisque defectus & error. Agẽtia verò sublunaria vt plurimum quidem attingunt finem, interdum autem deficiunt ob indeterminationem materiæ & priuationis quę in ipsis inest, quæ res obstat quominùs regimen, directionem & ordinationem causarum cælestium, ita possint in se ipsis accipere quin aliquando deficiant. Quòd ergo agens sublunare in operando deficiat, cælum autem minime, non euenit tantùm (vt dixit Auicenna) quia cælo nullum obstat externum impedimentum atque contrarium, quemadmodum agentibus sublunaribus: nam hæc causa est externa, remota, & quasi per accidens: sicut non dicitur propriè aliquid esse corruptibile vel incorruptibile, quia vel habet contrarium, vel eo caret, sed quia intrinsecè ac secundum naturam suam est tale, vt Arist. docet in 10. Metaph. tex. vltimo.

Verùm quia quod non est semper nec vt plurimũ, duplex est, aut. n. est contingẽs vt vocãt, ad vtrùlibet, vt ambulare & nõ ambulare, & omnes actiones quę proficiscũtur ex libero arbitrio; aut est rarò contingẽs, vt thesaurũ inueniri ab eo qui fodit terrã, sicut Arist. tradit in 1. Priorum, & 1. Perihermenias. dubiũ est, an fortuna tãtùm versetur in iis quę rarò contingũt, an etiã in iis quę ad vtrũlibet eueniũt. Auicẽna in 1. li. Sufficientię c. 13. opinatur fortunã nõ solùm versari in iis quę rarò contingũt, sed etiam in iis quę ad vtrumlibet; quod ita probari potest. Ari. in 2. Phy. tex. 48. 51. 55. 56. ait fortunam esse in iis quæ neq; semper, neq; frequẽter eueniũt: sed in his nõ modò sunt ea quæ rarò contingũt, sed etiam quę ad vtrumlibet, hæc enim neque semper, neque frequẽter eueniũt: ergo fortuna locum habet etiam in iis quæ sunt ad vtrumlibet. Et quia videri poterat absurdum, ipsum ambulare, sedere & alias similes actiones, dicere fortuitas, cum proueniant à volũtate, idcirco Auicenna inquit, eiusmodi actiones non esse fortuitas respectu voluntatis à qua determinantur & imperantur, sed respectu virtutis motiuę, quę est in animali; huic enim, quia ipsa indifferẽs

Quæstio, an in iis quæ sunt ad vtrumlibet, fortuna versetur.

Auicẽna

Simplic. est ad ambulandum & non amubulandum, casu accidit, vt homo ambulet, vel non ambulet. Hæc est opinio Auicennę: cui Simplicius in 2. Phy. tex. 48. non videtur dissentire, ita scribens. *Quod neque semper, neque frequenter euenit, id vel raro cõtingit vel ex æquo est, nã quod est ex æquo, rarius est iis quæ vt semper vel vt plurimum fiũt, & ideo (vt existimo) Aristoteles id quod ex æquo & id quod est rarius præter id quod est vt plurimum communiter & perpetuò vocauit.* Hęc Simplicius. Quamquam dici potest Simplicius illis verbis docere voluisse, in iis quę neque semper neque vt plurimum fiũt, duo genera rerum contineri, nimirum quæ ex æquo, & quę raro accidunt; nõ autem significare voluisse, in hoc vtroq; genere rerum, fortunã versari.

Opinio cõtraria quæ est Themistij, Auerrois, Alberti, D. Thomæ, & est probabilior.

Sed Auicennæ aduersantur Themistius, Auerroes, Albertus, & D. Thomas negantes fortunam esse posse in iis rebus quę fiunt ad vtrumlibet. Vide digressionem Auerrois in 2. Phy. commẽto. 48. Quorum sententia nobis magis probatur, eáq; cõfirmari potest his rationibus. Primò, effectus iudicari debet qualis sit: an nimirũ sit fortuitus nec ne, ex causa principali à qua procedit, sed (verbi gratia) ambulatio, principaliter procedit à voluntate secũdũ determinationem & exercitium; respectu autem volũtatis, ea nõ est secundũ Auicennã fortuita, ergo ambulatio simpliciter dici debet nõ esse fortuita. Deinde, Aristoteles ait fortunam esse in eo agẽte quod agit ex intellectu & electione, ergo si ambulatio esset fortuita, talis profectò esset respectu ambulantis, quatenus agit per intellectum & voluntatem, sed Auicenna vult ambulationẽ non esse fortuitam respectu volũtatis, ergo ipsa nullo modo est fortuita. Postea, vel ambulatio procedit à virtute motiua, ea ratione vt ipsa est indifferens ad ambulandũ & nõ ambulandũ, & hoc dici non potest, quia virtus motiua, vt est indifferens, nequit efficere ambulationem potiũs quàm eius oppositum; vel procedit à virtute motiua vt determinatur à voluntate ad ambulandũ, sed hoc modo Auicenna negat eam esse fortuitam; ergo nullo modo ambulatio dici potest fortuita. Præterea, aut virtus motiua habet aliquem finẽ aut non habet; si habet, cum is non possit esse alius quàm eius operatio, non erit talis operatio fortuita respectu illius potentiæ, vtpotè quæ sit eius finis: sin autem nullũ habet finẽ, ne sic quidem respectu illius ambulatio erit fortuita, etenim fortuna tantùm est in iis quæ agũt ob aliquẽ finẽ, vt supra docuimus. Ampliùs, si ambulatio est fortuita respectu virtutis motiuæ quæ est in animali, ergo effectus fortuitus, esset certus atq; determinatus, & fortuna esset causa per se ac determinata: cõsequẽs, est, & cõtra Ari. & cõtra ea, quæ à nobis supra cõfirmata sunt; cõsequentia verò manifesta est, nam ambulatio non potest effici nisi à virtute motiua

motiua animalis, & talis virtus est determinata & per se causa illius ambulationis, & virtus motiua fuit à natura tributa animali propter motum, qualis est ambulatio. Ad hæc, sequeretur omnia instrumenta tam naturæ, quàm artis, agere fortuitò; cum tamen finis illorum sit eorum actio atq; vsus: patet consequentia, quia sicut virtus motiua secundum Auicennam est indifferens ad mouendum & non mouendum nisi determinetur à voluntate, ita quodlibet instrumentum est indifferens ad agendum & non agendum, nisi moueatur & determinetur à principali agente. His accedit; quod ipsum velle & ipsum intelligere, essent actiones fortuitæ respectu voluntatis & intellectus; quippe, cum voluntas sit indifferens ad volendum & non volendum; qua tamen re nihil fingi potest magis absurdum. Postremò, opinio Auicennæ est contra communẽ sententiam & modum loquendi omnium hominum, nemo. n. huiusmodi actiones quę sunt ad vtrumlibet, vocat fortuitas. Quamobrem quoniam Arist. in 2. Phys. text. 48. ex communi modo loquendi & sentiendi, demõstrat fortunam neque semper neque frequenter agere, clarum autem est ex communi modo sentiendi hominum actiones quæ sunt ad vtrumlibet, non fieri fortuitò, quippe cum procedant ex electione & intentione agentis; idcirco Arist. vt bene aduertit Philoponus, non curauit nominatim excludere & remouere fortunam ab huiusmodi rebus quæ sunt contingentes ad vtrumlibet. Atq; hoc modo facilè diluitur atque euertitur ea ratio qua niti atque fulciri videbatur opinio Auicennæ. Verùm contra definitionem fortunæ diligenter adhuc explanatam, existunt nonnullæ dubitationes, quas enucleare oportet, vt quæ ad perfectam fortunæ cognitionem pertinent, omnia perspicua & indubitata maneant.

Ponuntur dubitationes contra definitionem Fortunæ.

CAP. VIII.

Opinio Pomponæ ij aientis omnes effe fortuiti, & casuales, habere certas ac determinatas causas à quibus pro ficiscantur, Quod ipse confirmat dupliciter. Primò, quia illę causæ sunt per se, ac determinatæ, quibus positis necessariò existit effectus, sed inuentio thesauri à fodiente terram, quæ censetur esse fortuitus, habet eiusmodi causas, vt illis positis necessariò existat, ergo habet causas per se determinatas; quare cum fortuna

PRima dubitatio. Non videtur fortuna esse causa per accidẽs & indeterminata; cum. n. thesaurus reperitur ab eo qui fodit terram, causa illius inuentionis est de terminata & nota; etenim non est alia, quàm ipsa fossio terræ. Secunda dubitatio. Pomponatius in 1. suo lib. de Fato & libero arbitrio. c. 6. existimat eos omnes effectus qui dicũtur fortuiti & casuales, habere certas ac determitas causas à quibus pro ficiscantur, Quod ipse confirmat dupliciter. Primò, quia illę causæ sunt per se, ac determinatæ, quibus positis necessariò existit effectus, sed inuentio thesauri à fodiente terram, quæ censetur esse fortuitus, habet eiusmodi causas, vt illis positis necessariò existat, ergo habet causas per se determinatas; quare cum fortuna

censeatur esse causa illius inuentionis, erit ipsa causa per se ac determinata; probatur minor: Causæ propter quas inuenitur thesaurus, sunt duę, vna est thesaurū fuisse in eo loco recōditum, altera est fodi eum locū, in quo reconditus est; sed quotiescunq; huiusmodi duę causę ponuntur, id est quotiescunq; foditur terra in qua repositus fuerat thesaurus, semper ac necessariò inuenitur, quare talis inuentio, habet causam per se ac determinatam à qua necessariò procedit. Deinde, idem comprobat etiam hoc argumento; secundum Albertum in 3. lib. Mineralium, c. 1. Ars magica inter alia multa, eáque præclara & admiranda quę tradit, docet etiam inuenire thesauros abditos terráque tectos, sed omnis ars & scientia versatur circa ea quæ sunt per se ac determinata, quod enim est per accidens & indeterminatum, auctore Arist. 6. lib. Metaph. sub nullam scientiam aut artem cadit; ergo inuentio thesauri non est fortuita. Tertia dubitatio. Effectus fortuitus, habet pro causa sua per se ac determinata ipsam fortunā; etenim fortuna est causa per se effectus fortuiti, ergo nō verè dictū fuit fortunā esse causam per accidens effectus fortuiti. Quarta dubitatio. Si fortuna est in iis, quæ rarò contingunt, cuni rarò eueniat Eclipsis solis, rarò cometæ caudati, rarissimúsq; sit aspectus atq; coniunctio multorū syderū, vtpotè quæ semel tantum modo accidat, deniq; quid rarius viro sapiente & innocente? An hæc omnia casu & fortuito contingere existimandū est? Quinta dubitatio. Cum positū sit in definitione fortunæ eā esse causam per accidens, superfluè deinde additur. *Neque semper neque ut plurimum.* Nam sicut om ne quod est per se, vel semper vel vt plurimum euenit, vt declaratur in 1. Poster. sic è cōtrario videtur, id quod est per accidens, neq; semper neq; vt plurimū, sed rarò esse debere. Sexta dubitatio. Dictū est, effectum fortuitū & rarò & pręter intentionem agentis accidere: sed hæc duo non semper in effectu fortuito inuicem cohærent, ergo non est necesse effectum fortuitum semper habere in se prædictas duas conditiones, id est vt rarò accidat & præter intentionē agentis: probatur minor, nam si quis ludens aliquo lusu fortuito, id est cuius euentus sit dubius & incertus, & intendēs lucrari, lucretur, tale lucrū est fortuitum, vtpote quod neq; semper neq; vt plurimum ludenti obtingat; ipsum tamen non accidit præter intentionē ludentis. Simliter etiam si quis hyeme nauigans, faciat naufragiū, illud naufragium fortuito accidit, id est præter atq; adeo etiā contra intentionē nauigantis, ipsum tamen vt plurimùm contingit, ferè enim vsu venit, vt qui nauigant hyeme, multùm periclitetur. Septima dubitatio. Si pictor aliquis cupiens atque contendens exprimere

spumam

spumam quandā in ore imaginis quam depingit, cum diu multumque in eo frustra elaborasset, tandē indignatione commotus proiecerit colores in os imaginis, atq; eo modo spumam illam effinxerit, expressio huiusmodi spumæ, procul dubio est fortuita, ipsa tamen ab ipso pictore erat valde intenta. Octaua dubitatio. Videntur ea quę in 2. Phy. de fortuna scripta sunt ab Arist. nō admodum cohærere, quin etiā pugnare cum iis, quæ idē Arist. scribit de Fortuna in 7. lib. Moralium ad Eudemam, cap. 18. nam eo in loco affirmat fortunā esse causam quandam diuinam, à qua incitentur homines ad bona, & retrahantur à malis; & ab illa dari homini initium intelligendi, volendi & prosperè agendi. Nequè horum dissimilia scribit Plato in lib. de Legibus, asserens Deum vna cum fortuna & occasione regere & administrare omnes res humanas. Atque hæc quidē dubitari & dici possunt contra definitionem fortunæ, quæ tamen, siquidē fortunæ definitio recte à nobis tradita & constituta fuit, falsa esse perspicuum est. Quocirca qua ratione benè ac facilè dissolui possint ostendamus, ad singulas dubitationes, eodē ordine quo sunt propositę, respōdendo.

Soluantur supradictæ dubitationes.

CAP. IX.

AD primam dubitationē hoc modo respondemus causa propter quam nunc v.g. repertus fuit thesaurus, est determinata & nota, nimirū fossio terræ ad efficiendum sepulchrū; sed causæ omnes propter quas thesaurus simpliciter potest inueniri, sunt indefinitę & indeterminatæ; vnde ait Arist. in 2. Phy. tex. 50. causam per accidens esse indefinitam, infinita. n. vni possunt accidere; & in text. 65. [Fortuna (inquit) est eorū quę sunt à natura aut ab intellectu, sed horū multitudo indeterminata est.] Themist. etiam in 2. Phy. super tex. 51. ità scribit. [Est autē indefinitū nihilominus Fortuna, imo latius etiam aliquāto quàm cęteraenā thesaurū reperire, multis & infinitis ex causis possumus, gratia, factis, & institutis alterius, videlicet serendi gratia, pauimenti sternendi, deducēdi aquę ductus ad puteum cōstituendę cōdendęq; sepulturę, templi ædificandi, atq; similiū infinitorū] quare licèt nunc repertus sit thesaurus propter fossionē terræ ad condendū sepulchrū, tamen id est per accidens respectu connexionis huius causę cum tali effectu, potuit. n. eiusmodi effectus ex multis aliis causis proficisci. Ad 2. Licèt, si ponamus thesaurū fuisse reconditū in aliquo loco, eumq; locū à quopiam fodi, necessariò hinc efficitur illum thesaurum reperiri tamen illa duo poni, & inuicem concurrere, per accidens & rarò contingit. Præterea, in actionibus humanis præcipuè spectanda

est agẽtis intẽtio, cũ igitur nec eius qui recõdit thesaurũ intẽtio fuerit eũ reperiri à fodiẽte terrã, nec eius qui fodit terrã, intentio fuit inuenire thesaurũ, necesse est talẽ inuẽtionẽ thesauri per accidẽs esse; nã in agẽte per intellectũ & voluntatẽ, quod fit secundum intentionẽ eius, dicitur fieri per se, quod autẽ prẽter intentionẽ fit, per accidẽs fieri dicitur. Ad id autẽ quod additur de arte inueniendi thesauros absc̃oditos, ita respondendũ est. Non omnis inuentio thesauri est fortuita, sed ea quę accidit prẽter intentionẽ; quare si qua est ars quæ doceat inuenire thesauros absconditos eiusmodi inuẽtio non est fortuita, quippe cũ ea sit nõ modò secundum intentionẽ agẽtis vel quærẽtis, sed etiã secundum certam definitamque artis rationẽ, Planè [inquit Themist. in 2. Phys. super tex. 65. neque inuẽtio thusauri, neq; iactio fundamentorum, & fossio, simpliciter pertinet ad fortunã, posset. n. quis fodere ex industria spe inueniẽdi thesaurum. Sed cum non ad eum finem iactasunt fundamenta, atq; iacienti obuius factus est thesaurus, & quodãmodo fodientis manũ offendit, huiusmodi occursus superuentũsve fortuitus propriè nuncupatur] Hæc Themist. Quod si qui intendẽs thesaurũ inuenire fodit terrã atq; eum inuenit, non dicitur secundũ Themist. fortuitò inuenire, ergo multo minus is qui nõ solùm intẽdit inuenire, sed etiã callet artẽ inueniẽdi thesauros absconditos. Ad tertiã. Est quidẽ fortuna causa per se effectus fortuiti, sed fortunã esse causam per se, est dicere fortunã esse causam indeterminatã, quia sub nomine Fortunę latẽt infinitę atq; indeterminatæ causę. Latet igitur in ipsa dubitatione fallacia, nã quãuis si vniuersè cõferas fortunã cũ effectu fortuito videãtur habere inuicẽ cõnexionẽ certã, ac determinatã tamẽ si in particulari cõpares hũc effectũ fortuitũ, videlicet inuentionẽ thesauri cũ omnibus causis per quas haberi potuit, reperies illas esse indefinitas, ac indeterminatas. Similiter etiã si illã thesauri inuentionẽ conferas cum fossione terræ ad ad efficiendum sepulchrum, videbis inter talẽ causam, & talẽ effectũ, nullã esse cõnexionẽ per se, atq; cõiunctionẽ. Ad Quartam. Dupliciter aliquid est rarò eueniens secundũ Auicennã, vno modo respectu temporis, quia rarò euenit vt Eclipsis Solis: altero modo respectu causę, quia ex tali causa posita, rarò existit talis effectus, sicut rarò accidit, vt quis fodiendo agrum inueniat thesaurũ; quod priori modo fit rarò, non cõtingit fortuitò, immo fieri potest, vt necessariò eueniat, vt patet in Eclipsi solis, quin etiã, quę sunt huius generis, possunt dici semper euenire non quidẽ absolutè, sed quia cum eorũ causa posita est, semper eueniunt, quod autẽ posteriori modo fit rarò, id fortuitò cõtingit. Effectus igitur fortuitus vtroque

Quando inuentio thesauri est fortuita, & quãdo nõ

Dupliciter aliquid rarò euenit.

modo est rarus, & quia simpliciter rarò accidit, & quia ex tali causa, rarò & per accidens existit. Ad quintã. Non est superuacanea talis particula, nã neque simpliciter omne rarũ est per accidens vt patet in Eclipsi solis, & aliis similibus, quæ rarò quidem, sed non per accidẽs eueniũt; neque omne per accidens est rarũ, nã homo generans hominẽ, etiã per accidens generat hominem quantum, & risibilẽ, quæ tamen homini necessariò sunt adiuncta. Ad sextam. Effectus fortuitus, vt simpliciter sit fortuitus, duo in se habere debet, vnũ est, vt accidat prẽter intentionẽ agentis, alterũ est, vt sit in iis quæ rarò eueniunt: si alterutrum horum defuerit; non erit absolutè fortuitus, sed tantum modo secundum quid: quare qui intendit ex ludo lucrari, tametsi lucrum incertum sit, tamen ipsum non est simpliciter fortuitum, quippe cum sit intẽtum & optatũ à ludente: veluti si quis terrã foderet, vt inueniret thesaurũ, tunc inuentio thesauri (vt Themistium dicere paulò antè commemorauimus) non esset fortuita, tametsi incerta sit, & rarò contingens. Similiter (inquit Alexander) si quis immoderatè corpus exerceat vsque ad sudorẽ, & lassitudinẽ, quam continuò subsequatur febris, huiusmodi febris non est fortuita, licet ea prẽter illius voluntatẽ, & opinionẽ accidat, quia vt plurimùm euenit, vt qui immoderatè fatigantur & sudant, in febrim incidant: idẽ quoque dicendum est de eo qui hyeme nauigans facit naufragiũ; non enim (ait Themist. in 2. Phys. super text. 61.) ea omnia quæ citra consiliũ, & voluntatẽ eueniunt statim fieri videntur à Fortuna. Euenit hyeme nauiganti naufragiũ facere, hoc neque ex proposito consilióve; neque fortuitò euenisse dicimus, quia plurimum solet exitus iste esse nauigantiũ hyeme. Ad septimam. Quamuis ille pictor intenderet exprimere spumam, tamẽ non putabat eo modo exprimi posse quo expressa fuit, videlicet proiiciendo colores in os imaginis, quare illo modo spumam fieri, & rarò contingit, & prẽter intentionẽ agentis. Ad Octauam. Aristot. in 2. Phys. Physicè ac verè de fortuna loquitur, in illis autẽ ad Eudemũ libris, moraliter, id est populariter; multa enim Aristoteles in illis libris, moralibus tractat, non tã limatè ad veritatẽ Philosophicã, quàm ad vulgarem opinonẽ, sensumque popularem, atque ad commune hominũ iudicium accommodatè. Posset etiam dici, effectus fortuitos appellari posse diuinos, vel à diuina causa profectos; quia licẽt ipsi respectu hominis sint per accidens, tamen non sint respectu Dei omnia regentis, & administrantis, sunt per se: cum enim ab homine prouisi & intenti, sed à Deo tantùm definiti & ordinati, meritò sanè non humani, sed diuini appellantur. Verùm de fortuna hactenus.

Vt effectus aliquis dicatur fortuitus simpliciter, duo habere debet.

Quomodo effectus fortuiti possint appellari diuini.

De casu vel potius de Monstris, quæ vulgo putantur casu euenire.

CAP. X.

CAsus ea re solùm differt à fortuna quod fortuna, in iis est quæ agunt ex electione, & in rebus humanis locum habet: casus autē in agentibus naturalib. & in iis quæ fiunt naturaliter, versatur: in quibus si quid rarò & per accidens fit, id casu euenire dicitur. Vide Arist. in lib. Phy. à text. 60. vsque ad 65. De monstris autem breuiter hoc loco explicandum est; partim quoniam ea vulgò putantur fieri casu, vt indicat Arist. 2. Phy. text. 64. partim etiam, quia licèt natura operetur ob aliquem finem quem vt plurimū assequitur, interdum tamen ab eo deficit, & aberrat, ex quo monstrum existit: vt est apud Arist. in 2. Phys. text. 82. Neque verò quęcunque de monstris vel fabulosè, vel historicè vel etiam Philosophicè commemorari possent, ea hic subtiliter exponemus, sed tātùm attingemus pauca quædam in quibus Physica & generalis monstrorum cognitio, continetur; declarandum enim est quid sit monstrum, quæ sint monstrorum genera, quæue causæ, in quibus rebus monstra reperiuntur, & an ea casu & effici existere putandum sit.

Quid sit Monstrū. Monstra esse in rebus naturalib. clarum est. Etenim cernimus in omni ferè animantium specie, interdum naturam à fine suo deflecere & errare, qui defectus & error si est insignis, vocatur monstrum. Quinetiam necesse est huiusmodi monstra aliquando contingere; nam necesse est, id quod defectibile est aliquando deficere atque hinc ratio & origo monstrorum existit. Quid autem sit monstrum, ad hunc modum videtur Aristoteles explicasse in 4. lib. de Generat. animal. cap. 4. *Monstrum esse oblæsionem rei præter eius naturam, in iis quæ non semper, sed vt plurimum agunt eodem modo.* Potest etiam ex text. 62. lib. 2. Phys. elici alia definitio monstri; vt monstrum sit, *peccatum naturæ agentis ob aliquem finem, quo tamen frustratur aliquo principio corrupto.* Vel aliter etiam definire possumus, *Monstrum esse vitium naturæ deficientis à fine suo ob aliquod impedimentum, rarò contingens.*

Septē genera Mōstrorum. Sunt autem multa monstrorū genera; potest. n. mōstrum variis modis effici. Primò. In sexu, vt si fuerit aut incerti sexus, aut habens vtrumq; cuiusmodi est Hermaphroditus. Secundò. Propter aliquam qualitatem, vt si habeat nimiam crassitiem, aut tenuitatem, aut aliquam quampiam notabilem & inusitatatam qualitatem. Tertiò. In excessu aut defectu magnitudinis, vt si membra fuerint insigniter maiora, aut minora, quā cōmuniter ac naturaliter esse

esse solent. Quartò, In situ, vt si membra præter consuetudinē naturę sint transposita. Quintò. In figura, vt si homo sit figura non recta, sed prona more quadrupedùm, aut si homo habeat faciem, aut aliud membrum, non modo humano sed ferino. Sextò. In vi ctu & moribus, nam qui humanis carnibus delectantur & ob id vocantur ἀνθρωποφάγοι, inter monstra, & portenta humanę naturæ numerari debent, Septimò. In numero, vt si nascatur homo, biceps, vel senos digitos singulis manibus habens, aut tantùm monoculus vel vnipes.

Multas autem ob caussas monstra contingūt: primùm ob materiam, cuius vel redundantia, vel defectio & penuria, vel confusio ac permixtio seminū, est monstrorum caussa. Deinde, propter agens: hoc autem duplex est, vnū principale, nempe virtus forma tiua existens in semine, alterum instrumentarium, nempe qualitates, præsertim verò calor; huiusmodi autem agētiū nimis exuperans aut deficiēs virtus, reddit effectus mōstrosos: his etiam an numerari debet praua qualitatum inter se proportio. Postea, ob peruersitatem matricis seu loci in quo fœtus cōtinetur. Præterea, ob membranam seu tunicam qua fœtus inuoluūtur atque distinguūtur, nam disruptio tunicæ secūdinæ, qua obuoluitur, & obtegitur fœtus humanus, facit vt semē diffluat ac distrahatur, & mōstrosum aliquid generetur. Similiter in ouis habētib. gemina vitella, si desit mēbrana ea disterminās, nascitur pullus vel biceps, vel quaternis pedibus. Ad extremum propter aliquē aspectum, & cōstellationem cælestem alienam, vel cōtrariam fœtui generā do. Astronomi enim arbitrātur generatiōi cuiusuis animātis, espropriam aliquam & accommodatam cōstellationem, quę si tūc desit cum fit animalis generatio, & adsit alia vel cōtraria vel alie na, necesse est generari animal imperfectum & mōstrosum. Sed doceamus, in quo genere rerum præcipuè monstra contingant.

Quinque caussæ Monstrorum.

Monstra non contingunt in elementis; eorum enim natura cum vniformis & simplex sit, non admittit in se rationem monstri; itaque elementum vel generat effectum sibi simílem, vel nō generat; quare illius error & peccatum aut nullum est, aut non est alud, quam non generare: nisi fortè quis statum & dispositionem elementi secundum qualitates vel actiuas vel motiuas, quæ *stra.* est contra eius naturam, appellare velit monstrosam. In cæteris naturæ operibus, inuenitur quidem ratio monstri, sed in rebus inanimatis est obscurior atque ignotior, & si quod peccatum in illis contingit, id ferè non solet appellari monstrum. In plātis autem manifestiora sunt peccata, sed minus etiam quam in animalibus, in quæ propriè cadit atque cōuenit ratio & nomē mōstri.

In quibus rerum generibus sint monn

Et quamuis in aquatilibus,ob temeritatẽ mollitiẽ & humiditatem materiæ,propter quam eorum generatio atque constitutio, facilè ac variè vitiari & deformari potest, verisimile sit exoriri plurima mõstrorum genera,ea tamẽ nobis minùs nota sunt,propterea quod eorum species,ob abstrusam & à sensibus nostris remotam eorum habitationem,ferè nos lateant. Aristoteles autem in 4.lib.de Generat.animal.cap.4. affirmat in iis animalibus,quę multos fœtus simul concipiunt atque pariunt præsertim verò in gallinis frequentiora monstra cõtingere,ob multorum seminũ, quæ simul continentur,permixtionem atque confusionem. Quo fit,vt dicat in Ægypto,vbi fœminę sunt fęcũdiores,crebriùs existere homines monstrosos,quàm apud nos.

An plura mõstra euenãt in plãtis quã in animalibus.

An verò plura mõstra reperiantur in plantis quam in animalibus cõtrouersum est inter Philosophos,Quidam aiunt plura ueniri in plantis,propter ea quæ scribit Auerr.in 2.Phys. com.83. dicẽs naturam maiorem habere curam & solicitudinem de animalibus,quam de plãtis quare nõ permittet plura mõstra in animalibus quàm in plãtis. Idẽ etiã significare videtur Arist.in text. illius cõmenti,ita scribens cõtra Empedoclem, *vtrum igitur & in plantis siebant vt bourgena,viri prora.sic vitigena oleoprora? an non inconueniens enim.sed tamen oportebat:siquidem & in animalibus.* Hæc Arist quibus verbis innuit si in animalibus cõtingunt monstra, multo magis ea debere cõtingere in plãtis:monstrosas autẽ plãtas nos minimè dignoscimus vel propter imperfectionem plãtarum quæ obstat quominus benè discernamus mõstrosas plantas à non monstrosis;vel quia cum earum species nõ sint nobis planè cognitæ,fieri potest vt quod in eis monstruosum est,existimemus ad aliquam earũ speciem nobis ignotã pertinere. Albertus autẽ (cui nos magis assentimur) in explanatione supradicti text. cõtra sentit.affirmãs crebrius effici mõstra in animalibus quã in plãtis:idque confirmat dupliciter,tum quia semẽ animalium est mollius & humidius quàm plantarum quocirca magis est obnoxium alterationi,& corruptioni, & magis aptum ad accipiendas alienas & diuersarias affectiones;tũ enim quia generatio animalium,est quàm plantarum multo difficilior atque operosior,pluribusque rebus indigẽs,ex quarum cuiuslibet defectu, necesse est, imperfectum & mõstrosum animal existere. Sed quæret aliquis si forte nascereturhomo biceps, is censendus esset vnus an duo homines? Respondemus hãc quæstionem proponi & solui ab Aristot.4.lib.de Genera animal.capit.4.ait enim id esse diiudicandum ex corde,quod est principium animalis,& vbi secundum ipsum tam vegetatiua quam sensitiua anima pręcipuè residet. Nã si cor-

An homo biceps sit vnus an duo homines.

si cor fuerit vnum, tametsi cætera membra geminentur, vnum erit animal:sin autem ipsum fuerit multiplex,nõ erit vnũ. Idem quoque ex aliis externis signis discerni posset,nempè considerare oporteret,an qui videntur esse duo homines,hi sentiendo,expetendo,loquendo & aliis similibus actionibus exercendis variè discrepent, an similiter cõsentiant inter se in omnibus:si discrepant,duos esse homines, sin omnino consentiant vnum dũtaxat esse dicendum erit.

An monstra casu fiant.

Restat vt videamus,an existimari debeant mõstra casu gigni, necne. Themistius paraphisticè explanans tex.64.2.Physicorum redarguit eos qui opinãtur mõstra non fieri casu,propterea quod ea priusquam oriãtur,videãtur habere certas & proprias causas, nimirum vel aliquam cæli constellationem, vel exuberantiam aut defectũ materiæ;pari enim inquit,ratione,neque lapis deorsum cadens,diceretur casu percutere transeuntem, siquidem etiam intra lapidẽ est grauitas,quę est propria causa illius motus. verba Themistij sunt hæc. *Cum aliquid præter naturam fit vt mõstrũ, id non fortuna,sed casu dicimus prouenisse; vt manus sexdigita; nisi fortè fateri nolis huiusmodi portenta naturæ fieri casu;sed propriam & certam causam habere,eam videlicet quæ intrinsecus fuerit antequã ederẽtur in lucem,aut syderationem,aut materia exuberantiã & copiã.aut cõtra defectum sed qui ita dicunt,nonne vident idem posse dici de lapide quẽ casu cecidisse non negarẽt,habuisse illum vtique intra se causam grauitatẽ & pondus,sed certè pondus causa efficiens est deuolutionis & casus nõ etiam percussionis,sed casus percussionem fecit.* hæc Themistius. Altera est opinio quæ nobis probabilior videtur,monstra nõ casu sed per se fieri;nam causæ monstrorum sunt per se determinatæ,& certæ ac scientia comprehensæ,quas nos supra commemorauimus. Et quamuis huiusmodi causæ sint raræ tũ respectu temporis, quia rarò accidunt,tum respectu naturæ,quę vt plurimum assequatur suum finem raróque ab eo deficiens producit monstra; attamen illis causis positis,vel necessariò vel vt plurimũ efficiuntur mõstra. Ac licet natura cum aggreditur operari,non intendat monstrũ,tamẽ postquam impedita finem suum attingere non potest, totam vim suam conuertit atque confert ad productionẽ huiusmodi monstrorum. Ex quo planum est,errare vehemẽter eos qui putant animalia quæ generantur ex putri materia,casu fieri;cum omniũ operum naturæ sint certę caussę,tempora,modi, aliæque circũstantiæ à natura præfinitò cõstitutæ;quod est valde remotũ ab iis quæ fiunt casu vel fortuito,quid?quod animaliũ quæ sunt ex putri materia,generatio talis qualis est,vel semper vel vt plurimũ euenit?meritò igitur illos reprehendit Auer.1.lib de Gene.

animal.& 8.Phy.com.46.quod autē monstra simpliciter nō fiant à casu,indicat Arist.2.Phy.tex.64.ita scribens.*Cū sit aliquid præter naturam,tum id non à fortuna,sed magis à casu factum esse dicimus. Est autem & hoc alterum,huius enim extra est causa,illius verò intra* Hæc Arist.Quem locum explanās Simplicius, docensq; ea,quę præter naturam accidūt vt sunt mōstra,nō fieri casu,cum ex certis definitisq; causis procreētur,hæc scribit,*Est aliud,quod per se causa est eius quod est præter naturam, vt tale gignatur, non secus quàm eius quod sit secundū naturam: aut enim compressio, aut mala tēperatura,aut materia redūdātia,vel inopia,aut aliquid aliud eiusmodi causa est per se eius quod fit præter naturam.*hæc Simplicius. Possunt autem mōstra dici fieri casu secūdum quid,tum quia neque semper neque vt plurimum, sed rarò accidūt,tum etiam quia nō sunt per se intēta sed per accidens:contingūt enim nō alicuius rei gratia,sed solùm ex necessitate & inordinatione materiæ, naturæ enim directio tendens ad suum finem,cum ob aliquod impedimentum eum assequi nō potest,à suo naturali cursu per accidēs deflectit, ac digreditur ad generanda mōstra.Quamobrem scitè Arist.in supradicto quarto libro de Gener. animal.c.4. huiusmodi mōstra vocat παρεκβάσεις, id est quasdam naturæ excursiones atq; digressiones.Nā cum natura quod vult & intendit perficere non potest, ne nihil agat, facit id quod potest,si nō tale quale à principio intēdebat, certè quàm potest ei simillimum. Possent autem dici mōstra fuisse intenta à mūdi opifice,quatenus is, quo mūdus esset omni genere entium completus & absolutus, voluit in eo esse tam res necessarias quā contingētes : Contingētiam autem rerum necessariò interdū sequitur defectus & error,vnde mōstra oriūtur. Verùm de mōstris hęc satis sint.Ne lōgius à proposito digredientes,& diutiùs in tractatione monstrorum commorantes, doctrinam hanc nostram faciamus rerum quæ tractantur similem, hoc est monstrosam. Qui autem de monstris cupit plura scire & subtilius cognoscere, legat Arist.4.lib.de Gen.animal.c.4.& Auer.ibidem:Albert.item in 2.lib.Phy.trac.3.c.3.ex quo mutuatus est Iandunus quæ de Mōstris in quæstionibus suis super secundum Phys.relinquit scripta.

Quomodo Monstra possunt dici casu euenire,vel esse intēta à natura.

De Contingentia.

CAP. XI.

QVoniā autem casus,fortuna,mōstra, omnis deniq; inordinatio,instabilitas,& incōstantia rerum sublunariū,ex earum rerum contingentia oriūtur : neque enim hæc in rebus

rebus necessariis, atque immutabilibus, sed tantùm in cōtingentibus, locum habere possunt; idcircò non erit alienum instituto nostro, nonnihil dicere de contingentia: de qua duæ præcipuæ quæstiones explicari debent; vna est, an sit in rebus contingētia, altera quæ sit prima radix,origo,& causa contingentiæ, propter quam res,& sunt,& dicuntur contingentes.

Stoici existimantes non posse constare & cohærere contingētiam cum Dei prouidentia, vt hanc retinerent, illam è rebus sustulerunt,hac vtentes ratione:si est prouidentia, non erit contingentia,sed est prouidentia,ergo non est contingētia. Maior(nam de minori nō est in præsentia certādum)ita probatur. Prouidētia Dei includit tria,præscientiam,volūtatem, & dispositionem Dei; quæ tria excludūt à rebus cōtingentiam. nam quod est Prouisum à Deo,hoc est,quod Deus præsciuit,voluit, disposuit seu cōstituit vt aliquando eueniat,id nō potest nō euenire:neque enim potest,aut præscientia Dei falli,aut voluntas frustrari,aut ordinatio impediri:sed omnes res sunt à Deo prouisæ, ergo omnes necessariò & immutabiliter eueniunt,quare nullus contingētiæ locus relinquitur. *Opinio Stoicorum tollentium contingentiam.*

Auicenna concedit contingentiam in rebus humanis quę pendēt ex libero arbitrio, sed eam negat esse in rebus naturalib. hac ratione. Posita causa sufficienti ad agendum, necessario sequitur effectus,ergo nulla causa sufficiens in rebus naturalibus, est contingens.nam si aliquando non producit effectum, id non accidit ob contingentiā,sed ob insufficiētiam causæ. Vide hāc rationem apud D.Tho. 1.part. q.115.ar.6.& apud Caietanum ibidem. Hāc sententiam Auicennæ probat etiam Ochan Quodlibeto 1.quæst. 17.hoc argumento. Agens naturale habens omnes conditiones requisitas ad agādum,nō potest nō agere, hac enim re distinguitur agēs naturale ab agēte voluntario & per electionem:Vel igitur causa naturalis sufficiēs ad producēdum effectum,habet tunc aliquod aliud agens naturale impediēs ipsam à productione, vel nō habet:si nō habet, ergo tūc necessario producit effectum ; sin autē habet,ergo illud,cum sit agēs naturale, necessariò impediet; quare quidquid tunc eueniet,ex necessitate eueniet. *Opinio Auicēnæ & Ochā.*

Scotus 1.sent.dist. 2.quæst.2.& dist.8.quæst.5.& dist.39.duo asserit,vnum est, secundum veritatem esse cōtingentiam in reb.naturalibus,cum enim secundum veritatē Deus agat ad extra contingēter, & liberè potuit creaturas producere, ac nō producere, potest etiam conseruare eas & non conseruare;quamobrem tam productio,quàm esse rerum,esse contingens: Alterum est,secundum Aristotelem qui putauit Deum agere,ex necessitate naturæ *Opinio Scoti.*

nullam in rebus cõtingentiam esse posse. hoc probat ipse dupliciter. Primò, quia quicquid fit, vel immediatè fit à Deo, qui cum agat ex necessitate id etiam ex necessitate fiet; vel fit etiã à causis secundis, & sic etiã necessariò fiet: nã causæ secũdæ, cum sint vt lut instrumẽta primæ causæ, nõ mouẽt, nisi prout mouẽtur à prima; sed à prima mouẽtur necessariò: ergo ipsæ quoq; mouebunt necessariò; quare quicquid ab ipsis fiet, necessariò fiet. Deinde, causa prima prius natura respicit effectũ producendũ, quàm causa secũda, sed causa prima ex necessitate agẽs, necessariò respicit effectũ; ergo in illo priori effectus habet necessitatẽ respectu causæ primæ: nec superueniẽs deinde causa secũda, potest illã necessitatẽ à prima causa iã inductã, ex ipso effectu auferre. Sed obiiceret aliquis Scoto, Arist. ponere in reb. cõtingentiam 2. lib. Phy. vbi agit de casu, & fortuna, & li. 6. Meta. tex. 5. & in fine primi libri Perihermenias, & multis in locis tradit cõtingens ad vtrũlibet, pendens ex volũtate hominis. & lib. 3. Ethicorum astruit liberũ arbitriũ. Ad hęc non aliter respõdet Scotus, quam affirmando Aristo. sibi contradixisse. is enim sensit Deũ agere ex necessitate, is etiã concessit in rebus esse contingentiam, non animaduertens inter hæc duo esse (vt ab ipso demonstratum fuit) manifestam contradictionẽ. Hæc igitur ab istis Philosophis acutè magis quàm verè disputantur ad tollendam è rebus omnem contingentiam.

Probatur esse in rebus contingentiam.

CAP XII.

Probatur esse in rebus cõtingentiã tribus argumentis.

SEd vetus opinio est, eaque omnium penè tam Philosophorũ quàm Theologorũ firmata cõsensu, esse in rebus contingentiã; quã ego opinionem non dubito, & veritsimam esse, & cuiuis facilè probari ac persuaderi posse. Primùm. n. contingẽtiam esse, compertum est omniũ propè sensuũ iudicio. Videmus. n. nonnullas res esse, quæ semper eodẽ modo se habeãt, vt Cælũ, in cuius motu, nulla post hominum memoriam inconstãtia, nullus error, & defectus adhuc notari potuit; has res necessarias dicimus; alias autem cernimus, nõ quidem semper, sed ferè & vt plurimũ eodem modo euenire, interdum tamen deficere, vt hominem nasci bipedem, vnũ caput duas manus, & singulis manib. quinos digitos habẽtem, fere ita contingit, sed nonnũquam aliter etiam accidit, has res vocamus contingentes. Tãtam hanc euidentiam rerum, tam constans, & certum indicium sensuũ. qui non percipit, vel admittit, is profectò reiiciendus, & explodendus

est à Philosophia. rectè enim Arist. in 8. Phy. tex. 22. dixit, dimittere sensum in iis, quæ sensib. manifesta sunt, & rationes quærere, infirmitatem quandam esse intellectus.

Quantam fidem & auctoritatẽ habeat euidens iudicium sensuum.

Quid referemus enim (inquit Lucretius) *quod nobis certius ipsis*
sensibus esse queat, & quo vera, & falsa notentur?
ex sensu namque omnia quæ sunt credita pendent,
cui nisi prima fides rectè fundata valebit,
haud erit occultis de rebus quo referentes,
confirmare animos quicquam ratione queamus.

Et quemadmodum Auicenna in 1. lib. suæ Metaphysicæ Scitè ait, qui negant primum illud principium quodlibet est vel non est, eos non esse fatigandos rationibus, sed igne tandiu torrendos quoad fateantur non idem esse vri & non vri, dolere & non dolere; ita etiam Scotus in 1. Sent. distinct. 39. facetè dixit, qui negãt contingentiam, & clamant omnia necessariò euenire, eos tormentis exponendos esse, & tandiu cruciandos donec concedant, possibile esse eos non torqueri.

Lepidum dictũ Auicennæ, & Scoti.

Deinde, contingẽtiam esse in rebus naturalibus præsertim sublunaribus hac ratione concluditur, Quicquid habet materiam & contrarium, est contingens (loquor de materia in qua est priuatio, & potentia contradictionis ad esse & non esse) sed omnes res sublunares habent materiam & contrarium. ergo sunt cõtingentes. Hæc demonstratio est à priori & propter quid & ex propriis causis ducta. Aristoteles enim lib. 7. Metaphysicæ, textu 22. & 1. li. de Cælo, tex. 136. docet materiam causam esse, cur res possint esse & non esse. Verùm Scotus eo loco, quem paulò supra posuimus, opinatur hanc propositionem, aliquod ens est contingens, esse indemonstrabilem: quod falsum esse, nos perspicuè nũc ostendimus, demõstrãdo eam à priori & propter quid. Præterea, esse cõtingens, cum necessariò, ac per se dicatur de re quæ est contingẽs sicut etiam esse corruptibile vt ait Aristoteles 10. Metaphysicæ textu 26. aut dicetur in primo modo dicendi per se, hoc est quiditatiuè, aut in secundo modo: Non in primo modo, quia contingentia non conuenit rei in ordine ad prædicata sua quiditatiua, quæ non contingenter sed necessariò de ea dicuntur; exempli causa: Homo non est res contingens ratione animalis; corporis & rationalis: hominem enim esse animal & corpus, non est contingens sed necessarium; sed conuenit rei contingentia, in ordine ad ea quæ sunt extra quiditatem rei, nimirum in ordine ad productionem, existentiam, operationem, accidentia separabilia & alia eiusdem generis: contingens enim est hominem produci, & non produci, esse & non esse, operari & non operari, esse doctum &

Breuis & perfecta demonstratio qua probatur esse in rebus contingentiã. An esse aliquid cõtingens sit demonstrabile.

& non esse doctum: adde quod ipsum quod quid est abstrahitur ab esse & non esse, & à posse esse & posse non esse, in quo tamen consistit ratio & definitio contingentis: non igitur esse contingens, est prædicatum primi modi dicendi per se ac quiditatiuum. Sin autem est prædicatum secundi modi dicendi per se, ergo est demonstrabile, nam erit propria passio. Quanquam esse indemõstrabile dupliciter dicitur, & quod non potest demonstrari quia est primum & immediatum immediatione (vt dicunt) causæ; quo modo hominem esse animal rationale, est indemonstrabile; vel quia non debet demonstrari, propterea quod nobis est notissimum; & demonstratio cum sit argumentatio, non debet adhiberi, nisi ad faciendam fidem rebus dubiis atque hoc modo naturam esse, motum esse, multitudinẽ & distinctionem rerum esse, dicitur indemonstrabile; esse igitur contingens, non quidẽ priori modo, sed fortasse posteriori modo dici posset indemonstrabile: nam licèt causa contingentiæ sit obscura & ignota multis, esse tamen in rebus contingentiam, nescio, cui non sit perspicuum & manifestum, Si igitur res sublunares habent materiam & contrarium, ergo tam intrinsecus quàm extrinsecus possunt impediri & deficere, & aliquando impedientur & deficient. Sunt igitur contingentes.

Dubitatio an mũdus posſit verè appellari vniuersum.

Tertia eiusdem rei probatio atque confirmatio sumi potest ex perfectione mundi: qui si est (vt appellatur) vniuersum, hoc est totum quid & perfectum, necesse est in eo contineri omnes gradus & omnia rerum genera; quemadmodum igitur cernimus in mũdo esse causas & causata, finitum & infinitum, æternum & temporale, corporeum & spirituale, animatum & inanimati; ita quoque in eo esse oportet cõtingens & necessariũ. Sed dicet aliquis, hanc rationem nihil conficere secundum Theologos, quippe qui affirmantes in mundo non esse omnes species rerum quas Deus secundum infinitam virtutem suam producere posset, necesse habent fateri, mundum esse imperfectum, nec posse ritè nominari vniuersum, siquidem multæ species ei desunt, quas tamen is habere posset. Verùm ad hoc in promptu est responsum. Etenim perfectio mundi non in eo est, vt is contineat omnes species rerum infimas possibiles, sic enim nunquàm Mundus perfectus esse posset, cum Deus semper plures, atque perfectiores species quibuscunque creatis possit efficere; sed perfectio Mundi præcipuè spectari debet ex eo quod mundus continet in se, omnes gradus entis primos & generales, omnia prima & summa genera rerum in quæ ens proximè diuiditur; cuiusmodi sunt substantia & accidens, causa & causatum, corporeum & incorporeum & ex vtroque

que coniunctum, animatum & inanimatum, contingẽs & necessarium; continet etiam omnia genera prædicatorum quæ sunt per se subordinata: cõtinet denique ómnes modos (vt sic loquar) essendi, nempe simpliciter esse, viuere, sentire, & intelligere. hanc igitur ob causam verè dicitur mundus esse vniuersum, & perfectum quid.

Soluuntur rationes negantium contingentiam.

CAP. XIII.

Duplex necessitas, absoluta, & ex suppositione.

REstat nũc, vt ad rationes supra positas aduersus cõtingẽtiam, breuiter respõdeamus. Ad rationem Stoicorũ sic respondeo: cũ dicũt ipsi, quicquid est à Deo prouisum, ex necessitate euenire, distinguẽda est necessitas in absolutam; & in necessitatem immutabilitatis ex suppositione; necessitatẽ absolutã, voco eã, quę simpliciter cõuenit rei ex natura eius & secundũ omnes differẽtias tẽporis; quomodo hominem esse animal, est necessariũ absoluta necessitate; natura.n. hominis ea est, vt cõiunctio animalis cũ homine sit omnino necessaria; atque hæc quidẽ necessitas omnẽ excludit cõtingẽtiam, nec potest cũ ea simul esse, necessitas autẽ ex suppositione dicitur, cũ aliquid cõtingẽter cõuenit rei si eius natura absolutè cõsideretur, ex suppositione verò, id est relatum ad certã aliquam differẽtiam tẽporis, dicitur cõuenire necessariò necessitate immutabilitatis, quia tũc non potest nõ conuenire, exẽpli gratia hominẽ currere, simpliciter contingẽs est, neque enim cursus necessariam cõnexionem habet cum natura hominis, si tamẽ ponamus hominẽ currere, tũc dum currit, necessariò currit, hoc est nõ potest nõ currere. Sic igitur res cõtingens, secũdum naturã suam potest esse & non esse, at eadẽ res dũ actu existit nõ potest tũc non esse, quia omne quod est, dum est, necesse est esse: & quia omnia futura præsentantur Deo in illa sua æternitate tãquam præsentia, secũdum determinatam & actualem existẽtiam quam habitura sunt, ideo certò ea cognoscit, & hac ratione necessariò erũt, sicut cũ actu sunt, necessariò sunt. Quemadmodũ igitur, licet dũ Petrus sedet, tunc necessariò sedeat, hoc est non possit non sedere, non ideo tamẽ dicimus Petrũ sedere esse necessariũ: sed potius cõtingens, quia hoc est cõsiderare sessionem Petri absolutè, illud autem secũdum quid nempe tantùm dum sedet: ita etiam, Petrum esse sessurum, absolutè & tam secundũ naturã Petri quam secundum rationẽ sessionis, cõtingens est, relatum tamẽ ad sciẽtiam Dei, qui in sua ęterni

tate videt Petrum non vt sessurum & vt indeterminatum ad sedendum vel non sedendum, sed vt iam determinatum ad sedendum & vt actu sedentem, est necessarium necessitate immutabilitatis, quia non potest non esse. Et sicut cum Petrus sedet, tunc non potest non sedere, & omnes tamen dicimus illum contingenter sedere sic si Deus præscit Petrum cras sessurum, non poterit non sedere, nihilominus tamen simpliciter & absolutè dicimus Petrum cras sessurum contingenter. Vtar ad hoc declarādum, eo exemplo quo ad eandem rem illustrandam, vsus est Diuus Thomas prima parte quæstione 14. articulo 13. ad secundum. Lapis ea ratione vt existit in Mundo, per se res quædā est materialis & singularis, sed vt intelligitur ab anima nostra (ponamus enim nunc cum Diuo Thoma tantùm res immateriales & vniuersales directè cognosci ab intellectu nostro) est quodammodo immaterialis & vniuersalis, sicut igitur lapis, simpliciter est materialis, relatus autem ad intellectum, est quodammodo immaterialis, neque hæc immaterialitas, tollit illam materialitatem, sed simul in eadem re secundum diuersas rationes esse possunt: sic etiā futurum contingens prouisum à Deo, secundum se & simpliciter, contingenter eueniet, & poterit esse ac non esse, relatum tamen ad scientiam Dei, quodammodo eueniet necessariò, neque necessitas hæc excludit illam contingentiam. Sed hæc satis sint ad soluendam rationem Stoicorum, nam velle subtiliùs & pressiùs explicare qua ratione Prouidentia Dei non auferat ex rebus contingētiam, non est huius loci.

Optimum exemplum D. Thomæ

Ad rationem Auicennæ respōdetur.

Ad rationem Auicennæ sit hoc responsum. Potest esse agēs naturale per se sufficiens ad agendum, & tamen non aget, extrinsecus impeditum ab alio, Sit, v.g. ignis per se sufficiens ad comburendam stupam ei appositā, sed extemplo ingrauat vehemēs aliquis ventus aut imber, qui vel extingués ignem, aut madefaciés stupam, vel dissipans ignē, aut stupā disiiciens, impediat cōbustionē: hinc liquido cernitur, impeditam fuisse combustionem stupę, non ob insufficientiam ignis, sed ob impedimentū extrinsecus accedens: ergo etiam in agente naturali sufficienti ad agendū, clarè perspicitur contingentia: quin imò hoc ipsum, quod est agens naturale esse sufficiens ad agendum, & non agere tamen extrinsecus ab alio impeditū, manifestissimè declarat eius cōtingentiam, cum posita ex parte agentis omni sufficientia requisita ad agendū, etiam tunc, ipsum agēs extrinsecus impediri queat ab agēdo.

Ad rationē Ochan.

Ad rationē Ochā, sic responderi potest, Agere necessario, dicitur dupliciter, vel vt opponitur ei, quod est contingenter agere, & signi-

significat, semper agere eodem modo & nunquàm impediri posse ab agendo; vel opponitur ei, quod est agere voluntariè & per electionem, & significat non esse in potestate eius non agere, si nihil ei deest eorum quæ requiruntur ad agendum, nullumque adest impedimentum. Ratio ipsius Ochan, concludit agens naturale agere necessariò hoc posteriori modo, quod nos libenter cōcedimus. Sed nos, cum dicimus res sublunares non esse necessarias sed contingentes, loquimur de necessitate priori modo accepta: ergo vt demus ipsi Ochan hanc esse necessitatem in agentibus naturalibus, vt cum agunt, necessariò agant, hoc est non possint non agere, & cum impediuntur, necessariò impediantur, hoc est non possint non impediri; is tamen debet vicissim nobis concedere velit nolit, esse in rebus naturalibus eiusmodi contingentiam, vt nec semper agant nec semper impediantur, sed aliquando agant & aliquando impediantur, quod nobis satis est ad eam de qua nunc agimus, contingentiam astruendam.

Duplicitèr dicipotest agens aliquod agere necessariò.

Ad rationes Scoti.

Ad rationes Scoti hoc modo respondendum est. Licèt causa prima moueret necessariò, tamen propter contingentiam secundarum causarum effectus existeret contingens, quia motio & actio causæ primæ non recipitur in secunda causa secundum conditionem causæ primæ, sed secundum dispositionē causę secundæ determinatur & modificatur; quicquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur; nec actio recipitur secundum conditionem agentis, sed secundum dispositionem patientis; cuius rei exemplum habemus in syllogismis; in quibus conclusio semper sequitur debiliorem partem, ex maiori enim affirmatiua, vel necessaria, vel vniuersali, & minori negatiua, vel contingenti, vel particulari, sequitur conclusio non maiori, sed minori similis, nimirum negatiua; contingens, particularis. Ergo causa secunda, non mouet nisi mota à prima, hoc est nisi concurrente motione primæ, per quam ipsa cietur, dirigitur, determinatur & applicatur ad mouendum; sed non mouet secundum modum mouendi quem habet prima, sed mouet secundū modum naturæ suæ; quę quoniam est contingens, hinc necessariò efficitur, vt non solùm motio procedens à causa secunda sit contingens, sed etiam motio proficiscens à causa prima, quoniam recipitur in causa secunda contingenti, etiam ipsa contingens esse debeat, & contingenter attingat effectum. Illud verò quod addit Scotus, causam primam prius respicere, vel attingere effectum quàm causas secundas, partim verum est, si (prius) significet intimius, & independentius (vel vt loquuntur Theologi) immediatius immediatione virtutis; sed hoc modo nihil facit ad propositum: partim falsum

est,si prius respicere vel attingere effectum,significat prius agere,& imprimere aliqui id in effectum, quomodo sumi debet à Scoto ad concludendum id quod vult concludere,dico id esse falsum:tum quia causa vniuersalis per se indifferens & indeterminata est ad hunc,vel alium effectum particularem producendum nec attingit effectum, nisi determinata & modificata per causas secundas & particulares;quomodo igitur potest vis, & causalitas eius peruenire ad effectum prius quam vis causarũ secundarum? tum etiam quia vna numero productio est per quã effectus particularis producitur simul à causis secundis &à causa prima; non igitur potest causa prima inducere in effectum necessitatem aliquam,priùs quàm causa secunda inducat in eundem, contingentiam. Atq; hinc palàm est, Arist.facientẽ Deum agere ex necessitate naturæ,& ponentem in rebus contingentiã, non sibi ipsum contradixisse,cum hæc duo nõ pugnent inter se;quam rem Heruæus Quodlibeto 2.q.4.copiosè,acutè,doctèq;tractauit.Iam verò quod ait Scotus,secundum veritatem contingentiã esse in rebus propter contingentiã & libertatẽ Diuinæ voluntatis liberè producentis & cõseruantis creaturas, quàm sit remotũ à vera ratione, mox ostẽsuri sumus in eo, qđ proximè sequitur,c.in quo alterã q.de causa(&vt vocant)radice cõtingentię,explicabimus.

Quid sit causa contingentiæ secundum alios scriptores.

CAP. XIIII.

Varietas rerum cõtingentiũ.

Vltiplex est contingens:etenim aliud est in potentia passiua,vt materia prima contingenter & indifferenter se habet ad quaslibet formas præsertim singulares & indiuiduas accipiendas; & aliud est in potentia actiua,sunt.n.quædã agentia necessaria;& alia contingentia.Rursus contingens, aliud naturale, aliud voluntarium: nam & ignis contingenter agit,&homo per liberũ arbitriũ contingenter operatur.Inter hæc duo contingentia est triplex differentia:primùm quod contingens naturale euenit vel vt plurimum ver rarò, per se quidem,vt plurimum,per accidens autem, rarò: hominem nasci bipedem,vt plurimum euenit,contrarium autem, rarò accidit:contingens verò voluntarium , habet se indifferenter,& vt vocant ad vtrumliber.Deinde,cõtingens naturale est secundum naturam suã definitum,&determinatum ad modum operandi,& ad effectum vnius rationis,contingens autẽ voluntariũ,minimè. Deniq;contingens naturale,cùm habet omnia, quæ requiruntur ad agendũ,nullumq; occurrit impedimentũ,nõ potest non agere,& sem-

re,& semper agit toto conatu,& contentione suę virtutis,hoc est (vt loquuntur Philosophi)secundum vltimũ suæ potentiæ;contingens autem voluntariũ non ita est affectum,cum in eius potestate sit agere & non agere,& tantam vim ad agendum conferat, quantam vult,non quantam potest. Adde his quartam differentiam,quod futurum contingens naturale præsciri potest;at futurum contingens voluntariũ,solo à Deo certò sciri potest.Nobis in præsentia sermo erit de contingentia,quę est in rebus naturalibus,cuius causam nunc inuestigare volumus: nam de contingentia quæ est in libero arbitrio , alio loco differendum est. Quæ igitur causa sit cur res naturales, quę sunt infra orbẽ Lunæ, &verè sint,&verissimè dicãtur cõtingẽtes,breuiter disquiramus.

Opinio Scoti.

Scotus 1.Sent.dist.1.quæst.2.& dist.8.quæst.5.& dist.39. causam contingentiæ,quæ est in rebus,non aliam esse ait,quam contingentiam & libertatem Diuinæ voluntatis : propterea enim res sunt contingentes,quòd eas Deus liberè produxit,hoc est potuit producere & non producere ; liberè etiam eas conseruat , potest enim conseruare & non conseruare;quare necesse est tum ipsum fieri, tum ipsum esse creaturarum esse contingens. Hæc opinio falsa est.Primùm enim,hinc efficeretur omnes res esse æqualiter contingentes , nullumque dari ens in rebus creatis necessarium & immutabile,siquidem omnia quæcunque sunt in mundo, pari libertate voluntatis producta sunt à Deo. Scotus igitur vt in rebus creatis seruet contingentiam, aufert necessitatem & immutabilitatem à rebus,cum tamen ens necessarium & immutabile sit multo nobilius atque præstantius,quam ens contingens, magisque pertinens ad perfectionem vniuersi.Deinde, quid prohibet Deum velle quidem contingenter seu liberè , sed tamen velle alias res habere esse,contingens,alias autem habere esse necessarium?cur ex contingentia voluntatis Diuinæ concludit contingentiam rerum , & non similiter ex æternitate, simplicitate, immaterialitate, immutabilitate voluntatis Diuinæ,cõcludit res omnes esse æternas, simplices, immateriales,& immutabiles?

Opinio D.Th.

D.Th.1.part.qu.19. art.8. causam contingentiæ refert ad efficaciam voluntatis Diuinæ;quoniam enim voluntas Dei est efficacissima,inde fit vt non solùm fiant quæ Deus vult fieri,sed etiam eo modo fiant quo Deus vult ea fieri,vult autẽ Deus quædam fieri necessariò & quędam contingenter , vt sit ordo in omnibus ad complementum vniuersi. Verum (nisi ego fallor) D. Thom.non reddit veram rationem &causam omnis contingentię : nam vt demus contingentiam rei quæ est vel in eius productione,vel in actuali existentia, vel in operatione,pendere ex

efficacia diuinæ voluntatis, quoniam hæc omnia possunt esse & non esse; attamen quòd homo (verbi gratia) secundum naturam suam sit res contingens & corruptibilis, siue producatur siue nó siue existat siue non existat, hoc non pendet ex efficacia Diuinæ voluntatis. Etenim cum Deus nihil extra se velit aut agat ex necessitate, sed contingenter, ac liberè, eorum tantummodo voluntas Dei causa esse potest, quæ possunt esse & nō esse; at hominem esse rem contingentem, est omnino necessarium, nec potest fieri à Deo, vt sit homo, & non sit contingens, nam esse contingens, vel est de essentia rei, vel intrinsecè ac per se consequitur essentiam; quamobrem oppositum eius conuenire rei, quę secundum naturam suam est contingens, implicat contradictionē; quocirca non potest fieri; nec cadit sub Dei voluntatē: immo cum ex natura rei, vel certè secūdum modum nostrum intelligendi, prius sit Deum intelligere in sua essentia omnes res, quàm velle eas producere, in illo priori præsentantur intellectui diuino omnia quę cunque sunt producibilia, quorum alia habent naturam contingentem, alia necessariam: prius igitur est Deum cognoscere esse aliquas naturas contingentes possibiles produci, quàm Deum velle eas producere: immo vult eas producere, quia in latitudine totius Entis producibilis à Deo, cognoscit esse aliquas res contingentes, & alias necessarias producibiles: contingentia igitur quæ est propria passio per se consequens essentiam rei, non conuenit ipsi rei propter efficaciam Diuinæ voluntatis.

Opinio Alexandri Aphrodisæi

Alexander Aphrodisæus lib. 2. de Anima, cap. 45. innuit causam contingentiæ, esse ipsum non Ens insersum & immixtum rebus; ita enim scribit, *Si entium, quædam sunt sempiterna, alia verò corruptibilia, non ob aliam causam differentia horum esse potest, quam ob non Entis communicationem: propter enim mixtionem eius & temperamentum, præsentiamq;, infirmitas & imbecillitas iis quæ sempiterna non sunt adueniens, prohibet ipsa semper esse, atque eodem modo semper habere. Propter non Entis igitur mixtionem, corruptibilia talia sunt; & si non Ens non esset in rebus, nullum ens esset corruptibile.* Hactenus Alexander. Sed quid significare velit Alexander per hoc suum (non Ens) haud facilè est intelligere. Si enim significat materiam primam, in qua quoniam est priuatio, & potentia contradictionis ad esse & non esse; solet ea ab Arist. & à Peripateticis appellari non ens, rectè ait (vt nos paulò infrà docebimus) huiusmodi (non ens) esse causam contingentiæ: Sin autem per illud (non ens) non vult aliud significare quàm hoc quod est res non posse semper esse, & posse deficere ab ipso esse, continenter variari, & mutari tendendo ad non esse, profectò nō reddit causam contingentię, sed tantùm explicat rationem & definitionem contingentis. Est. n. contingens, quod non potest semper esse, sed potest esse & non esse; quare in ratione contingentis inuenitur permixtū, esse cum non esse; non igitur causa contingentis (quam nunc quęrimus) est posse non esse, cum hoc ipsum sit cōtingens; causam autē diuersam esse oportet ab eo cuius est causa; & cum idē sit quærere quæ sit causa, cur aliquæ res sint cōtingentes, quod quærere quę sit causa cur aliquæ res possint deficere & non esse, assignare hoc causam illius est assignare idem causam sui ipsius, sicut causa eclipsis Lunæ non est defectio luminis in Luna, quoniā idem est Lunam eclipsari, atq; lumen eius deficere, sed est interpositio vmbræ terrę inter Solem & Lunam.

Opinio aliorum.

Alij aiunt, causam contingentiæ, esse complementum ac perfectionem vniuersi, quod in omnibus suis partibus expletum omnibusq; numeris esset absolutum, necesse fuit contineri in eo non solum res necessarias & incorruptibiles, sed etiam contingentes & corruptibiles. Sed isti non animaduertunt, aliud est quę rere quare in mundo sint res necessariæ & contingentes, & aliud quærere, cur homo (verbi gratia) sit res contingens, Angelus autem sit ens necessarium; illud referri posset ad complementum Vniuersi, hoc autem eo referre velle, ridiculum esset.

Quæ sint veræ ac propriæ causæ cuiuslibet contingentiæ quæ in rebus naturalibus reperitur.

CAP. XV.

Quæ sit causa cur res sublunares habeant existentiam contingentem.

RElíquum est, vt quas nos arbitramur esse veras & proprias causas omnis contingentiæ quæ cernitur in rebus sublunaribus, eas nunc paucis exponamus. Contingentia rerum sublunarium quatuor modis considerari potest: Vno modo secundum actualē existentiam, hoc est quatenus res naturalis habet existentiam defectibilem; & huius contingentiæ, quæ est in actuali existentia, duplex est causa, vna prima & vniuersalis, quę est volūtas Dei, qui vult aliquas res semper esse, easq; semper conseruat; alias autem vult ad tempus existere, & aliquando deficere; & ideo eas conseruat ad aliquod tempus, & aliquando definit eas conseruare: altera est causa proxima & particularis, quę item duplex est, intrinseca & extrinseca; intrinseca, & materia; quæ quoniā habet priuationē & potentiam contradictionis ad esse & nō esse, idcirco causa est cur res materialis possit esse & non esse; disertè docet Arist. 7. lib. Metaphy. text. 22.

primo libro de Cælo, text. 136. & libro septimo Metaphys. text. 53. & 12. lib. text. 30. Et lib. 14. cap. 3. Extrinseca verò causa, est contrarium à quo res sublunares impediri possunt, ne secundum naturam suam operentur, & destrui, ne suum esse semper retinent habere autem contrarium, cum eo quod est habere materiam, adeo cohæret, vt nulla ratione inuicem disiungi possint; nam vt ait Aristoteles in libro de Longitudine & breuitate vitæ cap. 2. impossibile est habenti materiam, non existere aliquo modo contrarium.

Cur productio & omnis operatio rerum sublunarium sit contingẽs.

Altero modo considerari potest contingentia in productione rei; productio. n. rei naturalis est contingens, quia potest fieri, & potest impediri. Huius contingentię causa, est tum agens particulare, quod cum etiam sit contingens in agendo, potest impediri; nec non materia & contrarium de quibus diximus; tum etiam Dei sapientia & voluntas; cum. n. Deus vellet quasdam res fieri necessariò, alias contingentes, aptauit illis causas secundas, agentes necessariò; his autem alias, agentes continginter.

Quæ sit causa possibilitatis rerũ contingentiũ

Tertio modo consideratur contingentia, secundum possibilitatem rei ad productionem vel existentiam; sunt enim in latitudine rerum producibilium à Deo, quædam res contingentes; quod autem talis contingentia sit producibilis, non aliam puto esse causam, quam immensam Dei potentiam, quæ potest efficere quidquid non implicat contradictionem, produci autem ac esse res contingentes, nullam inuoluit contradictionem. Ac potentia Dei, est quidem causa efficiens possibilitatis contingentium, sed causa exemplaris, est essentia Diuina prout est participabilis à creatura, id enim tantum potest esse, quod potest aliquo modo participare essentiam Diuinam: & quoniam inter alios modos participandi Diuinam essentiam, sunt hi duo nimirum participare necessariò & contingenter, ideo hi modi entis, sunt possibiles.

Quæ sit causa contingentiæ ea ratione vt ipsa est propria passio fluens ex natura rei naturalis.

Quarto modo consideratur contingentia, non in ordine ad productionem & existentiam, siue actualem siue possibilem; sed in ordine ad subiectum cuius est propria passio, necessariò & per se ei conueniens, eiusque naturam consequens: vt si quæratur quare homo secundum naturam suam est res quædam contingens; huius contingentiæ causa non est alia quàm materia, & natura subiecti eiusmodi vt eam necessariò consequatur hæc contingentia. Neque verò huiusmodi contingentia videntur reduci posse ad potentiam vel voluntatẽ Dei, nam Deus respectu creaturę, non habet rationẽ causæ nisi vel finis, vel efficientis, vel conseruantis, harum autem causarum vis & causalitas, per se non attingit

attingit nudam quiditatem rei, sed vel eius productionem, vel existentiam, vel operationem; nõ enim dicimus Deum esse causam, vt homo sit animal rationale, vel vt sit risibilis, cum igitur hominẽ esse naturam contingentem verum sit, siue sit siue non sit homo, & id abiunctum ratione sit à productione, existentia & operatione; non videtur huius contingentiæ ratio & causa, referri posse ad volũtatem vel potentiam Dei, sed tãtùm ad naturam materialem subiecti. Quare hoc, quod est esse cõtingens, est passio rei naturalis, conueniens ei propter eius principia intrinseca, præcipuè autem propter materiam cui insita est priuatio & potentia contradictionis ad esse & non esse. Verùm de contingentia, an sit & cur sit in rebus, quę duo fuerant ad explicandum proposita, satis est adhuc disputatum.

FINIS NONI LIBRI.

DE QVANTITATE

LIBER DECIMVS.

ABsoluta est prior pars huius operis, in qua dictũ est de communib. omnium rerum caducarum & mortaliũ principiis; sequitur altera pars operis, continẽs doctrinã & explicationem generalium affectionũ quæ in cũctis rebus naturalibus cõmuniter insunt. Huiusmodi autẽ affectiones corporum naturaliũ, sunt quatuor, Quãtitas cui semper cõiuncta est figura, Locus, Tẽpus, & Motus: ac priorib. quidẽ trib. tractãdis, singulis singulos libros tribuimus. Motui verò, quia is latissimè patet plurimísq; difficultatibus est implicatus, tres vltimos libros assignauimus. Est autem cæteris affectionibus prior quãtitas, nõ solùm quoniam coæua est materiæ primæ, per se nec generabilis nec corruptibilis, sed etiam quòd proximè inhæret materiæ, quæ nisi affecta sit quantitate, cæterorum accidentium nullum poterit accipere. Etenim sine quantitate, res Phy. nec ipsæ constare, nec operari, nec vllum accidẽs in se habere, aut aliũde accipere nec mouere aliud quidpiam, nec ab alio moueri possent. His accedit, quòd motus est prior tempore, cum hoc sit passio illius: Motus autẽ posterior est loco, & mobili, locus autem & mobile, quantitate carere non possunt, quare primũ omnium agendũ est de quãtitate. Sed quantitatis triplex est consideratio, vna Metaphysica, secũdum quã has de quantitate quæstiones tractabimus, An quãtitas sit res diuersa à substãtia: An linea, superficies, & pũcta, sint entia realia positiua, & inter se & ab ipso corpore realiter distincta: An sit actu aliquid infinitum; An infinitum possit effici à Deo: An cõtinuum componatur ex indiuisibilibus: & de infinitate cõtinui secũdum diuisionẽ & additionẽ. Altera cõsideratio quãtitatis est Mathematica, secũdum quam disputabimus de abstractione Mathematica quãtitatis à substãtia, prẽterea de quadratura circuli, an sit possibilis. Tertia cõsideratio est Physica: secundum quam explicabimus illam apud Latinos & scholasticos Philo-

Philosophos vsque adeò celebrem quæstionem de Maximo & Minimo. Alias verò permultas quæstiones hic consultò prætermittimus, partim quia paruam difficultatem nec verò magnam vtilitatem habent, partim quia vel tractatæ sunt in Logica, vel tractandæ in Metaphysica, vbi agitur de Categoria quantitatis. Verùm primo loco de distinctione quantitatis à substantia, disputationem instituamus.

An quantitas re distinguatur à substantia.

CAP. I.

PRimũ omniũ vidẽdũ est, an quãtitas sit diuersa quædã res à substãtia. Ac communis quidẽ omniũ propè Philosophorũ ac Theologorũ opinio est quãtitatẽ re distingui à substãtia: quę ita probari potest. Primò Arist. in 1. Phys. tex. 15. hæc scribit. *Si igitur substãtia, & quantũ duo & non vnum est quod est*, ex his verbis necessariò conficitur quantitatem esse re diuersam à substantia. Arist. enim cõtra Parmenidem & Melissum dicentes omnia esse vnum ens, ita argumentatur: Aut istud ens est solum accidens, at solum accidens separatum à substantia per se cohærere nequit: Aut est tantùm substantia, nõ igitur illud ens erit finitum, aut infinitũ vt ipsis placet; nã huiusmodi affectiones propriè sunt quantitatis, & propter ipsam dicuntur ac reperiuntur in aliis rebus. Quod si illud ens habeat in se substantiam & quantitatem, non iam erit vnum ens sed duo: hæc ibi Arist. Quis non videt hãc ratiocinationem Arist. futilem & infirmam fore, si quantitas non re sed ratione tantùm differat à substantia? Accessit huc alter locus Arist. ex 7. Metaph. tex. 8. qui sic habet. *Longitudo latitudo & profunditas quantitates quædam sunt sed non substantia; quantitas enim nõ est substantia. sed magis cui hæc primo insunt.* Deinde, aut in composito naturali tantùm est vna quãtitas nempè ipsius substantiæ, propter quam omnia accidẽtia quę tali substantiæ insunt, dicuntur quanta: aut quot sunt accidentia & entitates in composito, tot sunt quãtitates, ita vt vnumquodque accidẽs suam habeat quãtitatem: exempli caussa, in lacte sit propia quantitas materiæ, & alia formæ, & alia albedinis, & alia item dulcedinis atq; humoris: si ponitur vna quantitas omnium quæ sunt in composito, ea necessariò distingui debet à substãtia, siquidẽ in hostia cõsecrata remanet quantitas panis non manente substantia eius, quare necesse est eiusmodi quantitatem esse rem diuersam à substantia panis: sin autẽ tot quãtitates ponãtur quot sunt entitates in composito, sanè per quam multa incommoda. & quæ repugnent doctrinæ Aristot. necessariò cõsequuntur. Primum enim, si vnumquodque accidens singulariter suam

Quantitatem re distingui à substantia probatur tredecim argumentis.

sibi vendicat quantitatem, ergo accidentia erunt quanta per se non per accidens,id est,propter subiectum in quo sunt:quod planè aduersatur Arist.scribēti in 5.Metaph.tex.18.& 2.lib.de Gener. tex.62.& 6.lib.Phy.tex.39.& 49.accidentia esse quanta per accidens,nimirum ratione subiecti in quo inhęrēt.Deinde,cū in vno composito multa simul insint accidentia, oporteret simul quoque multas inesse quantitates,quæ cum omnes sint vnius speciei erunt simul in vno subiecto multa accidentia absoluta & realia eiusdem speciei,quod habetur communiter pro absurdo. Prętera, natura nihil facit frustra nihilve superfluū, sed quod potest facere æquè bene per pauca,nō vtiq; facit per multa:Cū igitur per vnam tātum quantitatem subiecti, possint accidētia omnia esse quanta:quippe cum educantur ex potentia eius,& in eo recipiantur, quam etiam ob causam debent illius extensionem & figuram induere & accipere, profectò superuacaneum est suam cuique accidenti quantitatē assignare. Postremò,quī possunt multæ quātitates simul esse,citra penetrationem dimensionum? nā duo corpora non posse simul esse,aut se inuicem penetrare, non accidit propter substātiam, nihil enim prohibet multas substātias simul esse,vt in Angelis manifestum est:sed propter quantitatem, quæ per se locum situmque propriū habens, obstat & impedit, quo minus duæ quantitates possint esse simul. Huc pertinet illud Aristotelis 4.Phys.tex.76.scribentis, solam quantitatem cubi,tametsi omnia alia quæ sunt in cubo detralierentur; occupaturam tamen tantūdem loci,quantum antea obtinebat, ex quo intelligitur locum & situm cuiq; rei conuenire nō propter substātiam, sed propter eius quantitatem:vide quę in eādem sentētiam disertissimè scribit Themist.4.Phy.super te.36.Atq; hoc argumētum valentissimum est ad euertēdam opinionem Ochan negātis quantitatem re distingui à substātia,quam opinionem capite proximè sequenti sumus pertractaturi.

Alij pro eadem sententia afferunt decem alias rationes.Prima ratio est. Inter substantiam & accidens est distinctio realis, quia sunt entia primò diuersa,ergo etiam inter substantiam & quantitatem.Secunda.Inter res diuersorum prædicamentorum, debet esse distinctio realis, quia secundum Aristotelem 1. Post.prædicamenta sunt impermixta, & inconfusa,sed quātitas & substantia constituunt diuersa prædicamenta, ergo,&c.Tertia.Maior est distinctio inter substantiam & quantitatem, quàm inter duas albedines, sed inter has est distinctio realis, ergo multo magis inter illas.Quarta.Quantitas aeris & quantitas aquæ sunt eiusdem speciei vt patet, at substantia aeris & aquæ sunt diuersæ speciei: ergo

ergo quātitas nō est idē realiter cum substātia. Quinta.Substātia est per se subsistēs & non in alio inhærens quantitas autem est in alio inhærens,& non per se subsistēs, ergo non sunt idē realiter. Sexta.Substantia est sensibile per accidens,quātitas autem est sensibile per se,vt docet Ari.in 2.lib.de Anima tex.65.ergo,&c.Septima.Substantia non potest incipere & desinere esse nisi per generationem & corruptionem,at quantitas potest incipere & desinere esse tantummodo per motum localem,quemadmodū cum ex duabus aquis fit vna aqua,duæ superficies illorum corporum corrumpuntur,& cum rursus vna aqua diuiditur in duas, duę superficies,quæ antea non erant,de nouo existunt.Octaua. Alia species mutationis est ad quantitatem,alia ad substantiam:illa dicitur argumētatio,hæc autē generatio,&c.Nona.Potest fieri mutatio secūdum quantitatem,non facta mutatione secūdum substantiam,ergo non sunt idem realiter:antecedens patet in rarefactione & condensatione vbi mutatur quantitas ex maiori in minorem,vel contra ex minori in maiorem, non variata substātia. Decima.Aut quantitas est idem realiter cum substantia, quæ est forma & hoc non,quia formæ naturales sunt diuersarum specierum:omnes autem quātitates vnius rationis,in eadem specie cōtinentur:aut,est eadem cum substātia quę est materia.intrinsecè, &sic materia ac per se haberet partes remoto ab ea omni accidēte:vel igitur illæ partes essent substantiales,vel accidentarię;non substantiales,quia cum materia sit substantia simplex non potest esse composita ex diuersis partibus substantialiter;non etiam accidentariæ,namque remouimus à materia omne accidens,relinquitur igitur fieri non posse vt materia per se ac intrinsecè habeat partes.Hæc illi.Verūm qui de hac sententia plura cupit cognoscere,legat quæ scribūt Albertus Magnus 1. Phy.tract.2.cap. 4.Heruæus 1. Quodlibeto,quæst.15. Būrlæus in Commentariis Physicis,exponens decimumquintum textum primi libri Physici,& Paulus Sōcinas in quæstionibus Metaphysicis super librum quintum quæst.19.

Ponitur alia opinio, eorum qui negant quantitatem re distingui à substantia.

CAP. II.

Vāquā supradicta opinio ferè à Philosophis iuxta atq; Theologis probata & recepta est, nō defuerūt tamen qui cōtra sentirēt:nā & Alexāder Apærodisæus scribit vetus fuisse Stoicorū decretum,quātitatem re non distingui à substantia,& hoc postea Ochan renouauit atque cōfirmauit.Ipse enim in cōmētariis suis Logicis exponēs Categoriā,

Opinio Ochã, negantis inter substã tiam & quantitatem, distinctionẽ reallem.

quãtitatis,& in 4.Quodlibeto multis articulis,& in Tract.suo de venerabili Sacramento plurimis capitibus,docet quantitatem re non distingui à substantia,sed esse ipsammet substantiam prout habet partes extra se inuicẽ situ diuisũctas & locabiles,diuersisq; loci partibus correspõdẽtes. Atque hãc suam opinionem cõfirmat nec esse cõtra experiẽtiam nec contra rationem nec contra doctrinam Arist:nec cõtra fidem,nec denique cõtra dicta Sãctorum.Verùm,quia tota propemodum eius argumentatio & probatio est Theologica, sumpta ex absoluta & infinita Dei potẽtia, nos qui res Philosophicas & Philosophicè tantùm in præsentia tractamus,duabus tãtùm rationibus cõtenti erimus, cæteras autem qui vult cognoscere, requirat apud ipsum in locis citatis. Prior igitur ratio est hęc.Substatia per se habet partes inuicem situ distãtes,ergo non habet hoc formaliter propter quãtitatem aliquam re diuersam ab ipsa,consequẽtia per se nota est,antecedẽs autem ita probatur;si quãtitas esset accidẽs re diuersum à substãtia,& inhærens in ipsa,cum omne accidens præsupponat substãtiam,quippe quę sit eius subiectum,ergo partes quãtitatis,etiam præsupponent partes substãtiæ:nam sicut quantitas præsupponit subiectum in quo est,quia ipsa est accidẽs,ita quoque partes quãtitatis, cum ipsæ sint etiam accidentia, præsupponẽt partes substãtiæ,vtpote in quibus insint tãquã in suis subiectis; quare prius natura est substãtiam habere partes,quàm habere quãtitatẽ,substãtia igitur nõ propter quãtitatem quæ sit diuersa quædã res ab ipsa,sed per se ac intrinsecè habet partes extra partes. Posterior ratio qua idẽ probatur ita se habet:Deus potest cõseruare substãtiam,etiam remouẽdo ab ea omne accidens absolutũ sine mutatione locali ipsius;sit igitur substantia habens partes in aliquo loco,eámque Deus ibidem conseruet remota quãtitate,siquidem ipsa est accidẽs absolutum re distinctum à substantia; tunc aut illa substantia habebit partes vt prius inter se distantes, aut non habebit:si habebit,ergo talis distinctio partium,nõ cõuenit substãtiæ,propter quãtitatem, cum ex suppositione,eam nõ habeat, sed propter se ac intrinsecè:si autem non habet, ergo cum prius partes essent inter se loco distantes, tunc autem non sint,& cum prius occuparent locum quem tunc non occupant,necesse est in illis factam esse mutationem secũdum locum:nam quod nõ est in eo loco vbi prius erat,nec tamẽ corruptũ fuit,id profectò mutatum est secũdum locum.at hoc est contra suppositionem,positum enim fuit illam substantiam conseruari à Deo sine vlla eius mutatione secundum locum. Adde,quòd mutari secundum locum non potest id quod est impartibile & indiuisibile, vt demonstrat

monstrat Arist.6.lib.Phys.si igitur substantia, remota quantitate,remanet indiuisibilis & impartibilis, nõ poterit mutari secundum locũ.Hæc Ochan.Sed ad priorem rationem ipsius,Heruæus loco supra citato, hoc modo respondet; licèt partes substantiæ, quãtũ ad id quod sunt,præcedãt ipsam quantitatẽ; nõ tamẽ quãtum ad id quod est (esse diuisum sic) hoc enim eis non conuenit nisi per quantitatẽ;sicut etiã, licèt substantia quæ est alba,secundum id quod est,sit prior albedine, non tamẽ secundum id quod est esse album, vnde non potest esse alba remota albedine: ergo secundum Heruẽũ, partes quãtitatis præsupponũt partes substãtiæ quantum ad esse, sic enim omne accidens præsupponit substantiam, sed non quantum ad id quod est esse extra se inuicem situ distinctas, hoc enim non conuenit substantiæ nisi per quãtitatem,at quantitati conuenit per se etiam remota substantia, vel secũdum rem,vt in quantitate Hostiæ cõsecratæ, vel secũdum rationẽ,vt in quãtitate Mathematica. Ad posteriorem autem rationem Paulus Sõcinas loco superiùs memorato, ita respõdet;remota quãtitate à substantia, remanere partes substãtiæ quantum ad entitatem, nõ autem quãtum ad distãtiam earum secundum situm;nec tamen propter hoc sunt motæ localiter, aut per motũ appropinquarunt sibi inuicem,sed quia ampliùs non erũt partes, nam esse sic partes,habebãt à quantitate:Illa item substantia non erit ampliùs in loco circunscriptiuè, sed tantùm definitiuè, nec ob id tamen erit mota secundum locum, non enim deseruit locum ob transmigrationem in alium locum, sed quoniam amisit rationem essendi in loco circunscriptiuè quam habebat à quantitate.Atque hæc quidem de distinctione quantitatis à substãtia, à Philosophis & Theologis disputantur.

Opinio Auctorũ.

Nos autem hac de re ita sentimus; priorem opinionẽ,quæ facit quantitatem rem quandam a substantia diuersam, Philosophicè loquendo probabiliorem quidẽ esse; quippe cum sit & omnium fere Doctorum auctoritate & approbatione subnixa,& firmioribus rationũ præsidiis munita: eam tamen nulla ratione naturali euidenter ac demõstratiue probari existimamus. Nam si ponatur quãtitas re ipsa nihil aliud esse quàm materia prout habet partes situ inuicem distãtes,propter quam omnes formę quę in ea inhęrẽt, extensionem quoque atque diuisionem habeant, nihil cõtra hoc valent rationes, quæ præcedenti capite sunt allatæ; etenim decem illæ rationes quæ posteriori loco positæ sunt, haud magnam vim habent, ad seruandam enim diuersitatem substantiæ & accidentis vel diuersorũ prædicamentorũ distinctionẽ; non est necessaria distinctio realis, sed sufficit formalis vel secundũ ratio-

nem,qualis cernitur inter fundamẽtum & relationẽ, inter quãtitatem & figuram, denique inter actionem & passionem. Sin autẽ Theologicè loquamur, positis iis quæ in venerabili sacrãmẽto Eucharistiæ credimus & cõfitemur, adeo certa videtur nobis esse prior sententia,vt cõtraria nullo modo,vel ægrè defẽdi queat. Nã cum Ochã dicat,quodlibet accidẽs, Hostiæ cõsecratæ suã habere quantitatẽ,non potest ipse causam reddere, cum quãtitates accidentiũ Hostiæ,ante consecrationẽ simul erãt cum quãtitate substãtiæ panis,post cõsecrationem autem, cum quãtitate vel aliorũ accidentiũ,vel aliarum substantiarũ nullo modo simul esse queant.Cui rationi,licèt Ochã in omnem partẽ se versẽt vt occurrat, Sysiphi tamen(vt aiũt)saxũ voluit,nec proficit hilũ: quam rẽ facile perspiciet,quisquis,& rationem nostrã,& solutionem Ochan diligẽter perpendet. Omitto nunc,tot quãtitates esse superuacaneas,cũ vna subiecti quãtitas satis sit,vt ex ea cętera omnia quę in subiecto insunt,extẽsa & diuisibilia existãt. Omitto,tantam quãtitatũ eiusdem speciei eiusdẽmq; rationis simul in eodẽ subiecto inhęrentiũ multitudinẽ, absurdã esse,nec vllo graui Philosopho probabilẽ.Omitto denique,tot quantitatũ simul & inuicẽ vnitarũ coniunctionẽ,citra dimensionũ penetrationẽ,esse impossibilem.

De superficie, Linea,& Punctο, an sint extra animam,& an sint inter se realiter distincta.

CAP. III.

Multis & testimonijs Arist. & rationibus probatur puncta, lineas, superficies esse entia realia.

COmmunis & per vulgata opinio est,Superficiẽ,Lineã, & Punctũ,esse in reb.extra animam,quę multis testimoniis Ari.atq; rationib.probatur. Primo. Arist.in 2. Phy.tex.16.ait corpora naturalia habere in se superficies,lineas,& puncta.Hęc igitur sunt in reb.extra animã.In 4.Phy. t.25.ait corpus nõ esse albũ per se primo,sed quia superficies,quæ in ipso inhæret,est alba:& tex.39.cõcludit,locũ nec esse materiã, nec formam,nec interuallũ, nec aliquid corporeũ,sed esse superficiem corporis continentis; at locus naturalis, est in rebus extra animam.In te.91.inquit omne continuum, ad minimum habere duos terminos,siue sit continuum secundũ vnam dimensionem, siue duas,siue tres.Et in 5.Phys.ait, contigua esse,quorum extrema sunt simul, talia verò extrema non possunt esse corporea, & quæ profunditatem habeant,sic enim esset penetratio dimensionum.Ex his igitur locis perspicuũ est,Aris.superficiem,lineam,& punctum esse in rebus extra animam.

Idem

Idem rationibus comprobemus. Ac primum quidem cõtinua sunt,cuius partes copulãtur ad vnum terminum communẽ vt auctor est Aristot. in categoria Quãtitatis:cõstat autẽ multa corpora naturalia esse continua, ergo partes eorum copulabuntur ad vnum terminũ cõmunem;qui nõ potest esse aliquid corporeum, sic enim non fierent vnũ inter se illæ partes intercedente aliquo corpore.Præterea,Arist.in principio 6. libr. Physicorũ ait terminum esse diuersum à re terminata,non igitur erit terminus corporis aliquod corpus,sed superficies sine profunditate: datur igitur in rebus naturalibus superficies. Tum,pono duo fundamenta Aristotelica deprompta ex 5. Physicorum,tex.26.Vnum est,quod continua sunt quæ copulantur vno termino communi, & quorum extrema sunt vnum: alterum est, quæcunque sunt cõtinua, etiam esse contigua,& deinceps; vocantur autem deinceps,inter quæ nihil est medium eiusdem generis:his positis sic argumẽtor, si extremæ partes continui fiunt vnum inter se in termino communi,hic terminus nõ erit corpus, non enim fierent vnum inter se;præterea, si ille terminus esset quidpiã corporeum, partes illæ quæ dicũntur cõtinuari ad illũ terminũ,nõ essent cõtinuæ: patet cõsequentia,quoniã non essent deinceps,inter illas enim interederet ille terminus,qui si foret corporeus, esset eiusdẽ generis cũ re quam terminat quæ est corpus; erit igitur ille terminus communis partium corporis,superficies; quare superficies extra animã in rebus.Postea,ponamus duo,vnum est,cõtigua esse quorum extrema sunt simul:alterum est, esse aliqua corpora naturalia inuicẽ cõtigua,vt elementa & cæli: Ex his,quod volumus sic argumẽtari possumus:cęli sunt contigui, ergo habẽt extrema, simul. quæro per extrema quid intelligas? an partes corporeas, sed hoc falsum est,tũ quia cũ corpus infinitè sit diuisibile; nõ potest dari extrema pars eius,tũ quia si extrema corporis essent corporea, & esset simul,penetratio dimensionũ,& corporũ existeret: ergo illa extrema sunt superficies.Præterea,Arist.scribit 3.Phy.tex.40. Omne corpus tã sensibile,quam intelligibile:hoc est, Mathematicum,esse terminatum superficie:& confirmatur, quia nos cernimus ipsa corpora naturalia,tamẽ non cernimus nisi superficiem, quia color non reperitur nisi in superficie: Definitur enim color extremitas perspicui terminati: Et Auerr. quodam loco tradens differentiam inter artem & naturam, ait naturam operari in toto subiecto,etiam in profunditate, artem verò tantùm in superficie,sunt igitur in rebus superficies,Ad extremum, Mathematici cõsiderant hæc indiuisibilia,nimirũ pũcta, lineas & superficies,ergo sunt in rerũ natura,& sunt entia realia;alioquin si ea fingeret.

atque commiſceretur Mathematicus, Mathematicæ diſciplinæ nõ eſſent ſciẽtiæ reales. Cõſiderat ergo Mathematicus huiuſmodi entia, quę ſunt in rerũ natura ſed nõ cõſiderat ea, vt ſunt in rerum natura; verù abſtrahit, id eſt cõſiderat ea, vt ſunt dimenſiones quædã, & vt habẽt proprietates cõuenientes dimenſionibus, non cõſiderando an ſint in materia ſenſibili, nec ne. Ex his igitur manifeſtum fit, huiuſmodi dimenſiones, eſſe in rebus. An autem ſint entia poſitiua & inter ſe realiter diſtincta, deinceps videamus.

Quod Puncta, Linea, Superficies ſint entia poſitiua & inter ſe realiter diſtincta.

CAP. IIII.

An puncta, linea, ſuperficies, ſint entia poſitiua.

QVod autẽ linea, & ſuperficies ſunt entia poſitiua, manifeſtũ eſt: ſi quidẽ ponũtur in categoria Quãtitatis quã eius verę, ac germanę ſpecies. De pũcto, quamuis dubitari poſſit, quippe cum definiatur per priuationẽ, punctum enim dicitur, cuius nulla pars eſt, idem tamẽ ſentiendum eſt, tum quia Ariſt. definiẽs punctum, ait eſſe vnitatem quę habet poſitionem in cõtinuo; tum etiam quia linea definitur per puncta, nam in 1. Poſt. Ariſt. exponens modos dicendi per ſe, refert punctum ad primum modum, ſcribens ipſum pũctum eſſe de ſubſtantia lineæ, non quod linea componatur ex punctis, ſed quia ſubſtantialiter definitur per puncta; atqui auctore Ariſt. in 6. libro Topicorum ens poſitiuum ſubſtãtialiter definiri non debet per aliquid priuatiuum. Quare cum linea quæ eſt ens poſitiuum, ſubſtantialiter definiatur per puncta neceſſe eſt ipſum punctum eſſe quoque poſitiuum ens.

Sed hoc loco quæret aliquis, quomodo punctum dicatur habere poſitionem in continuo? itémque quomodo punctum dicatur eſſe in linea? non enim in ea eſt, vt pars in toto, neque vt totum in partibus; quia nec linea ex punctis, nec punctum ex linea componitur; nec eſt tanquam inferius in ſuperiori, aut contra; quia nec linea de puncto, nec punctum de linea dicitur: non enim vel punctum dicitur eſſe linea, vel linea punctum, neque eſt tanquam in loco, quia locus eſt æqualis locato; neque tanquam effectus in cauſa, quia punctum non efficitur à linea: nec tanquam accidens in ſubiecto, quia ſubiectum eſt prius accidente, & non definitur per ipſum, ſed potius ipſum per ſubiectum, contrarium autem cernimus in puncto comparatione lineæ. Ad priorem quæſtionem reſpondetur nomen poſitionis tripliciter ſumi, primò enim ſignificat ordinem partium permanentium in toto continuo, & ſic Ariſt. in categoria Quantitatis,

Quomodo punctũ habeat poſitionem in continuo.

titatis, dicit quantitatem aliam habere poſitionem, aliam non habere, linea.n. & ſuperficies, habent poſitionẽ, motus autem & tempus minimè: & ſic punctum non habet poſitionem, cum omnino vacet partibus. Secundò. Nomen poſitionis ſignificat habitudinem partium locati ad partes loci, quomodo conſtituit categoriam Situs, vel Poſitionis, & ita punctum non habet poſitionem, quia nec eſt in loco, nec partes habet. Tertiò. Significat non per ſe conſtare ſe iunctum ab aliis, ſed hærere alij, & in alio poſitum eſſe; quoniam igitur punctum ſemper hæret iunctum q; eſt continuo, ſiquidem vel terminat, vel continuat lineam, idcirco dicitur habere poſitionem in cõtinuo. Ad poſteriorem quæſtionem reſpõdetur, clarum eſſe, punctum eſſe in linea; nam Ariſt. in 1. Poſt. ait, & lineam eſſe in triangulo, & punctum in linea; neque verò poteſt eſſe extra lineam, cum ſemper eam cõtinuet, vel terminet. Verùm, quomodo punctum ſit in linea, Albertus ita declarat: Punctum (inquit) & linea bifariam conſiderari poſſunt, nimirum Phyſicè, vel Mathematicè; ſi Phyſicè conſiderantur, non eſt punctum in linea tanquã in ſubiecto, ſed eſt in ipſa materia; materia.n. ex ſe non eſt diuiſibilis, ſed habet diuiſionem à quantitate & ideo quatenus materia eſt diuiſibilis potentia ſecundum longitudinem ſit ſubiectum lineę, ſecundũ latitudinẽ, ſuperficiei, ſecundum craſſitiem corporeitatis. Sin autem hęc cõſiderentur Mathematicè, ſic in linea eſt punctũ, vt pars definitiua in eo quod definitur. Triplicicer autem poteſt linea definiri per punctum. Primò, ſecundum imaginariã ſui generationem, vt cum Mathematici dicunt lineã eſſe, quæ fit ex fluxu puncti: Tum, ſecundũ continuationẽ, vt cum dicitur linea eſſe cuius partes copulantur ad vnũ terminũ cõmunem, qui eſt punctũ. Poſtremò, ſecundũ terminationem, vt cum dicitur linea eſt quę duobus vtrinq; punctis terminatur. Quod autem punctũ definiatur per priuationem, id non cõcludit ipſum eſſe ens priuatiuũ, nam & Deus & matera prima definiuntur per priuationẽ. & ſimiliter alia multa, propterea quod eorum poſitiuę differentię, ac proprietates nos latent. Addè quòd punctũ etiam definitur poſitiuè, nimirũ cum dicitur, punctum eſt vnitas habens poſitionẽ in cõtinuo; & punctũ eſt termi nus cõmunis ad quem copulantur, & continuantur partes lineæ.

Quomodo punctum ſit in linea.

Punctum lineam & ſuperficiẽ, diſtingui realiter inter ſe, ſecundum multos.

Quod autem huiuſmodi res, punctum dico, lineam, & ſuperficiem, inter ſe diſtinguantur ſecundum remiſſa probatur; ac de ſuperficie & linea clarum eſſe videtur, tum quia ſuperficies, & linea ſunt duæ ſpecies quantitatis quas re diuerſas eſſe oportet: tum etiam, quia linea eſt indiuiſibilis ſecundũ latitudinẽ, ſuperficies autem eſt diuiſibilis: addè, quod Mathematicus abſtrahit lineã à ſu

perficie,multa considerans,& demonstrans de linea per se nulla ratione habita vel mentione facta superficiei,quod fieri non posset,nisi linea esset res diuersa à superficie. Quid,quod non implicat contradictionem,vt Deus faciat,vel possit facere lineam sine superficie,cum linea sit prior superficie,& ab ea independens; sicut etiam posset facere superficiē sine corporeitate; nam quemadmodum in sacramento Eucharistiæ, Deus abstrahit qualitates panis cum quantitate,à substantia ipsius panis, ita posset abstrahere solum colorem & figuram cum subiecta ipsis quantitate, at quantitas,quę per se primo subiicitur colori & figurę,non est alia quàm superficies,ergo &c. De Puncto autem,quod etiam ipsum re distinguatur à linea,ex eo manifestum est;quia linea est res diuisibilis secundum longitudinem, punctum autem est res quædam extra animam,vt supra est ostensum, & est indiuisibile secundum longitudinem, non potest autem eadem res esse diuisibilis & indiuisibilis secundum longitudinem. Præterea si punctum est idem secundum rem quod linea,vel erit pars lineæ, vel accidens lineæ; sed non est pars, quia linea non componitur ex punctis;nec accidens,partim quia punctum secundum naturam prius est linea,accidens autē est posterius subiecto,partim autem quia linea est diuisibilis,punctū verò indiuisibile, nullū autē indiuisibile potest esse accidens subiecti diuisibilis. Atq; hæc quidē de superficie,linea,& puncto secundum communiorem sententiam Philosophorum ac Theologorum dicuntur,atq; traduntur.

Declaratur opinio aliorum qui contra sentiunt.

CAP. V.

GVlielmus Ochan in Commentariis suis Logicis explanando categoriam quātitatis,& in tractatu suo de venerabili Sacramento Eucharistiæ c.1.& 2.existimat punctum nihil esse positiuum extra animā;& lineam, superficiem, ac punctum, nec inter se, nec ab ipsa corporeitate realiter distingui:id quod probat,primum Philosophicè, deinde Theologicè; Philosophicè quidem hoc modo. Primò,Punctum aut est substantia,aut accidens,non substantia,vt patet, ergo accidens;rursus omne accidens habet subiectum sibi adæquatum, punctum igitur pro subiecto sibi adæquato, vel habebit aliquid diuisibile,vel indiuisibile,non diuisibile quia accidens est in toto subiecto sibi adæquato: punctum autem cum sit indiuisibile nō potest esse in toto aliquo diuisibili;neq; indiuisibile,quia vel subiectum puncti est substantia,vel est linea,sed linea,est per se diuisibilis,Substātia quoq; nempe materia, est extensa & diuisibilis, præsertim cum scribat commentator in libro de substantia orbis,primam omnium affectionum materiæ esse corporeitatem. Postea,si Punctum est aliquod ens absolutum extra animam,realiter distinctum ab aliis, nec existens pars alterius,ergo per se erit in aliquo prædicamento;cum igitur nō sit aut substantia, aut qualitas,aut relatio,aut aliud aliquod aliorum, oporteret ipsum esse quantitatem,quod tamen implicat contradictionem;nam si est quantitas,habet partes,cum hæc sit propria ratio quantitatis; si est punctum ergo non habet partes, punctum enim definitur id cuius nulla pars est. Deinde,impossibile est, ens aliquod reale absolutum de nouo generari & corrumpi,per solum motum localem diuisionis vel vnionis; at si continuum diuidatur in duas partes,ex hoc ipso existunt de nouo lineæ, puncta & superficies, si rursus quæ diuisa sunt vniantur illa eadem corrumpuntur,ergo,&c. Theologicè autem idem confirmat hoc pacto. Punctum ponitur in linea,vt eam terminet,& vt partes inuicem cōtinuet, sed ob vtrumq; horum cōuenit punctum non distingui realiter à linea, ergo, &c. minor probatur, nam si linea finitur per punctum, tanquam per entitatem quandam extrinsecam à linea eique adiunctam,ergo si ponatur punctum remoueri à linea, ipsa linea euaderet interminata & infinita, quod est absurdum; nam cum punctum sit penitus indiuisibile; & intrinsecè non attingat atque componat lineam, neque additum neqūe detractum potest eius longitudinem variare vel augendo eam,vel minuendo: quod si remoto puncto à linea, nihilominus ipsa remanet finita & terminata,ergo superfluè ponitur punctum ad eam terminandam,cum eo remoto eodem modo sit finita quo antea erat; neque verò quisquam putet non esse concedendum quod hic ponitur, nempe punctum remoueri posse à linea, namque cum punctum sit ens absolutum, realiter diuersum à linea, non existens pars,vel effectus lineæ,non est impossibile ipsum remoueri à linea,vel secundum cogitationem,vel secundum absolutam & omnipotentem Dei virtutem. Hactenus Ochan.

Opinio et argumenta Ochan

Gregorius Ariminensis in 2.Sent.dist.2.q.2.art.1.in explicatione tertię conclusionis,eandē opinionē sequitur & probat his argumētis. Primùm cùm ex duabus aquis fit vna aqua cōtinua, similiter etiam tunc ex duobus punctis terminantib.vel distermi-nantib.illas aquas,fit vnū;hoc autem punctū si est ens positiuum realiter distinctum à linea,cum sit accidens,& indiuisibile quiddam,habebit pro subiecto aliquid materiæ indiuisibile;quęratur an ista materia sit in aliqua prę existentiū aquarū:at nō est maior ratio cur sit in vna potius quam in altera,cum illud punctum sit terminus cōmunis vtriusq; vel erit in vtraq; aqua; at non potest vnum accidens indiuisibile,esse in duob. subiectis situ diuunctis

Rationes Gregorij Ariminensis.

quare oportet materiam illius puncti de nouo geniti, etiam ipsam de nouo generari. Tum, cum cõtinuum diuiditur, punctum priùs continuans, vel remanet, vel corrumpitur; nõ remanet, quia non in vtraque parte, nec in vna potius quàm in altera, ergo corrumpitur; sed quid fiet illi indiuisibili materiæ quod erat subiectum illius puncti? non. n. remanet, quia nec seorsum ab vtraque parte continui diuisi, nec simul in vtraq; nec in vna potius quam in altera, vt per se patet, ergo corrumpitur. Quare iis duabus rationibus cõcluditur, si punctum esset aliquid positiuum realiter distinctum ab aliis, fore vt materia prima esset generabilis & corruptibilis. Adhęc, Arist. in 6. Phy. probat nullum indiuisibile posse moueri; nam cum omne quod mouetur, priusquam transeat spatium maius se, necessariò pertranseat spatium sibi æquale, si indiuisibile moueretur, semper transiret indiuisibilia spatia, quare magnitudo constaret ex indiuisibilib. & omnia eius indiuisibilia, quę sunt infinita, actu numerarentur. Hæc autem demonstratio Arist. æquè benè valet, siue punctum per se moueatur, siue existens in continuo vna cum ipso moueatur per accidens, vtrouis. n. modo ponatur punctum moueri, idem necessariò infertur atq; concluditur: non igitur punctum est ponendum in continuo. His adde, quod Arist. in lib. de Motu animalium, cap. 2. refellit sententiam eorũ qui putabant polos, qui sunt puncta quædam cæli indiuisibilia, habere vim quãdam mouendi cælum: refellit inquam eo, quòd nulla est, vt ipse ait, huiusmodi indiuisibilium substantia, Hæc Gregorius. Ergo secundum hos Doctores, extra animam non est alia res quæ sit magnitudo, nisi corporeitas, quæ habet in se rationem longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Et quoniam hæ tres rationes dimensionum sic se habent, vt conceptus vnius non includat conceptum alterius, quemadmodum ratio longitudinis non includit rationem latitudinis, nec ratio latitudinis includit rationẽ profunditatis; & quia nonnullæ passiones demonstrantur de corpore ratione longitudinis tantum, & aliæ ratione latitudinis ac profunditatis, ob has causas intellectus has tres dimensiones vel rationes corporeæ magnitudinis, distinxit in tres species, easque nominauit lineam, superficiem & corpus. Nihil igitur aliud est superficies, quam ipsum met corpus quatenus secundum profunditatẽ nõ est vltra protensum nec linea est aliud, quàm corpus nõ vltra extensum secundũ latitunem; ipsum autem punctũ est ipsa linea & lõgitudo corporis, quatenus non vlterius aliquo modo extenditur. Hæc igitur pro secunda opinione dicta sint. Quemadmodũ autem supradictas rationes soluant prioris sententię defensores, breuiter ostendamus

Soluuntur

Soluuntur supradictæ rationes secundæ opinionis, & aperitur auctoris sententia.

CAP. VI.

BVrlæus in Commentariis Physicis exponẽs decimum quintum text. 1. lib. Phys. & Paulus Soncinas in quęst. Metaph. super 5. lib. Metaph. q. 20. mordicus defendentes priorem sententiam, respondent ad rationes præcedenti capite allatas pro secunda opinione, ad hunc modum. Ad primam, falsum est omne accidens habere subiectum sibi adæquatum vel diuisibile vel indiuisibile; imò nullum accidẽs, quod est terminus alterius accidentis, habet subiectum proprium sibi adæquatum, sed est in eodem subiecto in quo est id cuius est terminus; & quia terminus non adæquatur ei cuius est terminus, ideo terminus non adæquatur subiecto. Ad secundam. Punctum est accidens, nec tamen sequitur vt sit quantitas: sed satis est vt sit aliquid quantitatis, nempe terminus eius intrinsecus, & sic reducitur ad categoriam Quãtitatis; quemadmodum materia non est substantia prædicamentalis, est tamen aliquid, hoc est pars & principium eius; quamobrem in categoria substatiæ numeratur. Ad tertiam. Hæc est natura indiuisibilium, vt per solam diuisionem & copulationem quãtitatis, de nouo generentur atq; corrumpantur; nam cum illorum esse, in eo consistat, vt sint termini quantitatis, necesse est cum quantitas secundum terminationem variatur (variatur autem semper quotiescunq; fit diuisio & vnio partium) ipsa quoq; secundum esse variari. Ad quartã. Nullo modo potest separari punctum secundũ rem à linea, ita vt per se subsistat separatum à linea, primò quia est terminus intrinseus lineæ. Tum quia ponitur in definitione lineæ & prædicatur de ea in primo modo dicendi per se, vt vt supra dictũ est; quę autem sunt huiusmodi, nullo modo possunt inuicem separari, Deinque cum punctũ definiatur vnitas habens positionem in continuo, est contra rationem eius essentiale m, vt possit esse extra lineam. Ad primam & secundã rationem Gregorij. In his duabus rationibus Gregorius supponit, punctũ habere materiam & subiectum propriũ & adæquatũ sibi, quod in solutione primę rationis ipsius Ochan, falsum esse declaratum est. Ad tertiã. Dum mobile mouetur, punctum existens in eo non numerat puncta magnitudinis, vt dicit Philosophus 6. Phy. text. 86. cuius rationes ibi ponit Commentator, & in 4. Phys. com. 9. quia punctum no mouetur per se, nec actu nec potentia; nec habet per se locum, aut actu aut potentia; pars autem mobilis, licet actu non moueatur nisi per accidens, potentia tame mouetur per se, quia si à mobili

Soluuntur ab aliis supradictæ rationes Ochã & Gregorij.

separaretur,tunc posset moueri per se:& ideo per partes mobilis possunt numerari partes magnitudinis, non autem per puncta. Ad quartam.Arist.in eo loco reprobat opinionem dicentium cęlum moueri super polos, propter virtutem quādam eis infitam & quia putabant huiusmodi indiuisibilia esse substantias, quod ei non placet: non igitur ait nullam esse existentiam indiuisibilium, sed nullam esse ipsorum substantiam. Hæc illi. Vide quæ circa hanc quæstionem scribit Scotus,1.sent.dist.2.quæst.9.

Sententia auctoris circa præsentem q.

Restat nunc,vt hac de re, quòd sentimus,quàm breuissimè doceamus. Nos quàquàm putamus vtranq; opinionem probabiliter defendi posse, arbitramur tamē verisimilius esse. Primò quidem,punctum re non distingui à linea, tum ipsum punctum lineam item,atque superficiem,prout sunt termini magnitudinis non positiuam aliquam rationem,sed priuatiuam tantum significare: deinde,lineam & superficiem, vt sunt dimensiones quædam,hoc est longitudo & latitudo, esse rationes quasdam reales extra animam existentes & re vera corpori conuenientes: postremò,has ipsas res non esse realiter diuersas à corpore:tate. Hæc omnia patēt ex iis quę supradicta sunt,partim pro prima,partim pro secunda opinione;cum.n.ad illa quatuor probanda,paulò superius in confirmatione tam prioris quam posterioris sententię satis multas & probabiles rationes exposuerimus, nihil attinet nunc ad idem demonstrandum,nouas alias rationes conferre.Ęą sanè,quemadmodum calor vt quatuor,est terminatus non per aliud aliquid ab ipso realiter diuersum,sed seipso,quatenus non vlteriùs est intensus,vel in quantum cōtinet tot gradus & non amplius:ita quoq; de huiusmodi rebus sentiendū putamus,quę non alia re ab ipsis, terminantur, sed tantummodò seipsis, nimirum quatenus tantæ sunt & non vlterius protenduntur.Loquimur tamen hic de terminatione formali,nam ea quę effectiuè & extrinsecus fit,tota prouenit ab agente; ac ne longiores simus, satis fit hæc strictim attigisse;plura.n.ex his quæ supra,primam & secundam sententiam comprobando,dicta sunt,facilè poterunt ad eorum quatuor quæ hic posuimus,cōfirmationem accommodari.

De infinitate quātitatis.

Sequitur,vt deinceps de infinitate quantitatis disseramus.Quę tractatio duplex erit, vna de quantitatis infinitate secundum actum;altera secundum potentiam. Rursus prior tripartita erit: nam primo loco quæretur an sit actu in rebus aliqua quantitas infinita;deinde,disputabitur an infinitū possit effici à Deo.Postremò,an continuū sit diuisibile in infinitū:vel(quod idē est)an cōtinuum cōponatur ex indiuisib.Primùm igitur videamus an sit in reb. aliquid siue multitudine,siue magnitudine actu infinitū.

Demonstratur

Demonstratur non esse in rebus infinitum secundum multitudinem aut magnitudinem.

CAP. VII.

NOn esse in rebus aliqd infinitū siue magnitudine siue multitudine,latissimè ostēdit Arist.tū in 3.Phy.à tex. 40.vsq; ad 56.tū in 1.de Cælo,à tex.33.vsq; ad 76.Ręcipuæ autē rationes,quæ vel ab ipso vel ab aliis afferūtur,hoc loco breuiter adscribentur.Prima ratio,Si ostensū fuerit corpus simplex nō esse infinitū aut multitudine aut magnitudine etiā demōstratū erit nullum cōpositum esse infinitum; nō enim potest compositum esse infinitum nisi ea ex quibus cōstat, infinita fuerint,aut omnia,aut aliqua,aut certè vnū aliquod ipsorum.Quod autem corpora simplicia non sint infinita specie hinc patet.Primò.Quia essent infiniti motus simplices,cum tamē experientia doceat non esse nisi duos,videlicet rectum & circularem.Secundò.Quia essent infinitæ locorum differentiæ,quodlibet enim corpus simplex suaptè natura peculiarē sibi loci differentiam ascisceit,at differentiæ locorum sunt tantum sex.Tertio. Indiuidua plura sunt quàm species,vnaquæque enim species ferè continet multa indiuidua,si igitur species sunt infinitæ,& indiuidua plura sūt speciebus ergo erit aliquid maius infinito.Quartò. Species sunt sicut numeri,non enim reperiuntur duæ species,quę sint æqualis perfectionis,sed omnis species collata alij speciei,habet diuersum gradum perfectionis vel superiorē vel inferiorem, si autem infinitæ essent species corporum simplicium in mūdo, mundus infinitos perfectionis gradus in se continēs esset infinitè perfectus,quod est impossibile,tum quoniam Arist.fortassis infinitatem perfectionis simpliciter putauit esse impossibilem:tum quia vt hæc infinitas tribuatur Deo (id quod nos verè credimus) attamē ea nequit tribui mundo;nam cum mūdus sit ab alio productus,& dependens,ac proinde participatam habeat perfectionem,necessariò eam habet finitam atque limitatam;&cum mūdus necessariò superetur secundum perfectionem à Deo, vtpotè à quo vt diximus,sit & productus,& dependens,infinitum autem ea ratione vt infinitum est,non possit ab alio superari & excedi, relinquitur, nec mundum esse infinitè perfectum,nec in eo esse infinitas species corporum simplicium.Quintò.Si essent infinita corpora simplicia non possent cognosci ergo nec ea quæ componuntur ex ipsis sciri possent quare nulla esset scientia rerum naturalium.

Quod autem nullum corpus simplex sit infinitum secundum

Nullũ corpus simplex mole infinita esse posse.

magnitudinẽ hic patet: nam aut erit corpus circulare, & mouebitur motu circulari, aut erit corpus quod mouebitur motu recto; primùm ostendamus corpus circulare non posse esse infinitũ: id quod facilè est demõstrare ad hunc modũ. Primò, quia motus circularis est qui fit circa medium, & qui ab eodem redit ad idem, infinitum autem, neque habet medium, neque potest pertransiri. Deinde, id manifestũ est ex definitione circuli: Circulus enim est figura in cuius medio centrum est, à quo omnes lineæ ductæ ad circunferentiam, sunt æquales: quæ definitio non potest accommodari infinito, quippe quod caret medio & extremis. Tũ, sumatur diameter circuli infiniti, & diuidatur in duas semidiametros; quæro vel ambæ semidiametri sunt finitæ, & sic tota etiã diameter esset finita, quare circulus quoque finitus esset: vel ambę sunt infinitæ, & cum tota diameter sit dupla ad semidiametrũ, erit aliquid duplo maius infinito: vel vna est finita, altera infinita, quod est impossibile, nam sic non essent semidiametri. Postea, si posset dari circulus infinitus, ruerent multæ demonstrationes Mathematicæ; primùm euerteretur demonstratio prima Euclidis tertij libri, quę sic habet, *cuiuslibet circuli centrum inuenire*: nam in circulo infinito non posset inueniri cẽtrum. Deinde rueret 25. demõstratio eiusdẽ libri: *Dato quolibet segmẽto circulum eius describere*: nam posset dari segmentum aliquod circuli infiniti, cuius tamen circulus non posset describi. Præterea, Propositio 30. eiusdem libri, nulla esset, *quamlibet peripheriam bifariam secare*, nam peripheria circuli infiniti non posset secari in duas partes æquales. Adhæc, rueret etiã totus quartus liber, nam ibi demonstratur quamlibet figuram recti lineam posse inscribi, & circunscribi circulo: & cõtra circulum posse inscribi & circũscribi figuræ rectilineæ: quod fieri non posset in circulo infinito. Postremò, linea circularis nõ procedit recta sed incuruata, quæ curuitas non patitur eam esse infinitam.

Sed quod non sit corpus aliquod simplex quod motu recto mouetur, actu infinitũ: hinc manifestum erit. Primò, quod mouetur motu recto, ex vno loco transfertur in alium: nam si moueatur motu naturali, ex loco non naturali transit ad naturalem locum: sin autẽ cietur motu violento, transit ex loco naturali ad non naturalẽ: sed infinitum cum occupet omnẽ locum nullo modo trãsferri potest ex vno loco in aliũ ergo nihil quod recto motu mouetur, potest esse infinitum secundum magnitudinem. Amplius, si sit corpus infinitum secundum magnitudinẽ, aut locus eius erit finitus aut infinitus, non finitus, quia locus æqualis debet esse locato; nec infinitus, quia in infinito non est differẽtia locorum, omne

omne autem corpus simplex, motu recto fertur sursum aut deorsum, ergo &c. His adde, quòd in corporibus simplicibus, idem secundum speciem est locus totius & partis: singamus ergo ex illo corpore infinito, auferri particulã aliquam, de qua quærimus, an ea possit moueri vel non si non posset, ergo nec ipsa nec suum totum esset corpus naturale: si posset, procul dubio moueretur ad locum sui totius, qui esset infinitus, nullámque certam loci differentiã obtinens, quare non magis moueretur in vnã partẽ quàm in aliam, sed vel non moueretur, vel in infinitas partes distracta quoquo versus moueretur. Postea, quod mouetur motu recto, aut est graue, aut leue: illud deorsum, hoc sursum fertur: corpus autem infinitum, cum impleat omnem locum, non magis sursum moueretur quã deorsum, quare nec esset corpus graue nec leue. His accedit, quod in quo maior est virtus motiua, id celerius mouetur, sed in corpore infinito esset virt9 motiua infinita, ergo moueretur in istanti, quod est impossibile. Postremò, si existeret corpus infinitum secundum omnes dimensiones, illud sanè solitarium esset; nam cum omnem locum occuparet, non posset existere aliud vllum corpus, quare illud corpus infinitum, neque posset moueri neque quiescere, neque agere, neque pati, neque esset principium aliorum, neque ipsum esse ab alio tanquam à principio; frustra igitur esset in natura tanta moles. Perspicuum igitur est non esse in rebus infinitum aliquid sine multitudine sine magnitudine. Sed quia contra hoc multæ sunt difficultates, has deinceps exponere & diluere oportet.

Ponuntur octo dubitationes contra id quod conclusum fuit.

CAP. VIII.

VIdetur esse in rebus infinitũ actu. Primò. Quia finitũ & infinitũ sunt passiones quãtitatis, ergo sicut reperitur finita quantitas ita reperietur infinita. Secũdò, Omnes species rerũ sunt in actu, ergo etiã species figurarũ & numerorũ erũt in actu, sed hæ sunt infinitæ, ergo &c, Tertia. Nihil diuiditur nisi in ea quæ actu habet, sed cõtinuum potest diuidi in infinitas partes, ergo actu habet infinitas partes. Quartò. Omnis magnitudo per additionẽ alteri9 magnitudinis fit maior, sed additio alicui9 magnitudinis potest fieri in infinitũ, quia diuisio fit in infinitũ, & quod vni magnitudini aufertur per diuisionem, potest alteri adiungi per additionẽ. Quintò. Secundum Aristotelem, mundus, & generatio hominis est æterna, ergo fuerunt infiniti homines: sed vnusquisque homo habet animã im-

mortalé, ergo nũc aut ſunt infinitę animę: quare etiam ſecũdum Ariſtotel. datur infinitum in actu. Sextò. Si nõ poſſet eſſe infinitum, hoc eſſet quia infinitum nõ poteſt pertrãſiri, & eſt ignotum, ſed cõtra, quia ſecũdum Ariſtot. cum tempus ſit æternum, vſque ad hũc diem trãſacti ſunt infiniti dies, & vſque ad hominem qui nũc generatur, fuerũt generati infiniti homines: ergo infinitum fuit actu trãſactum. Præterea, motus cæli eſt æternus, & quotidie fit vna circulatio primi mobilis, ergo fuerunt infinitæ circulationes. Quæro, intelligetia quæ mouet orbem, & facit huiuſmodi circulationes, aut cognoſcit eas, aut nõ: non cognoſcere, abſurdum eſt, quia ignoraret opus quod ipſa facit: ſi cognoſcit, aut omnes, aut aliquas tantum; ſed cum omnes ſint vnius ac eiuſdem rationis, nulla cauſſa eſt, cur has potius quàm alias quaſlibet cognoſcatiſi autem cognoſcit omnes, cum illę fuerint infinitæ, neceſſariò cõficitur eam cognoſcere infinitum. Si dicas Intelligẽtiam cognoſcere omnes circulationes, nõ ſimul actu, ſed ſucceſſiuè, id ſanè cõtrarium eſt iis, quæ ſcribit Ariſtote. in 12. Metaphy. de Intelligẽtijs, aſſerẽs eas nõ eſſe in potẽtia ad cognoſcẽdum, nec mutari in cognoſcẽdo. Septimò. Deus ſecũdum Ariſtotelem agit ex neceſſitate naturæ, vt plerique Peripatetici arbitrãtur, ergo facit quãtum poteſt facere: ſed poteſt facere infinitum, quippe qui ſecundum Ariſtotelem (vt quidam Philoſophi exiſtimãt) ſit infinitæ virtutis, ergo fecit infinitum, quare infinitum actu erit in rebus. Adde, quod nemo negare poteſt eſſe in rebus infinitũ actu, ſaltẽ ſecũdum durationẽ, cuiuſmodi ſunt intelligẽtiæ, cęli animi noſtri & materia prima. Octauò. Argumẽtum Archyrę & Epicuri nõ videtur cõtemnẽdum, nam extra cælum eſt locus infinitus, vel ergo eſt plenus corpore infinito, & ſic obtinuimus quod contẽdimus, aut nõ, & ſic datur vacuũ: poſſet igitur in illo vacuo eſſe corpus aliquod infinitum, ergo iam actu eſt, nam vt ait Ariſtoteles 3. Phy. tex. 32. Poſſe ab ipſo eſſe, nihil differt in perpetuis. Quod autem ſpatium quod eſt extra cælum ſit locus, patet, primò quia vltimum cælum cum ſit corpus, eſt in loco, & nõ eſt in alio loco, quam in parte quadam illius ſpatij quod eſt extra cęlum, ergo ſicut illa pars eſt locus, ſic etiam reliquum ſpatium. Deinde, quia ſiquis in vltimis cæli oris conſtitutus, vel brachium extenderet extra cælum, vel telum iaceret, aut poſſet id facere aut non, ſi non ergo eſſet aliquid, quod prohiberet vel reſiſteret, & ita extra cęlum eſſet corpus vel locus: ſi autem poſſet, brachium igitur vel telum eſſet in illo ſpatio tanquàm in loco. Huc accedit, quia vt ait Lucret. 1. lib. Omnia corpora quæ percipimus ſenſibus, ita reperimus eſſę affecta inter ſe, vt vnum contineatur ab alio, nec reperitur aliquod corpus ſolitarium & ſeiunctum ab alio corpore, quare neceſſe eſt in connexione corporum, procedi in infinitum. Et Epicurus (auctore Cic. lib. 2. de Diuinatione) mundũ vniuerſum eſſe infinitum. hoc modo argumentabatur. Quod finitum eſt, habet extremum; quod habet extremum, id cernitur ex alio extrinſecus, at quod omne ſeu vniuerſum eſt, id non cernitur ex alio extrinſecus, vniuerſum igitur non eſſe finitum neceſſe eſt. Hæc ſunt argumenta, quibus oſtẽditur infinitum eſſe in natura.

Soluuntur ſupradictæ Dubitationes.

CAP. IX.

RElíquum eſt, vt ſoluamus ſupradictas rationes, quib. oſtẽdi poſſe videbatur, eſſe in reb. infinitũ. Ad primam rationem, ita eſt reſpondẽdũ. Infinitum dicitur paſſio quantitatis, nõ quia per ſe cõueniat quãtitati, ſed quia nõ repugnat ei, prout quãtitas eſt, ſed prout eſt quãtitas naturalis vel actu exiſtẽs: vel quia ſi eſſet infinitũ, nõ poſſet eſſe aliud quàm quantitas. Itaque infinitum poteſt dici paſſio quantitatis, non ex parte quantitatis, non enim quãtitas exigit infinitum, ſed ex parte ſui, quoniam infinitũ nõ poteſt eſſe, neque intelligi ſine quantitate, & ſi eſſet proculdubio eſſet affectum quantitate. Ad ſecundam. Species, quæ habent eſſe reale, & ſunt de perfectione vniuerſi, debent omnes actu exiſtere: ſpecies autem numeri quę procedũt in infinitum, habent tantum eſſe intelligibile, neque ſunt de perfectione mũdi; quamobrem non oportet illas omnes actu eſſe. Ad tertiam. Cõtinuum habet infinitas partes, verũm non actu diſtinctas, ſed potẽtia. partes enim continui actu, finitæ ſunt, nam ſicut actu non habent aliud eſſe, quàm eſſe totius in quo ſunt, ita finiũtur & terminãtur actu terminis totius: verbi gratia, vel pũctis, vel lineis, vel ſuperficiebus; nam eadem quæ terminãt totum, ſimul etiam terminãt omnes partes eius. Illa autem maſſa totius continui, in qua cõfuſè & indiſtinctè cõtinentur omnes partes eius, dicitur eſſe infinita in potẽtia, quatenus ex ea poteſt in infinitum fieri ſecretio & diuiſio partium proportionaliũ. Sed dicet aliquis, ſi finitũ eſt, quod habet partes finitas, ergo infinitũ erit, quod habebit partes infinitas, ſed cõtinuum habet partes infinitas, ergo eſt infinitum. Neque valet, dicere cõtinuũ habere partes infinitas in potẽtia, nam omnes partes, qualeſcunque fuerint, ſunt in potẽtia, cum enim ſunt actu, iã non ſunt partes. Reſpondeo, omne totum debere eſtimari, & menſurari ex partibus, quæ habẽt aliquã certam & determinatam magnitudinẽ: tales autem partes in omni cõtinuo ſunt finitę, & ſi huiuſmodi eſſent infinitę,

Quomodo continuum habeat infinitas partes.

continuumetiam esset infinitum actu. At partes infinitę, quas dicitur habere continuum, non sunt alicuius determinatæ, quantitatis & mensuræ, quamuis secundum proportionem possent esse determinatæ. Diuisio enim quæ fit in infinitum, potest fieri semper eadem proportione seruata, vt vel fiat per partes medias, vel per tertias, vel per quartas: nunquam tamen huiusmodi partes ser uāt aliquam determinatam magnitudinem: sed sicut diuisio procedit in infinitum, ita partim magnitudo semper euadet minor: ergo, quantum sit continuum aliquod, an finitum, an verò infinitum; & si finitum, quanta sit eius magnitudo, hoc inquam nō debet æstimari secūdum quaslibet partes eius, sed tantum secūdum partes alicuius certæ magnitudinis, & determinatæ mēsuræ; vnde ad cognoscendam molem alicuius magnitudinis, adhibemus mēsuram certam, quæ vel per se, totam illam magnitudinem exæquet, vel aliquoties sumpta, & iterata illam metiatur. Ad quartā. Sicut non omnis detractio partium exhaurit continuum, sed tantùm remotio partium alicuius certæ magnitudinis, ita nō omnis additio quantitatis, etiam si fiat in infinitum, reddit infinitum in quo est: sed hoc contingeret, si fieret infinita additio alicuius quātitatis determinatæ, quamuis esset perexigua. Si enim alicui corpori adderes quantitatem vnius digiti in infinitum, illud corpus necessariò crescceret in infinitum. Cæterùm additio quæ fit vni corpori ex sectione alterius, non fit per partes determinatæ magnitudinis, sed tantùm per partes proportionales, quarum posteriores sunt semper minores prioribus, & sic deinceps in infinitum, vnde corpus cui fit talis additio, fit quidem maius seipso in infinitum, sed nō fit simpliciter in infinitum maius, imo verò ex tali diuisione non potest fieri maius, quàm esset, si alterum corpus, ex quo dissecantur partes, illi adiungeretur.

Quando additio quātitatis in infinitū faciat corpus infinitū & quādo non.

Circa quintum argumentum, variæ sunt responsiones secundū doctrinā Aristotelis. Alexander faciēs animam hominis mortalē, facilè euadit difficultatē, negans post obitū hominis, animam remanere: similiter etiā Auerroes: nā quamuis statuit intellectum hominis immortalem, tamen vult eum esse vnicum in omnibus. Auicenna cōcedit esse infinitas animas actu, nam infinitum actu esse non potest in rebus materialibus; in abstractis autem à materia & loco, nihil prohibet esse infinitam quandam multitudinē. Quam opinionem acerbè insectatur Auerroes in opere quod appellatur Destructio destructionū Disputatione prima in solutione septimæ dubitationis, his verbis. *Ponere animas infinitas remanere post corpus, est opinio inconcessa ab omnibus Philosophis.* Et paulò post, *Impossibile est apud omnes Philosophos dare actu infinitū siue corporeum siue incorporeum, & nemo sapientum potuit hoc intelligere nisi Auicēna.*

An Arist. faciēs mudū æternū, cogatur concedere infinitū esse numerum animarū rationalium.

D. Thom. qui opinatur etiam secundum Aristotelem, intellectū hominis esse immortalem, & vnum in vnoquoque hominum, vehementer hæret in solutione huius difficultatis. Nam in 1. part. q. 7. art. 4. negat posse dari vllo modo actu infinitam multitudinem siue in rebus corporeis siue incorporeis. Quem locum exponens Caietanus, ait D. Thomam præcidisse sibi facultatē amplius defendi immortalitatem & multiplicationem animarum rationalium secundum Aristotelem. In summa autem contra Gentes li. 2. c. 81. recenset varias responsiones, ad hoc argumentum, sed ipse nihil respondet secundū viam Arist. Quamobrem nonnulli ausi sunt dicere Arist. sibi contradixisse in duobus decretis suis. Nam facere intellectum hominis immortalē, vnumque in singulis hominibus, & rursus statuere mundum æternum, non cohærent inter se sicut linum cum lino, vt est in prouerbio: sed quia hęc quæstio pertinet ad libros de Anima, prętermittatur hoc loco, hoc tātùm in præsentia dici potest, prædicto argumento cogi quemlibet Peripateticum confiteri vnū aliquod horum triū, vel Aristotelem non sensisse animos nostros & esse immortales, & sigillatim multiplicari secūdum multiplicationem hominum; vel non existimasse absurdum, esse infinitam aliquam multitudinem rerum materia moleque carentiū nec vllum locum occupantium; vel denique ipsum sibi imprudenter inscientérque contradixisse. Quod autem horum, de Aristotele sentiendum & pronuntiādum sit, non est huius loci decernere. Quanquam non dubitanter dicere ausim, infinitam multitudinem rerū siue habentiū siue nō habentium materiam, doctrinæ Arist. omnino aduersari. Illud autē vehementer miror in quibusdam Theologis, qui cū negent Deū etiam secundum totam suam potentiam infinitam, quam fides nostra & agnoscit & illi tribuit, posse facere vllum infinitū actu, velint tamen Arist. qui non tantum tribuit Diuinę potentiæ, posuisse infinitum in actu. Ad sextam. Hæc ratio habet magnā vim ad tollendam æternitatem mundi; quocirca nos ea vtemur cum in vltimo libro huius operis disputabimus aduersus Arist. & alios Philosophos qui fecerunt mundum æternum. Quod autem subiungitur, Intelligentiam debere cognoscere conuersiones cæli, quas facit quotidie, futile est. Quia conuersio cæli vnus est tātum motus continuus, conuersiones itaque quæ quotidie enumerantur, non sunt per se actu diuisæ, sed tantùm secūdum nos, qui motum cęli dinumeramus, & distinguimus in multas partes, hísque vtimur ueluti mensura ad dimetiendas actiones nostras, & motus earum rerum quæ sunt infra lunam. Deinde, Intelligentia

secudum Aristotelis doctrinam, non cognoscit motũ per ipsum motum vel per partes eius, sed per suam essentiam quæ est fons & causa illius motus, vnde inspiciens in suam essentiã; simul etiã cognoscit motum, vt qui fluat ab illa veluti effectus à causa. Ad septimam. Neque hæc duo inter se cohærent, esse agens aliquod infinitę virtutis, & ipsum tamen agere ex necessitate naturę: quare alterutrum negandum est sensisse Aristotelem. At prius illud quidem, nemo veterum Peripateticorum assignat Aristoteli: hoc autem posterius, permulti tam Philosophi, quam Theologi attribuunt Aristoteli. Ergo doctrinæ Aristotelis, illud, licèt verissimũ sit, dissentaneum, hoc autem, licèt falsissimum sit, esse tamen consentaneum, existimãdum est. Quanquam fortasse diceret aliquis, licet ponatur, Deum agere ex necessitate naturæ, & habere virtutem infinitam, non tamen ex eo concludi, fieri actu aliquid infinitum; quia hoc repugnat ex parte rei; fortasse enim infinitũ actu esse in rebus, implicat contradictionem. Ad id autem quod additur de infinitate durationis, respõdendum est, eiusmodi infinitatem nec Aristotelis disciplinæ nec rationi repugnare, nec modo possibilem esse, sed etiam necessariam: nos autem non omnem tollimus infinitudinem, sed eam tantũmodo quæ est vel in multitudine, vel in magnitudine. Ad vltimam rationem, potest dupliciter responderi. Primò, negando vllum corpus extra cælum, aut operari quicquam, aut etiam existere posse; quoniã corpora quæ sunt partes vniuersi, ita cum ipso sunt connexa, vt citra pernicie, & exitium suum non possint ab eo penitus seiungi: sicut manus decisa à corpore non solum actionib. suis, sed etiam vita priuatur. vel aliter, admissa suppositione dicendum est, tale corpus fore quidem extra cælum, sed non alicubi tanquam in loco: Quod si clament, id esse impossibile, quoniam omne corpus indiget loco in quo sit, fatendum est id esse impossibile, verũ sequi ex impossibili suppositione eorũ; non enim mirum, si ex vno impossibili sequatur aliud impossibile; quare culpa non in rebus, nec in nobis est, sed penes ipsos qui vtuntur ea suppositione, quæ omnino repugnat naturę rerum. Quod autem non sit aliquod infinitum actu, non modo consentaneum est decretis Philosophicis, sed etiã sacris literis, in quibus legitur Deum fecisse omnia in pondere, numero, & mensura.

An infinitum possit effici à Deo.

CAP. X.

SEd nunc videamus an Deus, quem, & libere agere, & habere infinitam potentiam, licet non omnes Peripatetici concedant, omnes tamen Christiani Philosophi verissimè

nè credunt atque cõfitentur, an inquam si vellet, posset facere aliquid iufinitum actu, vel secundum magnitudinem, vel secundũ multitudinem: quę res, quanquã nõ sit Physica, sed potius Theologica, tamen vt præsens disputatio de infinito perfectior existat, ea quoque strictim attingenda est.

Opinio Nominalium posse fieri à Deo, infinitum.

Gregorius Ariminẽsis & Nominales in 1. Sen. super dist. vel 43. vel 44. contendunt probare infinitum actu posse fieri à Deo. Primò, Deus potest facere, quicquid potest facere; contrarium enim implicat contradictionem: faciat ergo totum, quod potest facere; quæro, aut hoc erit infinitum, & sic habeo quod volo; aut erit finitum, ergo Deus non poterit facere aliquid maius quocunque finito, quod est falsum & absurdum apud omnes Theologos. Secũdò, Deus habet infinitam potentiam productiuam, ergo potest producere infinitum: nam potẽtia actiua definitur per actum, seu per effectum, & per illum mensuratur, si enim effectus nõ potest esse infinitus, ergo neque potentia effectiua est infinita. Tertiò, Deus potest in quocunque instanti creare vnum Angelum, ponamus igitur, cum incipit aliqua hora, Deum, in quocuque instãti illius horæ creare vnum Angelum, ergo hora trãsacta erũt producti infiniti Angeli, quoniam hora, cum sit quiddam cõtinuum, habet infinita instãtia. Quartò, In continuo sunt infinitæ partes in potentia, & quælibet pars potest separari ab alia, ergo Deus potest omnes partes cõtinui ab inuicem separare, quæ sic separatæ, erunt infinitæ: quare Deus potest facere infinitum. Hæc illi.

Opinio D. Thomæ & Durandi.

Sed contra sentiunt alij: nam D. Thomas. 1. part. quæst. 7. art. 3. & 4. probat nõ posse dari infinitam multitudinem actu, his duobus argumẽtis. Primò, Quia omne quod est in genere, necessariò est in aliqua specie determinata, neque n. potest genus seorsim produci à speciebus, ergo omnis multitudo producta, necessariò est sub aliqua specie multitudinis, seu numeri: sed omnis species numeri est finita, quia cõstituitur per certam aliquam collectionem vnitatum, ergo nõ potest produci infinita multitudo. Deinde, Omne quod producitur à Deo, sub aliqua certa intẽtione producitur; alioquin temerè, & inaniter produceretur; sed omne quod producitur sub aliqua certa intẽtione agẽtis, certo numero cõprehẽditur, ergo infinitũ nõ potest produci; productio enim infiniti, neque habet vllum vsum, neque ad vllam intentionem agẽtis referri potest. Quod autem corpus infinitum non possit esse, sic ostẽditi omne corpus productum, sicut etiam omnis creatura habet naturã, & essentiam determinatam & definitam, ergo habebit quoque accidẽtia definita, & limitata; nam modus, & mensura accidẽtium, sequitur naturam subiecti in quo sunt. Quantitas

igitur infinita non potest vlli corpori accidere. Addit etiã demõstrationes de motu recto & circulari, quas nos paulo suprà exposuimus. In primo autem Sent. loco suprà citato, idem sentit & ita probat: Si infinitum produceretur, esset finitũ; nam infinitum est, quod finiri, & pertransiri nequit: si autem est productum, fuit ab agente comprehensum, & transactum. Idẽ scribit in Quodlibetis Quodlibeto 9. ar. 1. vbi ait, sicut est impossibile facere equũ rationalem, ita facere corpus infinitum: & sicut nõ potest produci natura generica quin sit determinata per aliquas differẽtias specificas, ita non potest produci quantitas, quin ea sit definita, & determinata per aliquam speciẽ, & mensuram quantitatis. Et Quod li. 12. ar. 2. ait, ideo non posse infinitũ produci à Deo, quia Deus agit per intellectum, & per verbum, quod est formatiuum, & determinatiuũ rerum quas producit. Quocirca nihil potest produci à Deo quod non sit formatum, & determinatum: infinitum autem per se informe, & indeterminatum est, vnde non potest fieri à Deo.

Rationes Durandi contra infinitũ actu.

Licèt autẽ hęc opinio D. Tho. probetur Durando, rationes tamen ipsius nõ placent. Quare ipse ponit alias, duas quidẽ ad refellendã infinitam multitudinẽ; quarum prior est hęc. Producta infinita multitudine, verbi gratia lapidũ, vel angelorũ, posset ne Deus producere alios Angelos? si nõ; ergo potentia Dei est diminuta & exhausta: si posset, ergo Angeli prius producti non erant infiniti: Nam infinitum est, extra quod nihil est, alioquin cũ priores Angeli cũ posterioribus cõiuncti, efficiãt quiddam maius, quàm priores per se sumpti, daretur aliquid maius infinito. Posterior ratio hęc est: si esset infinita multitudo, sequeretur partẽ æqualem esse toti, nã in tali multitudine essent infiniti binarij, & infiniti quaternarij, vnũ autem infinitũ nõ est maius altero, ergo binarij essent æquales quaternarijs. Quod autẽ nõ possit dari infinita magnitudo, ita demõstrat: Non pot dari minima magnitudo quia quæcũq; fuerit data, si magnitudo est, poterit etiã amplius diuidi, ergo neq; potest dari maxima; par enim videtur esse ratio vtriusq; tã maximę, quam minimę; sed si esset infinita magnitudo, vtiq; illa esset maxima; ergo nõ potest dari infinita magnitudo, Hęc Durandus.

Ponitur propria opinio, & soluuntur argumenta Gregorij.

CAP XI.

IOrum ergo Theologorum sequens opinionem, idem sentio; idemque confirmo hac ratione, Deus non potest simul & actu facere, quicquid potest simpliciter facere: ergo

ergo non potest facere infinitũ. patet consequentia, quia si Deus faceret quicquid potest facere, illud nõ esset maius quàm infinitum, videtur itaq; infinitũ reciprocari cum eo quod potest Deus facere simpliciter. Antecedens probatur, nam si ita nõ est, ponamus tam esse factũ à Deo quicquid simpliciter potest ab eo fieri; tunc quęro, aut Deus potest aliquid deinceps facere, aut non: si potest. ergo non rectè supposuimus antea, fecisse quicquid poterat; si non potest ergo minor est potentia Dei nunc, quam fuit antè, imo verò nulla esset Dei potentia cum nihil ampliùs possit facere, quòd est absurdum, cum ea, nec imminuatur, nec augeatur, nec possit exhauriri per ea quæ operatur extra se. Præterea, si potentia Dei est infinita, ergo per nullum opus suum potest finiri, ergo impossibile est fieri à Deo opus aliquod tantum, quin possit aliud fieri maius ipso. Alioquin potentia Dei limitata fuisset per illius productionem.

Verùm soluamus argumenta Nominalium. Ad primum argumentum hoc modo respondendum est. Huic argumento subest fallacia, cum. n. aiunt, potest Deus facere quicquid potest fieri, aut illud (potest) sumunt vtrobique eodẽ modo, hoc sensu. Quicquid Deus successiuè potest facere, id successiuè potest fieri à Deo & sic verum est, sed nihil concludit; vel sumunt diuerso modo hoc intellectu, quicquid Deus potest facere simpliciter, id est vel simul vel successiuè, id potest fieri à Deo totum simul in actu, & sic falsum est, & à nobis negatur. Nam quod est in Deo simul propter eius perfectionem, non potest simul conferri in vnam aliquam creaturam propter imperfectam eius naturam. Quod si tale argumentum valeret, eodem concluderetur posse fieri à Deo aliquam creaturam infinitè perfectam, quod omnes Theologi habent pro absurdo: nam si quicquid Deus potest facere successiuè potest, etiam simul facere, ergo cum quacunque creatura finitæ perfectionis possit creare aliam perfectionem, poterit etiam infinitas perfectiones simul tribuere vni creaturæ, quas successiuè largiri poterit. Ad secundũ. Infinitati quæ est in virtute actiua Dei, non potest in effectu eius respondere similis infinitas propter inferiorem conditionẽ creaturæ: respõdet tamen aliqua infinitas dupliciter: primò, in modo productionis, vt patet in creatione alicuius ex nihilo; nam quauis id quod creatur natura sua sit finitum, tamen ipsum produci ex nihilo, declarat infinitam virtutem producentis. Deinde, cernitur etiam infinitas in effectibus Dei successiuè secundum potentiam; etenim quocunq; effectu producto, potest Deus producere alium præstantiorem, & alium, & sic deinceps in infinitum, cuius exemplũ videmus in di-

uisione cõtinui. Theologi autẽ cum hęc docẽt, sic loquũtu, Deus non potest facere infinitũ categorematicè, id est totum simul actu, sed syncategorematicè id est successiuè vnum post aliud sine fine producendo. Ad tertiam. Ratio captiosa est, procedens à sensu diuiso ad compositum; nam vt concedimus Deum quocunq; instanti seorsim, posse creare vnum aliquem. Angelum, ita nemus in omnibus horæ instantib. figillatim & ordine numeratis, posse creare totidem Angelos; quia huiusmodi instantia cum sint infinita & in potentia tantùm, non possunt actu omnia dinumerari ac pertransiri: alioquin tota hora resolueretur in instantia.

An possent omnes partes continui remoueri à cõtinuo.

Ad quartum. Licèt vna pars continui possit remoueri ab alia, tamen impossibile est, vt omnes partes sint ab inuicem actu separatæ, quia tunc neque essent continuæ, neque quantæ, neque partes, sed vel puncta vel nihil: nam omnis pars continui est continua, quare potest diuidi in alias partes, ergo pugnant hæc duo inter se, ipsas esse penitus indiuisibiles, & esse partes continui, ac proinde continuas & quantas, & tamen ipsas esse omnino diuisas. Planum igitur est infinitum actu effici non posse à Deo, neq; id euenit ob impotentiam Dei, sed ob repugnantiam & contradictionem quæ contingit posito infinito. Quare Theologi malunt dicere infinitum non posse effici vllo modo; quàm dicere Deum non posse facere infinitũ, vt sic intelligatur impossibilitas infiniti, non prouenire ex parte Dei, sed ex parte ipsarum rerum

Atque hæc est sententia nostra: quę nobis ita probatur vt contraria tamen nequaquam omnino improbabilis esse videatur. Neque. n. tam est absurdum, si res ipsa benè consideretur, quàm videtur in speciem, esse aliquod infinitum actu, præsertim secundum multitudinem & in rebus quę materia & mole carent. Nam cum in multitudine infinita, sint aliquæ partes finitę, non enim quælibet pars infiniti est infinita: respectu, non quidem totius infiniti ea ratione vt est infinitum, sed partium eius quæ sunt finitæ, potest augeri infinitũ, & dari aliquid maius infinito, & eo producto poterit Deus præterea aliud quidpiam producere; sicut linea quę esset ex vna parte infinita & ex altera finita, ex parte finita, posset multùm augeri & maior euadere quam erat antea, non vt infinita, sed vt aliquo modo finita. potest igitur esse aliquid maius infinito secundum partes eius finitas, non autem vt est infinitum: nam quod est maius alio, excedit & transit finem & terminum magnitudinis eius, infinitum autẽ cum nullum habeat terminum magnitudinis: excudi non potest.

An

An continuum sit diuisibile in infinitum.

CAP. XII.

Licet à Philosophis, Theologis, & Mathematicis pro certo habeatur, continuum nullo modo componi ex indiuisibilib. sed esse diuisibile in infinitũ; tamen quia hoc multas & graues difficultates habet, diligenter à nobis explanandũ est: Primùm quidẽ ponendo rationes quæ videntur excludere infinitam cõtinui diuisibilitatẽ: Deinde multis argumentis eã cõprobãdo: Ad extremũ soluendo rationes contrarias.

Decem rationes contra infinitam continui diuisibilitatẽ.

Primùm igitur posset ostendi continuum componi ex indiuisibilibus, nec diuidi posse in infinitũ; his decem rationibus. Primò, aut linea componitur ex punctis, aut ex alio, nõ ex alio, quia tunc in illo non essent puncta, at nihil est in linea vbi nõ sit punctum, ergo linea componitur ex punctis. Secundum. Si linea nõ componererur ex puctis, ergo puncta non essent vbiq; in linea, sed sunt vbiq; in linea, nã linea, vbiq; est diuisibilis, diuiditur autem in puncto ergo, &c. Tertium. Ex 3. lib. Elem. Euclidis manifestum est, corpus sphæricum non posse tangere planum nisi in vno puncto; moueatur igitur vnum corpus sphæri cum super alterum planum, & quia sphæricum non tangit planum nisi in vno puncto, semper mouebitur per puncta; tota igitur illa longitudo plani quam transiuit corpus sphæricum suo motu, constabat ex punctis. Quartùm. Deus potest creare Angelũ in quocunque instanti: creet igitur eum in vno aliquo instanti: quæro aut potest immediatè post creare alterum, aut non: impossibile est dicere eum non posse creare; quod si potest, aut ergo in instanti, aut in tempore; non in tempore, quia creatio Angeli est instantanea, cum fiat sine vlla resistẽtia ab agẽte infinitæ virtutis, quare creabitur in instanti, ergo duo instantia sunt sibi immediata; & sicut ostendi de his duob. poterit etiam mõstrari de aliis multis; quare tempus componetur ex instantibus; nam non est alia causa cur Arist. neget continuum non posse componi ex indiuisibilib. nisi quia non sunt sibi inuicem immediata & cohærentia. Quintum. Sicut se habet vnitas ad numerum, ita punctum ad continuum: cur igitur, si ex vnitatib. cõponitur numerus, nõ etiam ex punctis cõtinuum cõponi poterit? Sextum. Si omne continuũ est diuisibile in infinitũ, ergo habet infinitas partes, & cum quælibet pars habeat aliquã quantitatẽ, ex infinitis autẽ quãtitatibus resultat infinita moles, sequeretur cõtinuũ finitũ, habere infinitam molẽ. Septimum. Nõ daretur magnum & paruũ in quantitate nec maius & minus, nam magnũ dicitur quod habet multas partes, paruũ, quod paruas; at si omne cõtinuũ habet infinitas

partes,vnum non habebit plures partes quam alterum. Octaua. Nulla magnitudo posset transiri per motum localem,nam antequam mobile transeat totam,debet transire dimidiam,& ante illam,dimidiam illius,& sic in infinitum,infinitum autem non potest pertransiri. Nona. Aut omnes lineæ sunt commensurabiles, aut aliquę, sint commensurabiles, necesse est dari lineam minimam & indiuisibilem, quæ sit mensura aliarum linearum, nam mensura debet esse aliquid minimum in eodem genere; si autem datur vna pars lineæ minima & indiuisibilis:necessariò concluditur lineam componi ex indiuisibilib. Decima.Si quodlibet continuum habet infinitas partes, sequitur necessariò alterum ex his duobus absurdis, aut vnum infinitum esse maius altero, aut partem esse æqualem toti. Nam sumatur linea bipedalis, hæc vel est maior linea pedali, & cum vtraque habeat infinitas partes,vnum infinitũ erit maius altero;vel erit æqualis; & sic linea bipedalis,quæ est totum,erit æqualis lineæ pedali,quæ est dimidiata pars illius,Hæc contra infinitã continui diuisibilitatem.

Viginti rationibus ostenditur continuum non componi ex indiuisibilibus & esse in infinitum diuisibile.

CAP. XIII.

SEd quàm sit verum,continuum non componi ex indiuisibilib.&posse diuidi semper in infinitum,licèt ex eo cognosci possit,quòd probatum fuerit à duobus Philosophiæ principib.Arist.& Platone,& à Mathematicis non modo receptum, sed positum quasi fundamentum totius suæ disciplinæ; tamen potest etiam euidenter colligi ex his viginti rationibus, quas subiungam. Prima.Si indiuisibilia componunt continuum necesse est,vt sint vel inter se continua,vel contigua,sed cum indiuisibile careat partib. cõtigua verò & cõtinua sint ea quorum extrema sunt simul,vel vnum,relinquitur,indiuisibilia nec continua, nec contigua inuicem esse posse; quare neq; ex ipsis posse fieri continuum.Secunda.Supponantur duo;vnum est non posse idem moueri,& motum esse iam,respectu eiusdem:nam si motum est,iam est in ipso:si mouetur nondum est in ipso: Alterum est non posse aliquid moueri super totam magnitudinem, quin moueatur etiã super partes eius.His constitutis,ponamus moueri aliquid super magnitudinem constantem ex indiuisibilib.necesse est id moueri per ipsa indiuisibilia,quæratur,cum illud mobile transit vnumquodq; indiuisibile;an moueatur super illo simul &motum est:sed hoc esse impossibile ostendit prima suppositio:An motum est,& nõ mouebatur? quod sane non minus est impossibile, tum quia non potest aliquid motum esse in eo ad

Viginti rationib⁹ probatur cõtinuum non componi ex indiuisibilibus.

quod prius non mouebatur,tum etiã quia si super vnum quodq; indiuisibile motum est & non mouetur,ergo etiam super totam magnitudinem motum erit & non mouebitur, non igitur fiet motus super talem magnitudinem.Restat igitur,vt in quoq; indiuisibili prius moueatur quàm sit motum, quare indiuisibile diuidetur, cum motus omnis sit diuisibilis secundum diuisionem magnitudinis super quam res mouetur.Tertia.Sint duo mobilia vnum velocius altero in sexquialtera proportione; quod igitur velocius est, moueatur super magnitudinem trium indiuisibilium in tribus instantibus temporis; alterum verò super magnitudinem duorum indiuisibilium,eodem tempore:necesse igitur erit vt hoc mobile minus velox, si in tribus instantibus transit duo indiuisibilia,in transeundo vnoquoque indiuisibili, consumat vnum instans cum dimidio,& sic instans diuidetur.Quarta. Super Magnitudinem trium indiuisibilium moueantur duo mobilia,vnum duplò velocius altero;eo tempore quo mobile velocius transierit tria illa indiuisibilia,alterum mobile,quod est duplò minus velox, tantùm transibit dimidiũ illorum trium: quare vnum indiuisibile eorũ diuidetur;& has rationes tangit Arist. in 6.Phys.Ex libro autem eius,qui inscribitur de Lineis insecabilib.possunt colligi aliæ rationes. Esse autem illius libri auctorem Arist.confirmat Simplicius 3.Phy.super text.56.& Albertus magnus in fine 6.Phy.illum libellum paraphrasticè exponit tanquam qui esset Arist. Quinta ratio. Si linea cõponeretur ex punctis,non esset bona illa definitio lineę.*Linea est,cuius terminus sunt duo puncta.* Talis enim definitio non conueniret ei lineę quæ cõponeretur tantùm ex duobus punctis; imò neque ei quæ ex tribus,nam si in ipsa duo puncta sunt termini,ergo linea quæ ab illis terminatur, nihil aliud erit, quàm reliquum vnum punctum tertium.Sexta.Rueret definitio lineæ rectæ,linea enim recta est cuius medium non discrepat à suis extremis:at in linea quę componitur ex duobus punctis,neq; sunt extrema,neq; media.Septima.Aut omnis linea habet infinita puncta, aut finita,si infinita, sequentur duo absurda, vnum est quod linea esset actu infinita, nam si ex tot punctis fit tanta linea &ex pluribus maior,ergo ex infinitis infinita:Alterum est,omnes lineas esse inuicem æquales nam quæ constant ex partibus numero & magnitudine æqualibus,sunt etiam æqualia;sed puncta vnius lineæ, sunt æqualia numero & magnitudine punctis alterius lineæ cuiusuis, numero quidem quoniam sunt infinita; magnitudine autem, quoniam vnum punctum non est maius alio,ergo omnes lineæ inter se æquales essent.Sin autem omnes lineæ habent puncta finita,ergo

puncta cuiuslibet lineę erunt numero comprehensa,quare quę-
libet linea erit cōmensurabilis cuilibet alij lineę;nam inter pun-
cta vnius lineę & alterius,semper inuenietur talis proportio qua
lis est inter duos numeros,ex quo fieret,vt nulla esset linea irra-
tionalis, ceu est diameter respectu costæ: quo posito necesse est
ruere decimum lib. Elementorum Euclidis, cuius plurimæ de-
monstrationes versantur in lineis irrationalibus.Octaua.Ex non
quantis non potest fieri quantum,sed puncta non sunt,quanta,li
nea autem est quanta, ergo nequit hęc componi ex illis: sicut.n.
se habet compositio substantialis ad substantiam compositam,
ita compositio quantitatiua ad quantitatē compositam:sed sub-
stantia nequit componi ex partibus quæ non sunt substantię,sed
necessariò componitur ex substantiis cuiusmodi sunt materia&
forma,ergo nec quantitas poterit componi ex punctis,quæ non
sunt quanta.Nona.Si linea fieret ex punctis,ergo linea quatuor
punctorum esse logior quā trium,sed non esset longior nisi pro-
pter vnum punctum,ergo illud punctū deberet habere in se ali-
quam longitudinē: nam propter id quod neq; est lōgitudo nec
habet in se longitudinem, nō potest aliquid dici esse longius ali-
o,sicut vnum corpus nō dicitur albius alio,propter id quod nec
est albedo nec habet in se albedinem. Decima.In Mathematicis
demonstratum est,quamlibet lineā secari posse in duas partes ę-
quales,& in duas inæquales,quod falsum esset si linea compone-
retur ex punctis,nam linea quę cōstaret ex tribus punctis,nō pos
set diuidi in duas partes æquales,linea autē quę cōstaret ex duo-
bus tantùm:non posset diuidi in duas partes inæquales. Vndeci-
ma. Si linea componeretur ex punctis, etiam componeretur ex
punctis;nam corpus componitur ex superficiebus, superficies ex
lineis,linea autem ex punctis;quid autem fingi potest absurdius
quam existimare corpus,quod habet longitudinem latitudinem
& profunditatem componi ex punctis quæ his omnibus carent?
Duodecima.Sit triangulum æquilaterum,cuius vnumquodq;la-
tus sit trium punctorum, non poterit bifariam diuidi nisi pun-
ctum secetur.atq; hæ sunt rationes Arist.in lib.de lineis insecabi
libus.Decimatertia. Si magnitudo cōponeretur ex indiuisibilib.
sequeretur omnia mobilia,æquè velociter moueri,nec vnū mo-
ueri tardiùs quàm alterum:sit.n.magnitudo triū indiuisibilium,
eodem tēpore quo mobile velox trāsibit vnumquodq; indiuisi-
bile,etiā quodcunq; aliud mobile,quāuis tardissimū,idem trans-
ire poterit.Nam si velox mobile trāsit vnū indiuisibile in vno in
stanti,alterum quod est tardissimū,illud idem transibit etiam in
instanti,quare æquè velociter nam si trāsibit in tēpore,ergo cum
omne

omne tempus habeat partes,in vna parte temporis transibit vnā
partē indiuisibilis,non enim tantū transibit parte temporis quā-
tū toto tempore:sic igitur indiuisibile diuidetur. Vide Alexādrū
Aphrodiseum lib.2.Naturaliū quęstionum cap.1.Decimaquarta.
Licet secundū Mathematicos,quācunque lineam in eadem pro-
portione secare sicut aliā sectā;quod nō posset fieri si linea com-
poneretur ex punctis;si enim linea quæ componitur ex quinque
pūctis diuidatur in quinque partes nō poterit in tot diuidi alia li
nea,quę cōponeretur ex quatuor:quare talis propositio supponit
lineā esse diuisibilē in infinitas partes vide Simplicium 3. Phy.su-
per tex.56.Sed in illo loco Simplicij est mendū,nā ibi dicitur illā
demōstrationē tradi in 10.lib.Euclidis cū tradatur in 6.li.Propo-
sitione decima.Scotus ad idē probandū vtitur duabus rationibus
sequētibus.2.Sent.dist.2,quæst.9.Decimaquinta.Sint duo circuli
concentrici,quorum vnus necessariò debet esse maior altero;sed
maior ex pluribus cōstabit punctis,minor ex paucioribus.A cen-
tro ducētur lineæ ad omnia pūcta circuli maioris,quæ omnes li-
neę necessariò transibunt per pūcta circuli minoris, nec poterūt
duæ transire per vnū punctū alioquin vel fierent vna, vel nō re-
cta &æqualiter ducerētur ad circūferētiam circuli maioris:quare
totidē erunt pūcta in circulo maiori quot in minori ; erūt igitur
circuli æquales.Sextadecima. Sequeretur costā esse æqualem dia-
metro;nam cū ad omnia puncta diametri possint à costa duci li-
neę,tot erunt puncta in diametro quot in costa,quare erūt æqua-
les.Decimaseptima.Si continuū componeretur ex punctis, ergo
non daretur vlla linea finita;nā termini lineæ;aut sunt pūcta aut
nihil sunt,puncta autē non possunt esse, si sunt partes lineæ,nam
terminus aliud quid est à toto terminato & partibus eius;si enim
termin⁹ esset pars rei,nō esset terminus totius rei,sed tātū aliqua
rum partiū,quare si pūcta sunt partes lineę,ergo nō sunt eius ter-
mini,si nō sunt termini lineę,ergo linea carens terminis infinita
esset.Decimaoctaua.Totū continuum nō est aliud secundū rem
quam suæ partes,si ergo partes illius essent indiuisibiles,etiā totū
esset indiuisibile.Neq; valet dicere,quamuis puncta per se sint in
diuisibilia,tamen cum simul concurrunt & conueniunt,facere di
uisibile.Nam neq; possunt puncta simul cōcurrere,ita vt sint cō-
tinua,vel cōtigua,vel deinceps,vt supra demōstratū est;nec si cō-
currerent,possent facere aliquid diuisibile,In nulla enim cōposi-
tione quantitatiua,videmus totū habere aliquid,quod nō aliquo
modo reperiatur in partibus eius.Decimanona.Nō esset vera pri
ma propositio Euclidis,*Super datā rectam lineam triangulū æquilate
rum cōstituere*,nā sit data recta linea duorū pūctorum super quam

fiat triangulum æquilaterum: data recta linea debet cõiungi cũ lateribus trianguli, coniungetur autem per duo puncta quæ habet, & cum nõ habeat plura, inter latera nulla intercipietur area, quare non erit figura.

20. Sit triangulum æquilaterum, cuius vnumquodque laterum sit duoru indiuisibilium, & ab angulo ad basim ducatur linea recta: illa necessariò debet esse minor vtrouis latere cui opponitur, nam cum faciat vtrinque angulos maiores quã sint anguli super basim latera trianguli quę opponũtur illis angulis maioribus, erũt maiora quam illa linea: sed vnumquodque latus erat duorũ indiuisibiliũ, ergo linea illa cum sit minor, constabit tantùm ex vno indiuisibili, quod est impossibile: pendet autem huius demõstrationis vis & intelligentia, ex 16. & 19. primi libri Euclidis. Cõplures alias rationes huc cõgerere possemus: sed nõ est opus: etenim, iis, quas commemorauimus, quod docere voluimus, concluſum & confectum esse arbitramur.

Soluuntur rationes contrariæ quibus tollebatur infinita continui diuisibilitas.

CAP. XIIII.

REstat vt cõtrarias rationes supra positas diluam. Ad primã igitur rationem respondendũ est, lineã cõponi ex alio quã ex pũctis nimirũ ex lineis minoribus, quas cõtinet tãquã partes, in quibus etiã reperiuntur puncta: nõ enim est absurdum in linea reperiri vbique lineas & vbique puncta, diuerso tamen modo; lineas quidẽ, tanquam partes eius, quæ si separentur, existent actu lineæ: puncta verò, ceu ea quæ terminant & continuant lineam, eo modo quo supra declaratum est, cum de hac re ageremus. Quãquam illud quod vulgò dicitur, pũcta esse vbique in linea, partim est verum quatenus in omni parte lineæ possunt signari puncta: partim autem est falsum, quia si in linea aliqua signetur punctum non potest immediatè post signari aliud punctum: siquidem est impossibile puncta sibi inuicem esse immediata: atque hinc etiam patet solutio secundi argumenti.

De motu corporis spherici super planum.

Ad tertiam. Falsa existimatio quã vulgo habent quidam de tactu illius corporis sphærici quod mouetur super planũ, fecit eos putare hoc argumẽtũ esse indissolubile, cũ tamẽ nec sit valde firmum, & in promptu sit eius solutio. Nam verũ est, corpus sphæricum, cum tangit planũ, tangere in puncto; & ita si discretè & diiunctè tãgetet planũ cum mouetur super ipsum, semper tãgeret in punctis, sed quia mouetur cõtinuè, tactus illius est vnus numero & cõtinuus, idẽ planè cũ motu ipsius; quare tali tactui & motui

tui, qui fit in longum debet respondere in plano aliquid etiã longum & continuum & indiuisibile secũdum latitudinem, hoc autem non est punctum, quia non est longum; neque puncta, quia hæc & sunt multa & non sunt continua, respondet igitur linea, quare tale sphæricum non mouetur per puncta, sed per lineam. Solutio verò huius argumenti quam dat Auer. in 1. de Cęlo com. 32. dicens tactum sphærici & plani in pũcto non posse fieri Physicè, sed tantùm Mathematicè, non tollit difficultatem: nam opinio, quæ facit continuu ex indiuisibilibus, non minus aduersatur quantitati Mathematicæ quam Physicæ. Vide quo pacto Ochan in 1. Quol. quæst. 9. soluat hanc dubitationem, & Gregorius in 2. Sent. dist. 2. quæst. 2. art. 1. sub finem; & Egidius 1. de Genera. quęst. 8. in responsione ad tertium. Ad Quartam. Tempus duplex est secundum Theologos, vnum discretum, alterum continuum; in discreto possunt duo instantia esse immediata, in continuo verò minimè. Posset igitur Deus immediatè creare duos Angelos, vnũ post alium respectu temporis discreti, sed non cõtinui; repugnat enim vt vnum instãs immediatè continuetur alij. Ad Quintã. Inter punctũ & vnitatẽ hoc conuenit, quod ambo sunt principia, illud magnitudinis, hæc numeri: sed quia numerus est quãtitas discreta, potest componi ex rebus indiuisibilibus, id est ex vnitatibus: at quia magnitudo est quantitas continua, & duo indiuisibilia non possunt inuicem immediatè continuari, ideo non potest linea componi ex punctis. Ad Sextam. Si cõtinuum haberet infinitas partes alicuius certæ determinatæque quantitatis procul dubio esset infinitum actu secũdum molem; sed infinitæ partes continui, habent quantitatem indeterminatam, quæ per diuisionem semper minor existit, ex quo fit, vt non faciant molem totius, infinitam. Ad Septimam. Dicitur vna quantitas magna vel parua, & maior vel minor respectu alterius. quoniam habet partes determinatæ quantitatis, vel maiores vel minores; & quia habet vel totidem numero partes, sed maioris quantitatis, vel æqualis quidem quãtitatis. sed plures numero (verbi gratia) quãtitas bipedalis dicitur maior quam pedalis, vel quia in bipedali possunt signari partes determinatæ quantitatis plures quam in pedali vt plures palmi aut digiti: vel quia licet ambæ diuidãtur in partes infinitas, tamen diuiſio lineæ bipedalis fit semper per partes maiores, ipsius autem pedalis, per minores. Ad Octauam. Hęc ratio disertis verbis explicatur & soluitur ab Arist. 6. Phy. tex. 77. quare ne hic longiores simus illinc petatur solutio. Ad Nonam. Apud Mathematicos dicuntur aliquæ lineæ commensurabiles non quia mensurentur ab aliqua linea minima & indiuisibili, sed

quia inter illas eſtvna aliqua proportio talis qualis reperiri poteſt inter duos aliquos numeros(verbi gratia)linea bipedalis & pedalis ſunt commenſurabiles,quia illius ad hanc eſt proportio dupla, qualis eſt inter quaternarium,& binarium.Ad Decimam.Totum cõtinuum eſt maius ſua parte, nam quamuis ambo poſſint diuidi in partes infinitas,tamen diuiſio totius procedet per partes duplo maiores,quam diuiſio partium, ſi fiat diuiſio eadem proportione.itaque ſunt partes vtrobique partes numero, ſed non magnitudine : quanquam magnitudo continui ſolet menſurari per aliquam mẽſuram determinatæ quantitatis, totum autem habet plures huiuſmodi menſuras quam aliqua pars eius.

De infinitate continui ſecundum diuiſionem & additionem.

CAP. XV.

ARi.in 3.Phy.preſertim à t. 59. vſq; ad 70.multa ſcitu digna de continui diuiſione & additione in infinitũ;quæ breuiter nos exponemus,nõnullas dubitationes quę circa ſupradictos text.occurrũt; explicãdo. Ariſt.in 3.Phy.tex.59.ait diuiſionem continui, vt conſumat totum:fieri debere per partes æqualis magnitudinis,vt autem procedat in infinitum , per partes inæquales eiuſdem proportionis. Sed vtrumque hoc videtur falſum; nã poteſt fieri diuiſio per partes inæqualis magnitudinis,quæ tamen exhauriet totum quod diuidetur:v.g.ſit magnitudo ſex digitorũ,primùm detrahatur pars vnius digiti,deinde,altera duorum digitorũ , poſtea tertia trium totũ erit conſumptũ ; diuiſio tamen facta eſt per partes inæqualis magnitudinis.Similiter etiam poteſt fieri diuiſio cõtinui per partes diuerſæ proportionis,quę procedat in infinitum;vt ſi primum diuidatur continuum in duas partes, tum altera medietas in tres, poſtea vna tertia in quatuor,& ſic deinceps ; ſectio quidem nunquàm finietur,cum tamen ea non fiat ſecũdum eandem proportionem partium. Altera dubitatio eſt circa tex. 60.vbi ſcribitur poſſe fieri additionem in continuo in infinitum; verùm nõ ſicut per diuiſionem continui quacunque eius parte data poteſt dari minor,ita per additionẽm quacunque magnitudine poſita,maior dari poteſt.De quo duplex dubitatio exiſtit , primò enim, ſi additio fit in infinitum,ergo corpus in quo fit talis additio,augebitur in infinitum.Deinde,aut loquitur Ariſt.de magnitudine Phy.aut de Mathe.ſi de Phy.falſum eſt eã poſſe diuidi in infinitum , nam rerum naturaliũ datur maximum & minimum,ſicut docet Ariſ. in 1. Phy.tex.36,& in 2.de Anima,tex.41. ſi de Mathe. quæ habent eſſe

eſſe in imaginatione,& per abſtractionem à materia ſenſibili,falſum eſt eam non poſſe augeri in infinitum:nam ſicut data quacũque magnitudine parua, poſſumus imaginari minorem,ita quacunque magna,maiorem cogitare & animo fingere licet.

Quæ diuiſio continui ipſum tandẽ abſumat quæ verò nunquam.

Ad priorem dubitationem reſpondendum eſt; Ariſt.eo in loco voluiſſe dare certam & generalem regulam , non eam quæ aliquando vera ſit , aliquando falſa:ætenim ſi diuiſio fiat per partes æqualis magnitudinis ſemper eueniet vt conſumatur totum ; ſin autem fiat per partes inæqualis magnitudinis,nõ ſemper id euenier,vt patet in diuiſione infinita continui per partes proportionales,quæ ſunt inæqualis magnitudinis, nam poſteriores ſemper ſunt minores prioribus: Similiter quãquàm fieri poſſit diuiſio cõtinui infinita per partes diuerſæ proportionis,vt oſtenditur in argumenta,tamen non hoc ſemper contingit: Nam diuiſio continui quæ fit per partes æqualis magnitudinis,fit ſecundum diuerſam proportionem,nam primùm ſecamus ſextã partem , deinde quintam,poſtea quartam & ſic de cæteris:quæ tamen diuiſio non procedit in infinitum , ſed abſoluit continuum. Ad poſteriorem dubitationem hoc modo reſpondendum eſt; corpus cui fit additio in infinitum,euadit in infinitum maius ſecundum quid,id eſt ſeipſo,ſed nõ fit in infinitum maius ſimpliciter,id eſt quocunque alio corpore.Nam quod additur vni corpori,detrahitur ex altero ergo ſicut ex illis duobus corporibus quæ ſunt finita nõ euaderet corpus infinitum,ita neq; ſi partes quę in infinitum auferũtur ex vno corpore,addantur alteri,propterea illud fiet infinitũ , v.g.ſit vna magnitudo bipedalis & altera pedalis,ſi tota bipedalis addetur pedali,non fieret maior in infinitum,ſed tantùm fieret tripedalis:& cum partes non ſint maiores toto,etiam ſi in infinitum addãtur lineę pedali,nunquàm tamen illa euadet infinita. Aliud eſt igitur fieri maius in infinitum ſecũdũ quid,id eſt reſpectu cuiuſcunque alterius corporis. Altera verò dubitatio quæ circa eundem textũ facta eſt,ita ſoluitur.Ariſt.neque loquitur de magnitudine Phyſica, neque Mathematica,ſed de magnitudine per ſe & intrinſecè ſumpta,Nam cum magnitudo ſit continua ſecundum rem,intrinſecè & per ſe eſt diuiſibilis in infinitum , nec vt talis fiat diuiſio , extrinſecus requiritur aliquid aliud:per ſe autem non poteſt augeri, quia id per quòd augetur aſſumitur extrinſecus:ex quo fit,vt niſi fit alia magnitudo infinita , cui detrahi poſſint partes certæ magnitudinis infinitæ,nunquàm alia magnitudo poterit augeri in infinitum.

Cur continuum ex ſe ſit diuiſibile in infinitum,nõ autem augmentabile.

Dubitationes aliquot circa textus 67.68.& 69.libri tertij Physicorum explicantur.

CAP. XVI.

Cur accretio continui dicatur fieri secundum formã, diuisio autẽ eius secundum materiam

IN tex.67.lib.3.Physi. Arist.ait,Propterea nihil posse in infinitũ augeri,posse autem in infinitum diuidi,quoniã accretio tendit ad formam cui repugnat infinitas, diuisio aũt tendit ad materiã cui non repugnat infinitas in quib. verbis vnum est clarum,nempe infinitatẽ repugnare formæ,proprium enim est formæ terminare, quamobrem appellatur terminus vel finis , materia verò per se infinita ac indeterminata est,quocirca rectè ipsi materiæ attribuitur infinitas:Alterum autem obscurum est , quo pacto accretio dicatur pertinere ad formam,diuisio ad materiam.Auerr.3.Physi.comm.60.ita declarat hanc sententiam Arist.per diuisionem res tendit ad imperfectionem & ad non esse,quorum radix est materia.Accretio autem tendit ad perfectionem & ad esse , quorum origo & causa est forma,ob hanc igitur causam diuisio dicitur fieri propter materiam:accretio autem propter formam. Verùm D.Tho.3.Physi. super tex.67.& 1.par.quæst.7.art.3.in responsione ad 3.argumentum,longè secus hoc interpretatur. Accretio inquit tẽdit ad totum,diuisio ad partes.Totum autem vt est apud Arist. in 2.Physi. cap.de causis habet se vt forma,partes autem vt materia, quocirca accretio dicitur fieri ad formam , diuisio autem ad materiam. Vtraque interpretatio satis bona,& probabilis est. Sed remanet etiam nunc vnus scrupulus, etenim numerus potest in infinitum augeri,quæ accretio tendit ad formam;nam propter additionem cuiuslibet vnitatis existit noua forma,& species numeri,ergo infinitas etiam accidit ratione formæ. Sed facile est excutere hunc scrupulum:nam additio infinita , quæ accidit numero , non procedit ex forma numeri,sed ex diuisione continui;quare tota infinitas,quæ est in accretione tam numeri quàm magnitudinis,tandem ad extremum, referenda est ad diuisionem continui, quæ vt dictum est,fit propter materiam.

An numerus possit augeri in infinitũ

Dubitatur etiam de eo,quod scribit Arist.tex.68.nimirũ posse numerũ augeri in infinitum; nam si ita est, ergo possent existere infinitæ species numeri;cum igitur species sint æternæ (hoc.n.interest inter species & individua,quoniã illæ pertinent ad integritatem & perfectionem vniuersi,hæc autẽ nequaquã,ideo illas quidem vniuerso coæuas esse oportet,hęc autẽ minimè)& in æternis idem sit esse,& posse esse,vt.n. Arist.inquit 3.Phy.tex.32. posse ab ipso esse,nihil differt in perpetuis , necesse erit actu esse infinitas species

numerorum.Sed hoc ita soluitur: species esse æternas,verum est in iis speciebus,quæ habent esse reale extra Animã in rebus,& sunt propriè , ac simpliciter species , & pertinent ad perfectionem vniuersi,quorum nihil conuenit in species numerorum quatenus possunt in infinitũ procedere ; sic.n.habẽt tãtummodo esse imaginabile vel intelligibile , nõ autẽ esse reale in vniuerso.

Circa eundem textum dubitari potest , quo pacto accretio numeri in infinitum , procedat ex diuisione continui in infinitum. Numerus enim secundum naturam prior est quàm magnitudo, sicut vnitas,quę est principiũ numeri,est simplicior , & prior quã punctum,quod est pricipium lineæ , vt Aristo. indicat 1. Post.42. quocirca infinitas numeri non debet prouenire ex infinitate cõtinui. Ad hoc ita respõdendum est. Numerus sumptus Mathematicè,ac secundum esse intelligibile,potest in infinitum augeri sine auxilio magnitudinis,semper addendo nouas vnitates per imaginationem formatas: at sumptus Physicè hoc est secundum esse reale extra animam,non potest augeri in infinitum , nisi propter magnitudinem , vel proximè , vel remotè,quod additur propter motum & tempus,ex quorum partibus(sunt enim continua)etiã numerus augeri posset in infinitum , sed infinitas motus atque temporis prouenit ex infinitate magnitudinis , vt docet Arist.in 3.Phy.tex.70. quoniam igitur numero non possunt in infinitum addi vnitates reales,nisi propter partes continui,quæ ab eo per diuisionem in infinitum separari possunt, ob id dicitur infinitas numeri prouenire ex diuisione continui.

An accretio numeri in infinitum procedat ex diuisione cõtinui.

In tex.69. ponitur hæc propositio , quantamcunque contingit esse magnitudinem in potentia,tantã oportet iam esse actu. Quę propositio non videtur vera , nam non valet , magnitudo potest esse in infinitum minor,ergo iã actu est infinitè minor,similiter non valet,numerus est in potentia infinitè magnus, ergo numerus actu est infinitè magnus. Respondeo , Arist. hic loqui non de diuisione magnitudinis, sed de accretione eius in infinitũ, in qua vera est propositio:nam vt ex his , quæ ante diximus perspicuum est;vna magnitudo tanta potest fieri per additionem ; quanta est altera magnitudo,ex qua fit additio:si ergo magnitudo posset euadere infinita per additionem, opporteret illam alterã magnitudinem ex qua fit additio , actu esse infinitam. Non igitur hoc intelligendum est de diuisione magnitudinis , nec de accretione numeri, sed de accretione magnitudinis , quæ fit ex diuisione alterius magnitudinis.Sed quæst. quas de quantitate adhuc tractaui mus,ferè sunt Metaphysicæ. Deinceps igitur de quantitate,ea ratione vt consideratur & tractatur à Mathematico, disputemus.

De abstractione Mathematicæ quantitatis.

CAP. XVI.

NVnc disserẽdũ est de abstractione Mathematicę quãtitatis, declarandũq; an quãtitas, ea ratione vt consideratur à Mathematico, sit abstracta, nõ solùm à materia & substãtia sensibili, sed etiã simpliciter & absolutè ab omni subst̃ãtia, & materia: vel potius quãtitas Mathe. sit quidem abiũcta à materia sensibili, nõ autem simpliciter à materia, & substãtia, Etenim hac de re nõ satis cõuenit inter Philosophos: nam ex Albert. D. Tho. Ægidius & alij, existimant quãtitatem Mathematicam nõ posse abstrahi ab omni subst̃ãtia, sed tãtùm à sensibilitè cõtrario autẽ Themist. Simpli. Philoppo. & Auerroes opinantur quantitatem Mathematic. absolutè, & simpliciter abiunctam esse ab omni Materia & subst̃ãtia. Horũ igitur opinionẽ expendentes, quid verò similius sit videamus. Neq; hoc loco refellenda est Pythagoreorum sententia, qui huiusmodi quãtitates putabant non solùm ratione, sed etiã re ipsa seiũctas esse ab omni materia. Quo modo enim quantitas Mathe. si est accidens, potest secundũ rem à subst̃antia separata existere; nisi dicant quantitatem quæ extensionem habet & partes, inhærere in aliquo subiecto immateriali & indiuisibili: sin autem quantitas Mathe. est subst̃ãtia, expers materiæ, per se subsistẽs, quomodo ea non fuerit subst̃antia quædam intelligens, & diuina? Sed hanc opinionem, vt diximus, omittamus, quæ, vel ipsa vetustate iam pridẽ euanuit; eorúq; sententiam, qui negant quantitatem Mathematicam ratione abiunctam esse ab omni subst̃antia, diligenter expendamus.

D. Thom. in prima parte q. 85. art. 1. in resp̃onsione ad 2. ita scribit, *Materia sensibilis dicitur materia corporalis, vt subiacet qualitatibus sensibilibus: materia verò intelligibilis dicitur subst̃antia secundum quod subiacet tantùm quantitati: manifestum est autem, quod quantitas prior ineſt subst̃antiæ, quàm qualitas sensibilis, vnde quantitas potest considerari absque qualitate sensibili: quod nihil aliud est, quàm eam abstrahi à materia sensibili: non tamen potest considerari sine intellectu subst̃antiæ in cuius subiacet quantitati, quod est eam non abstrahi à materia intelligibili, potest tamen considerari sine hac, vel illa subst̃antia, & abstrahi à materia intelligibili indiuiduali.* Eandem sententiam ponit, eiúsdemq; verbis declarat in suo commentario super Boetium de Trinitate, quod est opusculum 70. in quæst. 5. de Diuisione scientiæ speculatiuæ art. 3. Albertus idem sentit 5. Meta. tract. 3. cap. 2. Antonius Andreas secundum disciplinam Scotisticam idem docet in 6. Metap. q. 3. probatur hęc opinio duab. rationibus. Primò quidem, quia nullum posterius põt abstrahi à priori cui per se subordinatur, sed quantitas per se posterior subst̃antia, ergo non potest abstrahi ab ipsa. Deinde, quantitas cum sit accidẽs, tam secundũ esse, quam secundum essentiam, dependet à subiecto suo quod est subst̃antia; siquidẽ vt Arist. docet in 7. Metap. accidentis esse est inesse, & definitio accidentis fit per additamentum, id est per appositionem subiecti: quocirca nullum accidens vel esse vel definitiuè ac scientificè cognosci potest sine suo subiecto.

Opinio eorum qui censent quantitatẽ Mathematicam nõ esse ab omni subst̃ãtia sed tantùm à sensibili abstractã.

Cæterùm hæ rationes non sunt admodum firmæ, quare paruo negotio refelli possunt: nam posterius non potest abstrahi à priori, tunc videlicet cum consideratur secundum id in quo est posterius, & dependens à priori; velut quantitas si consideretur vt est accidens, vel etiam quoddam genus accidentis, hoc est secundum inhærentiam suam vel secundum certam quandã habitudinem essentialem, quam dicit ad subst̃antiam, alia enim est ad subst̃antiam habitudo quantitatis, & alia qualitatis, & alia cætero rum accidentium: sic, quantitas non potest abstrahi à subst̃antia; verùm non hoc modo considerat eam Mathematicus, non enim agit de quantitate considerans eius existentiam vel essentiã vel causas eius naturales, quod non semel à nobis in hoc opere fuit declaratum: & sanè id manifestũ est perlustranti omnes demõstrationes Geometricas & Arithmeticas quæ in huiusmodi scientiis reperiuntur, quod autem Mathematicus non perscrutetur causas quantitatis, nec ex illis demonstrationes suas conficere laboret, auctores sunt multi tam Platonici quàm Peripatetici. Considerat igitur Mathematicus certas quasdam affectiones quę conueniũt quantitati nõ in ordine ad subst̃antiam; sed per se, vel simpliciter & absolutè, vel in comparatione ad aliam quantitatem: atq; hinc etiam patet solutio posterioris rationis. Illud autem mirandum est, quomodo D. Tho. locis supra memoratis affirmat materiam intelligibilẽ à qua non abstrahit Mathema. esse subst̃antiam, cum ipsemet in 1. Post. super tex. 42. & in 7. Metaphysicæ super tex. 35. scribat materiam intelligibilem esse ipsum continuũ, hoc est vel superficiem vel corpus: & sanè idem confirmat Alexander in eodem loco, nec Arist. id abnuit, tum in illo loco, tum in 8. Metaph. tex. 15. Sed veniamus ad alteram opinionem.

Quando verum sit posterius nõ posse se abstrahi à priori.

Quomodo Mathematicus cõsiderat quãtitatẽ.

Explicatur altera sententia eorum qui aiunt quantitatem mathematicam simpliciter abstractam esse ab omni substantia, & præfertur priori sententiæ.

CAP. XVIII.

Præclaræ sententiæ Themistij de Mathematica ab abstractione quantitatis abomni substantia.

ALtera sententia est Græcorũ, qui censent à Mathematico considerari nudam quantitatem segregatã ab omni materia & substantia. Themist. in 3. Phy. super tex. 71. ita scribit. *Ideo Mathematica dicuntur ex abstractione, quoniam ab iis quæ cernuntur in corporib. naturalibus, abiunguntur & ipsæ per se dimẽsiones ipsúmq; continuum æstimatur atq; spectatur.* Idẽ in 1. de Anima, super t. 17. sic ait. *In omnib. quæ Mathematici contemplantur, naturales affectiones à cõspectione suarereiciunt, solas meraſque magnitudines & nuda atque inania spatia considerant finendis his neq; materiam neque naturalem qualitatem adiungunt.* Idẽ in 3. de Anima, super tex. 35. hæc habet. *Mathematici ad solam quantitatem spectant, & contemplationem suam spacia ipsa mera inanáque & confinia corporum tantùm adhibẽt. Ex eo fit vt inter Mathematicas disciplinas Geometria & Arithmetica abesse à materia naturali longissimè videantur, vt potè in quib. demonstrationes sine aliqua materiæ mentione procedãt, quamobrem neque suppetias à sensu desiderant quia neque materiã vllam requirunt. At Musica, Perspectiua, Astronomia, quanquam & hæ cernantur remouere materiam atque sensum, non tamen æquè id possunt. sed à sensu proficiscuntur & in sensum desinunt.* Hoc idem docet & pulcherrimè tractat simplicius super 3. de Anima explanando tex. 35. Vide etiam Philoponum in 2. Phy. super text. 18. vbi ait nudã quantitatem, perinde ac si per se subsisteret, à Mathematico considerari sine omni substantia. Omnes denique Græci, interpretantes vel tex. 18. 2. Physic. vel 17. 1. de Anima, vel 35. 3. de Anima, vel 35. 7. Metaph. idem planè affirmant.

Idem sentiunt Simplicius & Philoponus, quinetiam ipse met Ari.

Ac nobis quidem Aristoteles videtur idẽ sensisse: is enim in 12. Metaphys. tex. 44. ait inter disciplinas Mathematicas Astrologiã quidem speculari de substantia sensibili ac sempiterna, Geometriam autem & Arithmeticam nullam substantiam cõsiderare. Et in 11. lib. Metaph. Summa. 2. cap. 1. hoc idem perspicuis verbis declarat ita scribens. *Mathematicus circa abstracta speculatur, tollendo nanque omnia sensibilia ita speculatur, solum autem dimittit quantum & continuum, hoc est vel lineam vel superficiẽ vel corpus & pationes eorum prout quanta & continua sunt, non prout aliquid aliud speculatur.* Hactenus Græci & ipse Aristoteles. Quæ sententia nõbis quidem sit verisimilior, atq; probabilior. Primùm enim, talis est modus abstrahendi in scientiis, qualis est modus definiendi, vt innuit Arist. in 6. Metaph. tex. 2. sed in definitionib. Mathematicis nulla fit mẽtio nullâq; ratio habetur vllius materiæ vel substantiæ, vt per se clarum est consideranti omnes definitiones Mathematicas. ergo Mathematicus abstrahit quantitatẽ ab omni materia & substantia: quid. n. aliud est abstrahere vnum ab alio, quàm considerare vnum non considerando aliud? Deinde, Arist. in 2. Phy. tex. 19. ostendit Mathematicum abstrahere à materia sensibili, propterea quòd definit per impar, triangulum & alia eiusdem generis absque materia sensibili: sed in definitionib. eiusmodi rerum, sicut non apparet materia sensibilis, ita nulla prorsus materia vel substantia cernitur, ergo Mathematicus sicut à materia sensibili, ita ab omni substantia quãtitatem abstrahit. Postea, affectiones quæ à Mathematico demõstrantur de quantitate, nõ ei cõueniunt in ordine ad substantiã, sed per se: vt esse diuisibilem, commensurabilem, proportionabilẽ, æqualem, vel inæqualem: similiter triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, sphæricum nõ posset tangere planum nisi in puncto, & alia eiusdẽ generis, quæ sine vllius substãtiæ respectu per se spectãtur in quantitate. Quare Mathematicus ad eas res demonstrãdas non indigebit cõsideratione vllius substantiæ; non. n. quãtitas est diuisibilis ex eo quia est in substantia, neq; triangulũ habet tres angulos æquales duobus rectis, nec linea recta tangit circulũ in puncto, quia insint in aliqua substantia: similiter etiam nõ conuenit quantitati tantum locum occupare, in ordine ad substantiã, sed per se, vt in cubo demonstrat Arist. 4. Phys. text. 76. Imò quædã non videntur posse conuenire quantitati in ordine ad substantiam, quemadmodum continuũ esse diuisibile in infinitũ; nam si subiectum quantitatis, vt prioris sententiæ principes existimant, est substantia cõposita, perspicuũ est repugnare quantitati, prout est in substantia cõposita diuidi in infinitum; forma. n. substantialis neque diuisionem neq; accretionẽ in infinitum fieri in quantitate sibi coniuncta vllo modo patitur. Ad extremũ, si Mathematicus vt sæpe à nobis dictum est, neq; essentiam, neq; existentiã, neq; proprias & reales causas tum quantitatis tum affectionum eius considerat, quid ei opus erit ad contemplationẽ tractationémq; suarum demõstrationum, vllam substantiæ cõsiderationẽ adhibere? Verùm de his satis. Deinceps an quadratura circuli sit possibilis disquiramus.

Quinque rationibus probatur quantitatem Mathematicam ab omni substantia esse abstractam.

O

De Quadratura circuli an sit scibilis vel possibilis.

CAP. XII.

LIbet hoc loco, quasi à recto doctrinę cursu deflectentes, ad amęnā quandam contemplationem paululum diuertere, hoc est de quadratura circuli, sit possibilis necne, disputare. Cuius rei iucunda est inquisitio, difficilis explicatio, cognitio autē cum ad alia, tum ad maltoru locorum Arist. intelligentiā perquā vtilis. Circulum autem quadrare conati sunt apud veteres, Antiphon, Bryso, & Hippocr. Chius, quorum meminit Arist. 1. Phys. tex. 11. 1. Post. text. 23. & 1. Elencho rum c. 10. Apud recentiores autē Orontius Finæus, qui, si quā multa docere atq; demōstrare aggressus, atq; pollicitus est, tam multa præstare ac perficere potuisset, immortalē sanè gloriam fuisset cōsequutus. Horum omniū de quadratura circuli demōstrationes, Ioannes Buteon vno libello diligenter collegit, earumq; demōstrationū vitia & errata, subtiliter & accuratè patefecit. Nos primùm, videamus quid alij senserint de Quadratura circuli: tum doceamus quadraturā circuli possibilē atq; scibilem esse; postremò, rationes cōtrarias, quę videtur nobis aduersari, dissoluamus.

Opinio et argumenta eorum qui negāt Quadraturam circuli esse possibilem

Nonnulli putant non posse quarari circulum, propterea quod Arist. 7. Phy. text. 21. & 30. videtur ponere pro absurdo vt recta & circularis lineadint inter se æquales: Auer. in 7. Phys. commento 29. ait impossibile esse vt quātitates sint inter se æquales, nisi aut rectę inter se, aut circulares inter se: & 10. Metaph. com. 10. ait lineam arcualem nō posse æquari lineę rectæ, aut rectam alij non rectę: & apud Euclidem est communis animi conceptio (quę sibi mutuo, cōgruunt ea inter se fore æqualia) sed cōstat nullum quadratum posse omnino congruere cum circulo aut ei penitus adaptari, nam si rectum congrueret cum obliquo seu curuo, non esset rectum, sed obliquum, aut hoc non esset obliquum sed induceret formam recti. Ad extremum, cum in huius rei peruestigationem, omnibus propè seculis, plurimi atque clarissimi Mathematici summo studio & diligentia incubuerint, nec quicquam adhuc compertum fuerit, desperandum est, hoc in posterum inueniri posse, idq; maximo argumento esse debet; huius rei demonstrationem non posse comprehendi. quamobrem Aristot. in categoria. Ad aliquid, vbi de Quadratura circuli sermonem habet, loquitur de ea non absolutè, sed ex suppositione *si* (inquit) *est scibilis*. Ab hac opinione non abhorruisse Ammonium Simplicij magistrum affirmat ipsemet Simplicius 1. Physic. super text. 11.

E contrario autem Iamblicus (auctore Simpl. in 1. Phys. super text. 11. affirmat Quadraturā circuli non modo posse inueniri, sed post

post Arist. compertam & traditā fuisse à Sexto Pythagorico, Archimede Apollonio, Nicomede & Carto. Verùm Simplicius ait à supradictis viris non certā huius theorematis demōstrationem sed instrumentariā tantum quandā eius rationem & cōstitutionem adinuentam fuisse; non.n. id latuisset tandiu omnes Mathematicos. Archimedes certè nō perfectè quadrauit circulū, nisi forte dicatur quadrasse; vel quia dedit certissimā viam quadranti, & docuit ea quibus cognitis & cōpertis necessariò conficitur Quadratura circuli; vel quia in quadrando circulo proximè omnium accessit ad veram eius rei demonstrationem, ita vt quod deest, perexiguum sit & cum demonstratio traducitur ad materiam sensibilē, pro nihilo ducatur, & nō secus vsurpetur à Mechanicis, ac si esset demōstratio perfecta & omnib. suis numeris absoluta.

Iamblichus dixit Quadraturam circuli à multis iā esse inuentam.

Zimara in suis concordantiis super decimum lib. Metaph. exponens ea verba, quibus Auerr. ait lineam arcualem nō posse æquari lineæ rectæ, dupliciter inquit Quadraturam circuli posse accipi, vno modo Mathematicè & secundum imaginationem, altero modo Physicè & secundum rem; permagni autem refert vtro modo sumpta fuerit, etenim Mathematicè possibilis est, vt videtur Mathematicis & Boëtio, qui in categoria Ad aliquid, inquit eius demonstrationem esse inuentam, seq; eam fuisse explicaturum nisi breuitati studere voluisset. Imaginatur.n. (ait Zimara) Mathematicus lineam rectam incuruari, & fieri circularem & contrà, ipsam circularem testificari, vt omni ex parte coæquetur lineæ rectæ. At verò Physicè, & secundum rem, hoc impossibile est; nunquam.n. linea recta potest re ipsa perfectè adaptari & cōgruere circulari, nisi desinat esse recta; & cum æqualia dicantur esse ea quæ sibi inuicem congruunt, nunquam profectò secundum rem quod est circulare poterit æquari recto, quare sic impossibile est quadrari circulum. Hac autem distinctione posita, putat Zimara omnes opiniones inter se conciliari posse; nam qui aiunt circulum posse quadrari, intelligunt Mathematicè; qui autem negant, intelligunt Physicè; porro hāc distinctionē videtur probare & cōfirmare Auer. in 7. Phy. com. 29. ita scribens *Impossibile est lineas rectas circularibus, aut contra circulares rectis, deniq; quæcunq; non sunt eiusdem speciei, sibi inuicē æquari. Quod autem dicunt Geometræ, quod linea recta est breuissima linea omnium quæ duci possunt ab vno puncto ad aliud punctū, dicitur large, & æqualitas dicitur de eis ferè æquiuocè, & similiter hoc q̄ dicūt quod circunferētia alicuius circuli est æqualis figuræ poligoniæ: & Geometer decipitur in hoc, quia possibile est existimare lineā rectā quæ incuruetur & fiat circularis, & q̄a hoc accidit in mente, attribuit hoc ꝓprie ipsi Geometer.* Hæc Auerr. Neq; verò

Opinio Zimaræ aiētis Quadraturam circuli esse possibilem Mathematicè sed non Physicè.

inquit Zimara, incredibile videri debet idem esse possibile Mathematicè quod nō est possibile Physicè; cum possit hoc permultis exemplis confirmari, nam motus circulares inter se cōtrarios esse & quantitatē augeri & diuidi posse in infinitum; & velocitatem motus infinitè intendi & remitti posse (de quo vide apud Auerr. 3. Phy. 70. & 4. Phy. 72. & 1. de Cælo, 32.) verū est secundum abstractionē quandam Mathematicā, falsum autē & impossibile, secundū rationē & considerationē Physicam. Hactenus Zimara.

Refellitur opinio Zimaræ, & eorum qui negant Quadraturam circuli possibilem esse.

CAP. XX.

SVpradicta opinio Zimaræ multis de causis nobis non probatur. Primò, quia putat quadratum circuli, eo fieri, quòd imaginemur, aut lineam rectam flecti in curuā, aut hanc dirigi in rectā, cum hoc lōgissimè absit cum à vero, tum à doctrina Mathematicorum; etenim quadrare circulum non est aliud, quàm reperire aream alicuius quadrati partem & æqualem areæ cuiuspiam circuli; non vt inter se congruant & planè coaptentur inuicē, hoc. n. nō solùm impossibile est in quadrato & in circulo, sed etiam in ipsis figuris rectilineis quę diuersa specie cōtinentur; nunquam. n. triangulum quadrabit, & congruet cum quadrangulo, aut quauis figura alius speciei; quippe cum species & ratio figuræ cōsistat in indiuisibili: certum tamen est omnes figuras rectilineas quadrari posse, vt est 14. propositione 2. lib. Elem. Euclidis, perspicuū est. Æqualitas ergo quadrati & circuli in eo est, vt areæ vtriusq; figuræ sint æquè capaces; sed isti vt opinor, falluntur, quia idem iudiciū faciūt de lineis secundum actum sumptis, atque sic accipiantur secundum potentiam, cum tamen permultum intersit; in triangulo. n. rectangulo latus subtendens angulum rectum, per se, ac secundum actum, minus est reliquis duobus lateribus simul sumptis, vt patet ex 20. propositione primi Elementorum Euclidis. at secundum potentiam est par ac æquale illis, quia quadratum quod fit ex tali latere, æquale est duobus quadratis, quæ ex duobus reliquis laterib. existunt, vt docet Euclides eodē lib. propositione 47. & in ambligoniis triāgulis latus subtendens angulū obtusum minus est reliquis duobus, facit tamen quadratum maius duobus quadratis aliorum laterum vt est in 2. Elem. propos. 12. Theon item Mathematicus in primis nobilis, scribens in primum librum Almagesti, vbi sermo est

mo est de capacitate figurę circularis, pulchrè demonstrat positis duabus lineis æqualibus, vna recta, altera curuari, ampliorem aream effici à circulari, quàm à recta, sed commorari in his, super uacaneum ducent, qui rationibus Mathematicis, vel mediocriter fuerint eruditi. Illud quoq; non vacat errore, quod inquit Zimaro, quadraturam circuli Physicè impossibilem esse, nequaquam verò Mathematicè; cum tamen contrà plane res se habeat, nam & verisimile est in corporibus naturalibus, vel artificiosis, esse aliquod quadratum peræque capax, atque aliud corpus amplitudine rotunda; & quadratura Archimedis (vt supra exposui) in materia sensibili, & in corporibus mechanicis habetur, atq; vsurpatur pro perfecta, & absoluta, quæ tamen ad regulam Mathemati corum non est exacta. Adde, quòd illa definitio æqualitatis, propter quam Zimara negat quadraturam circuli Physicè possibilem esse, non est Physica, sed Mathematica; quippe quæ in communibus animi conceptionibus numeratur ab Euclide. verum germanam illius definitionis intelligentiam, nec Zimara, nec quidam alij aduersarij quadraturæ (vt ostendemus infra) videntur assecuti. Hæc contra Zimaram.

Sed nos possibilem esse quadraturam circuli, aggredimur demonstrare. Primò, ea ex quibus Archimedes concludit quadraturam circuli, in lib. de Dimensione, propositione 1. non sunt impossibilia; nam quamuis ibi ponit trigonum orthogonium, cuius vnum latus sit æquale peripheriæ circuli, & neq; ab ipso neq; à quoquam alio demonstratum fuerit, dari lineam rectam æqualem peripheriæ circuli, tamen Eudocius Ascolonita illam propositionem Archimedis exponens, ait eiusmodi rectam possibilem esse, quin etiam talem aliquā reperiri in natura, à nullo planè dubitari. Lineas item Helicas, per quas Archimedes pulchrè quadrat circulū, quis sanę mētis neget, aut posse reperiri, aut certè effici posse à Deo? nam cum huiusmodi lineas cogitatione depingimus, nihil meus reperit in his, aut rationi repugnans, aut quod obstet aliquo modo, vt esse nequeant. Deinde, si Archimedes quadrauit Parabolā, quæ est area quam linea recta & curua circunscribunt, cur non circulus etiā quadrari possit? Præterea, si angulo curuilineo (vt est apud Proclū 2. lib. super Euclidem) inuenitur rectilineus maior, & minor, atq; etiam par, cur nō idem contingere in ipsis figuris rectilineis, & curuilineis? Adhæc si Hypocrates quadrasset omnes lunulas, quas adhibet in sua demonstratione, proculdubio (vt etiam confitentur Mathematici, qui eiusmodi demonstrationem redarguunt) quadrauisset circulum. Atqui si is vnam aliquam lunulam quadrauit (vt verè quadrauit

(vt verè quadrauit hoc est certissimo argumento, omnes quoq; posse quadrari, quippe cum omnium lunularum par ratio, par item facilitas & difficultas ad quadrandum, esse videatur. His accedit, quod non minus difficile videtur quadrare lunulam, quàm semicirculum, aut aliam quampiam sectionem circuli; propterea quod lunula habens vtramque lineam curuam, magis est dissimilis figuræ rectilineæ, quàm semicirculus, vtpotè qui saltem alteram lineam rectam habeat. Cum igitur lunula quadrata fuerit ab Hippocrate, quid prohibet etiam semicirculum quadrari posse? eo autē quadrato, totius quoq; circuli quadratura in promptu est. Postremò (vt quo argumento oppugnant aduersarij Tetragonismum, eodem non ipsum tueamur) si esset impossibilis quadratura circuli, id sanè vidissent clarissimi quique Mathematici, qui ea in re multùm elaborarunt & non solùm à quærendo destitissent, sed etiā docuissent huiusmodi problema esse impossibile, ceu est ab ipsis de diametro, quod sit incōmensurabilis costæ, luculenter explicatum atq; demonstratum. Sed ad dissoluendas rationes quibus oppugnatur Tetragonismus, veniamus.

Soluuntur rationes contrariæ.

CAP. XXI.

RAtiones autem, quibus Tetragonismus labefactari existimatur, parui negotij est dissoluere; nam sicubi Aristot. & Auer. aut etiam alij, docēt rectum, & curuum inter se comparari, & æquari non posse, loquuntur sane de perfecta comparatione, quę secundum Arist. 7. Phy. tantùm versatur in iis, quæ specie atoma cōtinentur. Quocirca eā remouet etiam à genere, vt potè in quo propter magnā differentiarū atq; specierum varietatem, asserat cōplures æquiuocationes delitescere. Vel alio etiam modo hæc possunt expediri: posito nimirum duplici genere cōparationis, vno secundum similitudinem, quod fit in iis tantùm, quæ sunt eiusdem speciei: altero autem secundum proportionē, quod latissimè patet, pertinēs etiam ad ea, quę sunt diuersorū generum; hanc duplicē rationem cōparationis, colligere licet ex iis, quæ scribit Arist. 2. de Generat. text. 37. Perfecta igitur æqualitas in iis tantum est, quę sunt eiusdem speciei; quæ. n. ita sunt æqualia, sibi inuicem opposita, perbellè congruunt inter se; id quòd minimè conuenit in quantitates rectas curuas, quinimò nec in vllas quantitates differētium specierum, quales quales fuerint conuenire potest; nunquam. n. trigonum cum tetragono, aut pentagono hac ratione congruet, aut plane conformabitur; ergo vt perfectam æqualitatē in recto, & curuo non

non ponimus, ita aliquam vim, & rationem æqualitatis, in ipsis reperiri posse affirmamus: vt spatio quod circulus cōtinet par & æquè capax spatium à quadrato effici valeat. Non enim hoc loco verba facimus de parilitate lineæ rectæ & curuæ perfecta secundum actum, sed secundum potentias huiusmodi linearum. Potētia verò lineæ quænam sit, nouimus ex 2. lib. Elē. Euclidis. Porrò, illa definitio æqualitatis, *Æqualia esse quæ sibi mutuo cōgruūt.* Nō sic traditur ab Euclide, sed potius è cōuerso. *Quæ sibi mutuo cōgruūt, ea sunt inter se æqualia.* Quo modo sumpta hæc seu definitio, seu potius communis animi conceptio vniuersè, & absolutè vera est, neque aduersatur quicquam nostræ sententiæ sin autem enūtietur, quemadmodum aduersarij volūt, accipi debet de perfecta æqualitate, quę est in his tantum, quæ subiecta sunt eidem speciei. Quod si contendant in hac definitione æqualitatis, magnam vim esse ad tollendum tetragonismū: profectò ex ipsa pari ratione ego concludam, neque trigonum neque pentagonum, neque vllā aliam figurā rectilineam, quę specie modò differat à tetragono, quadrari posse: neque enim huiusmodi figuris accommodari potest illa definitio æqualitatis, quod qui non videt quam sit absurdum, is plane rudis, & ignarus est disciplinæ Mathematicę. Argumentum petitum ex auctoritate eorum qui cum diu multúmq; laborauerint in demōstrando hoc problematate, tamē adhuc perfectam demonstrationem nō compererint, non modo nobis nō aduersari, sed retorqueri posse in aduersarios paulo supra explicauimus. Verum hæc sit satis de Tetragonismo: in quo declarando aliquanto lōgiùs prouecti sumus, vt aperiremus iis qui dant operam Philosophiæ, quid ea de re sentiendū sit, ne fortè quisquam à vero abducatur, captiosis quorundam deceptus argumentis.

Illud autem nō est hoc loco prętereundum, recte Alexandrum dubitare (vt Simplicius refert) nū tetragonismus per sectiones, quem Arist. nominat 1. Phy. tex. 11. si Hippocratis; is enim nō per sectiones, sed per lunulas quadrabat circulū, vt ipsemet Arist. auctor est in 1. Elench. cap. 10. quantum vero inter lunulam, & sectionem intersit, notum est non modo imbutis, sed etiam tinctis modò Geometria; quare vel ad alium referendus est hic Tetragonismus, cuius demonstratio non peruenit ad nos, vel nomen sectionis κατα χρησιν posītum fuit ab Arist. pro vocabulo lunulæ fortasse, quod Hippocrates non solūm lunulis, sed multis quoque circuli sectionibus vtatur in sua demonstratione. Verum illius demonstrationis vis, atque robur, non in sectionibus circuli, sed in lunulis collocatum est. Circunfertur etiam quidam libellus nomine Campani, in quo auctor illius per sectiones

circuli conatur ostendere quadraturam eius. Primùm, diuidit peripheriam circuli in quatuor partes æquales, tum assumens proportionem circumferentiæ ad diametrũ traditam ab Archimede, perinde ac fuisset certa & comperta, ponit quatuor lineas rectas pares illis quatuor peripheriæ partibus, ex quibus cõflatum quadratum putat fore par illi circulo, cuius peripheria quadripartito diuisa fuerat. Quę demonstratio tot erroribus scatet, vt rectè opinetur Buteon eam nõ esse Campani, qui fuit clarissimus Mathematicus, sed ab aliquo Geometriç indocto, quò sibi maiorem legetium gratiam promereretur emissam, atque euulgatã fuisse nomine Campani. Alexander autem scribit, existimasse quosdã, propterea quod comperissent eundem numerũ esse circularem, & quadratum, vt vigintiquinque est numerus circularis, quia ab eodem in idem procedẽs terminatur: est item quadratus, quoniã fit ex ductu quinarij in se, in circuli quoq; magnitudinibus se inuenisse quadratum. Sed demonstratio (inquit Alexander) non ducitur ex principiis Geometricis sed Arithmeticis, neque necessarium est quidquid reperitur in numeris etiam reperiri in magnitudinibus: Ktenim inter quoscunq; numeros reperitur rationalis proportio, quæ tamen inter quascunque magnitudines, vt verbi gratia inter diametrum, & costam, non inuenitur. Verùm Simplicio incredibile videtur fuisse aliquos, qui tã pingui, & rudi demonstratione vterentur ad quadrandum circulum: sed fortè verisimilius esse nonnullis, cum vidissent in numeris eundem simul esse quadratũ, atque circularem, venisse in mentem vt quærerent etiam in magnitudinibus, quadraturam circuli. Atque hęc dicta sint de quantitate secundum Mathematicam eius considerationem. Restat vltima quantitatis consideratio, quæ est Physica, secundum quam explicanda est illa apud Philosophos percelebris quæstio de Maximo & Minimo.

De Maximo & Minimo.

CAP. XXII.

QVoniam suprà demonstratũ fuit quantitati ea ratione vt quantitas est, non repugnare eã vel augeri vel diuidi in infinitum: nũc videndum est an idem quoq; cõueniat in quantitatẽ naturalẽ: an potius quãtitas rerũ naturaliũ habeat certos præfinitósque magnitudinis & paruitatis fines, quos natura transire nequeat. Hanc quæstionẽ ferè in scholis nuncupant de Maximo & Minimo, & disputant an detur Maximum & Minimum in rebus naturalibus. Quo autẽ dilucidius explanentur & facilius percipiantur ea quæ sunt à nobis tractãda, diuidemus hãc quæstionem in duas partes, in priori, quædam prædocebimus ad intelligentiam quæstionis perutilia: in posteriori exponemus nonnullas propositiones, in quibus propositæ quæstionis explicatio continetur.

Quid sit Maximũ quod sic, Minimũ quod sic, Maximũ quod non, & Minimum quod non.

Primò sciendum est olim apud Philosophos Latinos in tractatione huius quæstionis, fuisse admodum vsitata hæc quatuor vocabula, Maximum quod sic, Minimũ quod sic. Maximum quod non, Minimum quod non. Appellabant Maximum quod sic, terminum quantitatis sub qua res naturalis esse potest, & non sub maiori, ita vt attingere quidem possit illum terminum, transire autem non possit. Minimum quod sic, dicebatur terminus quantitati sub qua res potest esse sed non sub alia vlla minori. Maximum quod non, vocabatur terminus quantitatis sub quo res nõ potest esse sed benè sub quacunque maiori, modo non transeat modum magnitudinis, quem supra diximus maximũ quod sic; & hoc modo dicebatur, quoniam versus paruitatem, erat maximum eius quantitatis sub qua non potest esse res. Minimũ quod non erat terminus quantitatis sub qua res nõ potest esse, sed bene sub minori, modo nõ excedat terminum paruitatis, quem supra vocauimus Minimũ quod sic: & dicitur hoc nomine, quia est Minimum eius quantitatis, sub qua nõ potest esse res versus magnitudinis excessũ. Hæc olim vt dixi à Philosophis Latinis, sicut alia multa, nimis horridè & obscurè dicebantur. Quocirca dicẽdi obscuritas rerum difficultati adiuncta, mirum in modum augebat discendi laborem. Verùm quia hæc iam exoleuerunt, negligi possunt sine vllo Philosophiæ detrimento.

Maximũ & Minimum in quibus rebus spectẽtur.

Deinde, Maximum & Minimum licet propriè sint in quantitate, hoc est in magnitudine & multitudine tamen etiam transferuntur ad alia multa, quę induunt rationem aliquam quantitatis, cuiusmodi sunt pondera, mensuræ, & in potentiis magna vel parua virtus, in motu velocitas & tarditas, in tempore longum & breue, in qualitate intensum & remissum, deinde in perfectione magnum & paruum Metaphoricè sumpta.

Maximũ & Minimũ dicuntur vel positiuè vel negatiuè.

Postea Maximum & Minimum dupliciter accipi possunt, vel positiuè vel negatiuè dicitur positiuè Maximum, quod est maius omnibus aliis, & Minimũ positiuè, quod est min⁹ omnibus aliis. Dicitur autem negatiuè Maximum, Id quò non est aliud maius, poterit tamen esse aliud ei æquale; Minimum etiam negatiuè dici id quo non est aliud minus potest tamen aliud esse, ei æquale secundum paruitatem. Itaq; Maximum positiuè excludit maius & æquale, Maximum autem negatiuè, excludit quidem ma-

lus,sed non æquale,Idemque contingit in minimo.

Præterea,Maximum & Minimum possunt considerari dupliciter,vel absolutè,vt quæratur an in mundo sit aliquid Maximum omnium aut Minimum, vel definitè secundum vnamquamque speciem rerũ,vt an in specie humana sit maximus homo & minimus homo:atq; hoc modo potest quæstio tractari tripliciter,primum in viuentibus,tũ in elemẽtis, deinde in mixtis inanimatis.

Adhæc,dupliciter aliquid potest terminari secundum magnitudinem: vno modo,intrinsecè, quia secundum naturam suam poscit talem terminum magnitudinis,quem naturaliter non potest excedere:Altero modo extrinsecè: quia non ex se sed extrinsecus terminatur,& prohibetur maius effici: velut si doliũ sit plenum vino,illud vinum quatenus existit in dolio, non potest ampliùs augeri,prohibente ipso dolio,à quo determinatur & continetur,quamuis per se possit esse maius.

Dupliciter etiã considerari potest Maximum & Minimum,vel in re quæ per se existit,vel in re quæ inexistit in alia; quæri.n.potest an possit dari minima qua per se existẽs,& an possit dari minima aqua inexistẽs alij,hoc est an possit dari minima pars aquę.

Postremò,duplex est accretio,vna viuentium propria,quæ efficitur ab anima,ex alimento,vi caloris naturalis: Altera,quę reperitur etiã in non viuentibus,quæ fit tripliciter:Vno modo intrinsecè per rarefactionem,quo modo aqua &aer & alia corpora calefacta atque rarefacta euadũt ampliora:Altero modo extrinsecè per solã appositionẽ,vt si terræ adiungas terram & aquæ aquam: Tertio modo per generationẽ,vt ignis augetur suppositis ei lignis:ex ipsis.n.gignitur nouus ignis qui priori cõiũctus videtur eũ amplificasse. Atquæ hæc quidem nunc prędocere voluimus,quibus expositis,ad explanandam quæstionem propositam commodiùs ingredimur.Cuius quæstionis explanatio,in decem propositionum proximè sequentium explicatione,tota continetur.

Quot modis fiat accretio.

Ponuntur nonnullæ Propositiones, quibus explicatur quæstio de Maximo & Minimo.

CAP XXIII.

PRima propositio,est actu in mundo aliquid maximũ secundũ magnitudinem, vt primũ cęlum omnia alia continens, & nullum aliud corpus extra se habẽs.Est etiã actu aliquid minimũ secundũ paruitatem,vel positiuè vel negatiuè: nã si nõ esset aliquid minimũ saltẽ negatiuè, sed quocunque paruo dato semper aliud minus existeret, oporteret infinitam esse actu multitudinem rerum, quam non posse actu reperiri,suprà fuit demonstratum.

Secunda propositio,in qualibet specie rerum naturaliũ datur Maximum & Minimũ.Hæc probatur tripliciter.Primò,quia natura & forma cuiuslibet rei naturalis,virtus item & potentia,deniq; actiones & motus,omnia inquam hæc, sunt naturaliter definita & determinata,quamobrem necesse est etiam quantitatem quæ propter illa tria datur rebus naturalibus, definitam & determinatam esse;quod declarans B.Thom.in 1.Part.q.7.art.3.ita scribit.*Omne corpus naturale aliquam formam habet determinatam: cũ igitur ad formam substantialẽ consequantur accidẽtia, necesse est vt ad determinatã formã consequatur etiam determinata quantitas:vnde omne corpus naturale habet determinatã quantitatẽ in maius & minus.* Deinde, videmus esse rei naturalis admodũ variari secundũ variationem quãtitatis in maius & in minus,cũ igitur esse cuiuslibet rei sit determinatũ,non poterit quantitas rei naturalis indeterminatè variari,sed erũt certi termini magnitudinis & paruitatis, intra quos tantùm potest conseruari esse rei naturalis. Postea,idẽ perspicuũ fit si cõsideremus omnes species rerũ naturaliũ,in qualibet enim specie reperiemus prędinitam magnitudinem & paruitatẽ,quam nunquam excellunt indiuidua illius speciei (verbi gratia) homo nũquam attingit magnitudinem cypressi,nec diminuitur ad paruitatem formicæ ; & mus nunquàm peruenit ad magnitudinem elephanti, nec ad paruitatem pulicis. Postremò,*Natura*(vt inquit Arist.1. de Genar.animal.c.1.) *vitare solet infinitũ,infinitum autẽ fine caret,natura autem in omnibus finem quærit.* & in 8. Phys. text. 15.ait, nihil eorũ quæ natura fiunt esse indeterminatum & inordinatũ; Et vulgata est Philosophorum sententia,naturã esse determinatã ad vnũ Vide quæ in hanc sententiã scribit Commentator 6. Phy. comm. 91.& in 8.Phys.com. 62. cuius verba hic non ascribimus, ne vbi non maximè opus est, longiores simus. Quis autem sit præcisè terminus magnitudinis & paruitatis in qualibet specie rerum naturalium,propriè cognoscere, difficillimum est,ne dicam impossibile:nam quemadmodum facilè est assignare magnitudinem vel paruitatem ad quam non potest peruenire homo, ita difficilè est assignare certam aliquam magnitudinem & paruitatem,ad quam præcisè peruenire potest,& non vltra progredi.

In qualibet specie rerum naturalium, esse Maximum & Minimũ.

Clarissima testimonia Aristotelis de Maximo & Minimo quod est in viuentibus.

Tertia propositio.In viuentibus est certa & definita magnitudinis ratio versus vtrũque extremũ,vt neque ad quantãcunque molem crescere,neque sub quantauis paruitate cõstare queant. Hoc probari potest tũ multis & illustribus testimoniis Aristotelis,tum etiam rationibus.Aristoteles 1. Physic.tex.36. sic ait *impossibile est*

animal, vel plantam, quantumcunque esse secundũ magnitudinem & paruitatem, neque eorum partes In libro 2 de Anima, textu 41. ita scribit *Omnium natura constantium, terminus est, & ratio magnitudinis & augmenti.* In 4. libro de Generatione animalium cap. 4. hæc habet. *Perficiendi cuiusque animalis, certa est magnitudo, tum ad maius, tum ad minus, quem terminum non supergrediuntur vt vel maiora vel minora euadant, sed in medio magnitudinis spatio excessum defectúmve inter se capiunt.* Denique apud eundem Aristotelem in 7. libro Politicorum cap. 4. sic est scriptum. *Sed vt cæterarum rerum, animalium, stirpium & instrumentorum, sic ciuitatis mensura quædam est & modus: horum vnumquodque nec si valde exiguum sit, nec si excedat magnitudine, vim suam retinebit. sed modo prorsus naturam amittet, modo in statum incommodum delabitur Etenim nauigium prorsus non erit, nec si vnius palmi sit, nec si pateat stadiũ duobus, sed ad quandam magnitudinem progressum, modò propter exiguitatem, modò propter exuperantiam, incommodam nauigationem efficiet.* Hæc Aristoteles. Potest etiam idem probari his argumentis. Primò quia ipsa augmentatio per quã acquiritur quãtitas viuentium, est determinata: tum quia est motus naturalis hãbes in rebus corruptibilibus determinatum terminum ad quem, tum etiam quia est operatio proficiscens à virtute augmẽtatiua, quam sicut aliam quamlibet virtutem naturalem, necesse est determinatam esse. Deinde, omnium instrumentorum est definita magnitudo & paruitas, vt ait Arist. in 1. & 7. lib. Politicorum, Idq; demonstrat experientia, non enim quantalibet secundum magnitudinem & paruitatem, aut terra, aut naui, vti possumus ad secandum vel nauigandum: idémque euenit in aliis instrumentis; sed corpora animata sunt instrumenta ipsius animæ sicut ait Arist. in 2. de Anima, text. 37. & id sanè declarat definitio animæ, est enim Anima actus corporis organici: oportet igitur determinatã esse omnium corporum animatorum magnitudinem atque paruitatem.

Omniũ viuentium certa & definita est magnitudo.

Accretio Elementorum quæ fit per additionem, vel per generationẽ potest fieri in infinitũ

Quarta Propositio. In elemẽtis est determinata magnitudo extrinsecus; namque magnitudo eorum circunscribitur ac determinatur & à cælo, à quo continentur omnia, & à mixtis, quorũ sunt partes, & ratione materiæ primæ; cum enim materia totius vniuersi finita sit & habeat determinatam molem, nequaquam permittit magnitudinem elementorum indefinitam esse.

Quinta Propositio. Elementa possent ex se nisi aliud obstaret, indehnitè augeri, vel per additionem, vel per generationem: hoc per se clarum est, & docetur ab Arist. in 2. de Anima, text. 41. etenim si aquæ apponeretur aqua in infinitum, quis non videt fore, vt moles aquæ creseeret in infinitum? aqua enim quę adiungitur, quãtauis fuerit nihil planè officit præexistenti aquæ, quinetiam quò maior est aquæ moles, eò fortior & potentior existit ad agẽdum, & ad seipsam conseruandã; similiter tandiu ignis augeri potest dũ ei opponuntur ligna, nec ignis augeri desinet nisi defuerit combustibile. Nam quod quidam dicunt, dari posse maximum aliquem ignem, cui si stupa subiiceretur, aut eam non combureret, ne videlicet euaderet ignis maior maximo, aut si combustum iri, necessarium fore vt quantus est ille ignis nouus qui è stupa gignitur, tanta pars præexistentis ignis alibi corrumpatur: hoc inquam adeo non dico falsum, sed etiam ridiculũ & fatuum est, vt planè indignum sit refutatione.

Perrarefactionem & condensationem nõ possunt elementa in infinitũ augeri.

Sexta propositio. Variatio quantitatis secundum magnum & paruum, quę fit per condensationem & rarefactionem in elemẽtis, est intrinsecè determinata. Hoc manifestum est, primò, ex eo, quia rarefactio & condensatio elementi non fit sine alteratione eius corruptiua: sicut igitur alteratio & corruptio elementi determinata est, ita rarefactionem & densationem oportet esse determinatam, Tum, experientia clarè demonstrat aerem seu vaporem cùm nimium dilatur, verti in aquam, si autem nimium rarescat mutari in ignem, similiter aquam densatione terrescere ac lapidescere, rarefactione autem verti in vaporem & aerem. Postea, si talis variatio quantitatis esset indeterminata, nihil prohiberet ignem effici tam dẽsum quàm est terra, & hanc tam raram, quàm est ignis, quod sanè remotum est à vera ratione, tum ob alia, tum ob id quod raritatis comes est leuitas & calor, densitatis autem, grauitas & frigus; non potest autem in terra tanta esse leuitas & caliditas quanta est igne, nisi terram appellemus ignem.

An elementa ex se & intrinsecè exigant certam & definitam paruitatẽ.

Septima propositio. Elementa intrinsecè determinant sibi certam paruitatem. Hoc fere omnes communiter sentiunt, & dicũt & probari ac persuaderi potest iisdem planè rationibus, quib. supra fuit confirmata secunda propositio. Verùm ego non video, cur probari non possit opinio Scotistarum affirmantium, elemẽtum, licèt extrinsecè, hoc est propter ambientis, & aliorum corporum repugnantiam, subsistere nequeat sub quacunque paruitate, tamen intrinsecè, & ex natura sua, non exigere determinatam paruitatem, sed posse sub quantumuis parua quantitate existere: Cur enim determinata paruitas requiritur in elemento? an propter materiã? sed quantitatis determinatio est à forma? & cum materia sit incorruptibilis, non est timendum, ne ob quantãlibet paruitatẽ aliquid mali ei accidat. An ob ipsam quantitatẽ? at quantitas cum sit infinitè diuisibilis, ex se non habet minimũ. An propter formam substantialem elementi? Sed hęc cum immediatè sit

in materia prima comes quantitatis, & primarum qualitatum, induit in hoc conditionem materiæ ac quantitatis. Et si calor ex se non habet minimum ratione intensionis, vel remissionis, cum enim generetur per motum, non potest assignari in eo prima vel minima pars, sicut nec in motu, cur intrinsecè & ex se habere debet minimum ratione extensionis? quod si hoc verè concluditur de calore & qualibet prima qualitate, verè itidem concluditur (nisi fallor ego) de forma substantiali eleméti, præsertim si ea sit intensibilis & remissibilis (vt quidam putant secundum intensionem, & remissionem primarum qualitatum. Deinde, cogitetur portio aliqua materiæ minor ea paruitate, quam elementum dicitur intrinsecè sibi determinare, & applicetur ei ignis, aut producet in eo calorem & formam ignis, aut non; si producet, ergo ignis non determinat sibi certam paruitatem, ostensum enim est infrà paruitatem quæ ponebatur minimũ ignis, reperiri posse formam ignis: si non producet, cur? namq; cum tota materia prima sit vnius rationis, quælibet pars eius sicut per se est materia prima, ita per se est in potentia proxima ad qualitates & formas elemétares: ex qualibet igitur particula materiæ primę quãtumuis paruą, si applicetur ei agens, potest produci qualitas & natura eleméti, non aliter quam ex quauis alia parte materiæ. Adhæc, non datur (de quo sanè cõuenit inter omnes) minimum aquæ inexistẽs. Homogenea enim (vt Arist. innuit in lib. de Sensu & sensibili, ca. 5.) non diuiduntur ad minimum. Etenim cum forma aquæ vnius rationis sit in omnibus suis partibus, & ipsa sit extensa secundum extensionem quantitatis, sicut non potest assignari minimum quantitatis inexistens, quia illud erit continuum diuisibile in partes, quarum quælibet erit minor illo minimo, ita non potest assignari minimum aquæ, quia quodcunque ponetur, erit continuũ habens partes, quarum quælibet est aqua; natura igitur aquæ non requirit certã paruitatẽ, sed in qualibet potest esse, siue per se existẽdo siue inexistendo alij; nã quod in qualibet paruitate nõ possit per se existere, hoc nõ accidit propter ipsius aquę naturã, alioquin semper accideret, siue aqua per se, siue in alio existat; sed accidit ob repugnantiam ambientis, & aliorum quæ non permittũt aquã sub qualibet paruitate posse conseruari. Potest igitur satis probabiliter dici ac defendi, elementa intrinsecè non habere vel exigere determinatam paruitatem, sed tantùm extrinsecè, quia minimum nisi sub certa quadam quantitate nõ possunt conseruari, corrumpentibus ipsa ex terminis contrariis. Et quoniam hæc sententia placet Scoto. perpendi etiam possunt rationes quas ad eam probandam ponit in 2. Sent. dist. 2. q. 9.

Octaua

Octaua propositio, de mixtis inanimatis idem dicẽdum quod de elementis & viuentibus dictum est. Si enim mixtum inanimatum fuerit penitus Homogeneum, vt aurum, eadẽm planè ratio erit eius quæ elementi. Sin autem fuerit eterogeneũ, vt magnes vel aliud quidpiam, non erit in hoc absimile rerum viuentium.

Noua propositio, de partibus quę inexistunt suis totis, ita dicẽdum est: si sunt dissimilares vt manus & pes, habent determinatum maximum & minimum; alioquin nec ipsa animalia haberent, quippe quæ ex illis proximè constent; & cum eiusmodi partes sint instrumenta operationum animalis oportet eas habere determinatam magnitudinem: sin autem fuerint partes similares vt caro, non potest in eis dari minimum inexistens, nec sic habẽt determinatam paruitatem, velut paulò ante ostensum est sub finem septimæ propositionis.

Quibus viis Philosophi cognouerint esse Maximum & Minimũ in cunctis rebus naturalibus.

Decima propositio. Tribus viis cognouerũt Philosophi maximum & minimum in qualibet specie rerum naturaliũ. Primùm experientia, nam in qualibet specie cernebant statui posse certam paruitatem & magnitudinem, ad quam nunquàm pertingũt indiuidua illius speciei. Deinde, ex operatione, namque videbant operationem & esse cuiuslibet rei, insigniter admodum variari, variata eius quãtitate. Postremò, exemplo & similitudine rerum artificialium. Etenim ars vtitur instrumentis determinatę quantitatis, nec quantumuis aut magnum aut paruum instrumẽtum, potest opus suum perficere. Porrò, aut nunquàm aut perquam rarò contingit, vt res naturales attingant suum maximum & minimum. Sic enim, facta minima mutatione, ad interitũ laberentur. Hoc igitur periculum deuitans natura, non permittit res naturales peruenire ad maximum & minimum, ne in incertum discrimen adducãtur. Verùm huius, & quæstionis, & libri, hic finis esto.

FINIS DECIMI LIBRI.

DE LOCO

LIBER VNDECIMVS.

RATIO & ordo doctrinæ poscit, vt post quantitatẽ, agamus de loco. Etenim res naturales, præsertim caducæ ac mortales, statim atque habent quantitatem, necessariò locũ aliquem occupãt. Sicut enim esse diuisibile, est passio quantitatis ei conueniens absolutè; sic etiam occupare locum & habere situ est passio quãtitatis cõueniens ei in ordine ad aliud. Licèt autem corpus naturale propter quantitatem sit in loco, in hoc autem vel illo loco, est propter qualitates motiuas. Terra enim & ignis sunt in loco, quoniã habent quantitatem: est autem ignis in loco sursum, propter leuitatem, terra autem in loco deorsum, propter grauitatem. Verùm, de loco hæc tractanda sunt hoc libro: Primùm enim explicabimus proprietates loci, nõ quidem omnes quas tradit Ari. 4. li. Phy. tex. 30. sed præcipuas tãtum quæ sunt quinque, Cõtinere locatum: Trahere ipsum ad se: Conseruare ipsum: Dare motui locali vnitatẽ, distinctionem & specificationem: Deniq; esse immobilem. Deinde, inuestigabimus quo modo locus sit immobilis; Postea, refellemus sententiam Galeni & Philoponi, qui sequuti veteres Philosophos, existimarunt locũ esse inter vllum quoddam longum, latum, & crassum: Ad hæc, agemus de loco cæli: Ad extremum disputabimus, an si esset vacuum, posset per ipsum fieri motus localis in tempore; nã si posset fieri, vel locus nõ esset superficies corporis cõtinentis, vel certè motus localis posset fieri sine loco. Illud autem lectorem præmonere volumus, quotiescunq; viderit in hoc libro citari textus Aristotelis non citando librum vnde illi deprompti sint, intelligendum esse, eiusmodi textus omnes esse ex quarto libro Physicorum, in quo Arist. à principio libri vsque ad textum quinquagesimum agit de loco. Sed iam ad exponendas loci proprietates, aggrediamur.

Expli

Explicantur quinque proprietates loci, quæ sunt continere locatũ, trahere ad se, conseruare, dare vnitatem & distinctionem motui locali, esse & immobilem.

CAP. I.

PRima proprietas loci est continere locatum. Quatuor autem ob causas potest vnum corpus indigere alio à quo cõtineatur. Primò, vt ab eo figuretur, & formetur, sicut aqua figuratur à vase. Tum, vt cõseruetur, ab eo; sunt enim quędã loca salubria, alia verò insalubria. Deinde, ob dispositionem & ordinẽ secundũ quẽ corpora minora & ignobiliora debent contineri à corporibus maioribus, superioribus, & perfectioribus. Postremò, ob dependentiam quæ est inter patiẽs & agens, motũ & mouens; nã patiens & mobile continentur ab agente & mouente. Ob has omnes causas elementa continẽtur à cælo. Nam cum per se nullam habeant certam & definitam figuram, vt dicitur 3. de Cælo 67. extrinsecus accipiunt figuram rotundam, nempe à cælo; similiter cum sint caduca & mortalia, regũntur & conseruantur à cælo: præterea quoniam sunt minora & dignitate inferiora, merito subiiciuntur illi: postremò, quoniam cælum habet se vt mouens & agens, elementa verò tanquam materia quæ mouetur & patitur, rectè se habet, vt cælum contineat, & elementa contineantur. Quanquam autem in cælis, alij continentur ab aliis, tamen id non accidit propter duas priores causas. Vnusquisque enim orbis per se habet propriam figuram, & cum sit incorruptibilis, non indiget alterius conseruatione; sed id contingit ob duas posteriores causas. Quoniam enim orbes alij sunt maiores, alij minores, & alij mouent, alij verò mouentur, hinc fit vt alij contineantur ab aliis. Primum autem cælum à nullo continetur, quia nulla subest causa earũ quas commemorauimus, cur debeat contineri ab alio. Dicitur autem impropriè locus vt locus est, continere nam cum superficies locati, & superficies quæ est locus, simul (vt dicitur tex. 35.) & omnino pares inter se sint, non potest vna continere aliam; vnde Aristoteles quamuis recensens proprietates loci, dixit locum continere, tamen id postea quasi corrigens, definiens locum, non dixit eum continere, sed esse terminum corporis continentis. Superficies enim potest cõsiderari tripliciter; vel per se seorsim à corpore, quomodo plerumque consideratur à Mathematico & definitur magnitudo habẽs longitudinẽ & latitudinẽ sine profunditate; vel vt est extremitas corporis, & terminus ipsius: nam sicut linea punctis & superficies lineis, ita corpus terminatur superficie; vel vt est terminus corporis non cuiuslibet, neque absolutè,

Quatuor ob causas vnum corpus continetur ab alio velut elemẽta à cælo

Cur cæli alij continẽantur ab alijs.

An locus contineat.

Triplex consideratio superficiei.

sed prout est terminus eius corporis, quod cõtinet aliud corpus, ita vt per ipsam corpus cuius est, tangat & contineat aliud, & sic dicitur superficies esse locus. Non ergo locus per se continet, sed prout est terminus corporis continentis, dicitur etiam ipse aliquo modo continere. Atque hinc soluitur dubitatio quædam. Videntur enim prima & secunda proprietas loci traditæ ab Aristotele pugnare inter se: si enim locus continet locatũ, quomodo est æqualis illi? nam omne continens maius est contento. Cui facile occurritur. Nam locus per se non continet, sed ratione eius corporis cuius est superficies, quod proculdubio maius est quam corpus locatum. Nam licet concaua superficies orbis lunæ, & cõnexa superficies ignis, sint æquales inter se, nec vna possit dici cõtinere aliã tamẽ cælum lunæ, & continet ignẽ, & maius est igne.

Secunda proprietas loci, est trahere locatum ad se. Hanc proprietatẽ nusquam expresse ponit Aristoteles, sed videtur innuere eam text. 4. scribens quia corpora naturalia sua sponte feruntur ad locum. Hinc ostendit non modo locum esse aliquid, sed etiam habere quandam potentiam, supple trahendi ad se corpora. Nam sicut quia videmus ferrum cum appropinquat magneti, ei adiũgi & adhærescere, dicimus magnetem habere vim attrahendi ferrũ: similiter hoc potest dici de loco, ad quem corpus naturale sua sponte tendit, ei adhæresc it, in eóque conquiescit. Præterea, omnes ferè Philosophi hanc proprietatem assignant loco, & Auerr. tangit eam 7. Phy. com. 10, vbi pulchrè facit triplicẽ attractionẽ. Vna quã attrahẽs trahendo, etiã ipsum mouetur; vt si vnus homo trahit alium hominem: & talis attractio est motus violentus. Alterã, qua attrahens non mouetur, verũ transmittit vim & qualitatem quandam qua facit aliam rem ferri & moueri ad se: & sic vnumquodque membrum corporis trahit ad se alimentum; sic magnes trahit ferrum, & ambra paleas. Communicari autem aliquam virtutem ab his quæ sic trahunt cũ iis rebus quæ trahũtur, iudicio est, quod si Magnes illinatur allio non trahet ferrũ, quasi virtutem amiserit; & ambra vt trahat paleas debet antea calefieri; neque potest trahere nisi certo quodam interuallo per quod possit virtus quæ emittitur, peruenire vsque ad id quod attrahitur. Tertiam vero attractionis speciem, ponit Auerroes eam, qua dicitur vna res trahere aliam ad se, non quia cõpellat ad se, neque quòd ei qualitatem aliquam largiatur, qua faciat eam moueri ad se, sed quia est finis & perfectio illius rei, & ideo ea res naturali appetitu tendit ad ipsam, vnde Metaphoricè dicitur trahi ad illã; sic finis dicitur trahere agens, & bonum trahit ad se appetitum & (vt est in prouerbio) trahit sua quemque voluptas. Atq; hoc postremo

Triplex species attractionis secundum Auerroe

stremo modo locus dicitur trahere locatum. Non enim trahit primo modo, quia tunc locus deberet moueri; ponitur autem immobilis: deinde quia cum talis tractio sit violenta, sequeretur motus corporum naturalium ad sua loca, esse violentos: neque secundo modo, quia non est verisimile locum diffundere virtutẽ vsque ad corpus quod mouetur ad ipsum: si enim sic fieret motus corporum naturalium, oportet, vt si (verbi gratia) Lapis ex orbe lunæ moueretur ad centrum, vt centrum virtutem attrahẽdi illucúsque transmitteret, & longiùs etiam, si à longiori loco posset moueri, quod est penitus incredibile. Restat ergo, vt locus dicatur trahere locatum tanquam finis, & perfectio eius. Notat autem Auerroës nomen attractationis æquiuoce dici de his tribus modis, nam primo modo conuenit propriè, secundo minus propriè, tertio autem Metaphoricé.

Tertia proprietas loci, est habere vim generandi, conseruandi, & perficiendi id cuius est locus. Primò, hoc docet experiẽtia: Videmus enim non omnia omnibus locis generari, conseruari & perfici; sed alia aliis. Tum, id testatũ reliquerunt Philosophi. Hæc est illa potentia, quam Arist. ait inesse loco text. 4. & in tex. 48. & 49. ait enim locum esse similem locato, illum esse tanquã actum, & formã; hoc verò tanquã potentiam, & materiã; clarum autem est, & simile à simili, & partem à toto, & materiã à forma conseruari, atque perfici, & 4. de Cælo, tex. 23. & 24. inquit non esse quærendũ, cur leue moueatur sursum, aut graue deorsum, sicut non est quærendũ cur sanabile, prout sanabile est, cum mouetur; moueatur ad sanitatem; quia sanitas est actus & perfectio sanabilis, quatenus sanabile; sic leue mouetur sursu, quia ille locus est perfectio leuis in quantũ leue. Sed nihil illustrius ad huius rei probationẽ adduci potest, quàm quod ait Arist. 8. li. de Historia animalium. cap. 28. & 29. scribẽs pro varietate locorũ, variari animantiũ generationes, operationes, magnitudinẽ, figurã & mores; quod ipse multis exẽplis illustrat. Porphyrius etiã in capite de Genere scribit patrẽ, & patriã, seu locũ, esse principia generationis. Auerroes 4. Phy. com. 36. & 4. de Cælo, com. 34. ait locũ esse formã; & perfectionẽ locati, & alibi dicit ignem esse imperfectũ, & quasi æquiuocè ignem extra suum locũ. Hoc etiam demonstrat naturalis inclinatio, & propensio corporum; cur enim graue magis appeteret ferri deorsum, quã sursu, nisi in loco inferiori esset aliqua vis conseruans & perficiẽs ipsum? è cõtrario autẽ, quia locus superior est alienus, & contrarius naturæ lapidis, ideo non fertur illuc, nisi violenter. Postremò, ratio ostendit ita esse, sicut enim in paruo mundo, hoc est in humano corpore, membra non conser-

Quomodò locus conseruet & perficiat locatum.

uantur & perficiuntur, nisi vnumquodque suũ locum obtineat, si enim mẽbrum aliquod ex suo loco transmoueatur alio, continuo peribit; sic in magno mundo cuius partes sunt omnia corpora, præsertim sublunaria, nisi quodlibet corpus suũ locum possideat, nunquam bene habebit, quia conseruatio, & perfectio partis est vt cohærens toti locũ suũ sibi conueniẽtem obtineat. Deinde, si oportet hunc mundum inferiorem connexum esse diuinis corporibus, vt ab illis regatur & conseruetur, sicut dicitur in 1. lib. Meteororum, talis autem connexio non fit nisi per loca, idcirco enim terra est coniuncta cælo, quia terra proximè est sub aqua, hæc sub aëre, hic sub igni, hic sub cælo: ergo generatio, & conseruatio corporũ, fit cum sunt in suis locis. Ad hæc, vnumquodque maximè conseruatur ibi, vbi longius abest à rebus sibi contrariis: sed cum corpus existit in suo loco, longius abest à rebus sibi contrariis, vbicunq; enim posueris aërẽ extra locũ suum pluribus contrariis infestabitur. Hinc autẽ intelligi potest quod Arist. tex. 11. vertit in dubiũ an locus sit caussa locati? potest enim appellari caussa dupliciter; quatenus enim trahit ad se locatum, vt supra diximus, & vt est terminus motus localis, in quo consistit perfectio corporũ naturaliũ, dicitur caussa, vt finis; quatenus verò habet vim generandi, perficiendi & cõseruandi locatũ, potest referri ad caussam efficientẽ. Conseruatur autem locatũ à loco, duplici nomine, tum quia locus est multis modis locato similis; vt declarat Arist. tex. 48. & 4. de Cælo, tex. 23. tum etiam, quia virtus cælestis, quæ transmittitur ad regenda, & conseruanda corpora sublunaria, per locum transfunditur ad locatũ. Hæc autem conseruatio non est intelligenda perpetuò, neq; citra vllã transmutationẽ, sed tantum aliquantulo tempore, nimirũ secundùm durationẽ eiusmodi corporũ, & cum aliqua contrarietate, minori tamen, quàm esset alibi. Quocirca licèt aër in suo loco maximè conseruetur, non ita tamẽ quinetiam alteretur, nam sicut est per calorẽ similis igni, qui est eius locus, ita est ipsi dissimilis propter humiditatẽ, quæ aduersatur siccitati ignis. Quãquam autẽ aër sit ignis similis per calorẽ vtrique cõmunem, præcipuè tamen vtriusque elementi partes inuicẽ proximæ & finitimæ, sunt inter se similes. Nam infima pars ignis, qua tangitur aër, propter aëris vicinitatem, est aërea: & cõtra, suprema pars aëris est aliquo modo ignea, idémque contingit in aliis elementis.

Quarta proprietas loci est hæc: locus dat vnitatẽ & distinctionem motui locali. Hoc patet ex duobus; primò, quia vt dicitur 5. Phys. vnitas, & distinctio cuiuslibet motus ducitur à termino ad quẽ: sed locus est terminus ad quẽ motus localis, ergo, &c. Deinde, quia

de, quia in definitione. nõ solùm motus localis, sed etiã corporis grauis & leuis, ponitur locus, graue enim definitur, quod mouetur deorsum, leue autem: quod sursum, vt videre est apud Arist. 1. & 4. li. de Cælo. Sed hic attendendum est, motum localem diuidi posse tribus modis. Primò, ratione spatij, per quod fit talis motus, & sic Arist. 1. de Cælo, tex. 5. diuidit motum localem in rectum, & circularem. Spatium enim per quod elementa mouentur, est rectum & continetur semidiametro mundi, quæ est linea à centro mundi, vsque ad concauum Lunæ: motus autem circularis Cæli, fit per spatiũ rotundum. Deinde, diuiditur ratione terminorũ, ad quos fit motus localis, ex quo dicitur alius esse sursum, alius verò deorsum: postremò, diuiditur ratione principij à quo proficiscitur motus; quo pacto diuiditur in motũ naturalem, & violentũ; nam motus ignis sursum & motus lapidis proiecti sursum, non differunt ratione termini ad quem, sed tantum ratione principij, ex quo manat huiusmodi motus, nam ignis mouetur sursum à natura sua, lapis verò minimè, sed tantum extrinsecus.

Triplex diuisio motus, ratione spatij, ratione terminorũ ad quos & ratione principiorum efficientiũ.

Quinta proprietas loci est, esse, immobilem. Hanc proprietatẽ ponit Arist. 41. text. & per eam distinguit locum naturalẽ ab aliis locis. vt à vase. Nam vas est veluti locus quidam mobilis, locus autem naturalis est tanquam vas quoddã immobile. Sed dicet aliquis, esse immobilem ponitur in definitione loci, ergo nõ est proprietas eius, sed est de essentia loci: & Auerr. ibidem dicit locum esse immobilem essentialiter. Respondeo, Locum bifariam posse sumi, vel vniuersè & simpliciter, & sic accidit illi esse immobilem vel mobilem; Vas enim est locus mobilis, centrum verò est locus immobilis: vel accipitur locus, vt est naturalis & sic propria passio illius est, vt sit immobilis. Nam essentia loci naturalis in eo consistit, vt contineat, conseruet, & perficiat, locatum & sit terminus motuum localium: ex quo necessario sequitur, vt debeat esse immobilis. Quod autem immobilitas sit proprietas loci, probat Simplicius super tex. 30. & 41. lib. 4. Phy. testimonio Theophrasti, & Eudemi, qui immobilitatem numerarunt inter alias proprietates loci: quorum opinioni etiam ipse assentitur. Dicitur autẽ immobilitas de essentia loci, quia est proprietas essentialis, sicut risibile hominis; & quia in definitione loci adhibetur immobilitas vice differentiæ essentialis, vt sic locus naturalis distingueretur ab aliis locis, quibus cæteræ proprietates videntur conuenire præter hanc vnam. Quod autem locus debeat esse immobilis, ostenditur his rationibus. Primo, quia si esset immutabilis, motus corporum simplicium, vt inquit Auer. esset otiosus. Nam finis huiusmodi motus est, vt perueniat ad

An immobilitas sit proprietas loci.

Probatur sex argumentis locum debere esse immobilem.

ſuum locum,& ibi quieſcat corpus,ſi autem locus mutaretur,interdum accideret,vt corpus quod mouetur ad locum,non reperiret locum ſuum,quare fruſtraretur ſuo fine & motus ipſius otioſus eſſet.Deinde,quia hæc tria,natura, quæ eſt principiũ motus,& motus localis,& ipſe locus ſibi inuicem reſpondent:ſi ergo natura,& motus localis corporum ſimplicium eſt certus,& determinatus,locus quoque ipſorũ erit certus,& immutabilis. Poſtea, ſi locus eſt mutabilis,finge locum ignis trãsferri aliò & moueatur aliqua pars ignis ad ſuum locum,vel mouebitur ad locum vbi erat priùs,at cum non reperiat ibi illum,quæro quid faciet illa particula ignis;aut quieſcet ibi, at nihil quieſcit extra ſuum locum,aut mouebitur,ad quærendum locum vbicunque fuerit,verum hoc poteſt dici de animalibus,quæ cognitione vtuntur, de igne autem,qui ſecundum naturam vno modo tãtum operatur, citra vllam cognitionem,ridiculum eſſet affirmare.Præterea,Locus,vt ante diximus,dat vnitatem,&diſtinctionem motui locali, ergo debet eſſe immobilis.Nam ſicut eſſentia rei eſt immobilis, ita vnde ſumitur vnitas & diſtinctio eſſentialis,id debet eſſe immobile.Ad hæc,ordo vniuerſi eſt immobilis , cum ſit bonum & perfectio eius,vt dicitur ſub finem libri 12.Metaphyſicæ; ſed hic ordo conſiſtit in eo vt corpora,quæ ſunt partes vniuerſi,teneant certum,& definitum locum,ergo locus debet eſſe immobilis.Poſtremò,locus naturalis habet vim generandi,conſeruandi,& perficiendi , ſed talis virtus non reperitur indifferenter in quibuſlibet locis alioquin eſſet magna confuſio , & locorum , & locatorum,ergo locus eſt immobilis.

Quomodo locus ſit immobilis ſecundum opiniones aliorum:

CAP II.

SEd quomodo locus ſit immobilis,cognitu captũq; difficile eſt,quare hoc etiam à nobis diligenter explicetur. Difficultas autem hinc noſcitur. Nam ſit (verbi gratia) turris aliqua quæ manens immota contineatur ab aëre, turris quidem nunquam mutatur ex vno loco in alium locum, aër autem,qui continet turrim,ſubinde variatur , vnde ergo petẽda eſt immobilitas loci turris?ſi enim dicitur turris ſemper eſſe in eodẽ loco,non eſt autem ſemper ſub eadem ſuperficie aëris continẽtis ; ego immutabilitas loci illius non ex ſuperficie aëris continentis,ſed aliunde petenda eſt.

Nonnulli Auerroiſtæ, moti quibuſdam verbis Auerrois com. 20.lib.4.Phy.aiunt locum appellari immobilem ab Ariſt. tribus de cauſſis.Primò,quia cum ſit ſuperficies & accidens, eſt immobilis

bilis per ſe,& ſi quando mouetur,id fit per accidens. Deinde, eſt immobilis quia non neceſſe eſt ipſum moueri , quotieſcunque mouetur locatum.Poſtea,dicitur immobilis,quia non oportet ipſum moueri eodẽ motu,quo mouetur locatum.Sed hæc friuola ſunt.Primùm enim,non ſatisfaciunt difficultati propoſitæ,nempe cur turris dicatur manere in eodẽ loco immobili, cum ſuperficies continentis ipſam,ſubinde varietur.Deinde,hoc non eſt facere locum immobilem per ſe & ſimpliciter ſed tãtũ ſecundum quid.Præterea non eſſe immobile per ſe,ſed tantũ per accidens, non eſt aliquid proprium & peculiare loco,ſed eſt commune omnibus accidentibus,nullum enim accidens eſt mobile per ſe , ſi autẽ hoc eſt commune,cur Ariſt.eſſe immobile præcipuè poſuit in definitione loci?Poſtremo,ſecundum expoſitionem iſtorum, etiam vas poſſet dici locus immobilis,nam ſuperficies vaſis non poteſt moueri per ſe,neque vas neceſſe eſt moueri ad motum eius quod eſt in vaſe , aut eodem genere motus afficitur,cum tamen Ariſt.tex.41.ſecernat locum verum à vaſe dicens hoc eſſe mobile,illum autem debere eſſe immobilem:

Opinio quorundã Auerroiſtarum.

Opinio Scotiſtarum.

Scotiſtę excogitarunt alium modũ immobilitatis.Aiunt enim locum eſſe immobilem non ſimpliciter,ſed per æquiualentiam. Nam quamuis ſuperficies ambiens turrim varietur,tamen quoniam alia quę ſuccedit æquialet priori,hoc eſt,ita continet turrim,ita coaptatur,& eſt æqualis illi ſicut prior,ideo propter hanc æquialẽtiam dicitur locus immobilis,vide Scotum 2.Sent. diſt. 2.quæſt.6.Sed hæc opinio abhorret à veritate , & doctrina Ariſt. Primò,cur Ariſtoteles textu 41.negat nauim quæ eſt in aqua,quę continenter labitur , eſſe in loco? quia videlicet locus debet eſſe immobilis,aqua verò mutatur.At ſi locus eſt immobilis ea duntaxat ratione vt volunt Scotiſtæ,facile occurri poſſet Ariſtoteli, dicendo aquam fluminis in quo eſt nauis,mutari quidem per ſe, tamen manere eãdem ſecundum æquiualentiam,pars enim poſterior æquialet priori,hoc autem ſatis eſſe ad tuendam loci immobilitatem. Deinde ſuperficies diuerſæ diuerſorum numero corporum continentium aliquod locatum,non poſſunt æquiualere in idem numero,ſed tantum in idem ſpecie;hic autem quęritur immobilitas loci numeralis,illa enim turris dicitur eſſe in eodem loco numero,cum tamen ſuperficies ambientis eam,non ſit perpetuo eadem numero.Poſtremo,ſi quis trãſeat ex vna parte aëris ad aliam,ſecundum Scotiſtas,diceretur eſſe in eodem loco,quia licèt mutauerit varias ſuperficies aëris,tamen , cum illæ ſibi inuicem ſint æquiualentes,& eadem penitus ratione contineant,deberet dici eſſe in eodem loco.

D.Thomas lib.4.Phyſ.ſuper text. 41. & in Opuſculo 52. paulo ſubtilius exponens huiuſmodi immobilitatē loci, vult nos duo conſiderare in loco. Vnum quaſi materiale, quod eſt eſſe ſuperficiem corporis continentis; Alterum formale, quod eſt ordo & diſtantia, quam habet talis ſuperficies à cælo, vel à centro, & polis mundi, & quoniā vnitas & diſtinctio cuiuſque rei ſumitur nō ex materiali, ſed ex formali, immobilitas loci nō debet attēdi penes ſuperficiē continentem: ſed penes illum ordinem, & diſtantiam à cælo. Vnde quamuis ſuperficies aēris continēs turrim, ſæpe varietur tamē quia & turris & quæcunque ſuperficies ambiens ipſam, ſeruat eundē ſitum, ordinem & diſtantiam à cælo & à centro atque polis mundi, dicitur turris eſſe in eodē loco, non quia ſit ſub eadem numero ſuperficie aēris, ſed quia ſemper eſt in eadem diſtantia à cælo. Hinc autem ſumendam eſſe immobilitatem loci, manifeſtum eſt. Tum quia Ariſtoteles tex. 42. volens probare locum eſſe immobilē, ait ſurſum quod eſt in cōcauo lunæ, & deorſum, quod eſt cētrum, eſſe penitus immobilia, ſignificans immobilitatem loci ſumendam eſſe ex ordine, & diſtantia quam habet locus ad cælum, & centrum mundi. Tum etiam, quia cælum cum ſit primarius locus, non eſt alia ratione immobile, niſi quia polos & centrum habet immobilia, & ſemper æquidiſtat ab illis: ſicut ergo cætera corpora habent rationem loci propter cælum, ſic habebūt immobilitatem, propter immobilitatem eius. Quare immobilitas loci, ſimpliciter ſumenda eſt ex ordine ad cælum & polos cæli. Adde, quod niſi ita dicamus, impoſſibile eſt explicare & tueri immobilitatem loci.

Opinio D. Thomæ.

Hæc: D.Thomas, & qui ſequuntur illū. Cuius opinio, ob tanti viri auctoritatē probabilis eſt: videtur tamē his argumentis validiſſimè oppugnari poſſe. Primò, ſi formale loci cōſiſtit in tali diſtantia, cum hæc ſit ens priuatiuū & reſpectiuum, locus pertinebit formaliter ad relationē, cum tamen ſit ens abſolutum. Et ad relationem quidem & priuationē non fit per ſe motus, ad locum autē fit. Deinde, ſecundum opinionē D.Thomæ, ſequitur ſuperficiem non eſſe de eſſentia loci, ſed eſſe tantū accidens ſeparabile; quod eſt abſurdū, tum quia ſuperficies ponitur in definitone loci tanquam genus eius: tum quia locus ponitur in aliquo genere, neque poteſt reduci ad aliud quàm ad quātitatē, & cum nō poſſit eſſe, vel linea vel corpus, neceſſariò erit ſuperficies. Adde, quod Ariſt. tex. 43. ad cognoſcendū quæ corpora ſint in loco, quæ verò nō, dat hāc regulā: Quæcunq; habent extra ſe ſuperficiē corporis cōtinentis, ea ſunt in loco, quę verò nō habēt, minime. Per ſpicuū igitur eſt, ſuperficiē eſſe de eſſentia loci: at ex opinione D.Thomæ ſequitur, eam eſſe accidēs quoddā loci. Nā accidens eſt quod poteſt adeſſe & abeſſe rei præter corruptionem eius, ſed poteſt manere idem locus numero ſecūdum D.Thomam quāuis accedat & recedāt ſuperficies, vt patet in turri quæ eſt in eodem loco numero propter eandem numero diſtantiā, quam ſemper habet ad cælū: ergo ſuperficies nō eſt de eſſentia loci: impoſſibile enim eſt, vt eo quod eſt ex eſſentia rei ſecundū numerū variato, poſſit eadē res numero manere, ſiue enim in Petro varietur animalitas, ſiue rationalitas, neceſſe eſſet quoque variari Petrum. Præterea, locus eſt inſeparabilis à motu locali, quia ponitur in definitione eius: ſed auctore D.Thoma, poſſet fieri motus localis ſine ſuperficie vllius corporis cōtinentis, nā ſecundū ipſum, ſi eſſet vacuū, poſſet in eo fieri motus localis, cū tamen in vacuo neque corpus neque ſuperficies vlla ſit: ergo ſuperficies nō eſt de eſſentia loci. Poſtea, aut iſte ordo ſeu diſtātia à cęlo, ſubiectiuè eſt in aēre continēte turrim, aut eſt in cælo: ſed ex parte cæli nō poteſt ſumi vnitas & diſtinctio locorum, cū cælum idē numero ſit reſpectu omniū locorū, nā reſpectu centri & polorū, eadē omnino eſt diſtātia Romæ & Neapolis & quorumlibet locorum: ſi autē vnitas & diſtinctio loci ſumatur ex diſtantia, prout ſubiectiuè eſt in ſuperficie continentis corporis ſic neceſſe eſt talē diſtantiā variari variata ſuperficie: neceſſe enim eſt accidens moueri motu ſubiecti ſui: niſi velint dicere idē numero accidēs trāſire ex vno ſubiecto in aliud. Poſtremò, Ariſtot. nunquā meminit huius diſtātiæ: oportebat autē potius explicare hāc, quàm ſuperficiem. Deinde proprietates loci non conueniunt loco ratione iſtius diſtantiæ, ſed potius ratione ſuperficiei cōtinentis; vt continere, eſſe æquale, cōſeruare, perficere. Poſtremò, cum talis diſtantia accōmodari poſſit omni loco, poſſet eſſe omnis locus immobilis ratione eiuſmodi diſtantiæ, cum talis diſtantia non ſolum reperiatur in loco naturali, ſed etiam artificiali & quocunque alio. Quid enim obſtat cur vas nō dicatur locus immobilis eius quod in ſe continet ratione eiuſmodi diſtantiæ: cum tamē Ariſtoteles tex. 41. diſtinguat locū naturalem, à vaſe. quòd ille ſit immobilis, hoc autem mobile; & vas inquit eſſe locum mobilem, cum autē qui propriè eſt locus, eſſe veluti vas quoddam immobile. In hoc igitur vidētur labi omnes ſupradicti Philoſoqhi, quòd voluerint quęrere eā immobilitatē, quæ poſſit accommodari omni loco; cum tamen apertè clamet Ariſtoteles, aliquando eſſe locum immobilē, aliquando verò mobilem. Præterea, immobilitas, quam inducit D. Thomas non conuenit loco ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Res enim dicitur eſſe in loco immobili dum ſeruat talem diſtātiam,

potest tamen transire ad alium locum,& ad aliam distantiam,ergo locus non esset immobilis & definitus respectu locati simpliciter,sed tantùm dum locatum est in ipso, & quilibet loeus esset immobilis respectu cuiuslibet locati.

Exponitur & confirmatur alia sententia de immobilitate loci, quæ videtur cæteris probabilior.

CAP. III.

REstat nunc vt aperiamus sententiã nostram, quæ facilè percipietur, si quædã ante declaremus. Ac primùm quidẽ existimamus Arist. in 4.lib.Phy. nõ egisse de omni loco,sed de loco tantùm naturali. Etenim Philosophus naturalis nõ debet tractare de alio loco,quàm de naturali. Tũ,quia de loco agitur propter motũ localẽ; locus aũt qui est terminus motus localis,est locus naturalis. Deinde, locus qui habet potentiã illã,vt dicitur tex.4.trahendi ad se corpora,qui experitur à corporibus,qui cõseruat & perficit,qui dat vnitatẽ & distinctionẽ motui locali,nõ est alius quàm naturalis: ex quo planũ est,nõ rectè facere eos qui perinde atq; Arist.ageret de omni loco, quæ hic dicuntur de immobilitate loci, conantur accommodare omni loco. Ex quo fit,vt cum in eo vehementer torqueant se,frustráque desudent,non solùm nõ aperiant naturam loci, sed etiam plurimis eam inuoluant & obscurent difficultatibus.

Postea,sciẽdum est locum cognosci ex eo corpore quod est in loco; corpus autem triplex est, Mathematicum, artificiale, & naturale. Naturale rursum duplex: aliud quod mouetur recto motu vel sursum vel deorsum, aliud vero motu circulari. Rursum quod mouetur motu recto, diuiditur in corpus simplex, in mixtum, in animatum, & animalia, qualis autem locus vnicuique horum corporum debeatur, paucis declarare necessarium est, ad id de quo agimus, planius intelligendum. Corpus Mathematicum propriè non est in loco,vt dicitur tex. 5. quia licèt rebus debeatur locus propter quantitatem, non tamen propter quantitatem separatam, sed prout inhæret materiæ & existit in rebus quo modo iã non est quantitas Mathematica sed Physica. Quod si Arist.1.de Gener.tex. 44.ait in Mathematicis reperiri tactũ, & locum: vel id accipiendum de tactu & loco tantùm secundum imaginationem, vel sic interpretandum est, vt quia locus debetur rei ob quantitatem, quantitas autem tractatur à Mathematico, idcirco dicat locum reperiri in rebus Mathematicis. Vide Simplicium 4.Phys.super.tex. 4. Artificiale autem corpus, sicut nullo genere motus ea ratione vt tale est, per se mouetur, sic neque

An quãtitas Mathematica sit in loco.

que vllum habet locum nisi fortè etiam artificialem. veluti dicimus in domo locum tecti esse vt sit supra, fundamenti autem vt sit infra, parietum vt medio in loco consistant, sicut igitur corpus artificiale non habet motum vllum nisi quia etiam est corpus quoddam naturale, sic nec locum.

At corporibus quæ circulari motu ciẽtur, licèt per se cõueniãt genus quoddã loci; nam sicut habent motũ localem per se, ita necessariò habere debent locũ aliquẽ, propter quem fit localis motus ipsorũ; Arist. tamen in 4.Physicorum lib. non loquitur, nisi de motu eorum corporum quæ habent motũ rectum; vt ex his quæ dicam, planũ erit. Primo, tex.3. dicit locũ cognosci ex translatione corporum, quæ fit circa eũdem locũ: sicut materia cognoscitur ex transmutatione formarum circa idẽ subiectũ, constat autem eiusmodi translationẽ corporum nõ posse fieri, nisi in corporibus quæ motum rectũ habent. Tum. tex.32. ait locũ nõ quæri nisi propter motum qui sit secundũ locum, qui duplex est, vnus latio, id est motus localis rectus: alter augmentatio & decretio, neutrum autẽ genus motus localis reperitur in corpore circulari. Postea, in tex.30, inquit omnem locum habere sursum & deorsum, & ad illum corpora ferri naturaliter, & in ipso manere, quæ nõ conueniunt nisi in corpora recta. Deinde, in tex.39. cũ dixisset locum esse terminũ corporis continẽtis, subdit, *Voco autem contẽtum corpus, quod est mobile secundũ lationẽ*, id est, vt omnes Græci exponunt, secundũ motum rectum, nam Aristoteles distinguit lationẽ à circumlatione. Adhæc, si Arist. loqueretur de loco communi corporibus rectis & circularibus, quomodo dixisset tex, 45. cælum esse in loco per accidens? nã si cælum habet motum localem per se, oportebat ei locum per se etiã assignare; tamen quoniam Arist. de loco rectorũ corporum sermonẽ habet, qui est superficies corporis cõtinentis, talem autẽ locum nõ habet cælum nisi per accidens, quatenus nimirum mouetur circa cẽtrum terræ, quæ est in loco per se, nimirum sub aquæ vel aeris superficie, hac igitur de caussa cælum dicitur esse in loco per accidens. Præterea hoc indicare voluit Arist. tex. 46. cũ ait terrã esse in aqua, aquam in aere, aerem in æthere id est igne, æthera in cælo, cælum autem non amplius esse in loco, quia non habet locum qualem habent corpora recta, de quo ipse ibi agit. Postremò, indigere loco à quo res cõtineatur, vbi generetur, conseruetur, perficiatur, qui sit terminus motus localis, quas supra docuimus esse proprietates loci, proprium est corporum quæ habent motum rectum.

Arist. li. 4. Phy. nõ agere de loco corporũ cælestium, qui per se & propriè illis conueniat.

Sed quæramus locum viuentiũ, stirpium inquã & animalium. Animalia, sicut non habent vnum aliquem motũ simplicem, ita

De loco animalium, plantarũ, & mixtorum inanimatorum.

neq; vno tantùm loco circumſcribuntur, ſed in multis & variis locis verſantur, niſi fortè, quanquã vnicuique indiuiduo animalium nõ ſit determinatus locus vnus aliquis numero, tamen vnicuique ſpeciei, vel generi animalium, eſt definitus locus à natura, in quo vel generentur vel conſeruentur vel operentur. Alius enim eſt locus piſcium, alius auium, alius aliorum animalium.

Veruntamen plantæ duplici nomine exiſtimari poſſunt habere vnum locum definitum: tum quia imis defixæ radicibus immobiles hærent terræ, vnde trahunt alimentum: tum etiam quia habent locum conueniẽtem elemento quod dominatur in ipſis nimirum terræ, ſicut etiam mixta inanimata, hæc enim quemadmodum mouentur motu locali, propter elementũ quod præcellit in illis, ita locum ei congruentẽ obtinent. Cæterum plantæ, vt ſunt viuentes & habent accretionem & decretionem, non mouentur ſecundũ vnum tantũ locum, ſed per omnes differentias locorũ, quod Ariſt. in 2. de Anima, tex. 14. pulchrè oſtẽdit his verbis. *Vegetabilia augmentum & decrementum ſuſcipiunt ſecundum cõtraria loca, non enim ſurſum quidem augẽtur, deorſum autẽ non, ſed ſumiliter in vtraque & in omnem partem aluntur & viuunt ſemper quouſque poſſunt percipere alimentum.* Mixta verò perfecta ſed innanima, vt ſunt lapides & Metalla, ſicut in motu locali ſequuntur vim eius elementi quod excedit alia eleméta quæ in eiuſmodi mixtis ſunt, ſic etiã in loco. Quare omnia ſunt vel in terra vel intra terrã. Quanquam ſecundum varias eorum ſpecies, varia etiam ſint eorum loca naturalia, in quibus ipſa generantur & conſeruantur.

Locus qui explicatur ab Ariſt. 4. li. Phy. per ſe, primo ac propriè ſolis elementis conuenit.

Reſtat igitur, vt ſolis elementis propriè conueniat locus naturalis de quo agitur 4. libro Phyſicorum. Itaque Ariſtot. loquitur de loco corporum ſimplicium. Nam illud, omnem locum habere ſurſum & deorſum: ad ipſum ferri corpora & in eo conquieſcere: terram eſſe in aqua, aquã in aere, aerem in æthere, hunc autem in cælo: idcirco locatum ferri ad locum quia locus eſt ſimilis & affinis locato, vt ignis aeri; locum eſſe tanquàm totum & formam, locatũ totum ſicut partem & materiam: Poſtremò, quæ ſcribuntur ab Ariſtot. tex. 48. & 49. propriè non conueniunt niſi locis corporum ſimplicium. Hoc etiam cõfirmat Simplicius ſuper tex. 4. dicens corpus artificiale eſſe in loco propter corpus naturale, naturale autem mixtum propter ſimplex, hoc verò per ſe primo eſſe in loco. Non omnis igitur locus eſt immobilis, neque tentandum eſt omni loco accõmodare immobilitatẽ. Ariſt. enim tex. 41. diſtinguens verum locum à vaſe, ait vas eſſe locum mobilem, at verum locum debere eſſe immobilem: ſignificans his verbis, ſe non in omni loco ponere immobilitatem, ſed tantùm

tùm in eo loco de quo agit: is autem eſt, vt ſupra oſtendimus, locus naturalis corporum quæ mouentur motu recto, præcipuè autem ſimplicium. Quo modo autẽ talis locus ſit immobilis, facile eſt & intelligere & declarare. Nã verbi gratia cõcauo ſuperficies lunæ, eſt immobilis, locus ignis, duplici nomine, tũ ex parte ignis, quoniã ignis nunquàm fertur naturaliter ad alium locum, quàm ad cõcauum lunæ, neque in alio loco quieſcit naturaliter: tũ ex parte ipſius orbis lunæ, qui tametſi perpetuo mouetur: ſemper tamen eodem modo ſeſe habet, neque proprius accedens ad centrum, neque longius ab eo vel in alium locum recedens, vt Ariſt. ait tex. 42. ſemper terminat motum localem ignis, ſemper conſeruat ipſum: denique ſemper largitur ei quietem & perfectionem. In animalibus autem non reperitur talis immobilitas, niſi fortè ſecundum ſpecies aut genera eorum: non enim vnumquodque animal habet vnum tantum locum numero, ad quem mouetur & in quo quieſcit. Quoniã igitur differentiæ locorũ in quibus verſantur corpora naturalia; præcipuè ſimplicia, ſunt ita determinata à natura vt nunquàm varientur, ſicut dicitur tex. 5. his verbis. *In naturâ autẽ determinatũ eſt ſeorſim vnũquodque, non enim quodcunque cõtingit ſurſum eſt, ſed quo fertur ignis, & leue. ſimiliter verò & deorſum non quodcunque contingit, ſed quo habentia grauitatẽ & terrea, tanquam non ſolum poſitione differentia, ſed & potentia.* Idcirco loca eiuſmodi corporum rectè dicuntur immobilia.

Soluitur dubitatio de turri.

Dubitationi igitur quę propoſita fuit de turri & aliis ſimilibus, facilè occurri poteſt, ſi prænoſcantur duo. Vnũ eſt, vocabulũ loci frequenter vſurpari, maximè in cõmuni & vulgari vſu loquendi, pro ſitu ſeu poſitione ei; & rẽ habere locum hunc vel illũ, pro eo quod eſt habere hũc vel illũ ſitum, crebro dici. Alterum eſt, vnam rem poſſe mutare locum dupliciter; vel actiuè vel paſſiuè. Actiuè mutat locũ, cùm ex vno loco ipſa tranſit in alium locũ, priorem deſerens & alium nouum occupãs: paſſiuè autem mutat locum, eo quod, licèt ipſa maneat immobilis, tamen locus mutatur circa ipſam, ſicut aër qui ambit turrim, ſubinde circa ipſam variatur. His poſitis, dicendũ eſt, turrim circa quã ſubinde variatur ſuperficies aëris continentis, propriè nõ eſſe in eodem loco, cum de eſſentia loci ſit, vt diximus, ſuperficies corporis continentis, quæ non manet eadẽ numero perpetuò, circa illã turrim: dicitur tamen turris manere in eodẽ loco, vel, vſurpãdo nomen loci pro ſitu, quia manet in eodẽ ſitu reſpectu cæli aut aliorũ corporum: ita vt illa diſtãtia D. Thom. ſi quidquàm valet, potius referri debeat ad conſtituendã immobilitatem ſitus, quàm loci: vel dicitur turris manere in eodẽ loco actiuè, quoniã ipſa non tranſit ex vno

loco ad aliumnon autē manet turris in eodem loco passiuè,quia superficies aeris ipsam ambiētis qui est eius locus non manet eadem numero sed subinde variatur circa ipsam. Quantū verò discrimen sit inter situm & locum, & inter mutare locū actiuè vel passiuè,cuiuis per se manifestum est. Ergo generalis ratio loci omni loco cōueniēs,erit esset superficiē corporis cōtinentis,primi. ratio autē loci naturalis, erit esse superficiem corporis cōtinētis, conaturalis locato, eiúsq; cōseruatiui & perfectiui: illa verò ratio loci,quæ præter vim cōtinendi & conseruandi, adiunctam habet naturalem quandam immobilitatem, solis corporum simpliciū & elementorum locis perfectè (velut supra ostendimus) accommodari potest. Nō itaque omnis locus debet esse immobilis,sed satis est vt contineat locatum : locus autem naturalis corporum simplicium & elementorum,is demum est præfinitus,stabilis, fixus & immobilis.De qua ergo immobilitate loci Aris. loquatur, & quo pacto turris manens immobilis, dici possit partim mutare locum,partim verò non,satis,vt opinor,explicatum est. Veniendum nunc est ad secundam partem huius disputationis,vt ostendamus & confirmemus,Aristotelicam definitionem loci bonam esse,& ab eo verè perfectéque constitutam.

Explicatur opinio eorum qui censent locum esse quoddam internallum.

CAP. IIII.

MOs est Aristo. ostendere definitiones à se traditas esse bonas,eo,quòd quicunque aliter easdē res definire aggressi sunt vehementer errarunt ; sicut fecit in 3.Phy: probando definitionem motus,& 4.Ph. 35. demōstrat locum esse superficiem corporis continentis,refutando & remouendo eas res in quib. videbatur secundum antiquorum sententiam locus consistere:sic argumentans,locus aut est materia, aut forma,aut interuallum,aut terminus cōtinentis, sed nihil est priorum trium,ergo est hoc vltimum. Nos igitur simili genere probationis vtentes , ostendamus rectè difiniri locum ab Aristotele *Terminum corporis continentis,immobilem , primum* , eo quod quicunque aliam opinionem habuerunt de loco, longè aberrarunt à veritate. Et quoniam ea opinio quæ locum facit esse interuallum quoddam,non solum vulgò placet,sed etiam doctis viris , primo aspectu videtur probabilis ; & vt refert Simplicius , habuit auctores & defensores multos ex Philosophis,vt Stoicos , complures etiam Platonicos,Galenum , item Stratonem Lampsacenum,

Syrianum & Phyloponum , qui in commentariis quos scripsit in 4.lib.Phy.longam digressionem facit hac de re.

Quoniam igitur hæc opinio quòd interuallum sit locus corporū naturaliū,tam multis visa est probabilis, in ea declarāda & cōfutanda nobis præcipuè elaborandum est. Philoponus in illa sua digressione,quatuor tractat. Primò,docet nos vēire in cognitionem istius interualli: tum,enarrat proprietates illius:Postea,probat locū esse huiusmodi interuallū:ad extremū , opponit & obiicit multas rationes cōtra locum Aristotelis.Primum igitur ita docet nos cogitare interuallū.Remoueamus,inquit,à vase in quoest aqua,ipsam aquā,& fingamus animo nullū aliud corpus ingredi in vas,tunc cernimus inter latera vasis, spatiū quoddam longum, latum & profundum,& hoc vocatur à nobis interuallum,in quo dicimus priùs fuisse aquā tanquàm in loco. Atque hunc modum declarādi interuallū,tenuit Galenus,vt refert Themistius & Simplicius super tex.36.lib.4.Phy. à quo deinde accepit Philoponus.

Sex proprietates internalli

Proprietates autē interualli sunt sex,primò,est longum,latum & profundū,quia locus debet esse æqualis locato , locatum autem cum sit corpus,habet trinā dimensionem. Tum, est diuersum & separatum à corporibus quæ locantur in ipso .Postea, caret, materia & forma,alioquin esset corpus mobile, & egeret loco. Adhęc,est indiuisibile,immobile & impatibile : nā hæc nō cōueniūt quātitati nisi ratione materiæ,interuallum autem ponitur expers materię.Præterea,est vnū interuallum continuatum æquale ipsi vniuerso , quod in diuersis partibus suis recipit diuersa corpora vniuersi,neque cū mouetur corpus aliquod ex vno loco ad aliū, trāsportat secum interuallū suum, sed transmigrat ex vna parte interualli ad alteram,manente ipso interuallo immobili. Postremò , interuallum quāuis accipiat corpus penetrando per omnes partes eius tamen non diuidit aut dissecat ipsum : sicut dulcedo vel humor penetrat per omnes partes lactis, nō diuidendo ipsum corpus:corpus itē locatur in interuallo,nō diuidendo ipsum, sed implendo;nam penetratio dimensionū,quæ ducitur impossibilis, est tātùm in dimensionibus materialibus, quales nō habet interuallum. Atque hæ quidē sunt proprietates huius interualli,quas quoniam Aristotel.ignorauit,idcirco tres illæ rationes quibus in tex.37.oppugnat interuallū,nihil valent,nihilque conficiūt. nam prima ratio procedit ex eo,quod putat corpus recipi in interuallo per diuisionē vtriusque in suas partes ; atqui ponitur interuallum indiuisibile. secūda, quòd locus mouebitur de loco ad locū, & tertia,quòd erunt multa loca simul , procedūt ex eo,quòd ponitur interuallum esse mobile,& vna transferri cum corporibus,

Probatur locum esse interuallū.

quæ collocantur in ipso,quod tamen falsum est. Huiusmodi autem interuallum,esse verum locum corporum , quod tertio loco fuerat propositum,sic probant.Vacuum& locus re idem sunt: sed hoc differunt, quod vacuum est locus , carens corpore , locus autem semper habet corpus , itaque si vacuū impleretur corpore esset locus,& si locus destitueretur omni corpore , esset vacuū sed vacuū nihil est aliud quàm spaciū quoddā longū , latū & profundum,ergo hoc ipsum est locus.Nam vt dixi , idem quod dicitur locus prout habet corpus dicitur etiam vacuū , si careat corpore.Quod autem vacuum non sit aliud quàm interuallum , patet, primùm ex communi existimatione omnium qui ita sentiūt de vacuo.Nam si in vase nullum esset corpus , diceremus ibi esse vacuum.nihil aliud intelligentes eo nomine quàm spatium illud longū,latum , & profundum,quod inter latera vasis comprehensum est.Deinde,si vacuum non est hoc interuallum, ergo erit superficies corporis quatenus non tangit , aut continet aliud corpus,sed nō potest esse hoc,primò,quia vacuo opponitur plenum, superficies autem nō dicitur plena,nec impleri , sed potius interuallum seu spatiū:deinde , necesse est secundum Aristotelem non esse vacuū,& tamen nō est necessariū vnū corpus semper tangi ab alio,vt docet Arist. 3. Phy. 74. Postremò si vacuū esset superficies non tangens corpus,ergo extra cælum esset vacuum , quod est contra Arist.1.de Cælo,tex. 100.nam vltima superficies primi cæli non tangit aliquod corpus,ergo ibi est vacuum, relinquitur igitur vacuum nihil aliud esse quàm interuallū :& quia vacuū re idem est atque locus,hinc fit vt interuallum sit locus corporum. Postremò , proponit Philoponus multa argumenta contra sententiā Arist.putat enim ex illius ruina & euersione, suā firmari & stabiliri opinionē.quæ argumenta nos deinde cōmemorabimus.

Refellitur opinio eorum,qui existimarunt locum esse interuallum:

CAP. V.

Contra inuentionem interualli.

SEd hoc interuallum esse merum figmentum, hinc planum erit. Et primùm contra inuentionem interualli sic argumentor.Sicut vis nos à vase , cogitatione remouere omnia corpora quæ sunt in ipso,ita vicissim volo vt ab eodē vase remoueamus istud interuallū. Nā cū sit res diuersa à vase, neq; sit substātia,neq; accidēs illius,cogitatione potest separari: remoto igitur interuallo , an nō etiā nunc remanet spatiū quoddā inter latera vasis? rogo,tale spaciū,aut est interuallū aut nihil , si est interuallū,primùm erūt multa interualla simul , nam nō possunt dicere

dicere remoto vno , alterum cōfluere ad locū alterius;volunt.n. interuallum esse immobile deinde remoueatur etiam hoc secundum,& si semper remoto vno subit aliud,erunt infinita interualla simul;sin autem dicant remoto primo,spatium quod supereſt nihil esse,pari ratione nos dicemus, remotis corporibus , à vase, spacium quòd videtur supereſſe in vase,nihil esse:quod si hoc volunt esse interuallum ,certè interuallum nihil erit.Quod si fortè affirment substracto interuallo,nullum spatium remanere in vase, sanè inique faciunt. nam aut ex remotione interualli vas destruitur,quod est contra suppositionem : aut manet idem secundum omnes partes , atque erat prius : cum ergo habeat superficiem concauam,& partes inter se distantes,alias quidem superiores, alias verò inferiores , necesse est in illis , contineri istud spatium;quare quocunque se vertant,non habent exitum.

Cōtra proprietates interualli.

Deinde argumentor contra proprietates interualli;& quidem contra primam hoc modo. Tantum sunt tres magnitudines, linea, superficies , corpus : linea tantum habet longitudinem , superficies , latitudinem & longitudinem , corpus autem præter has etiam profunditatem. Rursum corpus vel est mathematicum, vel Physicum : cum igitur interuallum sit magnitudo , & habeat trinam dimensionem , non erit linea neque superficies, sed corpus; at vtrum erit ne Mathematicum an Physicum?si Mathematicum, ergo nō existit secundum rem,sed tantùm secundum imaginationem,& non pertinet ad Physicum,& nō erit naturalis locus corporum:si Physicum,ergo mobile & in loco : at ipsi volunt interuallum nec esse mobile,nec esse in loco. Contra tertiam proprietatem sic iusto; si hoc interuallum caret materia & forma,&rgo nō habebit vim generandi,trahendi,conseruandi & perficiendi corpora quæ in ipso locantur: nec erit locus simili locato:nec erunt differentię locorum secundum naturam neq; erit causa cur graue potius moueatur deorsum quā alio, cū omnes partes interualli sint eiusdem rationis. Contra quartam proprietatem hoc potest obiici.Si interuallū est quantum , ergo est diuisibile:falsum.n.est diuisionē conuenire quantitati ratione materiæ,cum cōtra materia sit diuisibilis propter quātitatem:& Mathematicus quantitati, quam abstrahit à materia frequenter tribuat diuisionem.Præterea quātitati debetur per se locus, non enim res occupat locum ob materiam aut formā , sed ob quantitatem,vt declarat Arist.tex.76.exēplo cubi. Quare si interuallum habet magnitudinē, necessariò erit in loco. Præterea cum vas plenum aqua,ex vno loco transfertur ad alium,aut interuallum contentū intra vas in quo est aqua,mouetur simul, aut nō,

si mouetur,nõ erit interuallum immobile, vt ipsis placet:si non mouetur,sed aqua subinde variat interuallũ, ergo nõ solum vas per se mouetur,sed etiam aqua,quę est in vase,quod est absurdũ. Quinta proprietas ita potest confutari. Si est vnum interuallum respectu vniuersi,aut est vnius aut diuersę naturę:si est vnius naturæ, quomodo potest esse idem locus corporum cælestium & sublunarium?nam locus est similis locato;cælestia autem & sublunaria sunt valdè dissimilia inter se.Nec minus facile est sextam proprietatem refellere:Penetratio.n.dimensionum nõ est impossibilis propter substantiam,aut qualitates, sed propter quantitatem.Quare si interuallum habet quantitatem, non poterit penetrare ac permeare per omnes partes & dimensiones eorum corporum quæ in ipso locantur;quod tamẽ illi maximè volunt:deinde si interuallum penetrat per corpus,erũt simul interuallum & corpus locatũ.Quomodo ergo interuallũ cõtinebit locatum? aut cur magis interuallũ sit locꝰ corporis, quã corpus interuallũ?

Sed præstat ipsam per se opinionẽ quæ interuallum inducit aggredi,oppugnare,demoliri, Locus est nobilior locato;at quomodo istud interuallum,si est mera quantitas omnis expers substantiæ,dicetur nobilius tam corporib.sublunaribus quã cælestibus? Deinde,locus est prior locato, at quomodo interuallum cum sit accidens,erit prior omnibus substantiis?Posteà,aut istud interuallum,est substantia,aut accidens : si substãtia,aut incorporea . aut corporea;si incorporea,ergo nõ haberet magnitudinem,nec posset esse locus corporum,deniq; non esset interuallum : si corporea,esset profectò naturalis,& mobilis,quod tamen rationem interualli à Philopono & aliis traditam funditus tollit.Si accidens, aut per se existens,aut inhærens alij corpori; non per se existens, quia nullum accidens est separabile:neq; inhærens corpori, quia sic interuallum non esset diuersum à corpore locato,& moueretur ad motum illius corporis. Quid ergo est illud interuallum? Postremò,argumentum istorum ad confirmandum huiusmodi interuallum,nihil valet.Nam vacuum non est istud interuallum; sed si esset,nihil aliud esset,quam superficies corporis , quæ apta esset tangere,& continere aliud corpus.Et cum instant, vacuum opponi pleno,superficies autẽ non dicitur impleri: Respondendum est superficiem per se non dici impleri,sed quatenus est superficies concaua alicuius corporis,quod aptum est continere aliud,sic dicitur impleri. Quod autem subdunt, non esse necessarium, vt vnum corpus tãgatur ab altero,verum est ea ratione vt sunt corpora,sed non vt sunt partes vniuersi, & corpora naturalia,inter quæ debet esse vnio,& connexio. Denique quod aiunt, si vacuum esset superficies non tangens corpus,fore vt extra cęlum sit vacuum,quia conuexa superficies vltimi cæli nullũ corpus tangit:hoc inquam nihil est,nam vacuum dicitur superficies non tangens corpus, quod secundum naturam suam apta est tangere:conuexa autem superficies primi cæli neque tangit, neque apta est tangere aliquod corpus , quare ibi nullum est vacuum: Sed de interuallo quæ hactenus dicta sunt,satis esse debent.

Ponuntur multæ obiectiones contra id quod dicit Arist. nimirum locum esse superficiem.

CAP. VI.

Restat nunc , vt dissoluamus quindecim argumenta, quibus oppugnatur sententia Aristo.facientis locum esse superficiem.Argumenta verò sunt hęc.Primum in prędicamento Quantitatis, locus & superficies ponuntur tanquam duæ species distinctæ, ergo male hic dicitur locus esse superficies,quia vna species non dicitur de alia specie eiusdem generis proximi.2.Motus localis fit ad locum,sed motus localis fit ad vbi,vt patet ex 5. Phys.ergo locus & vbi sunt idem, sed Vbi nõ est superficies , quia est categoria diuersa à categoria Quantitatis,ergo neq; locus erit superficies.3.Locus debet cõtinere,sed superficies nõ continet locatum. Nam aut continet intrinsecè,at hoc non potest facere superficies,aut extrinsecè,tangendo locatum,at si etiam vestis,quę tangit,& tegit corpus,esset locus;& cum locatum solùm tangatur per superficiem,erit tantum in loco ratione superficiei;non ergo erit in loco secundum omnes partes suas,neq; vt corpus est ratione profunditatis.4.Locus debet esse ęqualis locato,sed superficies habens tantum duas dimensiones,non est ęqualis locato,quod est corpus habens tres dimensiones,ergo superficies non est locus eius. 5. Locus est ad quem naturaliter fertur vnumquodque corpus,sed terra naturaliter fertur non ad aliquam superficiem,sed ad centrum,ergo locus non est superficies. 6.Locus quæritur propter motum locatem, vt videtur text.32. & illud corpus continetur in loco, quod est mobile secundum lationem, vt dicitur text.39. & 45.sed totum elementum , vel terræ, vel aquæ non mouetur, sed tantùm partes illius,ergo totum elementum nõ erit in loco,sed tantum partes eius.7. Quando aliquid est in aliquo quod mouetur; non est in illo tanquam in loco,vt dicitur 41.tex.& declaratur exemplo nauis;sed ignis est sub concauo lunæ, quod perpetuò mouetur,ergo non est in illo tanquam in loco.8.Locus est in quo manet, & quiescit corpus : sed in concauo lunæ non quiescit ignis;

Quindecim argumenta cõtra id quod ait Arist. locum esse superficiẽ.

quia mouetur vna motu Cæli vt declarat motus cometarum,ergo ignis non est sub cõcauo lunæ tanquam in loco.9.Locus est is cuius differentiæ sunt sursum,& deorsum;sed hę sunt differentiæ situs,vel positionis,non autem superficiei,ergo locus non ad superficiem ,sed ad situm,vel positionem,referri debet 10.Superficies cum sit quãtitas,nullam habet vim actiuam,vt dicit Auer. 4.Phy.comm.48.at locus debet habere vim actiuam,nempe tra hendi,generandi,conseruandi, & perficiendi; ergo locus non est superficies.11.Locus debet esse immobilis, sed omnis superficies est mobilis,nam ista superficies, aut est mathematica , & sic non erit locus naturalis, neque existet in natura , neque attinebit ad Physicum; aut est naturalis existens in corpore naturali , & cum omne corpus naturale sit mobile,eiusmodi superficies mouebitur etiam vnà cum corpore in quo est.

12. Circa turrim subinde variatur superficies aëris cõtinentis ipsam,ea tamẽ manente immobili in eodem loco,ergo locus nõ est superficies.13.Si locus est superficies, idẽ corpus numero posset esse simul in duobus locis.Nam v.g.Elementum terrę secundum vnam partem cõtinetur à superficie aquæ: secundum alteram,àsuperficie aëris:si aliquis baculus secundũ medietatem demergatur in aquã, ita vt altera medietas extet contenta sub aëre is baculus continebitur à duabus superficieb.aquę & aëris.Quare si locus est superficies,idem simul erit in duobus locis.14.Primum habet locum,sed non continetur à superficie vlla,ergo locus non est superficies.Minor per se nota est, maior sic probatur Locus debetur corpori, duplici nomine; tum ob dimensiones eius,vt significat Arist.text.76. exemplo cubi;tum etiam ob motum localem, vt significatur text.32.Sed primum cælum & maximas habet dimensiones amplissimámque molem, & præstantissimo motu locali perpetuò mouetur, ergo maximè omnium corporum debet habere locum:non habet autem superficiem vllam à qua extrinsecus contineatur,ergo locus non est superficies 15.Motus localis non potest fieri sine loco,sed motus localis potest fieri sine superficie alicuius corporis continentis, ergo locus non est superficies. Maior patet, quoniam in definitione motus localis ponitur locus,ergo non potest esse motus localis sine loco.Minor autẽ sic probatur.Si vacuũ esset,in eo nulla posset esse superficies corporis cõtinentis,vt clarum est,sed in eo posset fieri motus localis: nam si ponamus totum hoc spatium , quod est intra orbem lunæ, vacuum esse, & ex concauo lunæ demittatur aliquis lapis, proculdubio moueretur deorsum . Impossibile.n. est graue extra suum locum existens,nullo prohibente,non ferri ad lo

ad locum suũ,quare in vacuo,vbi nulla est superficies,posset fieri motus localis,ac proinde ibi esset locus,nõ igitur locus est superficies.Sed nihil negotij est huiusmodi obiectionib.occurrere.Ad eas igitur sigillatim,eodẽ quo positę sunt ordine respõdebimus.

Soluuntur supradictæ obiectiones.

CAP. VII.

AD primam respondet D. Th.in opusculo 52.locũ esse idem re seu materialiter cum superficie, & sic superficiem dici de loco;sed distingui ab eo ratione & formaliter.Nam superficies vt superficies, significat tantùm magnitudinem quę habet longitudinem & latitudinem præcisè; locus autem dicit huiusmodi magnitudinem prout includit habitudinem ad locatum,tanquam mensura extrinseca illius,& sic ponuntur diuersæ species quãtitatis. Auerroes(cui magis assentior)in 5.Metaph.comm.18.ait locum non esse quantitatem per se;nam prout est quantus,nõ differt à superficie;prout autem differt ab illa,quatenus nimirũ dicit habitudinem ad locatum,sic per se non pertinet ad categoriam quantitatis.Cur ergo in Logica posuit Arist.locum inter species quantitatis?quia vbi intendit colligere(inquit Auerr.)species famosas, & quia suo tempore famosum erat locum,esse quoddam spatium longum, latum & profundum,diuersum à linea, superficie & corpore; idcirco locum collocauit in prædicamento quantitatis, nam tale spatium proculdubio esset species quantitatis,diuersa ab aliis.Vtrumque responsum probabile est, & difficultatem obiectionis tollit.Ad secundam:Motus localis,formaliter;&intrinsecè fit ad vbi,non.n.corpus mouetur propter locum,sed propter esse in loco,quod nihil aliud est quam ipsum vbi,extrinsecè autem,& veluti causaliter, fit ad locum. nam vbi causatur ex loco & corpore quod est in loco. Hinc ergo patet quomodo locus non sit idem cum vbi,& cur motus localis dicatur fieri ad locum.&cur per omnem motũ acquiratur aliquid,quod sit in mobili;per motũ.n. localem acquiritur vbi,quod est in ipso mobili:sed quia hoc vbi non potest acquiri, nisi cum attingitur locus, ideo motus localis dicitur fieri ad locum.Ad tertiam.Locus continet tantum extrinsecè,nec proinde tamen vestis erit locus,nam neq; vestis cõtinet omni ex parte corpus neq;continet naturaliter,neque conseruat aut perficit,neque ad ipsam fit motus naturalis, neque fit in ipsa naturalis quies.Quamuis autem locum tantum secundum superficiem tangatur à loco , tamen dicitur totum contineri à loco; tum quia totum locatum est intra concauitatem locantis , tum quia per talem cõtactum, virtus conseruatiua &perfectiua loci

An locus sit in categoria quantitatis.

An motus localis fiat admotum,An ad vbi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diffunditur ad omnes partes interiores locati permeat per tōtū corpus locatum,& propter hoc dicitur totū esse in loco. Ad quartam. Locus est æqualis locato quia superficies conuexa,& concaua locantis sunt æquales: & quamuis corpus locans secundum dimensiones sit maius quam locatum, tamen secundum continentiam & capacitatem, vt ait Auerr. 4. Phy. est æquale ipsi, locatum enim sic implet & occupat totam continentiam,& capacitatem loci, vt locus nullū aliud corpus simul continere possit. Ad quintam. Centrum est locus terminans motum localem terræ, superficies autem aquæ vel aëris, est locus terminans & conseruans magnitudinem terræ. Vtrumque ergo pertinet ad locum diuersa ratione; quod aptè significauit Arist. lex. 42. his verbis. *Quicquid sursus medium continet terminus, deorsum est, & ipsum medium* neque mirum hoc videri debet. Nam vt inquit Albertus, virtus conseruatiua terræ, incipit in superficie concaua aquæ vel aëris, & terminatur in centro mundi. Si igitur consideretur terra simpliciter secundum quamlibet suam partē, vt est corpus graue quod suapte vi & pondere fertur deorsum, sic locus per se primo terminans motum naturalem terræ, eique largiens quietem, centrum est, non autem superficies aquę, sin autem cōsideretur totum elementum terræ vt est pars vniuersi, & secundūm ordinem & dispositionem Mundi, secundum quam, elemētum ignobilius continetur à nobiliori, sic locus continens elementum terrę, est partim superficies aquę, partim aëris. quomodo igitur tum superficies aquæ quàm ipsum centrum dici possit locus terrę, ex his fit manifestum. Ad sextam, Quāuis totum elementum non moueatur, tamen satis est moueri partes eius. Nam in corporib. simplicibus, eadem est ratio totius,& partium, tam secundum locum, quàm secundum motum localem. deinde, quamuis totum elementum nō moueatur, totum tamen naturaliter quiescit. Vnde quamuis non haberet locum ratione motus; tamē deberet habere ratione quietis naturalis. Ad septimam. Quamuis orbis lunæ moueatur, tamen nō mouetur mutando locum, neq; fit vnquam aut propinquior aut remotior: sed eodē modo semper se habet, vt significat Arist. tex. 42. Quare ignis semper æquali motu attingit suum locum, neq; debet aliquādo vel minus vel magis moueri vt offendat suum locum. Ad octauam. Corpus perueniēs ad locum suū, desistit moueri eo motu quo prius ferebatur ad suum locum; & sic ignis sub cōcauo lunę, nō mouetur sursum sicut mouebatur priùs cum tendebat ad suum locum, sed tantùm mouetur motu circulari, raptus, vel circumactus à cęlo, hoc autem nō est absurdū. Ad nonā. Sursum & deorsum, cōueniunt loco actiuè positioni autem & situi passiuè, & illi priùs huic autem posteriùs. Nam cum situs præsupponat locum, huiusmodi differentias accipit ab ipso, quia. n. locus est sursum vel deorsum, ideo corpus existens in tali loco, dicitur esse positum sursum vel deorsū. Ad Decimam. Licèt superficies per se & Mathe. sumpta, non habeat vim actiuā, tamē quatenus est terminus corporis naturalis, per quem vnum corpus tangens alterum communicat ei virtutem conseruatiuam, & perfectiuam eius, sic inquam superficies dicitur esse actiua. Ad Vndecimam. Quamuis superficies, vt est accidens corporis, moueatur ad motū eius, tamen vt est locus naturalis, nunquam mouetur respectu locati, sed eodem modo semper se habet ad ipsum. Ad Duodecimam. Hoc argumentum de turri supra fuit solutum. Ad Decimamtertiam. Non est absurdū idem corpus esse simul in duobus locis partialibus secundum diuersas partes: & confirmatur testimonio Simplicij qui idem ait. Sequitur, vt ad 14. de loco cæli; respondeamus.

An locō terræ sit superficies aquæ vel aëris, an ipsum Cētrum.

Sursū & deorsum quomodo conueniāt loco & situi.

Qui sit locus primi & supremi cæli, variæ Philosophorum opiniones ponuntur & refutantur.

CAP. VIII.

AD decimumquartum argumentum, quod magnā habet dubitationem, nec simpliciter nec breuiter respōderi potest. De loco enim primi cæli multæ sunt opiniones. Primò enim qui volūt locum esse interuallū, aiunt primū cælū habere suū locū veluti cætera corpora, videlicet partē quandā illius interualli sibi congruentē: sed quia huiusmodi interuallum nihil est, vt ante ostendimus, præter merum figmentū hominum magis delirantiū quam Philosophantium, idcirco relegetur & exterminetur à Philosophia.

1. *Opinio Philoponi.*

Alexander autem Aphrodisæus ait primum cęlum nullo modo esse in loco; nam aut est per se, aut per accidens, aut actu, aut potentia nō per se, neq; actu, vt Aristot. ait text. 45. nam quod sic est in loco continetur ab aliquo; non per accidēs, illud enim dicitur esse in loco per accidēs, quod est aut pars aut accidens alterius, quod per se est in loco: sed primùm cælum nullius corporis est vel pars, vel accidens, ergo &c. Non potentia, nam quod sic est in loco, aliquando potest actu esse in loco; cælum autem nunquam aliter se habebit, quàm nunc est; non per aliud, nempe per suas partes, nam partes non sunt in loco nisi ratione totius: sed totum primum cælum non est in loco, ergo neque partes eius, relinquitur igitur nullo modo esse in loco. Sed Alexandro, Simplicio & Auerroes acriter resistunt. Primùm, quia Ari-

2. *Opinio Alexandri.*

ſtoteles tex.45.apertè inquit cęlum eſſe in loco per accidens: deinde motus localis non poteſt fieri ſine loco:ſed motus cæli eſt localis ergo non poteſt fieri ſine loco.Maior patet, minor probatur,tum quia Ariſt.1.lib.de Cælo,diuidit motum localem in rectum & circularem,tum etiam quia 8.Phyſ. ait motum localem eſſe primũ omnium,& inter locales ipſum circularẽ.Adde,quod ſi motus cæli non eſt localis,qualis ergo eſt?An erit alterationis, vel generationis vel augmentationis?Hæc contra Alexandrum, cuius opinionem,non procul abeſſe à vero,poſterius dicemus.

3. opinio Themiſtij. Themiſtius verò ſuper tex.45.ait primum cælum eſſe in loco ratione proximi orbis quem ſecundum concauam ſuperficiem ſuã tãgit & ambit,ita enim ſcribit.*Circulus vltimus, qui inerrabilis dicitur vtpotè arcens & continens cæteros ſimpliciter in loco nõ eſt ſed penes interna quæ ambit.Tangit enim orbem Saturni & quodammodo cõtinetur:penes externa autem omnino expers eſt loci.* Sed Themiſtio ita occurrit Simplicius,namlocus debet continere,ſed orbis Saturni non continẽt vltimũ orbẽ ſed potius continetur ab illo deinde, orbis Saturni eſt in loco ratione vltimæ ſphærę à qua cõtinetur, ſed Themiſtio vltima ſphęra eſt in loco ratione ſeptimæ ergo vltima eſt in loco ratione ſui ipſi9.Poſtremò, primũ cælũ ita debet habere locũ,vt habet motum localem:non habet motum localem propter ſeptimam ſphæram,ſed per ſe:ergo &c.His accedit, quod non oportet locum moueri ad motum locati:ſed orbis Saturni neceſſariò mouetur motu primi orbis:ergo non poteſt eſſe locus illius.Quid igitur ſentit Simplicius?

4. opinio Simplicij. Videtur Simplicius velle cælum tribus modis capi poſſe, quod etiã docet Ariſt.1.de Cælo,text. 96. vel pro toto mundo, vel pro aggregato ex omnib9 cælis,vel pro vltimo cælo:ſi capiatur pro toto mundo,ſic eſt in loco ratione partium, quarũ aliæ mouentur motu recto aut ſurſum aut deorſum vt elementa,aliæ circulari,vt cæli:ſi pro aggregato ex omnibus cælis,ſic eſt in loco ratione orbiũ quorũ alij cõtinentur ab aliis:ſi pro vltimo cælo de hoc nihil Simplicius;aliquando enim videtur dicere nullo modo eſſe in loco,& ſic relabitur in ſententiã Alexandri;aliquãdo verò eſſe in loco quatenus orbes quos ambitu ſuo continet ſunt in loco,& ſic recidit in opinionem Themiſtij hæretque Simplicius in eadem difficultate , nempe quo pacto primum cælum, cum habeat per ſe motum localem non habeat etiam per ſe locum.

5. opinio Auicennæ. Sed expendamus opinionem Auicennę.Auicenna ait primum cælum non habere locum , & motum ipſius non fieri ad locum ſed ad ſitum,non enim cęlum motu ſuo variat locum ſed ſitum. Sed hic vir videtur aliquid dicere,cum nihil dicat.Nam cum triplex ſit

plex ſit motus propriè dictus,augmentationis,alterationis,& localis:motus cæli non poteſt eſſe alius quàm localis , ergo fit ratione loci:aut ergo dicendum eſt idem locum & ſitum,quod abſurdum eſt,aut motum cæli non fieri ad ſitum , quod verum eſt. Deinde,ſitus præſupponit locum : nam definitur ſitus diſpoſitio partium locati in ordine ad locum.quare ſi cęlum mouetur ad ſitum neceſſariò etiam mouebitur ad locum.Adde quod ratio ſitus conſiſtit in indiuiſibili:etenim vel minima facta mutatione rei,continuo variatur ſitus eius:at id ad quod fit motus,debet eſſe diuiſibile & ſucceſſiuè acquiri,ergo,&c.

6. Opinio Porretani. Gilbertus Porretanus,vt refert Albertus ait cælum primũ habere locum,nempe ſuperficiem extimam & conuexam ſui orbis à qua tegitur totum illud cęlum atque continetur.Sed huic opinioni adeo indignatur Albertus,vt dicat illum apertè mentiri; & quidem meritò.Nam Ariſt.multis locis clamat,locum eſſe diuerſum ab eo cuius eſt locus , & non eſſe mobilem;& in tex.35. inquit aliud eſſe formam,aliud locum:nam quamuis ambo terminent,tamen illa terminat intrinſecè ſubiectum in quo eſt;hic autem extrinſecus tangens locatum.

7. Opinio D. Thomæ. Poſtremò,D.Thomas ſuper text.43.ait primum cælum eſſe in loco ſecundum partes internas & continuas quas continet, & ex quibus componitur. Fundamẽtum illius eſt hoc,quia locus quæritur propter motum localem,vt eſt in tex.32.quod ergo ſecundum ſe totum mutat locum,etiam ſecundum ſe totum eſt in loco,vt corpora recta quæ tranſeũt ex vno loco ad alium: quæ autem non mutant locum ſecundum ſe tota , ſed tantum ſecũdum partes;ſunt in loco non ſecundum totum,ſed tantùm ſecundum partes ſuas:huiuſmodi eſt cælũ.Quod ſi obiicias partes cæli non eſſe in loco per ſe,ſicut non habent eſſe per ſe.Reſpõdet, quamuis non ſint in loco actu tamen eſſe in potentia quia ſi diuiderentur & ſepararentur à cælo, eſſent in loco per ſe:Vnde quia partes cæli non ſunt in loco actu ſed potentia, ideo dicitur ab Ariſtotele cælum eſſe in loco per accidens:neque hoc detrahit quicquam de dignitate cæli,quinetiam arguit præſtantiã illius.Nam per ſe indigere loco,& ex vno loco tranſire ad alium,ſignum eſt imperfectionis.Hęc D.Thomas.Nos quanquàm D.Thomę multum honorem debemus & libenter tribuimus,tamen quia veritas nobis carior eſt quàm cuiuſquam viri auctoritas ,ſententiam eius tribus de cauſſis non valde probamus.Primùm quia referre videtur opiniones aliorum interpretum ſecus quam nunc in eorum ſcriptis leguntur: nam ſententiam ſuam aſſignat Themiſtio , quem multo ſecus ſentire antea oſtendimus. Deinde,ait

Auempace dixisse cælum esse in loco propter cælũ Saturni, circa quod voluitur, quæ fuit opinio Themistij nõ Auempace; is enim, vt refert Auer. putauit cælũ habere pro loco centrũ circa quod voluitur. Præterea cũ hac D. Thomę sententia, non videntur ea cõsentire ipse scribit in Opusculo 52. vbi opinionem quam defendit in 4. Phy. attribuit Themistio, eamq; damnat, & sequitur opinionem Auer. dicentis cælũ esse in loco per accidens propter centrum circa quod mouetur. Quod autem hoc loco ait D. Thom. cælum esse in loco ratione partium integralium ex quib. componitur, mihi quidem nõ fit verisimile: primùm, quia cælum per se mouetur motu circulari qui est localis, nõ autem propter partes, cum partibus cõueniat motus ratione totius. Nã vt ait Arist. text. 32. & 34. partes & accidentia, neque mouentur neque sunt in loco per se; moueri enim & esse in loco, est illius quod habet esse per se actu existens, cuiusmodi non sunt partes; si ergo motus localis non conuenit cælo ratione partiũ, sed potius è contrario is cõuenit partibus ratione totius: similiter etiam cælũ non erit in loco ratione suarum partium. Deinde, si partes nõ sunt in loco, nisi potentia, ergo cælum nõ erit in loco nisi potentia, at mouetur actu motu locali: ergo est in loco actu. Quid? quod ista potẽtia non est Phy. neque secundum rem, quinimo re vera impossibile est partes cęli ab eo separari, & per se existere in loco, sed tãtùm est potẽtia quædam secundum imaginationem, ergo cælum nõ erit Phy sicè & secundum rem in loco; sed tantùm secũdum imaginationem, quod & absurdum est & extra præsentem quæst. quinetiam, partes cæli, tametsi fingamus eas seiunctas esse, quòd tamen non possint cogitari per se esse in aliquo loco, hinc planũ est. nã pars cęli remota à toto, nullo genere motus localis moueri posset, aut enim moueretur sursum aut deorsum, atqui non est corpus graue vel leue, neque moueretur circulariter, nam motus circularis proprius est corporis circularis, & fit circa aliquod centrum equidistans ab omni parte corporis quod mouetur, at pars cęli non est circularis, non enim sicut pars lineæ rectæ est recta, ita pars lineæ circularis est perfectè circularis, neque parti cæli posset assignari aliquod centrum circa quod æqualiter volueretur. Postremò, partes primi cæli integrales, licet aliæ alias contineant, non sunt tamen in loco. nam cum vna pars sit continua alij parti, non potest vna dici locus alterius, vt enim ait Arist. text. 34. quando aliquid continetur ab alio, ita vt non sit diuisum ab illo, sed ei cõtinuum, non est in eo tanquam in loco, sed tanquam pars in toto.

Expo-

Exponitur propria opinio de loco cæli.

CAP. IX.

REstat, vt exponamus sententiam, quã nos cæteris probabiliorem existimamus: eam autem tradiderũt nobis Alpharabius & Auempace, viri omnium, Arabum, vno excepto Auerroe, longe doctissimi: qui aiunt cęlũ non habere locum sicut corpora quę mouentur motu recto, videlicet eum à quo contineatur, sed per se habere locum congruentem corpori sphęrico & motui circulari, hic autem locus est centrum. Centrum enim & in definitione circuli, & motus circularis ponitur, sicut locus sursum & deorsum ponitur in definitione grauis & leuis & motum qui fiunt ad ipsa. Quæ sententia, vt facilius intelligatur, latius explicanda est, declarando & probando aliquot propositiones.

Prima propositio, Ari. in hoc 4. lĩ. Phy. nõ agit de omni loco, sed tantùm de loco naturali corporum quę habent motũ rectum: hęc propositio manifesta est ex his quæ supra dicta sunt c. 3. cũ ageremus de immobilitate loci.

2. Propositio, corpus vt corpus, nõ indiget loco, à quo contineatur: alioquin omne corpus indigeret loco. Nã quod alicui cõuenit per se & ea ratione vt tale est, omni quod est tale conuenit, at si omne corpus contineretur à loco, esset progressus in infinitum in locis & corporibus locatis.

3. Propositio, cælum vt cælum, nõ indiget loco à quo contineatur, tum quia omne cælum indigeret, primum autem cælum nõ indiget cum non habeat, nam si indigeret iam haberet: alioquin deesset ei aliquid necessarium, & æternis non esse secundum Ari. 3. Phy. tex. 32. idem posse, & esse: Tum, si omne cælũ indigeret loco continente, aut hoc esset propter quantitatẽ suam aut propter substantiam, aut propter motũ localem sed quantitas cæli cũ sit rotunda, est perfecta, neq; opus habet alio à quo figuretur & perficiatur: substantia eius est incorruptibilis, neq; indiget alio à quo conseruetur: motus cæli non fit ad acquirẽdum aliquem locum, vel vt cælum quiescat in eo, sed tantum fit circa aliquem locum nempe centrum, ergo cælum vt cælum non indiget loco à quo contineatur. *Cælum vt cælum non indiget loco in quo sit.*

4. Propositio, rectè dictũ fuit ab Arist. tex. 32. locum quæri propter motũ localẽ, ergo qualis est motus localis, talis quærendus est locus. Cum igitur, motus localis diuidatur in rectũ & circularem, iique plurimum inter se differant, necesse est loca propter quæ fiunt huiusmodi motus, etiã discrepare multũ inter se: alius

, ergo locus debet assignari cælo quod mouetur motu circulari, quàm elementis quæ habent motum rectum.

5. Propositio, ille putandus est locus alicuius corporis, qui conuenit motui locali ipsius, & à quo motus localis accipit denominationē, speciem & distinctionem : sicut motus sursum differt à motu deorsum propter loca, ad quæ tēdunt huiusmodi motus: sic motus circularis cæli differt à motu recto elementorum: quoniā elementa mouentur vel à medio vel ad medium, cælum autem mouetur circa medium vt ait Arist. 1. de Cælo, tex. 6.

6. Propositio, per se locus cæli non est alius quàm centrū, circa quod mouetur. Hoc patet ex iis quæ paulò supra docuimus. Nam cælo, quia mouetur motu locali, debetur aliquis locus respōdens illi motu, determinās, specificās & distinguēs ipsum ab aliis, circularis autē motus denominatur talis, & differt ab aliis, non quia fit ad locum, sed quia fit circa locum, hoc est circa centrum. Præterea locus naturalis est, ratione cuius corpus dicitur quiescere: sed cælum dicitur secundum se totum quiescere & nunquam mutare locum, propter centrum, à quo semper æquidistat. Atque hoc perspicuis disertisque verbis docet Arist. 8. lib. Phys. text. 76. lege locum, quem nos, quo breuiores simus, taciti prætermittimus. Quoniam igitur alij quæsierunt cælo locum aliquem continentem, similem locis corporum rectorum, ideo in tot difficultates, ac errores inciderunt. Hoc fortasse significare voluit Alexander, dicens cælum nullo modo esse in loco intelligens de eo loco, qui cōuenit corporibus rectis : quamuis illud desideretur in Alexandro, quod non declarauerit qualis locus per se conueniat cælo. Nam nullum omnino locum ei assignare, planè absurdum est. Auerroes item, qui ait cælum esse in loco per accidens ratione centri, sic intelligendus est, non quod cælum nō per se habeat pro loco centrū, sed quod cælū non habere talem locū qualē habent corpora recta, nisi per accidens: quatenus cælū mouetur circa centrum quod est terra quæ per se est in loco continente, nimirum sub superficie aquæ & aeris.

Quatuor obiectiones, quòd centrū non sit locus cæli.

Obiectiones quæ huic sententiæ videntur aduersari, paruo negotio diluuntur. Prima est, locus debet esse æqualis, debet continere debet cōtingere & esse proximus locato; centrum autē non est æquale cælo, neque continet ipsum, imo continetur, & est extra ipsum, ergo, &c. Secundò. Centrū est punctū indiuisibile, quomodo igitur erit locus cæli? Tertiò. Arist. ait cælū esse in loco per accidēs, nō ergo est in loco per se ratione cētri. Quartò. Si ita esset, nō modo primū cælum esset in loco ratione cētri, sed etiam alij orbes, par enim ratio est omniū: atqui alij sunt in loco continente, inferior enim continetur à superiore, ergo, &c.

Ad has obiectiones sic est respondendū. Ad primā. Illę proprietates sunt loci qui conuenit corporib. rectis, de quo tantū agit Arist. in hoc 4. li. nihil igitur mirum est, si illę non conueniant loco cæli. Ad Secundā. Centrum potest considerari bifariā, vel Mathematicè, & sic est punctū indiuisibile, vel Physicè, & sic est elementum terræ, circa quā cælum voluitur veluti circa suum centrum; qua etiā de causa natura fecit terram immobilē vt Aristo. ait, 2. de Cælo, tex. 17. quoniā centrum circuli est immobile. Ad Tertiam Arist. volens cęlo inuenire locū qualis reperitur in corporib. quæ mouētur motu recto, idcirco ait huiusmodi locū non conuenire cælo nisi per accidens nimirū ratione terræ, circa quā velut centrum suū voluitur: quę terra per se est in loco, & sic ratione ipsius, cælū dicitur esse in loco per accidens. Ad vltimā. Etiam in reliquis orbib. vnus non est sub alio tanquā in loco, sed propter eorū ordinē & dispositionē; maior enim & perfectior debet cōtinere; minor cōtra cōtineri; quē ordinē perfectionis, attēdentes in intelligētiis, dicimus in ipsis alias esse sub aliis. Ad extremū, illud perpetuò in memoria habendū est, quoniā cælum est diuersi generis & ordinis ab his reb. sublunaribus, ideo pauca esse illi cū huiusmodi reb. vniuocè cōmunia: ex quo fit, vt quęcunq; octo libris Physicis tractat Arist. ea præcipuè accōmodet ad res sublunares, vt quæ de materia, natura, motu & loco scripta sunt Nā quomodo vnumquodq; horum reperiatur in cælo, seorsim in opere huic rei propriè dicato, diligenter ab eo explicandū est. Verum de loco cæli hactenus. Reliquu est vltimum argumentum de motu locali in vacuo, ad quod nunc respondere volumus. *Solutio obiectionum.*

An si esset vacuum, in eo motus localis in tempore fieri posset.

CAP X.

DEcimoquinto argumento tāgitur grauis quęstio de vacuo: an si esset, posset in eo fieri motus localis in tēpore. De qua re nō cōuenit inter Philosophos. Nos primùm aperiemus sententiam Arist. tum eorum qui aduersantur Aristotelis rationes exponemus: postremò, sententiam Aristo. defendere conabimur.

Antiqui putabant à Deo necessariū esse vacuum motui locali, vt is sine illo nō posset effici; quos redarguēs Arist. in 4. Phy. vult ostēdere vacuū nō esse adiumeto ad efficiendū motū localē, sed potius tāto impedimēto, vt si vacuū esset, nullus planè motus in eo fieri posset. Cuius rei pulcherrimā demonstrationē affert tex.

71.eamq; latius explicat vsq; ad tex.75.quæ potest syllogisticè ef fici ad hunc modũ.Omnis motus debet fieri in tẽpore,sed in vacuo nõ posset fieri motus in tẽpore, ergo in vacuo nõ posset fieri vllus motus. Maior per se nota est,tum quia motus est cõtinuus vt Arist.ait 3.Phy.tex.1.& multis verbis ostendit in 6.Phys.quare est diuisibilis ac proinde successiuè fit & in tẽpore,tum etiã quia, si motus est actus entis in potentia prout in potentia, necesse est quod mouetur,moueri successiuè atque in tempore.

In minoris autẽ explicationẽ & confirmationẽ præcipuè incũbit Arist.cuius gratia iacit aliquot fundamẽta : primum est, inter quælibet duo tẽpora finita esse aliquam proportionem, nam vel erunt æqualia, vel si vnum sit maius altero , cum excessus ille sit finitus,proportio etiam,secundum quam excedit,erit finita.

Quinque firmissima fundamenta contra motum tẽporalem in vacuo,præiaciuntur.

Alterum fundamentum est , temporis ad istãs nullã esse proportionem. Nam tempus est diuisibile, instans autem indiuisibile;Vnde quamuis infinities iteretur,& repetatur instans, nunquã poterit æquari vlli tempori quantumuis exiguo : deinde , si esset aliqua certa proportio inter tempus & instans,sequeretur instans esse æquale tempori , imo maius tempore ; nam cum tempus sit diuisibile in infinitum , proportio quæ reperitur inter tempus & instans,& cum sit finita reperietur etiam inter tempus & aliquam partem ipsius:illi ergo parti erit æquale ipsum instans,& cum illa pars rursus possit diuidi in duas alias,erit maior illis, quælibet autem pars temporis est tempus;quare;nunc vel instãs,esset æquale & maius tempore.

Tertium fundamentũ est hoc,inæqualitas motuũ localium secundum velocitatem & tarditatem, accidit propter medium per quod fit motus localis : sint enim duo mobilia , A.& B.si A.celerius mouetur quàm B.id cõtinget ob medium. Nam vel A.mouetur per medium breuius & subtilius,vt per aerem : B. verò per medium aut longius aut crassius, vt per aquam;aut si ambo mouentur per idẽ prorsus mediũ,habebit A. vel maiorem virtutem motiuam vt plus grauitatis,qua melius diuidit medium,vel si vtrumque habet parem virtutẽ motiuam,habebit A figurã magis idoneam ad dissecandum medium, cuiusmodi est rotunda aut pyramidalis potius quàm quadrata. Omnis igitur inæqualitas motus localis tandem reducitur ad medium;vel quia ipsum est diuersum,vel quia diuerso modo diuiditur à mobili.

Quartum fundamentũ est hoc:Qualis est differentia inter media,talis itẽ est inter motus qui fiũt per ea,& inter tẽpora in quibus fiunt tales motus : vt si medium sit duplo subtilius & minus resistens,& ad diuidendum facilius : motus etiam qui fit per tale me-

mediũ,erit duplo celerior & tẽpus in quo fit talis motus erit duplo minus. hoc est præcedenti tertio fundamẽto manifestum est.

Quintũ fundamentũ est hoc : vacui ad plenũ nulla est proportio;quia vacuum est nõ ens, & infinitè exceditur à pleno,& quãuis infinities duplicetur vacuum , nunquam assimilabitur pleno, & quodlibet plenum quatumuis fingatur tenuè,tamen resistet aliquo modo;vacuum autem nihil prorsus potest resistere.

Præclara demõstratio Arist. quòd motꝰ localis non possit fieri in vacuo.

His positis,demonstratio Arist.sic conficitur. Si motus per vacuum fieret in aliquo tẽpore finito , & motus etiam per plenum fit tempore finito,& inter quælibet duo tempora finita est proportio,vt diximus in primo fundamẽto: erit etiam proportio inter hæc duo tempora,sed qualis est proportio inter tempora , talis est inter motus & media ; si igitur est proportio inter tempus quo mouetur aliquid in vacuo & quo mouetur aliquid in pleno, erit proportio inter vacuum & plenũ : quod est contra vltimum fundamentum;non potest igitur motus in vacuo fieri in tẽpore; sed debet fieri in instãti:nam vacuum in infinitum est minus resistens & impediens quàm plenum,atqui impossibile est motum fieri in non tempore,seu in instanti,ergo impossibile est motum fieri in vacuo. Hoc etiam ita confirmatur : si motus in vacuo fit in tempore,fit illud tempus vt vnum,tempus autem quo fit motus in pleno,sit vt decem; ponatur aliud plenũ decuplo subtilius, & minus resistens quam illud prius : nam id posset Deus facere, tunc æquali tempore fieret motus in vacuo & in pleno , quod si adhuc ponatur aliud plenum subtilius, in illo fieret motus minori tempore & velocius quam in vacuo; at hæc absurda esse nemo est qui nõ intelligit. Demõstratio autem Arist.nõ procedit ex opinione tantum antiquorum, vt videtur quibusdam,sed procedit simpliciter ex sentẽtia Arist.& habet vim demõstratiuam, cui nõ possit bene resisti. Hęc enim declarat apertè contextus verborum Arist idemque sentiunt interpretes Græci.

Sed Philoponus,Auẽpace, Auicenna,D.Thomas , Scotus & alij, aduersantur huic demõstrationi,& cẽsent in vacuo , si esset,factũ iri motũ in tẽpore & nõ in instãti , nõ enim admittunt illud tertium fundamentum,quinimo negant totã morã & successionem quæ est in motu locali,prouenire tantũ ex medio : faciunt enim duplicem caussam, cur motus sit tardior aut velocior:vnã externam & accidentariã : & hanc dicunt sumi ex medio, secundũ vel magnitudinem, vel subtilitatẽ, aut crassitiem eius:alteram verò internam & quasi essentialẽ,quæ prouenit ex maiori aut minori virtute motiua , virtus enim maior per se facit motum celeriorem,minor autem tardiorẽ. Quod autẽ inæqualitas motus loca-

lis secundū velocitatē & tarditatem, non proueniat solū ex medio; probāt tum exemplo, tū ratione: exēplo quidem corporum cælestium, quæ cum non moueantur per medium, tamen mouentur quædam celeriùs; & alia tardiùs: ratione verò, quoniam à quo prouenit motus naturalis, ab eodem prouenit continuatio & successio eius, continuatio enim per se cōuenit motui vt motus est: sed motus naturalis nō prouenit extrinsecus à medio, sed intrinsece à natura quæ definitur principiū & causa vt moueatur id in quo est; ergo continuatio motus per se non proueniet ex medio; sed ex maiori vel minori virtute ipsius naturæ. Ad idem confirmandū has quoq; rationes adiungunt. primò, quia licet successio motus proueniret tantùm ex medio, nō tamen ex medio vt plenum est, sed prout dicit quandam distantiā extremorum; sed talis distantia extremorū reperietur etiam in medio vacuo, si enim spatium quod est inter terram & cælum vacuum esset, non minus distaret cælū à terra, quàm nunc distat: In vacuo igitur successiuè fieret motus ob talem distantiā extremorum. Deinde, portatur lapis in concauo lunæ, ita vt reliquum spatium vsque ad centrum sit vacuum: non dubium est, quin ille lapis mouebitur deorsum, nam est grauis, & extra suum locum, & nihil obstat: vel igitur mouebitur successiuè, & sic habeo quod volo, vel in instanti, & sic simul erit in supremo in medio & in infimo loco, quod est impossibile. Nā vt Aristot. demonstrat in 6. Physi. omne mobile quod mouetur per aliquod spatium, priùs pertransit partes priores, quàm posteriores illius spatij, & priùs pertransit medium quàm veniat ad vltimum. Hæc illi.

Quatuor argumēta quib. nonnulli probant si vacuum esset, factū iriin eo motū localem in tempore.

Exponuntur cōclo hypotheses, quæ ad defensionem & confirmationem sententiæ Aristotelis de vacuo plurimum conferunt.

CAP. XI.

SEd quia horum Philosophorum opinio non solum nobis videtur contraria esse doctrinæ Arist. & Peripateticorū, sed etiā à diuersari rationi; Albertus quidē certè ait huiusmodi sententiam esse intelligibilem; ideo enitēdum est vt dilucidè ostendamus & demonstrationem Arist. esse firmā atque robustam, & infirmam ac minimè probabilem horum sententiam. quod vt commodius fiat, præmittamus nonnullas hypotheses ex quibus pendent demonstrationes quas afferre volumus.

Successio & mora motus localis, non prouenit ex mouente.

Prima Hypothesis est. Omnem motū localem esse continuum & successiuum: & de hac conuenit inter omnes.

Secūda. Successio & mora quæ cernitur in motu nō potest prouenire ex mouēte: hoc patet, quia mouēs quātū in ipso est, vellet quā primū mouere, & efficere quod intendit. Deinde, quia mora in

in mouendo accidit ei ob aliquam resistentiā quam reperit, mouens autem sibi non resistit. Adde, quòd videmus eandem virtutem actiuam nunc celerius, nunc tardius agere, ob variam resistentiam materiæ in quam agit. Postremò, si mora & successio contingeret ob virtutem motiuam, æquè celeriter deberet moueri exiguus lapis atque maximus, nam virtus motiua quæ est gratuitas æqualis est in lapide paruo atque magno: quanuis sit magis extensa in magno quàm in paruo; secūdum intensionem tamen par est. Agens etiam naturale principio paulatim & successiuè agit ob qualitates sibi repugnantes, quas reperit in eo in quod agit, sed vbi eas expulit, agit in instanti. sunt enim puncto temporis producit formam substātialem. Nō igitur ex agente vel mouente proficiscitur mora & successio quæ est in motu.

Tertia. Resistentia ob quā fit mora & successio in motu localī, duplex est: vna intrinseca mobili; altera extrinseca. Rursum intrinseca duplex est, vna. n. oritur ex eo quòd motus habet inclinationē cōtrariam ei motui secundum quem mouetur à mouēte; sit corpus resistit animæ mouēti ipsum, aut sursum aut in transuersum, quoniā tantum habet propensionem ad motum qui fit deorsū. Altera nascitur non ex cōtraria inclinatione mobilis; sed ex eo quod mobile habet naturalem potentiā vt moueatur tanta celeritate, & nō minori aut maiori; quod ei cōtingit ob determinatā perfectionē. aut magnitudinē, quam habet, sic mouetur cælum ab intelligētia. Resistentia verò extrinseca, prouenit ex eo quod est extra monens & mobile, verbi gratia ex medio, quod quia est plenum & corpulentum, habens maiorem minoremve crassitiē, sicut supra diximus, resistit mobili, quod fertur per ipsū.

Duplex causa successionis & moræ quæ est in motu locali.

Quarta. Effectus realis, causa debet esse realis: neq; enim potest aut effectus imaginarius procedere à causa reali, aut effectus realis à causa imaginaria. Semper enim effectus assimilatur causæ, eiúsque naturam æmulatur.

Quinta neq; motus localis potest esse sine loco, neq; locus sine superficie corporis cōtinentis: sicut. n. locꝰ ponitur in definitione motus localis, ita superficies in definitione loci. Quod autem motus localis sine loco esse nō possit, patet tū ex eo, quod Arist. ait text. 32. locū nō quēri nisi propter motū localē: at si posset motus localis esse sine loco, non semper indigeret illo. Adde, quod motus nō potest separari à termino ad quem, qui in motu locali est locus, sicut in alteratione qualitas: & in 3. Phy. tex. 4. dicitur motum non esse præter ea in quibus sit motus. Denique, hoc, nomine suo prę se fert motus localis. ideo enim vocatur localis, quia fit in locō & ad locum, vel circa locum.

Tres causæ propter quas natura refugit vacuum.

Sexta, Natura refugit vacuũ tribus de causis. Primò, ad conseruandam vnitatẽ mundi; mundus.n. est vnus nõ ob cõtinuationẽ sed propter contiguitatẽ corporum, quæ tollitur inducto vacuo. Deinde ob dependentiã & connexionẽ quę debet esse inter corpora superiora & inferiora. Vnde Arist. in principio Meteor. ait hũc mundũ inferiorẽ debere esse cõtinuũ, id est cõtiguũ superioris lationibus, vt inde omnis virtus eius regatur & conseruetur. Quia ergo causę particulares & secundę neq; possunt agere, neq; cõseruari, sine virtute & cõcursu causę primæ, hæc aute virtus & concursus nõ potest ad illas peruenire si intercedat vacuũ, ideo natura horret vacuũ. Ad extremũ, quia Deus & natura nihil frustra faciunt. Quicquid.n. est in mũdo, & ab aliquo est & ad aliquid; vacuũ autẽ si esset in mundo, neq; ab aliquo esset: cum sit nõ ens, non ens autem nõ potest ab aliquo esse: neq; esset ob aliquem finem & vsum: præterquam quod deformitatem insignem afferret vniuerso interrumpens connexionem & ordinem corporum.

Septima. Hæc quæstio, an si vacuum esset, in eo motus localis fieret in tempore nec ne, potest accipi tum, vniuersẽ de omni motu locali, corporum simplicium, mixtorum, animatorum, inanimatorum: tum specialim & propriè de motu locali corporum simplicium. A nobis tractabitur vtroque modo.

In corpore simplici resistentia & successio motus localis eius non prouenit intrinsecꝰ ex ipso corpore simplici, sed extrinsecus à medio.

Octaua. corpus simplex in suo motu locali non potest habere intrinsecam resistentiam: nam aut illa proueniret à materia aut à forma; non à materia, nam cum sit prima indifferens est ad quęlibet motum; non à forma, nam cum sit principium motus, non resistet ipsamet sibi in eo motu quem ipsa facit. Tota igitur resistentia extrinsecus petenda est, nempe à medio.

Probatur motum localem non posse fieri in vacuo. CAP. XII.

IIs suppositis nullum motũ localẽ cuiuscunq; corporis fuerit, posse fieri in vacuo, ostendo dupliciter. Primò, quia omnes alij motus depẽdent à motu cæli & cõcursu primę causę, vt docet Arist. 8. Phy. tex. 56. & 12. Metaph. tex. 38. quo sublato nõ possent fieri, tollitur aute per vacuum, ergo in vacuo nullus motus fieri potest. Idẽ confirmat D. Th. in 12. q. 109. art. 1. & prima Par. q. 115. art. 3. Et patet ex iis quæ scribit Arist. 8. Phy. tex. 56. dicẽs sine motu circulari nullu aliorum motuũ esse posse, ergo tantũ abest vt in vacuo moueatur aliquid secũdũ locũ, vt ne existere quidẽ possit. Deinde, motus localis nõ potest fieri sine loco, neq; locꝰ potest esse sine superficie corporis continẽtis, vt patet ex 5. hypothesi, sed in vacuo nulla est superficies corporis cõtinentis, ergo nõ posset in eo fieri motus localis.

Quod autẽ corpus simplex nõ possit moueri in tẽpore, si per vacuum

vacuum moueretur, probo tripliciter. Primò, quia omnis successio motus prouenit ex resistentia, vel intrinseca ipsi mobili vel extrinseca; vt patet ex 2. & 3. hypothesi: sed in vacuo corpus simplex nullã haberet resistentia, non intrinsecam vt dictum est in vltima hypothesi: neq; extrinsecã, quia ponitur moueri in vacuo: vacuum autẽ cum nihil sit, nõ potest resistere. Si dicatur, vacuum resistere ob distantiam extremorum; contra quia talis distantia aut est in ipso medio vacuo, aut est tantum in extremis: si est tantum in extremis, ergo in illo medio vacuo, mobile nõ reperiet aliquam resistentiam, quare nõ pertransibit illud successiuè: si autem illa distantia est subiectiuè in medio vacuo, aut erit huiusmodi distantia realis, aut imaginaria: realis nõ potest esse; quia vacuum nihil est, & nõ potest accidens reale esse in nõ ente tanquàm in subiecto; si est imaginaria, ergo nõ potest facere resistentiam realem, neq; poterit esse causa successionis realis quæ est in motu locali, vt patet ex 4. hyhothesi. Postea, si corpus simplex nõ habet successionẽ sui motus à medio sed à seipso, & medium tantùm affert successionem quandã accidentariam vt inquit Auempace, ergo si non esset mediũ plenum, corpus simplex moueretur magis naturaliter & magis velociter, & sine vllo impedimento, quia careret resistentia medij: hoc autem absurdum est, quia Arist. 3. de Cælo text. 28. ait naturã vti medio tanquã instrumento ad faciẽdum motũ naturalem & violentũ, & motum naturalem iuuari atq; promoueri à medio: at secundum istorum opinionem, medium tardaret & impediret motu localem. Præterea cum vacuum sit impossibile, ergo nunquã corpus simplex moueretur purè naturaliter, neq; tanta velocitate quanta aptum est moueri, quia naturalis eius velocitas semper impediretur & tardaretur à medio. Postremo, demonstratio Arist. nõ soluitur ab ipsis, si.n. corpus simplex posset moueri in vacuo tempore aliquo finito, sicut per plenum mouetur tempore finito, sicut inter illa duo tempora finita esset proportio; sic etiam inter vacuum & plenum esset proportio, & posset fingi aliquod corpus moueri per plenum æquali tempore, atque illud quod ponitur moueri per vacuum. Quæ demonstratio fuit à nobis supra declarata.

Restat, vt rationes aduersarias dissoluamus. Ad quas ita respondemus. Ad 1. Cęlũ mouetur successiuè & nõ propter mediũ, concedo, quia in cælo est intrinseca resistẽtia, & in motu cælesti datur mobile distinctũ à mouẽte: in corpore autem simplici non inuenitur intrinseca resistẽtia, nec distinctio mouentis à mobili; quare petenda est extrinsecus à medio. Atq; hęc manifesta sunt ex iis quæ supra docuimus cũ 3. & 8. hypothesim explicarem. Ad 2. Na

tura est principiũ motus, distinguo secundũ specificationẽ, verũ est, nã quod ignis calefaciat vel moueatur sursum, habet à natura sua similiter qđ aqua frigefaciat & moueatur deorsũ: secundũ successionẽ autẽ, falsum est. mora.n. quę est in motu, nõ prouenit à mouente, sed ex resistẽtia mobilis, aut aliunde, non.n. mora quã facit ignis calefaciendo aquã, puenit ex calore ignis, sed ob resistentia aquę, vt supra ostẽdimus exponẽdo secundã hypothesim.

Ad 3. Si in vacuo poneretur graue, nõ moueretur, quia deesset illi instrumentũ per quod fieret motus, qđ Arist. est mediũ plenũ: sicut si stupa admoueretur igni, sic tamẽ, vt inter stupã & ignẽ esset aliquod exiguũ interuallũ vacuũ, tunc ignis quauis naturaliter agat, tamẽ propter vacuum nõ ageret, sic dicendũ est de graui. Arist. igitur nõ ait corpus motũ iri in vacuo in instãti, vt quidã putãt, sed dicit nõ motũ iri vllo modo, quia, inquit, si moueretur deberet moueri in instanti, sed hoc est impossibile, ergo non mouebitur. Quod autẽ adducitur ex 6. Phy. quod omne mobile pri⁹ ptrãsit priorẽ partẽ spatij q̃ posteriorẽ, verũ est de spacio naturali & pleno, & Aris. ibi loqtur de magnitud. supra q̃ sit mot⁹.

Illud autẽ in hac de vacuo disputatione, diligenter intelligi & memoria teneri volumus: nec Arist, neque nos sentire si esset vacuum in eo factum in motum in instanti. Quis.n. est tam hebes & tardus ingenio, qui nõ intelligat, in eo quod dicitur, motũ localẽ fieri in instanti, manifestam repugnantiam & cõtradictionem contineri? Nos igitur cum Arist. dicimus, si vacuum esset in eo motum nullo modo fieri posse. Atq; hoc probamus, cum aliis argumentis, tum ea ratione ducente ad impossibile, quia, si fieret motus, is fieri deberet in instanti, vt supra docuimus: sed hoc est impossibile, ergo illud, motũ fieri in vacuo, ex quo sequitur hoc iudicandum est impossibile. Tantum igitur abest vt opinemur, in vacuo motum fore in instanti, vt, quia hoc iudicamus perspicuè falsum & impossibile, ex eo tanquam certo & manifesto, id quod fortè obscurum & dubiũ esse poterat, nempe in vacuo nullum omnino motum fieri posse, cõficiamus atq; concludamus.

Deniq;, illud etiã hoc loco adiciã, velut libri huius clausulam me pro certo habere, eã opinionẽ quã de motu qui fit in vacuo, defendi, esse Arist. contrariã verò, ab Aristot. sententia & doctrina, discrepare; eandẽ quoq; veram esse, mihi quidem ita videri, vt contrariam nec absurdè nec improbabiliter defendi posse existimem; Eam namque cum alij viri docti tuendã susceperunt, tum in primis Scotus. in 2. Sent. dist. 2. q. 9. sub finem eius q. acutè pro babiliterq; defendit. Sed his de Loco expositis, tempus est, vt ad eam quæ de Tempore traditur, doctrinã explicandã, veniamus.

FINIS VNDECIMI LIBRI.

DE TEMPORE ÆTERNITATE ET ÆVO.

LIBER DVODECIMVS.

SEQVITVR vt agamus de tẽpore, quod est mensura durationis motus, omniumque rerum quę motui subiiciuntur. Tres autem sunt durationis mensuræ, tempus, æternitas, æuum, de quibus hoc lib. sigillatim disseremus. Sed primum dicamus de tempore: de quo tractãda sunt hæc An tempus sit ens aliquod reale: an sit rẽs diuersa à motu: an sit essentiale tempori esse actiuè numerum & mensuram omnium motuum, vel potius esse numerum passiuè, id est motum numeratum & distinctum secundum priùs & posterius: an propria &, vt vocant, formalis ratio temporis pendeat ab operatione animæ: an tempus sit tantum subiectiuè in motu cęli: an sit tantum vnum numero tempus: an sit vnum nunc in toto tempore. Hæc igitur de tempore Physico, de quo agit Arist. in 4. lib. Phys. à tex. 87. vsque ad finem libri, à nobis in priori parte huius libri explicabuntur. In posteriori autem parte libri, naturam ipsius durationis, quę valdè obscura & occulta est, aperiemus post, de æternitate æuo, & tempore discreto disputabimus. Sed primùm omnium an tempus sit ens reale, & à motu realiter distinctũ perquiramus

Disputatur contra eos qui putant tempus non esse ens reale; & contra eos qui censent esse ens reale realiter distinctum à motu.

CAP. I.

VIdam existimant tempus non esse aliquid reale, sed tantum habere esse propter imaginationem & cogitationem animi nostri, ducti illo communi argumento, quod Arist. exponit 4. Phys. tex. 88. & 89. idq; sic habet. illud non videtur esse cuius pars nulla est: temporis autem nulla pars existit: pręteritum enim non est sed fuit, futurum non est sed erit, præsens autem non est aliud quàm nunc

Argumẽtum quo probant quidam tempus non esse in rebus.

indiuisibile,quod non potest esse pars temporis;nam cum sit indiuisibile,& infinito interuallo superetur à tempore, non potest aut metiri,aut componere tempus,quod est proprium partis.Atque hoc illi argumento,putant se tempus è rebus sustulisse. Sed hi contradicunt communi, & quasi naturali existimationi omnium hominum. Omnes enim de tempore, tanquam de re aliqua,& sentiunt & loquuntur. Vsurpant enim & dies & annos,& alias differentias temporis,veluti aliquid, quod in ipsis rebus inueniatur. Deinde,subuertunt Philosophiam naturalem,quę cum sit realis scientia,tamen agit de tempore,non solùm vniuersè & generatim, sed etiam speciatim de tempore, quod est mensura durationis in omnibus generibus,tam plantarum,quam animalium.Præterea discrepãt à sacris literis in quibus legimus Deum fecisse luminaria in firmamento cæli, vt diuiderent dies & noctes,& essent in signa & tempora,& alibi.Tuus est dies & tua est nox;& item, non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.Postremò,aduersatur rationi. Nam tempus est mensura motus, sed motus est ens reale, ergo etiam tempus.Non enim cõuenit, vt entis realis sit mensura imaginaria.Deinde,si nil aliud est tempus, quã motus numeratus secundum prius & posterius; habet autem motus in se prius & posterius quæ possunt distingui,ergo est ens reale.Postremò,aut tempus est ens fictitium; quomodo igitur tractatur in scientia? aut ens rationis, quomodo ergo tractatur in Physica? aut ens reale, quod nos volumus. Adde, quod sublata operatione animæ, vna res est diuturnior,& alia habet breuiorem durationem: vna est ante vel prior,altera est post vel posterior, quæ sunt differentiæ temporis.

Quinque rationib⁹ probatur tempus esse ens reale.

Soluitur argumẽtũ quo tempus è reb⁹ tollebatur

Ratio autem quam afferunt,si quicquam valeret,debuisset etiam mouere eos vt tollerent motum:nam in motu etiam nulla pars eius existit actu simul sed alia præcessit alia verò subsequitur.Soluitur autem ratio hoc modo.Aliud est ens permanens,aliud successiuum:illud vt sit,habere debet aut omnes partes suas, aut aliquas actu existentes, vt patet in homine & statua, hoc autem vt sit,nõ debet habere aliquam partem permanentem actu, sic enim non esset iam ens successiuum sed ens permanens.Sed ens successiuum dicitur esse,eum habet partes in continua quadam successione,ita vt prior copuletur cum posteriori per nunc præsens;sicut dicitur generatio perpetua, non quod aliquod generatum sit perpetuum,sed quia successio generatorũ vnius post alterum, est perpetua & nunquam interrupta. Dubitare igitur de tempore an sit, accidit his hominibus, qui aut ignorant, aut non

non animaduertunt tempus esse ens successiuum non autem permanens:& alio modo ponendam esse existentiam in successiuis quàm in permanentibus.

Opinio eorũ qui censent tempus res distingui à motu.

Alij autem è contrario censent,nõ modo tempus esse aliquid in rebus,sed esse rem quandam diuersam à motu.Nam in motu duo sunt consideranda:Vnum est forma illa imperfecta fluens à potentia ad actum secundum quam definitur motus actus entis in potentia prout in potentia. Alterum est duratio seu mora quam habet illa forma dum acquiritur,secundum quam distinctam per prius & posterius constituitur tempus.Quoniam igitur talis durat o seu mora,re distinguitur à forma quæ acquiritur,ideo necesse est tempus rem diuersam esse à motu.Præterea,motus mensuratur tempore,ergo tempusre differt à motu. nam si non differret,tempus mensuraretur tempore,oportet antè mẽsuram esse quid diuersum ab his quæ mensurantur. Postremò, Aristoteles reprehendit eos qui aiebant motum cæli esse tempus,vel quemlibet alium motum:& inquit non esse motum sed aliquid ipsius motus,hoc est, vt ipse planius dicit in duodecimo Metaphysicæ esse passionem motus. Quare tempus res diuersa est à motu.

Quatuor argumentis probatur tẽpus re non distingui à motu.

Sed hæc sententia nobis non probatur.Primò, quia tempus nihil aliud est quàm motus numeratus secundum prius & posterius:esse autem numeratum, non adiungit aliquam rem ipsi motui.Vnde Aristot.4.Phys.tex.99. inquit,priùs & posteriùs ipsius motus re esse idem cum motu,distingui autem secundum esse, hoc est secundum rationem.Deinde sumatur vlna qua metimur pannum,quæ vlna est lignum & mensura panni;sed esse mensuram,non est res diuersa a ligno. Vlna enim per se quidem est lignum,vt autem est signatè diuisa per palmos,est vlna seu mensura:sicut igitur se habet mensura ad lignum vlnæ,ita tempus ad motum. Denique si tempus res est diuersa à motu,aut erit res permanens;aut successiua, non permanens vt patet;si successiua, nullo modo erit aliud quàm motus,Conuenit enim ei definitio motus,quæ est esse actum entis in potentia,&c.Adde,quod si est ens successiuum , habebit suam durationem , & partes priores & posteriores,quocirca mensurabitur à tempore:& sic tẽpus mensurabitur à tempore.

Argumenta autem illorum,ita soluuntur. Primum quidẽ hoc modo:motus nõ est forma imperfecta sola,sed etiã fluxus illius, vel talis forma prout est fluens; intrinseca autẽ duratio illius fluxus non differt re à fluxu,sed tantùm ratione. Ad secundum ita respondemus Aristoteles vult tempus distingui à motu , non re

sed ratione addit enim tempus motui, esse numeratũ secundum prius & posterius. Ad tertium, Potest tempus comparari, vel cum motu cuius est accidens & passio; & sic non differt re ab illo, sed tantùm ratione; vel cum aliis motibus quorũ est externa mensura, & ab illis differt re: sicut vlna respectu ligni in quo est, non differt ab eo re: respectu autem panni vel aliorum quæ metitur, differt re ab illis.

Explicatur definitio illa temporis Numerus motus secundum prius, & posterius, *& primo loco exponitur illa prima particula* Numerus.

CAP. II.

POstis igitur opinionibus refutatis aggrediamur ad explicandã definitionem temporis quę traditur 4.Phy.tex. 121. his verbis *Numerus motus secũdũ prius, & posterius.* Et primùm doceamus qualis numerus sit deinde cuiusmodi motus, ad extremum quid sit illud *prius, & posterius.*

Quidã Latini interpretes faciunt triplicem numerum, vnum quo numeramus, vt ternarium, vel binarium: alterum, qui est res numerata vt duo oculi, vel quinque digiti; tertium qui numerat, & hunc aiunt esse intellectum. Sed hic postremus numerus olet nescio quid Platonicum potius, quàm Aristotelicum. Nam Arist. 1. lib. de Anima reprehendit Xenocratem, qui definiebat animã esse numerum. Inter duos autem priores numeros multùm differt. Prior est abstractus à rebus, sola cogitatione cohærens: posterior autem est coniunctus cum rebus: ille percipitur tantum intelligentia, hic potest etiã sub sensum cadere: ille est Mathematicus, hic Physicus; ille pertinet ad categoriam Quantitatis, hic autem ad diuersas categorias pro varietate rerũ, quæ numerantur: ille est accidens, & vnũ ens per se, hic autem non est ens per se, & nonnũquam est substantia: ille nõ multiplicatur secundum multitudinem eorũ, quæ numerantur, hic secundum varietatem rerum quæ mensurantur, multiplicatur. Tempus igitur dicitur numerus nõ ille prior, sed hic posterior, Tempus enim est quidpiam cõtinuum, coniunctum cum motu, & ens naturale; ex quo fit vt tempus nõ debeat reponi in quantitate discreta vbi est numerus, sed in quãtitate continua. Tempus enim secundũ rem est motus, qui est cõtinnus: participat tamen aliqua ratione discretę quãtitatis quatenus numeratur secundũ prius & posterius. Causa verò propter quam tempus dicitur numerus, est quia tempus est mensura, ratio autem mensuræ primũ conuenit numero seu vnitati. & propter hanc accommodatur etiam aliis rebus, vt ait Aristot.

Discrimẽ inter numerum cõiunctum eũ rebus, & ab iis abiunctũ.

Aristot. 10. Metaphysicæ, textu 2. & 3.

Verùm, quia cum dicitur tempus esse numerus motus, potest id bifariam intelligi; vel actiuè, vt sensus sit, tempus esse numerũ quo numeramus motũ; vel passiuè, videlicet tempus esse motum numeratũ; ideo dissensio est inter Auerroẽ quẽ sequuntur Latini, & inter Alexandrum quem sequuntur Themistius, & Simplicius. Auerroes enim 4. Phy. com. 102. & 103. vult illud. *Numerus motus.* legendũ esse actiuè, est enim tempori essentiale mẽsurare motũ. Nam si debuisset legi passiuè, non fuisset positũ, tempus est numerus motus, sed est motus numeratus. Prȩterea Arist. postquam tradidit definitionẽ temporis, probat tẽpus esse numerũ motus sic id quo metimur plus & minus, est numerus: sed tempore metimur pluré, & minorem motũ, ergo tempus eſi numerus. Hæc probatio vim & robur habet, si numerus sumatur actiuè.

An tempus sit numerus quo numerãmº an quinumeratur, Opinio Auerroys.

Sed ego magis assentior Græcis: quoniam Aristotel. apertè ait textu 102. & 110. tempus esse numerum, non quo numeramus, sed qui numeratur. Præterea, tempus non cognoscitur ex eo, quod numerat alia, sed percipitur ex eo, quod motus numeratur & distinguitur secundum prius & posterius. Amplius esse mensuram, est quidpiam respectiuum, tempus autem est ens absolutum, ergo mensurare non est essentiale tempori. Ad hæc tempus est passio motus, vt docet Arist. 12. Metaphysicę, textu 29. ergo definiri debet per motum, tãquam per subiectum in quo est: at mẽsura non est passio rerum quæ mensurantur, nec res mensuratæ sunt subiectum mensuræ. Postremò, cum omnis respectus, fundetur in aliquo absoluto, & esse mensuram sit quidam respectus, præsupponet vtique aliquid absolutum: mensurare igitur non primo, ac essentialiter conuenit tempori: & sicut vlna non habet quod sit vlna ex eo, quod mensurat pannum: sed mensurare posterius est & consequitur rationem iam constitutam ipsius vlnę, vlnæ enim esse constituitur ex eo quod est lignum quoddam numeratum & distinctũ in aliquot partes certæ & definitæ quantitatis: sic etiam mensurare non est essentiale tempori, sed passio consequens rationem temporis, ex eo quod est motus numerabilis secundum prius & posterius.

Opinio Græcorũ probabilior.

Quod autem aiunt quidam, tempus & esse numerum motus actiuè, & passiuè: nam si comparetur cum motu circulari, est numerus passiuè, quoniam est passio illius intrinsecè inhærens ipsi: si autem comparetur cum aliis motibus, est numerus actiuè, quia mensurat illos: vt verum sit, tamen neque satisfacit præsenti dubitationi: non enim quæritur an tempus sit numerus motus actiuè, id enim certum est, sed an hoc sit essentiale tempori, & an sic

debeat intelligi definitio temporis, neque consentit cum Aristotelis doctrina, qui vbicunque declarat, quomodo temporis sit numerus motus, semper exponit passiuè, vt supra ostendimus: & isti faciunt definitionem temporis vitiosam, nam illud *numerus motus* cum sumi debeat secundum illos actiuè & passiuè respectu diuersorum, ambiguū esset: motus item cum debeat referri partim ad motus circulares, partim ad alios motus, esset nomen æquiuocum & perobscurum.

Argumentis autem Auerrois, facile est occurrere. Namcum ait, si deberet intelligi passiuè, non debuisse dici (numerus motus) sed (motus numeratus) futile est, hoc enim vocabulum (numerus) seu mensura, tam pro eo quo numeramus, quàm pro re numerata vulgò vsurpamus: dicimus enim quempiam comedisse modium tritici, aut libram carnis, aut bibisse dolium vini, hoc est comedisse triticū numeratū modio, & vinū mensuratū dolio sic tēpus est numerus motus, id est motus discretus & numeratus secundum prius & posterius. Probatio autem Aristot. non est à priori, sed à posteriori: quod indicat illud verbum (signum) demonstratio enim à signo, est à posteriori; atque vis probationis Aristotelis est in hoc: si enim per tempus metimur alios motus, hoc est signum, ipsum tempus esse aliquid definitum & mensuratum: velut si per vlnam metimur pannum, signum est, vlnam esse lignum aliquod diuisum & distinctum in certas partes. Est igitur tempus numerus motus, nam mensura debet esse eiusdem generis cum his quæ mensurantur, si ergo motus mensuratur tempore, oportet tempus esse quoque motum numeratū, vt est apud Arist. 4. Phy. tex. 113. & 10. Met. loco suprà dicto.

Non esse addendum in definitione temporis, ipsum esse numerum motus & quietis.

CAP. III.

Quies non debet adiungi in definitione temporis.

HInc apparet, eos qui putarunt in definitione temporis addendum esse *numerus motus*, *& quietis* fuit autem vetus hæc opinio, vtpotè quàm Alexander (referente Simplicio) commemorat, atque refellit, dupliciter fuisse deceptos. Primò, quia illud *numerus motus* sumebāt actiuè, quasi tēpori esset tiale esset mensurare, & quia non solùm motus, sed etiam quies mensuratur à tempore, ideo putabant nomen etiam quietis esse primendum esse in definitione temporis. Sed, vt Alexāder inquit & nos supra ostendimus, mensurare accidit tempori, substantiæ autē eius consistit in eo quod est habere prius & posterius mensuratū cum successione, quod propriè non conuenit quieti: alioquin quies esset motus; ideo tēpus non est in quiete sicut est in motu. Deinde, quamuis esset tempori essentiale mensurare, tamen quia quies non per se primò, sed, vt inquit Aristoteles, tantum per accidens mensuratur à tempore, hoc etiam nomine non debuisset poni in definitione eius. Quod enim est per accidens, non ingreditur definitionem rei. Vnde, neq; in definitione visus ponuntur tenebræ, sed definitur visus facultas percipiendi lumē, & colores.

Quo pacto tēpus per accidens mensuret quietem.

Quomodo autem tempus mensuret quietem, sic debet intelligi. Primò, tempus mensurat quietem, vel quia sicut rectum per se quidem est mensura recti, quod est illi congruens, per accidens autem obliqui, quatenus obliquum non est rectum, sed discrepans ab eo: sic tempus cum sit ens successiuum, per se quidem est mensura motus qui habet successionē; per accidens autem quietis quatenus est priuatio motus, dicitur enim aliquid tanto tempore quieuisse, quia tanto tempore non est motum, & quia tanto tempore moueri poterat: vel quia quies vnius corporis, semper est cum motu alterius qui per se mensuratur à tempore, per accidens autem quies coexistens illi. Vel quies dicitur mensurari per accidens, quia id quod per se mensuratur, debet habere has conditiones, vt sit eiusdem generis cum mensura, id est qualem habet mensura quantitatem, talem habeat mensuratum: deinde, vt possit contineri vel circumscribi à mensura, & sic motus per se mēsuratur à tēpore, nam omnis motus circūscribitur terminis ipsius temporis; quocunq; enim motu potest sumi tēpus maius: deinde, motus habet quantitatē successiuā sicut tempus, quare est Homogeneum illi, quies autē per se non mensuratur à tempore, quia deest illi secunda conditio; non enim habet quantitatē successiuam sicut tempus, sed tantum per accidens quonjam habet priorem conditionem, nimirū quia continetur finibus temporis.

An esse rerum generabilium mensurentur tēpore.

Pari ratione existimandum est, esse substantiale rerum generabilium & corruptibilium mensurari à tempore. Nam quamuis sit indiuisibile, & totum simul carens omni successione, tamen quia incipit & desinit, & continetur à tempore, estque perpetuò coniunctum cum accidentariis mutationibus per quas & producitur & corrumpitur, mensurari debet à tempore. Non igitur assentior Scoto qui vult tale esse rerum corruptibilium mensurari æuo; neque Heruæo qui in 2. Quodlibeto quæstione 12. inquit huiusmodi esse non mensurari tempore quia est indiuisibile carens successione, quam habet tempus, mensuratum autem debet esse Homogeneum mensuræ suæ; nec mensurari æuo, quia habet principium & finem; sed mensuratur, inquit, nunc temporis discreti quod est mensura operationum Angelorum;

quid sit autem hoc tempus discretum infrà explicatur. Sed ratio Heruei tantũ cõcludit hoc (esse) non mensurari tempore per se primò sicut motum, quod nos etiã sponte concedimus. Rectius igitur D. Thomas 1. part. q. 10. art. 4. in responsione ad 3. & Durandus 2. sen. dist. 2. q. 6. volũt tẽpus esse, mensurã cõmunem motui quieti & esse rerum generabilium; quod valde cõgruit cum his quæ scribit Aristoteles 4. Physic. tex. 120. dicens quæcũque terminantur à tẽpore, & aliquando sunt & aliquando nõ sunt, mensurari ab eo. Itaque solũ res æternas & impossibiles excludit à tempore: res autem omnes generabiles subiicit tempori. Verùm his de rebus plura dicturi sumus infrà cum de æuo disputabimus.

An ratio temporis pẽdeat ex operatione animæ.

Sed dicet quispiam, si tempus est numerus, numerus autem nõ existit sine actione animæ, quoniam numerare proprium munus est animæ rationalis; tempus igitur existit in anima: quare vel erit res fictitia, vel ens rationis. Respondeo, duo consideranda esse in tempore. Vnum materiale, quod est motus: Alterum formale quod est esse numeratum secundũ prius & posterius. Motus quidem secundum partium successionẽ actu est extra animã; dupliciter autem dependet ab anima: primùm effectiuè, quatenus omnes alij motus dependent à motu cæli, hic autẽ ab Intelligentia quæ à Peripateticis vocatur Anima cæli. Platonici etiã animã Mundi, aiunt esse fontem omnium motuum. Deinde, dependet etiam ab anima quatenus de ipso motu nihil est actu præter indiuisibile quoddam. Nam alia pars præteriit, alia futura est, simul autem totus motus actu existere non potest nisi per actionem animæ quæ totu motũ simul actu apprehẽdit, considerãs priores partes atque posteriores eásque conferens inter se. Tẽpus igitur cum sit re idem atq; motus materialiter quidem sumptum, eodem modo pendebit & non pendebit ab anima atque motus; & quemadmodũ nemo dicet motum esse ens rationis, propter aliquam eius dependẽtiam ab anima; ita neque de tẽpore id censeri & affirmari debet. Formale antẽ ipsius temporis, necessariò eget opera intellectus; nam siue quiditas temporis sit esse numeratum secundum prius & posterius, cum nihil sit vel actu numeratum, vel potẽtia numerabile, nisi in ordine ad numerantẽ, qui est animus hominis, necessariò tẽpus includet respectum ad animam; siue etiam ratio temporis in eo consistat vt sit mensura motũ, idem quoque eueniet. Nam ratio mensuræ, actu non conuenit alicui nisi ex operatione animæ; ergo quamuis extra animam vnaquæque res habeat suam durationem, alia quidem longiorem alia breuiorem (quomodo potest dici etiam esse in tẽpore) tamẽ eiusmodi duratio non potest esse numerata & distincta secundum

cundum prius & posterius, neque potest adhiberi tanquam mensura ad metiendos motus (in quo tamen propria temporis ratio formaliter consistit) sine operatione animæ.

Atque hoc quidem, exemplo vel similitudine vlnæ lineæ illustrari potest: Lignum enim vlnæ per se habet quantitatem (verbi gratia) quatuor palmorum; sed designatio & distinctio illorum palmorum, adhibitio item illius ligni ad metiendum pannum vel aliud quidpiam, fit opera, & industria hominis: similiter de tempore sentiendum est. Talis autem dependentia temporis ab anima, non arguit ipsum esse vel figmentum, vel ens rationis. Nam quod anima numerat in motu, non fingit ipsa sibi, sed in ipso motu reperit: quemadmodum videre est in exemplo vlnæ. Similis autem dependentia ab anima reperitur in relatione, in numero, & in cunctis rebus vniuersalibus, in quibus scientiæ versantur. Hoc enim discrimen est, auctore Auerroe 88. com. 4. Phy. inter ens incompletum, cuiusmodi est tempus, & ens completum vti est homo & lapis; quòd illud accipit suum complementum per operationem animæ, hoc autem minimè. Quam sit vera & consentiens doctrinæ Aristotelis hæc solutio, videre licet tum apud Aristo. 4. Phy. tex. 131. tum apud Græcos interpretes in expositione illius tex. vt Themistium, Simplicium & quos ibi refert Simplicius: & apud D. Thomã, ibidem: apud Auerr. autem 4. Phy. 88. com. & 109. & 131. Sed quomodo tempus sit numerus, satis explicatum sit: sequitur vt duas alias definitionis particulas breuiter exponamus.

Declarantur duæ aliæ particulæ definitionis, nimirum

Motus & secundum prius & posterius.

CAP. IIII.

Antẽpus sit numerus solius motus cælestis an cuiusuis motus.

Deinceps videndũ est, cuiusnam motus sit tẽpus numerus. Tẽpus præcipue est in motu cęli, quoniã is est primus, & causa aliorũ omniũ: & minimus, id est velocissimus præsertim primi mobilis; & certissimus, & maximè vniformis, & notissimus omnibus, & vniuersalis apud omnes. In triplici aũt motu cælesti præcipuè consistit tẽpus; primùm in motu primi mobilis, per quem sol facit dies & noctes. Deinde, in motu proprio solis, per quẽ cõstituit annos. Postea in motu Lunæ, ex quo numeratur mensis: cęterorũ autẽ Planetarũ motibus, quoniã non sunt omnes manifesti vulgo, nõ assignatur ratio temporis. Atq; hoc tẽpore, quod est in motu cæli, vtuntur omnes gẽtes, & continentur durationes rerum sublunarium, & de eo præcipuè loquuntur Philosophi; in aliis autem motibus, qualescunque fuerint, licet minus principaliter, tamen etiã reperitur ratio

tēporis. Nā tēpus motus est numeratus secundum prius & posterius, omnis autem motus habet prius & posterius, quare in omni motu inest ratio temporis. Deinde, Arist. inquit etiam si fuerimus in tenebris, neque moueamur corpore extrinsecus vllo motu Physico, sed tantùm animo agitemus aliquid, ex sola cogitatione num duratione, & successione secundum prius & posterius, sentiri, & deprehendi à nobis tēpus. experientia item hoc docet. Adhibemus enim varia genera horologiorum, vt motibus eorum vtamur pro tempore ad metiendas actiones nostras. Præterea, si fingamus tolli motum cæli, & remanere motus aliquorū, corporum nihilominus tunc motus vnius corporis cōparatus aliis, erit aut velocior aut minus velox aut æquè velox. Omnis autem velocitas mensuratur tempore. Quare tunc etiam tempus esset. Tempus igitur definitur esse numerus motus, nō modo cælestis, sed cuiusuis motus.

An sit vnum tempus apud omnes.

Verum dicet aliquis, si tempus reperitur in quolibet motu, ergo erunt multa tempora simul quod videtur Aristoteles habere pro absurdo, affirmans vnum tantummodo tempus esse apud omnes. Respondeo, tempus materialiter quidem, multiplicari, sicut multiplicatur motus; formaliter autem minimè. Nā si simul fiat augmētatio, & alteratio quamuis isti motus per se differant genere, tamen dicuntur esse in eodem tempore, quatenus nō differunt secundum differentias temporis. Quod Aristoteles declarat exemplo numeri; denarius enim hominum & equorum, per se quidem formaliter idem est, non enim differunt decem equi à decem hominib. vt decem sunt; materialiter autem secundum res numeratas differunt: sic tempus dicitur esse vnum apud omnes, quia ratio & præteriti & futuri & præsentis, eadem est in motu, quanquam motus, qui subsunt his differentiis, non sint idem: sicut ternarius per se quidem idem est vbique, & apud omnes gentes, res autem, quæ numerantur, non sunt eædem. Ergo formales differentiæ temporis, sunt præteritum, præsens, futurum, & quæ his differentiis distinguuntur, ea differunt tempore formaliter: quæcunque autem sunt sub vna ratione temporis illarum trium, ea licèt inter se plurimum differant, non tamen distinguuntur tempore, nisi materialiter. Tempus igitur vnum est formaliter & specificè, at materialiter & numericè est multiplex.

Quod autem aiunt quidam Latini Philosophi, tempus vnū numero, esse quoniā aiūt tēpus subiectiuè tantū consistere in motu primi mobilis, qui est vnus apud omnes; multis de caussis falsum est. Primo, quia ratio temporis non tantùm est in motu vnius cæli, sed est in motu primi mobilis, & in motu proprio solis, & in motu Lunæ, quare tametsi demus tēpus subiectiuè non esse nisi in motu cæli, non tamen ex eo confici potest, esse tantummodo vnū numero tempus. Deinde, tempus subiectiuè est in omni motu, vt antea diximus. Præterea, ipli volunt tempus esse vnū numero simpliciter, & omni modo. Aristoteles autem vult esse vnum tantùm formaliter; variari autem materialiter, sicut patet in numero tertio, sic enim vult Arist. tempus esse vnum, sicut ternarius est vnus: neque Arist. ad ostendendam vnitatem temporis vnquam confugit ad motum primi cæli, sed semper ait vnitatem temporis esse similem vnitati numeri: constat autem ternarium formaliter esse vnum, materialiter autē multiplicari ratione rerum numeratarum; sic etiā ratio temporis vna est formaliter apud omnes; sunt autem multa tēpora materialiter, quoniam sunt multi motus, in quorū vnoquoque inest ratio tēporis. Si autem tēpus ponitur in motu cæli, hoc non est, quia in eo tantū sit tēpus; sed quia est in eo principaliter, propter causas initio huius capitis expositas. Hæc indigent magna consideratione. Etenim, *Nota hoc.* hoc quod diximus, à paucis Latinorum interpretum, animaduersum fuit. Græci autem in hac quæstione declaranda vehementer laborant. Themistius quidem reliquit insolutā: Simplicius verò & Iamblicus ad eam dissoluendam vtuntur decretis Platonis de Idea temporis. Nobis ad eam dissoluendam facultatem & quasi lucem præbuit tex. 132. & 134. quarti libri Phy. Arist. qui si considerentur attentè, continent apertè hanc eandem solutionem.

Sed videamus, quid sit illud *prius & posterius*, quod ponitur in definitione temporis. Prius & posterius, vel sumuntur abstractè pro nudo respectu prioritatis, & posterioritatis, vel concretè pro partibus motus habentibus talem respectū, & sic sumuntur hic. Habet autem motus prius & posterius & à magnitudine, & à tēpore; à magnitudine quidem, secundum ordinem & situm, à tempore autem secundum durationem, motus enim mensuratur & à magnitudine & à tempore, à magnitudine quidem secundum longitudinem & extensionem, à tempore verò secundum suam durationē. Quod autē, non possit omnis motus secundū durationem suam mensurari à magnitudine, sed a tempore, hinc patet, Primò, quia duratio altērationis, cum talis motus non fiat super magnitudinem, non potest mensurari ab ea. Deinde, sint duę magnitudinis æquales, super quas fiant duo motus locales, vnus in duabus horis, alter in vna: inæqualis duratio istorum motuū, non poteſt attēdi penes magnitudines super quas fiūt, cùm sint æquales inter se, sed necessariò referri debet ad tempus. Similiter sint duę magnitudines inęquales, minorē trāseat mobile in vna hora, *Motus localis diuersa ratione mensurātur à magnitudine & à tempore.*

maiorem autē pari tēpore transeat alterum mobile: isti duo motus habent æqualem durationem, cū tamē fiant super inæquales magnitudines, mensura igitur durationis horum motuum, nō est magnitudo, sed tempus: prius igitur & posterius, quæ in motu constituunt rationem temporis, non attenduntur penes extensionem mobilis vel spatij, sed penes durationem successionis.

An sit vnum & idem, Nūc, in toto tēpore.

Quid autē Aristoteles videtur dicere, & à multis affirmari solet, idem esse (Nunc) in toto tempore, simpliciter quidem falsum est; nam cum tempus sit successiuum, nihil illius potest diu esse permanens, & cū ipsum nūc non sit nisi in partibus temporis vel terminādo, vel continuando, vel diuidendo ipsas, sicut partes temporis, neque sunt eadem, neque permanentes, ita ipsum nunc. Si igitur dicitur esse idem (Nunc) dupliciter debet intelligi, vel quia ratio ipsius (nunc) quæ est esse præsens, semper est eadem, quamquam varietur prout est in diuersis partibus temporis. Nam aliud est nunc in præsenti, aliud in futuro. Atque hæc videtur esse Arist. sententia, vt patet consideranti text. 103. & 104. & quæ scribunt Græci explanātes illos textus: vel sicut Mathematici imaginantur lineam fieri ex fluxu punctī, in qua generatione lineæ, idem punctum manet continenter fluens, sic imaginamur, nunc, fluēs facere tempus; secundum quam imaginationem, videtur manere idem nunc id quod Aristoteles declarat exemplo mobilis in amicut se habet tempus ad motum, sic nunc ad mobile, ergo à cōmutata proportione, sicut mobile ad motum, ita nūc ad tempus: quare sicut manet idē mobile in toto motu, tamen aliter, atq; aliter sese habens, ita cogitandum est manere idem nunc in toto tempore aliter & aliter se habens: hoc etiam modo præsentem difficultatem D. Thom. prima parte quæst. 10. art. 4. in responsione ad secundum.

Atq; hæc ferè sunt quæ de tēpore à Physico doceri & cognosci debent. Verū, libet hoc loco, angustos Physiologiæ fines trāsire, & in amplissimis Metaphy. ac Theologiæ spatiis aliquantulū excurrere, trēsque tractare quæst. in primis nobiles & graues. V. nam de duratione; Alterā de æternitate: Tertiam de æuo; quarum est difficilis quidē explicatio, sed vtilis & iucunda cognitio. Etenim tres sunt mensuræ durationis, tempus æternitas, æuum. Vel enim duratio habet principium & finem, qualē durationē cernimus in rebus sublunaribus: eius autē durationis mēsura tēpus est nam licēt tempus dicatur esse mensura motus, intelligēdum tamen est, id quod in motu metitur tempus, non esse aliud, quàm moram & durationē motus. Vel duratio caret principio & fine, quam durationē metitur æternitas: Vel denique habet initiū, sed caret

caret fine, quod genus durationis, Deus tribuit Angelis, cælis animis nostris, & materiæ primæ, atque huiusmodi durationis mensuram Theologi appellant Æuum. Cum igitur de tempore iam dictum sit, deinceps de æternitate & æuo dicendum est. Sed ante hæc agendū est de duratione, sine cuius cognitione, reliqua duo, nec commodè tractari, nec plenè planéque possent intelligi.

Quid sit duratio. CAP. V.

DE duratione explicandum est, quid, & quotuplex sit: vt & natura Durationis, & varietas eius cognoscatur. Quid autem sit duratio, præmissis ac declaratis nōnullis propositionibus, facilius intelligetur.

Prima propositio. Duratio habet in sē certam aliquam rationem quantitatis: hoc ita probatur. Duratio est mensurabilis vel tempore vel æuo vel æternitate; sed esse mensuram & mensurabile, est affectio quantitatis, ipsi quidem per se conueniens, propter ipsam autem aliis omnibus in quibus illa affectio reperitur ergo in duratione necesse est reperiri rationem aliquam quantitatis. De minori non est dubitādum, cum Arist. in 10. li. Metaph. text. 2. scribat rationem mensuræ propriè conuenire quantitati, eamque à quantitate transferri ad alia, quibuscunque accommodatur: mensuram. n. id esse, quo quantum quidq; sit, cognoscitur. Sed quantitas quintuplex est; vna magnitudinis, altera multitudinis, tertia ponderis, quarta perfectionis, quinta durationis; quisextam addunt aliqui, nimirum quantitatem intensionis, quam cernimus in qualitate suscipiente magis & minus: quæritur. n. quantus sit calor vel candor, & responderi solet, esse vt quatuor, vel vt sex, vel vt octo; & quamuis ad exponendam intensionem qualitatis, consueuerint Philosophi vsurpare vocabula magnitudinis & numeri, cuiusmodi sunt magna vel parua intensio, & dicitur qualitas intensa vt duo, vel vt quatuor: nemo tamen est, qui non videat longè diuersam esse rationē quantitatis in qualitatis intensione, quàm vel in extensione magnitudinis, vel in multiplicatione numeri. Alij reducūt quantitatē intensionis (nec meo iudicio mēptè) ad quantitatē perfectionis; facientes duplicē perfectionem rei; vnam secundum essentiam, quæ in eadem specie non augetus aut minuitur: alteram secundum esse & secundum vim agendi, quæ in nonnullis rebus suscipit magis & minus: ergo ad quantitatem perfectionis huius posterioris modi, reducatur nunc quantitas intensionis & quantitas (vt ita loquar) actiuitatis. Si quis autem contendat hæc inuicem disiungere ac separare, cum hoc ego non magnopere pugnabo.

Quin'uplex vel sextuplex quantitas

Secunda propositio. Duratio rei est diuersum aliquid ab essen

tia rei. Tria sunt, quæ in qualibet re, magna inter se cognatione atque connexione iuncta inueniuntur; essentia rei, existentia eius, & duratio: prima secundum rationem & ordinem naturæ, est essentia; secundum hãc proximum locum tenet existentia; vltimum duratio; nam sicut essentiã præsupponit existentia, sic hanc præsupponit duratio; ex cuius cum aliis duab⁹ cõparatione, quid ipsa duratio sit, clariùs dispici poterit. Ac si quidẽ quod in hac secunda propositione dicitur, durationẽ rei distingui ab eius essentia, facile est ostendere verum esse. Etenim duratio nõ potest intelligi sine existentia, sine qua tamen essentia potest animo concipi & definiri: ipsum namque quod quid est, abstractum est ab esse & non esse, cum ipsum per se sit necessarium atque immutabile, qualis nõ est existentia. Deinde essentia nõ suscipit magis & minus, non.n. est in eadẽ specie maior aut minor: duratio autem suscipit magis & minus, & nõ mutata essentia potest res maiorem vel minorẽ accipere durationẽ. Adhæc, possunt esse duæ res eiusdem essentiæ, diuersæ tamen durationis, vt homines qui sunt eiusdẽ essentiæ, propter varietatẽ tamen climatũ temperamentorum, aliarúmq; rerum, variã habent durationẽ: nonnunquã etiam cõtra accidit, quę diuersam essentiam habent, ea simili duratione teneri, vt omnes Angeli pari duratione sunt prædicti, qui tamen aut omnes aut certe multi diuersam habent naturã. Non est alia duratio cęli quàm Angeli, essentia verò lõgè diuersa est.

Probatur durationẽ esse aliud quidpiam quàm essentiã rei.

Duratio re non distinguitur ab existẽtia rei.

Tertia propositio. Duratio re nõ differt ab existẽtia. Hoc probatur: primò, quia idẽ est quęrere quandiu duret res aliqua, quod quęrere quandiu res illa existat; & idem est dicere rem aliquam esse breuis aut longæ durationis, quod esse longę aut breuis existentiæ. Postea, quemadmodum se habet extensio quantitatis ad quantitatem, & intensio qualitatis ad qualitatem, ita se habet duratio existentiæ rei ad ipsam existentiã; cum duratio sit quasi extensio quædam (quod paulò infra docebimus) ipsius existentiæ; sed nec extensio quantitatis re differt à quantitate, nec intensio qualitatis à qualitate, ergo pari ratione duratio re non differt ab existentia. Prętera, si duratio (verbi gratia) equi res diuersa est ab existentia equi, ergo duratio & existentia sunt duæ res: vocetur igitur existentia A. & duratio vocetur B. quęro cum B. sit res quædam, ergo existit & durat, neque enim hæc duo ab vlla re separari possunt, vel igitur duratio ipsius B. est res diuersa ab eius existentia, vel non est diuersa, si non est res diuersa, ergo similiter à principio dicere oportuit ipsum B. quæ erat duratio equi, re non distingui ab ipso A. quæ erat existentia equi, & ita obtinebimus quod volumus: sin autem est res diuersa, quod de ipso B. quæritum

B. quæsitum est, idem quæri potest de duratione ipsius B. & de aliis deinceps, quare necesse esset nusquam cõsistere, sed procedere in infinitũ. Postremò, si existentia & duratio sunt duæ res inter se diuersę, ego nullam video causam cur non posset Deus si vellet eas inuicem disiunctas & separatas seorsim vel producere vel iam simul productas separatim conseruare; ponamus igitur hoc factum esse à Deo, ex qua positione nullum sequi debet impossibile, quia possibili posito in actu, nullũ sequi debet impossibile, sed huiusmodi positio manifestã inuoluit contradictionẽ, hinc enim efficeretur, rem aliquam durare in mundo, & tamen eam non existere: & contra rem aliquã existere, carentem omni duratione, quod fieri non potest; quamobrem illud perspicuè falsum est, nimirum durationem re distingui ab existentia, ex quo tanquam fonte, hæc manant incommoda.

Quomodò duratio distinguatur ab existentia.

Quarta propositio. Duratio secundum rationem distinguitur ab existentia. Etenim ratio existẽtię in eo tantum est vt res sit ex tra causas suas, & vt actu sit in modo: hoc.n. significat existere, ex vero longo vel breui tempore, non includitur in ratione existentiæ. Duratio autem significat quantitatẽ seu extensionem ipsius existentię, acvelut quandam eius morã, vt sicut se habet extensio ad quantitatem & intensio ad qualitatẽ, ita se habere videatur duratio ad existentiam. Videtur.n. duratio habere in se ordinem ad tempus vel alias mensuras durationis, ex quo fit vt propriè in duratione dicatur longum & breue, finitum vel infinitum. Deinde cum existere idem sit quod actu esse in rebus, hoc autem æquali ter fit in omnibus quę actu sunt, nõ potest existẽtia suscipere magis & minus, neque.n. existentia substantialis vnius hominis magis est vel maior est existentia, quàm alius cuiusuis hominis existentia: Duratio verò suscipit magis & minus, augetur & minuitur, non.n. si quilibet homo æqualiter actu est atque alius quiuis hominum, etiam omnes homines æqualiter perdurant, sed est aliorum longior & aliorum breuior duratio. Postremò, causa existentiæ sola est forma, Aristenim tam in 2. lib. de Anima, tex. 36. quam in 5. lib. Metaph. text. 15. docet formam esse causam eius existentiæ ac eius esse quod habet res quęlibet, quod.n. res actu sit soli formæ tanquam principio intrinseco acceptum ferri debet, vt ostendit Aristot. 2. lib. Phys. text. 11. Duratio autem rei, vel non prouenit ex forma, vel multo magis ex bona dispositione materiæ, ex remotione item contrariorum, & ex adiunctione rerum conuenientium quæ rem tuentur atque conseruant. Perspicuum igitur est Durationem, saltem ratione, distingui ab existentia.

Descriptio durationis.

Posset igitur duratio (vt ex iis quę dicta sunt aliquam eius definitionem cõficiamus)ad hunc modum describi. *Duratio est quantitas seu extensio seu mora quædam ipsius existentiæ.* Sed quid, si res aliqua vno tantum instanti existeret? nunquid eiusmodi res nõ haberet durationẽ?haberet sanè aliquo modo durationem,sed non propriè,quippe cum duratio videatur esse productio quædam& continuatio & permanentia eius esse quod per productionẽ acceptum est,in esse autem,quod vno tamẽ momento manet,nec potest intelligi productio siue prolongatio eius, nec continuatio nec etiam cõseruatio. Ex hac autem descriptione vel potius notione durationis, duo licet colligere. Vnum est, etsi quiditati rei,vt est quiditas,conueniat mensura perfectionis , siquidem vnaquæque quiditas habet definitam perfectionem essentialem, alia quidem maiorem & alia minorem;duæ.n.quiditates quę parem perfectionem essentialẽ habeant,esse non possunt;licut nec duæ species numeri habentes æquales vnitates , mensura tamen durationis nõ potest cõuenire quiditati, vt quiditas est:nõ.n.duratio vlla cõuenit quiditati,nisi propter eius existentiam, si igitur à quiditate separes existentiã , nulla prorsus durationis ratio cõueniet quiditati. Quare inconsideratè faciunt nonnulli: qui etiam ipsis quiditatib. accõmodant nescio quas mensuras durationis,nempe vel æternitatẽ,vel æuum,vel tempus discretum,vel aliud quidpiã.Alterum est,durationẽ non distingui secundũ rem ab essentia rei;nam si duratio re nõ differt ab existentia(vt paulò ante ostendimus)existentiã autem re nõ distingui ab essentia demõstratum est à nobis in 6.libro huius operis,relinquitur durationẽ etiã re nõ distingui ab essentia.Verũ Thomistæ qui realiter distingunt existentiã ab essentia,realiter etiã distinguerent durationem ab essentia.Sed quid est duratio,hactenus dictum sit

De varietate durationis,quæ nascitur ex varietate ipsius existentiæ.

CAP. VI.

Varietas Durationis.

QVotuplex sit duratio,paucis nunc exponendũ est. Ac cum duratio sit quantitas , seu extẽtio ipsius existentiæ,varietas durationis spectari potest , tum ex parte existentiæ,tum ex parte quãtitatis & extensionis quę in existẽtia.Ex parte existẽtię,multiplex oritur varietas.Primum enim,existentia alia est per se vt subsãtię,alia in alio, vt accidentis absoluti,alia in alio & ad aliud,vt accidentis relatiui : addunt nonnulli existentiã cum alio,vt materię & formę,nã materia non existit nisi cum forma,nec forma nisi cum materia:neutra.n.aut existit per se,quia nõ est substantia cõpleta , aut in alio tanquàm in subiecto,quia non est accidens. adiungi posset alius modus e-

modus existendi nimirũ per se existere simul & in alio,siue cum alio existere,qui soli animę rationali cõuenit quippe quę per se dicitur existere quatenus est materialis & secundum esse independens à corpore,potensq; corrupto corpore per se existere; dicitur etiã existere in alio siue cum alio,quatenus est actus corporis & pars hominis:animus.n.vna cũ corpore, hominis naturam constituit & cõplet.Deinde,existẽtia alia est à se extrinsecè & intrinsecè,quæ est propria Dei;qui quoniã est simplex, non habet intrinsecè esse a partibus,quoniã autem est primum ens,non habet esse ab alio extrinsecè: alia est à se intrinsecè sed extrinsecè ab alio.vt esse Angeli:alia est tã extrinsecè,quàm intrinsecè ab alio,vt hominis & cuiusuis substantię copositę.Harum autem,prima est indefectibilis omnino:secũda est indefectibilis intrinsecè sed est defectibilis extrinsecè,tertia est defectibilis tam intrinsecè quàm extrinsecè. Præterea existentia alia est permanens, & alia successiua;quædam.n.res habent esse permanens vt homo & lapis;alię verò habẽt esse successiuũ,& in fluxu vt motus & tẽpus.

Opinio quorundã negantiũ vllam rẽ ẽpter Deũ, habere esse permanens & totum simul

Si fuerunt nonnulli(quorum opinionem refert,atque confutat Flenricus Quol.5.q.11.)qui arbitrabantur nullam creaturam habere esse permanens,& totũ simul;id.n.esse proprium Dei,commune autem esse omnis creaturę,habere suam existentiam quasi in perpetuo quodam fieri,& in cõtinuo fluxu.Hoc autem confirmabant testimonio D. Augustini,qui declarare volens quomodo creatura in esse pendeat a Deo,ponit exemplum aëris illumi nati lib.8.super Genesim cap.12.aër(inquit)*præsente lumine non est factus lucidus,sed fit lucidus,si enim non fieret,sed factus esset lucidus,etiam absente lumine lucidus maneret* ex quo licet colligere,creaturam(secundum Augustini sententiam)semper fieri,nunquam factam esse à Deo:si.n.facta esset,etiam si Deus eam nõ conseruaret,nihilominus tamen esse suũ tueri,ac retinere posset;at si creatura haberet esse permanens & totum simul,non posset ritè dici eam fieri, sed potius iam factam esse:nam in quibus fieri distinguitur à facto esse , ea cum fiunt, partim sunt, partim non sunt, quare quę sunt eiusmodi, ea nõ queunt habere simul totũ suum esse.Hùc etiam pertinet,od quod Iob de homine ait, quòd nunquam in eodem statu permanet.Deinde;esse cuiuslibet creaturæ conseruatur à Deo,sed conseruatio non videtur aliud esse,quàm continuata productio ipsius esse; & conseruare rem dicitur esse continuare productionem eius,quocirca D.Th.1.par.qu.9.art.2. ait Deum non aliter conseruare omnes res in esse,quàm semper dando illis esse; relinquitur igitur esse cuiuslibet creaturæ semper dum creatura manet fieri ac fluere à Deo,ac proinde nõ esse

totum simul. Hæc illi.

Refutatur illa sententia.

Horum sententia nō est dissimilis opinioni Heracliti & aliorum quorundam Philosophorum aientium res omnes cōtinenter labi & fluere, nihilq; vel puncto temporis, in eodē statu manere: cōtra quos disputat Arist. in 4. Metaph. Sed illos redarguere non est difficile: nullam. n. rem esse permanentem, est cōtra euidentiam rerum sensibus per se notam, secundum quos percipimus quasdam esse permanentes, & alias fluentes: est contra dicium & sententiam omnium ferè Philosophorum, qui probant & tradunt diuisionem rerum in permanentes & successiuas. Verùm vt etiam ratione aliqua opinionem illā labefactemus, eam falsam esse ad hunc modum argumentari possumus. Si esse equus non est permanens & totum simul sed fluens, & per partes accedens, vel igitur priores partes istiusmodi esse, abeunt aduentu posteriorum partium, vel manent: abeunt ac pereunt, ergo equus similiter etiam perpetuò interit & gignitur; variata. n. existentia necesse est vna variari naturam rei secundum generationem & corruptionem; tum quia res nō est nisi propter existentiam, tum quia existentia re nō differt ab essentia; atq; hinc efficeretur nullius creaturæ esse cōseruari à Deo; siquidem id cōseruari dicitur, quod idem manet aliquandiu; sed nulla pars ipsius esse maneret eadem aliquandiu propter perpetuū fluxum ipsius esse; ergo nulla pars cōseruaretur. Sin autem omnes partes ipsius esse, licet acquirantur successiuè, simul tamen manent, sicut cōtingit in calore qui per partes, & gradus producitur in aqua, hinc primùm fieret, ipsum esse, augeri & suscipere magis & minus, & cum esse sit effectus formæ substātialis, nec sit res diuersa ab essentia, omnis etiam forma substantialis omnisq; substātia susciperet magis & minus. Deinde si priores partes manent, ergo iam illę habent esse permanens, & cum illę sint iam productę, nec amplius producantur, cōseruentur tamen à Deo, necesse est fateri cōseruationē rei nō esse (si verè ac propriè loqui volumus) perpetuam & cōtinuatam productionem rei, vel cōtinuatum influxum ipsius esse à Deo in rem quæ cōseruatur. Quòd si accessionem illam & adiunctionem posteriorum partiū ipsius esse ad priores partes, appellare volunt cōseruationē, id sanè est abuti vocabulis, id. n. non est conseruare ipsum esse rei, sed id potius augere & ampliare, sicut in productione caloris, adiuncto posteriorum graduum eius ad priores (ponamus enim nunc exempli gratia intensionem caloris fieri per additionem gradus ad gradum) non vocatur, nec verò est, conseruatio caloris, sed eius accretio, vel intensio.

Solutio cōtrariorum argumentorum.

Diuus autem Augustinus, illis verbis illóque exemplo, quod paulò

Paulo superius adduximus, nihil aliud, (quod planè manifestum sit locū illū cōsideranti) significare voluit, quā creaturas nō solū indigere virtute & ope Dei dum producuntur, sed tandiu etiam quandiu sunt. Verùm, quia quæ apud nos fiunt, ea videmus pendere ab agente & artifice dum fiūt, postquam autem facta sunt, nū amplius opificis opera indigere: arca dum fit, adesse oportet fabrum lignarium, opus est eius arte & opera vbi perfecta est, nō amplius ab eo pendet: ne nos simile quidpiam cogitaremus de creaturis respectu Dei, ideo dixit creaturas nō esse factas, sed perpetuò fieri à Deo, nec minus dum sunt, quam cum fiunt pēdere à Deo: his verbis perpetuā creaturarum à Deo dependētiam significare volens. Iam verò quod ait Iob, hominem nunquam in eodem statu permanere intelligendum est, non de essentia vel esse hominis, sed de adiunctis, eius, hoc est de accidentibus, affectionibus & operationibus, præsertim autem de iis, quæ attingūt hominis intellectum & affectum. Porrò conseruatio, non est aliud, quàm permanentia ipsius esse rei dependenter à Deo: Dicitur autem continuata productio rei, vt significetur rē non minus pendere à Deo, dum conseruatur, quàm cū producebatur: sicut enim creatura, non potest accipere esse nisi Deo producente ac ei largiente, ita non potest esse acceptū tueri ac tenere nisi Deo conseruante. Porrò D. Thomas sententiam suam breuiter quidem, sed disertè exposuit 1. part. quæst. 104. art. 1. ad quartum, scribens conseruationem non esse nouam actionem sed continuationem illius primæ qua dedit esse, quæ cōtinuatio fit sine moru & tempore. Hactenus D. Thomas. Si igitur illa cōtinuatio fit sine motu & tempore, non erit in ea prius ac posterius, nec habebit partes successiuè fluentes. Sed reuertamur ad ostendendam varietatem durationis. Quæ dicta sunt de varietate existentiæ, quoniam ab ipsa non differt secundum rem duratio, ea possunt ad ipsam durationem transferri & accommodari. Verùm aperiamus nunc varietatem durationis propriam, nimirum eam quæ ducitur ex quantitate vel extensione ipsius existentiæ.

De varietate durationis quæ oritur ex quantitate ipsius existentiæ.

CAP. VII.

Triplex species durationis.

QVātitas tribus modis cōsiderari potest, vel vt omnino infinita carēs principio & fine: vel vt omnino finita, habēs principiū & finē: vel vt parti finita, & parti infinita, habēs principiū & carēs fine. Sic etiā duratio, alia est omnino infinita, qualis est Dei, alia omnino finita, qualis est rerū caducarū & mortaliū: alia partim finita, & partim infinita, nimirū habēs initiū & carēs fine, qualis est Angeli & animi nostri dura-

tio. Posset præterea fingi quarta species durationis, ea videlicet, quæ careret principio, & haberet finē, vt si Deus equū ab æterno creasset, quem exacta æternitate tandem interire sineret. Verùm huiusmodi duratio, nec est in rebus, nec iam nunc esse posset: an verò esse potuerit, in dubio est; quæ res tractabitur a nobis in extremo libro huius operis, cum disputabitur an creatura aliqua corruptibilis potuerit esse ab æterno. Hac igitur specie durationis omissa, de illa triplici est agēdum: cuius vltimam speciē, eam dico durationē, quæ habet initiū & caret fine, fortasse Peripatetici non admitterent: siquidem verissimum existimatur ab vtis illud Axioma, Quicquid incipit esse, necessariò desinet esse: & quicquid æternū est in posteru id etiam ante, æternū fuisse necesse est, adiūxi, fortasse, propter animū nostrum, quem an de nouo creari an ab æterno esse sicut cælos & Intelligentias Aristoteles senserit olim inter ipsos Aristotelicos controuersum fuit, & adhuc sub iudice lis est. Certè Ari. 1. li. de Cælo, tex. 100. & 12. li. Met. tex. 39. non distinguit æuū ab æternitate, & in 1. lib. de Cælo acerrimè oppugnat eiusmodi durationē, quæ carens principio finē habeat, aut fine careat, initiū habēs. Verùm de Aristotelis sententia nihil in præsentia decernimus, secundum veritatem autē quā nos fides & Theologia docet, certum & indubitatum esse debet, supradictas tres durationis species in rebus inueniri, quibus accommodatur triplex ratio mensurę. Etenim durationis omnino infinitæ, mensura est æternitas: durationis omnino finitæ mēsura est tempus: eius autem quæ partim est finita, & partim infinita mensura est æuum.

An Peripatetici admitterent durationem aliquam habentē initiū sed carētē fine.

Magis est de ratione durationis vt est mēsurabilis, quantitas & extensio eius, quàm per manentia vel successio.

Verùm illud hoc loco admonere, operæpretium fuerit; cum duo spectari possint in duratione, quantitas nimirum & modus durationis, secundum quem modum alia duratio est permanens & tota simul, & alia est fluens: quantitatem per se conuenire durationi ea ratione, vt est mensurabilis, modum autem per acquidens attinere ad durationē qua talis est. Cui rei fidem facit, quòd in definitione durationis ponitur quantitas, non autē modus & duratio, non est mensurabilis ea ratione, vt est fluens vel permanens, sed ea tantum ratione, vt est quanta: & affectiones durationis sunt finitū & infinitū, longum & breue, quæ manant ex quantitate. His accedit, quòd si duæ res habeant eundē modum durationis: vt si ambæ vel sint permanentes vel successiuę, habeāt autem diuersam quantitatē durationis, vt si vna sit diuturnior quā altera, omnes dicent eiusmodi res esse diuersæ durationis, & habere diuersas mensuras; sin autem duarum rerum, quarum vna est permanens & altera fluens, sit par & æqualis duratio, eas res omnes

omnes appellant eiusdem durationis esse, eadémq; mensura cōtineri; vt vel hac re planum fiat, ad efficiendam varietatem vel similitudinem durationis, plus valere quantitatem, quam modum durationis.

Dubitatio, an maior vel minor duratio arguat maiorē & minorem rei perfectionem.

Sed quæret aliquis, an maior vel minor duratio, arguat maiorē & minorem rei perfectionem. Respondeo: cū tres ordines durationis à nobis fuerint constituti, vnus æternitatis, alter ęui, tertius temporis; si excessus durationis pertineat ad superiorem ordinem, quemadmodum duratio æternitatis, maior est quam duratio æui, & hæc quàm duratio temporis proculdubio ex maiori durationę ferè colligitur maior perfectio rei: constat enim rem æternam perfectiorem esse rebus æuiternis: & has, rebus temporalibus. Atque huius rei causſam esse reor, quod talis varietas durationis nascitur ex varietate naturæ, ac perfectionis essentialis: addidi illud (ferè) propter materiam primam, cælos, & animum nostrum, quę res mensurantur æuo: materia tamen imperfectior est composito naturali: & animus noster imperfectior est homine, vtpotè cuius est pars: & cælos multi putant (quod per se non sint animati) ignobiliores esse rebus animatis temporalibus & mortalibus nisi fortè, quod supradictum est, contendat aliquis verissimum esse, adiunctis duabus conditionibus, vt nimirū sint substantiæ completæ, & sint cætera paria, & vt in eodem, & secūdum idem comparatio fiat. Maior autem & minor duratio, in iis quæ sunt eiusdem ordinis, non variant perfectionem rei secundum magis & minus alioquin metalla quæ diuturnioris sunt durationis nobiliora essent homine: & cum omnes Angeli sint pares duratione pares itidem essent perfectione.

De æternitate & primum de variis significationibus huius vocis (Æternum.)

CAP. VIII.

Septem significationes & acceptiones huius vocis (æternum.)

QVoniā de duratione diximus, cōsequens est, vt de mēsuris durationis agamus. Voco autem mensuras durationis, æternitatē, æuū, & tēpus: in quibus quia æterni tas principē locū tenet, de ea primo loco disserēdum est. Ac primū quidem videamus quàm varia, & multiplex sit huius vocis, (*æternitas*) vel (*æternum*) significatio: deinde, quid sit æternitas: ad extremum, an ratio mensuræ conueniat æternitati.

Septem reperio apud scriptores præsertim sacros, huius vocis *Æternū* significationes. Primò enī, *Æternū* significat, id quod initio & fine durationis caret, & habet esse omnino immutabile, & hęc est princeps, propria, & germana huius vōcabuli acceptio

soli Deo conueniēs. Secūdo. *Aeternum* significat,id quod est inseparabile ab aliqua re,siue ea res sit æterna,siue nō, ei necessariō ac semper conueniens; sic hominem esse participem rationis,capacem disciplinæ,aptum ad ridendū,dicitur æternum esse:& huiusmodi propositiones Philosophi vocant propositiones æternæ veritatis;sic Horatius dixit. *Seruiet æternum,qui paruo nescit vti.* his verbis significare volens, ab eo qui nescit vti mediocritate vel paruitate suæ fortunæ, inseparabilem fore seruitutem. Tertio. *Aeternum* dicitur in sacris literis,non solùm,id quod semper duraturum est,sed etiam id cuius certus aliquis finis non constituitur, aut non ita fit, vt deinceps non sit faciendum, quantum pertinet ad curam vel potestatem facientis. Sic Diuus Augustinus lib.quæstionum in Genesim,cap.31. exponit promissum Dei datum Abrahæ Gen.17.de terra Chanaan possidenda à semine ac posteris Abrahæ in æternum. Quartò. *Aeternum* dicitur,aliquid non in se,sed ratione eius rei quam significat,& præfigurat,atque hoc modo secundum expositionem multorū Doctorum,in sacra scriptura legimus fœdus circuncisionis fore æternum, & legalia veteris fore sempiterna;non in se,quippe quæ (non secus atq; umbres accessu solis dissipantur) aduentu nouæ legis abrogāda & abolenda erant,sed ea ratione,vt erant vmbræ,& figuræ rerū cęlestium,& æternarū. Quintò. *Aeternum* dicitur,quòd licèt initiū habeat,fine tamen durationis careat,sic ait scriptura, terrā stare in æternū,& ignem inferni æternū esse. Sexto. *Aeternum* etiam dicitur, quod licet non in perpetuū duret,ita vt sit incorruptibile, habet tamen valde longā & diuturnā durationē, nec eius interitus à nobis percipi, & notari potest, quippe cum non totū simul vno interitu pereat,sed per partes paulatim, ac lentissimè desinat esse, qua significatione diuinæ literæ montes & colles appellāt ęternos,eademq; & mare,& omnia elemēta vocari possēt ęterna. Septimo. *Aeternum* dicitur,aliquid propter singularē, eximiā, & supernaturalē participationem æternitatis Dei, atq; hac ratione visio essentiæ Diuinæ, quæ vna continet vniuersam sanctorum gloriam & beatitudinem,in scriptura dicitur vita æterna.

An visio Dei beatifica quam habent sancti in cælis mensurari debeat æternitate.

Verùm de hac vltima significatione æternitatis magna lis est inter Thomistas & Scotistas. Etenim D. Thom. tum in 1.p.q.10. art.5.in responsione ad primū,tum latius contra gentes lib.3.cap. 61.& 4.sent.dist.49.asserit visionem beatificā Diuinæ essentię,in qua omnis sanctorū gloria consistit, nec tempore, nec æuo, sed æternitate mensurari,quod ipse probat dupliciter. Primò testimoniis scripturæ in qua legitur, *Gratia Dei vita æterna.& hæc est vita æterna,vt cognoscant te verum Deum, &c.& qui bona egerūt ibunt in*

vitam æternā,appellatur igitur visio gloriæ in sacris literis ęterna.Deinde,hoc etiā ex eo manifestū est,quoniā actiones determinātur per obiecta,sed obiectū visionis beatificæ est æternitas, & infinitas Diuinæ essentiæ,ergo ipsa quoq; visio est æterna: adde quod per huiusmodi visionē, intellectus creatus eleuatur sicut ad consortium diuinæ naturæ,ita ad singularē quandā diuinæ æternitatis participationem:sicut enim quodammodo deificatur: ita etiam quodammodo diuinitus(vt ita loquar)æternificatur.

Verūm neutra probatio magnam vim affert ad persuadēdum; non prior,siquidem reperimus in sacris literis vocari ęternum,& supplicium damnatorum,& ignem inferni: sumitur enim æternum pro perpetuo,& quod nuquam esse desinet. Non posterior, etenim actiones determinantur per obiecta quantum ad earum specificationem, non autem quantum ad durationem, alioquin visio vel intellectio cæli, posset dici æuiterna, quia cælum quod est eius obiectum,est æuiternum.

Scotus autem in 4.Sent.dist.49.q.6. in respōsione ad secūdum dubium, opinatur visionem beatificam Angeli mensurari æuo, perinde atque ipsum esse Angeli, neque enim vlla operatio Angeli potest esse vel diuturnior vel immutabilior quàm esse Angeli,quare nulla subest causa cur visioni beatificæ altior mensura tribui debeat quàm ipsi esse Angeli. Potest idē confirmari hac ratione.Visio beatifica non est mensurabilis nisi ratione suæ durationis,cætera enim quæ ei sunt adiuncta,vt esse supernaturalē, & Diuinam,per accidens se habent ad ipsam vt est mensurabilis, alioquin ambulatio,locutio,manducatio & aliæ actiones corporales Christi,quas ipse exercebat cū in terris vitam mortalē ageret cum hominibus,mensurari debuissent æternitate; nā cum essent acti ones suppositi Diuini,magis proculdubio Diuinę erant, quàm visio beatifica Angelorum; atqui clarum est illas actiones non aliter quàm similes,actiones cæterorū hominū tēpore fuisse mensurabiles; atque hæc est maior huius nostri syllogismi: Minor autem sit hęc,sed duratio visionis beatificæ & duratio, quam habet esse Angeli, sunt omnino similes tam secundū quantitatē, cum vtraque habeat initiū sed careat fine, quàm secundū modū, cum vtraque per se sit permanens, inuariabilis,& tota simul; ergo vtraque habere debet similem mensuram, quare si æuū mēsurat esse Angeli,etiā mēsurabit visionem eius beatificā.hęc pro-Scoto: cuius opinionem nō dubito probatum iri quamplurimis.

Mihi quidem opinio Scoti ita probatur,vt D. Thomæ sentētia non videatur esse improbabilis;nam licet duratio visionis beatificæ,si per se considerentur indefectibilitas & simultas eius, non

exigat aliam mensurã quàm æuum: tamen si cõsideretur causa ex qua illa duo manant ac pendent, quæ non est alia quam æternitas & infinitas Diuinæ essentiæ, atq; bonitatis, qua beatus fruitur, & circa quam versatur visio beatifica; ea profecto videtur exigere altiorem mensuram quàm est æuum; eam autem Thomistæ vocant æternitatem participatam. Etenim quod beatus contemplando diuinam essentiam nunquam satietur, fatigetur, atque deficiat, quod nunquam possit variare illam visionẽ beatificam, nunc augendo nunc minuẽdo eius vim, sicut facere potest in aliis suis actionibus, id non prouenit ex natura ipsius beati, vel ex aliqua naturali proprietate intellectionis creatæ, sed totum procedit ex illo obiecto beatifico, cuius bonitas, æternitas, & infinitas, eiusmodi est, vt beatum perpetuo teneat, ad actum illum videndi & fruendi beatificum, summè intentum. Itaq; potest eo discrimine distingui æuum ab æternitate participata, quod æuum mensurat esse indefectibile, & inuariabile. quod naturaliter conuenit reiæternitas autem participata mensurat esse inuariabile & indefectibile, quod non potest naturaliter conuenire vlli creaturæ, sed tantum ei conuenit supernaturaliter, nimirum ob eximiam quandam Diuinæ æternitatis participationem. Verùm tamẽ de hac quæstione, quàm de varia significatione huius vocis *Æternum* satis dictũ sit. deinceps quid sit æternitas exponamus.

Declaratur quid sit æternitas.

CAP. IX.

Definitio Æternitatis.

BOetius li. 5. de cõsolatione, Prosa. 6. definiti æternitatẽ hoc modo. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio* quã definitionẽ explanat D. Thomas 1. p. q. 10. ar. 1. dicitur, *interminabilis* quia quod est verè æternũ caret terminis durationis, qui duo sunt, vnus initium durationis, alter finis: vtroque autem caret æternum: quam vel ipsum nomen præ se ferre videtur, dicitur enim æternum, quasi extra terminos existens. in quo licet intelligere discrimen æternitatis ab æuo, & tempore; tempus enim habet vtrumque terminum durationis, estque ante ac post terminabile: Æuum autem habet tantummodo alterum terminum durationis, nam vt careat fine, habuit tamen initium, quare ante quidẽ terminabile est, quamuis post sit interminabile, æternum verò est vtrinque interminabile (*vitæ*) quia quod est verè ac propriè æternum, est etiam viuens. Deinde, quia viuere tam significat ipsum esse viuentium, cũ viuere viuẽtibus sit esse, & ipsam durationẽ, dicitur enim aliquid vitæ breuioris aut lõgioris, quàm ipsas operationes viuẽtis, eas

eas inquam quas vocant immanentes, intelligere namque & velle, (philosophi appellant viuere; cum igitur nomen vitæ simul significet ipsum esse durationẽmque viuentis, & ipsius actiones, vt significaretur quod est verè æternũ, id nõ modo secundũ esse, sed etiam secundum actiones eius immanentes, æternũ esse; ideo in definitione æternitatis positũ est *vitæ* potius quàm esse aut durationis, (*tota simul*) tẽpus nulla in parte quantumuis parua, est totum simul: ãstans sõlum est totum simul cũ sit indiuisibile, verũm hoc nec est tẽpus, aut pars tẽporis, nec manet nisi vno momento: Æternitas autẽ est tota simul, qua in re distinguitur à tẽpore; & semper eadẽ manet, qua ratione differt ab instanti temporis; quamobrẽ rectè solet vocari æternitas, vnũ nunc stãs. nunc, quia indiuisibile ac totũ simul; stans, quia manẽs, & durans; tribuimus autẽ æternitati, dies, & annos; præteritum, præsens & futurum; propter modũ nostrum intelligendi; nos enim non apprehẽdimus simplicia, nisi per cõposita, nec intelligibilia & spiritualia, nisi per sensibilia, & corporalia, nec denique æterna, nisi per temporalia. sicut autem intelligimus, ita nominamus; non igitur mirum est, si æternitatem exprimamus vocabulis sumptis ex tẽpore, eique assignemus differẽtias tẽporis. Æternitas enim eminenter continet omnẽ durationem tẽporis, & coexistit omnibus differentiis tẽporum. Sed quid est (nã & hoc quęret aliquis) eminenter continere durationẽ temporis? nempe durationem, quam habet tempus imperfecto modo, hoc est sine vlla permanẽtia, & cum perpetua successione præteritis præsentis & futuri, eam durationẽ habet æternitas perfectissimo modo, hoc est totam simul sine vlla innouatione eius aut variatione. (*perfecta*) hoc additur, vel ad differentiã ipsius nunc tẽporis, quod quidẽ est totũ simul, sed cum puncto tantũ temporis maneat, habet imperfectam admodum durationem: vel ad differẽtiam eorum quæ sunt in æuo; cuiusmodi sunt Angeli, qui habent imperfectã immutabilitatem & permanentiam, nimirum tantũmodo secundũ esse, non autem secundum naturales operationes; vel ad differentiã participatæ æternitatis, quæ potest dici imperfecta, tũ quoniam creatura non habet illã ex se, sed ab alio perpetuò pendentẽ, tum quia non cõuenit ei naturaliter ex virtute suæ naturæ, sed supernaturaliter ex gratuito Dei dono. (*Possessio*) ad significãdam immutabilitatẽ & indeficientiam æternitatis, positũ est vocabulũ possessionis; quia quod possidetur, firmiter ac quietè tenetur. Quid igitur sit æternitas, ad hunc modum breuiter dictum sit. Ex quo facile cõfici potest, quæ sit radix & fundamentum æternitatis. Si enim perfecta æternitas duas potissimũ habet proprietates, oportet enim eam

esse ante ac post interminabilem, & esse totã simul, atq; omnino inuariabilẽ, quis nõ videt huiusmodi æternitatis fundamẽtum & quasi radicem, nullam aliam esse posse quàm absolutam & perfectam immutabilitatẽ? quod enim aliquid est immutabile, propterea nec potest incipere esse nec desinere esse, quicquid enim incipit esse, mutatur de nõ esse ad esse, quicquid item desinit esse, id mutatur ex esse ad nõ esse. Præterea, esse aliquid totum simul, & inuariabile, nascitur ex ipsius immutabilitate, quare qui vellet demõstrare à priori Deum esse æternũ, posset id argumentari hoc modo, omne quod est omnino immutabile, est æternũ: Deus est omnino immutabilis (hoc autẽ rursum demõstrari posset ex eo quod Deus sit actus purus) ergo Deus est æternus. quãquam (vt bene ait Boetius 5. li. de Cõsol. prosa 6.) Deũ æternum esse, eunctorũ ratione degentiũ, cõmune iudicium est: Omnes enim appellatione Dei, naturaliter intelligũt id quod est primum omniũ, & à quo cætera omnia pendẽt, quod autẽ huiusmodi est, nõ potest nõ esse æternum. Quoniã autem in Deo nõ differt esse, & scire, sed sunt penitus idem, sicut esse Dei æternum est, ita scire Dei oportet esse æternum: si autem scire Dei æternũ est, ergo est penitus inuariabile: nulla igitur scientiæ Diuinæ accessio, nulla decessio, nulla innouatio, nulla deniq; variatio potest accidere. Et quia æternitas est vnum nũc stans semper sibi præsens, scire etiam Dei est semper præsens, nõ habẽs præteritum & futurum, cognoscẽtis omnia illo intuitu æternitatis, tanquam sibi præsentia, & talia qualia futura sunt in se ipsis, cũ actu existẽt in rebus. Ex quo fit, vt scientia Dei sit infallibilis, nec ob eam causam tamẽ, vllam necessitatem reb. futuris contingentibus imponat. Verum hoc alio loco est veberius, atque subtiliùs disserendum.

An æternitati conueniat ratio mensuræ.

CAP. X.

REstat nunc vt doceamus, quemadmodum ratio mẽsuræ accõmodari queat æternitati; ponamus ad hoc explicandum tres propositiones

Æternitatem propriè ac per se non esse mensurabilem.

Prima propositio. In æternitate Dei per se nõ est aliquid propriè mẽsurabile. Etenim omne quod est propriè mẽsurabile, debet habere duas cõditiones, vnã, vt sit quãtum habẽs partes, & sit diuisibile; ratio enim mẽsurę (vt supra ostendimus) non potest accõmodari rei non quãtæ & indiuisibili, ideo enim vnum quódq; mensuratur, vt id, quantum sit, per mẽsuram cognoscatur: æternitas autem est veluti vnum nunc stans impartibile, ac indiuisibiles: Alterã verò proprietatem habere debet id quod est mensurabile vt sit finitũ: nam quod infinitũ est, ea ratione vt est infinitũ, non potest mensurari siquidẽ mensurari, est per mensurã determinari, & definitè manifestari, præciséq; cognosci quantum sit; id autem repugnat infinito, qua infinitũ est: sed æternitas Dei est omnino interminabilis & infinita, ergo nõ est mensurabilis.

Nullã esse æternitatis per se mensuram.

Secunda propositio. *Non potest esse per se aliqua mensura æternitatis.* Primùm, quia mensura debet esse quid diuersum à re quæ mensuratur, non enim potest idem seipsum mensurare; nam cum mensura adhibeatur ad declarandam quantitatem rei mensurabilis, oportet mensuram esse notam, & rem mensurabilem esse ignotam, si igitur idem mensuraret seipsum, esset idem notum, & ignotum, notum vt mensurans, ignotum, vt mensuratum. quare necesse est mensuram esse quidpiam diuersum à re mensurabili, sed nulla potest esse mensura æternitatis ab ea diuersa, vel enim talis mensura esset in Deo, at quæ sunt in Deo, ea sunt omnino idem cum æternitate & aliis attributis Diuinis: vel esset extra Deum in creaturis, at quicquid est in creaturis vna cum ipsis creatum, initium habet durationis ab æternitate Dei infinitè deficiens: quamobrem non potest esse mensura æternitatis. Præterquàm, quod mensura debet esse (auctore Aristot. 10. Metaphysic. text. 4.) eiusdem ordinis, atque rationis cuius est res mensurabilis. Relinquitur ergo, nullam esse posse secundum se mensuram æternitatis. Deinde, mensura est, quæ ignorante quantitatem rei mensurabilis, facit eam determinatè ac præciśe scire: sed nihil est, quod intellectui creato nescienti æternitatem Dei, eam perfectè madifestare possit, quippe cum æternitas sit infinitas durationis, infinitum autem, qua infinitum est, ab intellectu creato comprehendi non potest: ergo nulla potest esse mensura æternitatis.

Tertia propositio. *Secundum nos, & secundum modum nostrum intelligendi, potest designari in æternitate aliquid tanquam mensurabile, & aliquid tanquam mensurans.* Ipsa enim duratio Dei præciśe sumpta, est mensurabilis, ipsamet vt induit rationem interminabilis & vniformis, est nobis mensura ipsiusmet: quærenti enim quãta sit duratio Dei: respondemus eam esse æternã; rursum percõtanti cur sit æterna: respondemus propterea, quod est interminabilis & vniformis. Itaque nos propter rationem interminabilitatis & vniformitatis, durationi Dei non assignamus tempus aut æuum, sed æternitatem. Duratio autem Dei, & ipsius interminabilitas, atque vniformitas, in Deo non differunt, differunt tamẽ secũdum modum nostrũ intelligẽdi, ac proinde, vnum potest à nobis assumi

& adhiberi pro mensura alterius: præsertim cum duratio Dei per se nobis ignota sit, ratio autem interminabilitatis & vniformitatis facillimè innotescat nobis ex negatione terminationis & successionis, quæ manifesta est omnib. in tempore. Ac licet duratio Dei sit indiuisibilis, tamen eminēter, hoc est sine successione, cōtinet vniuersam extēsionis temporis, eíq; secundum omnes differētias temporis coexistit, & à nobis apprehenditur & concipitur vt coextēsa nostro tempori & omnib. eius differentiis: qua etiam de causa attribuimus ei præteritum præsens ac futurum. Porrò licet ratio interminabilitatis & vniformitatis, non propriè determinet nobis quanta sit duratio Dei in se, declarat tamen nobis quāta sit ea ratione, vt distinguitur à duratione æui, & tēporis; per eam namq; cognoscimus durationem Dei longè diuersam esse à duratione omniū creaturarum. Manet igitur, æternitatis per se, & (vt Philosophi dicere solent) ex parte rei, nullā esse mensuram; secundum nos autem, & secundum modum nostrum intelligendi, nihil prohibere, quin aliqua eius mensura esse possit, rudis tamen, & imperfecta. Sed non faciam longius, cum enim de æternitate satis explicatū sit, ratio doctrinæ poscit, vt nos ad tractationē æui maioribus inuolutam difficultatibus, conferamus.

De Aeuo. CAP. XI.

Variæ significationes æui.

IRes reperio significationes Æui apud scriptores satis vsitatas & tritas. Vnā, pro quacunq; duratione cuiusdam rei (vt Ari. docet 1. li. de Cælo, t. 100.) siue ea res sit æterna, seu æuiterna, siue tāporalis. Vnde manarūt illa vocabula, Æqueuus, Coeuus, Lōgæuus: alterā, pro ipsa æternitate: sic vsurpat nomē Æui. Ari. 1. li. de Cælo, tex. 100. & 12. li. Meta. tex. 39. & Beatus Dionys. in li. de Diuinis nominib. c. 10. & certè id ipsum præ se fert nomen æui, dicitur enim Græcè τὸ αἰὼν ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ὄν quasi semper existens, quamobrem D. Tho. Quodlibeto 5. art. 7. ait ob ignorantia linguæ Græcæ factum esse, vt æuum apud multos distinguatur ab æternitate, similiter vt si ἀνθρωπος distingueretur ab homine, quod. n. Græcis est æuum, hoc idem Latinis est æternitas. Tertiā inuenio significationē æui pro duratione cuius est initium, sed nullus finis; qualem durationem habent Angeli, vt æuum sit species quædam durationis media inter æternitatem, & tempus; quæ significatio, vt frequēs est apud Theologos, ita est apud veteres Peripateticos inusitata, & ignota. Secundum hanc tertiam significationem, in præsentia nobis agendum est de æuo. De quo duo, quę magnam obscuritatem, & difficultatem habent

habent, explicare volumus; vnum est, quæ sit propria ratio æui, qua propriè differt ab æternitate, & tempore: alterum est, an æuum sit vnum an multa: & an ratio mensuræ conueniat æuo.

Opinio D. Bonauen turæ de ratione Aeui.

Diuus Bonauentura 2. Sent. Dist. 2. qu. 3. asserit propriam rationem æui, qua distinguitur à tempore, & æternitate, in eo verè positam esse, quo æuum est duratio habēs prius & posterius sine innouatione, aut inueteratione rei, hoc est sine vlla variatione rei. Putat. n. esse (verbi gratia) Angeli, quod mēsuratur æuo in se qui dem totum simul esse, nec vnquam minui, vel augeri, vel alio quouis modo variari, at quoniam Angelus, nō habet esse à se, verum habet esse à Deo pendens, à quo perpetuò conseruatur, indiget Angelus continuatione huius cōseruationis: si. n. hodie conseruetur à Deo, & cras desinat conseruari, erit hodie Angelus, sed cras esse non poterit. quare viuit in singulos dies, horas, & momenta pendens ex continuatione Diuinæ cōsiderationis: & hodie expectat cōtinuationem sui esse in crastinum, & ita deinceps in futurum. Quamuis igitur esse Angeli sit totum simul, nullam in se admittens variationem, nullamque habens extensionem, tamen continuatio istiusmodi esse ac durationis, habet extensionem, ac proinde prius & posterius; ex quo perspicuum fit, æuum distingui, tum ab æternitate, in qua nec est vlla variatio, nec prius ac posterius, cum æternitas Dei sua vi constet atque cohæreat, nec suæ durationis continuationem extrinsecus pendens ab alio accipiat: tum à tempore, cum duratio earum rerum, quæ subiiciuntur tempori, non modo habeat prius posterius, sed etiam vna cum tempore variè commutetur. & sicut fluuius manat à fonte, semper cum innouatione aquæ, hoc est cum perpetua scaturigine, ac fluxu variæ aquæ; radius autem prodit à sole, & ab eo conseruatur, sine emissione noui luminis, sed per continuationem eiusdem, sic res temporalis non solum habet continuationem, sed etiam variationem sui esse; res autem æuiterna habet continuationem sui esse, citra omnem variationem.

Est autem in duratione æuiterna prius & posterius, (nam non esse in ea variationem secundum innouationē vel inueterationem, ponitur quasi concessu omnium manifestum) probat dupliciter. Primum testimoniis D. Hyeronymi ad Marcellam & D. Anselmi in suo Prosologio, qui affirmāt hoc esse proprium Dei, & hac re æternitatem Dei præcellere æternitatē cuiuslibet creaturæ, quod Deus habet totum statum suæ perfectionis simul, omnino expertā pręteriti & futuri, prioris atque posterioris. Quare in qualibet duratione creaturæ, reperitur præteritum, & futurum prius, ac posterius. Deinde, hoc ipsum cōfirmat hac ratione:

si in durationē: Angeli nō est præteritū & futurū, ergo in Angelo idem sunt esse, fuisse, ac fore ex quo efficeretur, vt quia impossibile nunc est, Angelū, qui fuit initio Mundi creatus, & adhuc durauit, nō fuisse, nec potest fieri à Deo quin fuerit, pari ratione impossibile esset Angelum deinceps nō fore, nec Deus facere posset quin Angelus in posterum haberet esse: siquidē idem est in Angelo fuisse ac fore; quod nō modo absurdum est dicere, sed etiam impiū. Hactenus ex D. Bonauentura pro eius opinione dictū est.

Refellitur opinio D. Bonauenturæ.

CAP. XII.

HAnc opinionē D. Bonauenturæ refellit Hērieus Quol. 5. q. 13. Ægidius in tractatu de mensura Angelorum, & omnes penè Scholastici in 2. Sent. dist. 2. adeo vt omnes Doctores ad huius sententiæ refutationem atque euersionem conspirasse videantur.

D. Th. Quol. 10. art. 4. negat eam esse intelligibilem: idem in 1. par. q. 10. art. 5. affirmat eam implicare cōtradictionem: tum quia vbi est prius & posterius, ibi necesse est esse aliquā variationem & innouationem rei: non. n. prior pars æui simul esse potest cum posteriori parte, repugnat enim prius & posterius simul esse, quare aduentu posterioris partis æui, aliquid de nouo accedit æuo, fit igitur innouatio in æuo, tum etiam quia si esse Angeli, quod mensuratur æuo, est totum simul non habens prius & posterius, ergo ipsum æuum erit quoque totum simul non habens prius & posterius; oportet. n. mensuram esse similem rei mensurabili, nec potest æuum esse aliquid re diuersum ab ipsa duratione æuiterna: durationē. n. superius demonstratū est, re non distingui ab esse & existentia. Nobis etiam non probatur hæc sententia. nam quod ait D. Bonauentura in esse Angeli non inueniri prius ac posterius, quippe cum sit totum simul & penitus inuariabile, reperiri autem prius & posterius in continuatione ipsius esse, ac diuisionis Angelicæ, nc in speciem quidē est probabile. Tria. n. considerari possunt in continuatione ipsius esse Angelici: vnum ipsum esse quod continuatur: alterum actio Dei, qua is continuatur esse Angeli; tertium, relatio continuationis, cuius extrema sunt actio Dei continuantis, & ipsum esse quod cōtinuatur, sed in nullo horum trium potest esse prius ac posterius, ergo in continuatione ipsius esse Angelici, nō est prius ac posterius. Minor probatur. Esse Angeli in se (quod etiam concedit D. Bonauentura) non habet

habet prius & posterius, cum sit totum simul & inuariabile: similiter etiam ipsa continuatio ea ratione, vt est actio conseruantis & continuantis esse, non habet prius & posterius, quippe cum nihil aliud sit quam voluntas Dei efficaciter volentis permanentiam ac perpetuitatem esse Angelici, quæ volitio est tota simul. Iam verò relatio continuationis, non potest habere variationem secundum prius & posterius: nō enim relatio per se variatur, sed tantum ob variationem vel vtriusque vel alterius extremi; hic autē extrema huius relationis, quæ sunt esse Angeli & actio Dei, non variantur secundum prius atque posterius, ergo neque ipsa relatio continuationis habere potest prius & posterius.

Solutio Argumē torum D. Bonauenturæ.

Confirmatio etiam opinionis D. Bonauenturę infirma est, nam quod aiunt Sancti proprium esse Dei quod æternitas eius est tota simul, nesciens præteritū & futurū, intelligi debet id soli Deo cōuenire tripliciter: primum quia solus Deus id habet ex se, alia verò si habent, nō habent nisi perparticipationē; deinde, quia solus Deus id habet necessariò & omnino indefectibiliter, alia verò minimē; postremò, quia solus Deus est totus simul secundum omnia quę in ipso sunt, hoc est tam secundū esse, & durationem quam secundū attributa, & actiones, omnémq; perfectionē. Angelus autē licēt, sit totus simul secundū esse, & durationē, attamen secundum affectiones & operationes, habet successionem, & variationē secundum prius ac posterius; quocirca D. Augustinus dicere solet, corpora moueri in loco & per tempus; spiritus moueri per tempus, sed nō per loca; Deum autē & corporū & spirituum Creatorem, neque per locum neq; per tempus moueri.

Ratio autem, qua D. Bonauentura idē probare vult, paruo negotio soluitur. nam esse Angeli in se nō habet prius ac posterius præteritum & futurum; cum. n. ex quo creatū fuit à Deo, totum simul inuariabiliter perseueret, nihil ipsius in præterito præteriēs, nihil eius in futuro de nouo accedens, hinc fit vt in eo idem sit præteritum, & futurū; vel vt verius loquar, nullū sit in eo præteritum, nullumq; futurū; sed quia nō possumus nos apprehendere durationem Angeli eo modo vt per se est, nimirum totā simul & indiuisibilem, apprehendimus eam cum quadā extensione, prout videlicet coexistit tēpori vel reali vel imaginario. Itaq; esse Angeli quod coextitit tempori præterito, apprehendimus vt præteritum, & vocamus præteritū; quod coexistit præsenti tēpori, dicimus præsens, quod autē coexistit futuro tempori appellamus futurum: quoniā autem Deus nō potest facere vt præteritum non fuerit, potest autē facere vt quod futurum est nunquā sit actu; ideo nō potest nūc facere quin Angelus fuerit, hoc est coextiterit

tempori prꝛterito,potest autem nunc facere vt esse Angeli non sit futurum,hoc est vt nō coexistat tempori futuro. Variatio igitur prꝛteriti ac futuri,quę attribuitur esse Angelico,non prouenit ex natura ipsius esse, sed ex coexistentia & relatione eius ad varias differentias temporis vel realis vel imaginarij. Alioquin illa ratione D.Bonauenturæ,possemus etiam concludere actionem Dei qua conseruat esse Angeli, habere in se prius & posterius;nimirum dicet aliquis, non idem est Deum conseruasse aduc huc Angelum,& cōseruaturum esse illum in posterum,cum non possit nunc facere quin conseruauerit,possit autem facere vt futuro tempore non cōseruet;ergo in actione Dei erit prius & posterius prꝛteritum & futurum. Atque hæc quidem contra opinionem D.Bonauenturæ.

In quo sit ratio Æui secundum D.Thomam,& secundum Scotum.

CAP. XIII.

DIuus Tho.1.p.q.10.art.5.inuestigat propriam Æui rationem hoc modo; æternitas est mensura rei omnino & secundum omnia immutabilis;tempus est mensura rerum omnino mutabilium;quare necesse est rationem æui quod est medium inter æternitatem & tempus, etiam cōsistere in medio;ita vt ratio æui sit esse mensurā rei partim immutabilis, nimirum secundum esse,& partim mutabilis nimirum secundum affectiones & operationes. Res igitur æuiternæ sunt infra æternitatē, quia immutabilitati secundum esse adiunctā habent mutabilitatē secundū affectiones. Sunt autem supra tempus in quo nulla est immutabilis. Sub Æuo autē sunt intelligētiæ cæli,animę rationales,& materia prima.Hæc.D.Th.

Refellitur superior opinio.

Verum non ineptè(nisi ego fallor)posset aliquis dicere contra D.Tho.Cum æuum sit mensura durationis, duratio autem non sit mensurabilis ea ratione vt est permanens aut fluens; nec vt est mutabilis aut immutabilis,sed tantum ea ratione vt est quanta & quodāmodo extensa;iam.n.superius ostensum est, esse permanens vel successiuum,mutabile vel immutabile non nisi per accidens,esse autē quantum finitum vel infinitum,per se conuenire durationi qua ratione mensurabilis est. Cum hæc igitur ita se habeant, oportet rationem æui attendere non penes immutabilitatem,atque permanentiā rei,sed penes quantitatem;vt quoniam duratio ęuiterna partim est finita,partim verò infinita,incæpit.n.aliquando sed nunquam definet esse,non sit alia ratio ęui quàm esse mensuram durationis habentis initium sed carentis fine. Deinde,esse & duratio Angeli prior est secundum naturam

ram affectionibus & operationibus Angeli; quæratur an in illo priori,duratio præcisè sumpta sine ordine & habitudine ad affectiones Angeli,sit mensurabilis nec ne;nō potest negari quin sit mensurabilis,durationi.n.per se conuenit esse mensurabile:eum igitur duratio Angeli præcisè sumpta non sit mensurabilis æternitate aut tempore,sed tantum æuo cōficitur rationem æui non respicere per se mutabilitatem quæ est in affectionibus, & operationibus Angeli,sed tantum durationem Angeli.Præterea,cum operationes Angeli habeāt aliam mensuram quàm esse Angeli hoc.n.mensuratur æuo illæ autem secundum D.Thomam mensurantur tempore discreto,non est rationi consentaneum,rationem æui quo mensuratur esse Angeli, sumi ex ordine ad affectiones Angeli,quarum est diuersa mensura.

Sed D.Th. loco superius citato duo contra eos obiicit,qui desiniunt Æuum mensuram durationis habentis initium,sed carentis fine. Vnum est potuisse Angelum creari à Deo ab æterno, & tunc duratio Angeli non haberet initium , nihilominus tamen mensuraretur æuo.Alterum est;posse Deum facere vt duratio Angeli habeat finem, annihilando eum, neque tamen ob eam causam desineret mensurari æuo,ex quibus argumentatur D.Tho. per accidens esse vt duratio quæ mēsuratur æuo, habeat initium vel careat fine : & aliunde spectādam & petendam esse rationem æui.Verum ad hæc tripliciter respondere possumus. Primum.n. in constituendis durationum mensuris , non est considerandum quid in rebus possit Deus facere secundum potentiam suam absolutam,sed quid ab eo factum sit;neque curandum est qualis;& quanta fieri potuerit à Deo duratio Angeli, sed qualis & quanta facta sit;alioquin cum possit Deus per suam omnipotentiam atque infinitam potestatem rem aliquam corruptibilem, & ab æterno creasse,& in æternum conseruare(secundum D.Th.doctrinam)nec rectè Philosophi dicerent , tempus esse mensuram omnium rerum corruptibilium , propterea quod aliquando sunt & aliquando non sunt;nec rectè facerent statuendo definitā durationem cuiuslibet rei corruptibilis:non igitur in re aliqua spectandum est qualis à Deo potuerit vel possit fieri , sed qualis facta sit qualisque secundum ordinē naturalē, & rationem suæ naturæ esse debeat.Deinde si quia duratio Angeli posset esse infinita ex parte anteriori,& finita ex parte posteriori,non est spectanda ratio æui ex quātitate durationis;cum possit etiam Deus per absolutam potentiam suā facere vt Angelus nec secundum esse, nec secundum affectiones & operationes suas variationē vllam accipiat,ergo eandē ob causam ratio æui nō erit sumenda ex im

mutabilitate durationis habentis sibi adiunctam mutabilitatem affectionum. Postremo, si Angelus esset coæternus Deo, duratio eius nō mensuraretur æuo, sed æternitate participata: sin autē duratio Angeli, sicut habet initium ita ponatur habere finē, dicerem eam non mensurari æuo, sed eadē planè mensura, qua eius operationes secundum D. Th. mensurantur, nimirū tempore discreto.

Opinio Scoti. Scotus 2. Sent. dist. 2. docet rationē æui nō cōsistere in eo quod sit mensura durationis ex altera parte infinitæ: quia finitū & infinitum variant quantitatem secundum maius & minus; vel secundum maius & minus: variatio autem secundum magis & minus, sicut nō variat speciem, ita neque rationem mensuræ variaredebet. Quare ratio æui à Scoto cōstituitur in eo vt sit mensura durationis permanētis, & quę sit tota simul. Ex quo fit, septem esse genera rerū quę mensurantur (secundum Scotum) æuo: primum visio Diuinæ essentiæ, quam habent Beati. Secundum operationes immanentes Angelo naturales vt velle, vt intelligere. Tertium. Existentia Angeli. Quartum. Esse cæli. Quintum. Esse Animi nostri. Sextum. Esse materiæ primæ. Septimum esse substant: æ corruptibilis, nā etiā hoc est permanens & totum simul.

Refutatur opinio Scot. Verùm Scotus dupliciter refelli tur. Primò, quia superius ostendimus cap. 7. Durationem per se non esse mensurabilem, quatenus est permanens & tota simul est fluens & successiu, sed quatenus induit rationem aliquam quātitatis & extensionis: alioquin cum omnis duratio sit permanens aut successiua, non essent nisi duæ mensuræ durationis, vna rei permanentis, & altera successiuæ: & sic in ratione mensuræ & mensurabilis, æuum non differret ab æternitate. Deinde quod ait Scotus, esse rerum corruptibilium mensurari æuo, quàm sit à vera ratione & doctrina Aristot. remotum, & abhorrens, ex iis quæ supra disputauimus cap. 3. huius libri cum ageremus de tempore, perspicuum esse potest. Sed de ratione æui satis disputatum sit.

Quæ sit propria ratio æui. Illud autem cōstituatur tanquam vero propius, & rationi congruentius; propriam æui rationem in eo per se consistere, vt sit æuum mensura durationis habentis initium sed carentis fine. Duratio enim æuiterna est per se mensurabilis propter quantitatem & extensionem existentię quam habet: extensio autem eius ea est, vt retro quidem sit finita habens initium, in posterum autem sit infinita, carens fine. Deinceps videamus, an sit vnum aliquod æuum mensura omnium rerum æuiternarum.

An sit vnum æuum omnium æuiternorum, an multa, recensetur opinio D. Thomæ.

CAP. XIIII.

Diuus Thomas, 1. p. quæst. 10. art. 6. & Quolibeto 5. ar. 7. cēset vnū esse æuū q̄ sit mensura omniū euiternorū: hoc autē q̄ū vult esse in primo & supremo omnium Angelorū. Id autē probat dupliciter, primum quidē, quia si est vnum tempus omnium temporalium mēsura, multo verisimilius est vnū esse æuū omnium q̄uiternorū: cum enim æuum sit simplicium tēpore, & propinquius æternitati, oportet ipsum esse magis vnum quàm tēpus. Quod autem tempus sit vnum consistēs in motu cæli disertę Arist. docet tum 4. Phys. tex. 133. & 8. Phy. tex. 76. tū lib. 10. Metaph. tex. 4. Deinde quod est primum, & simplicissimum in aliquo genere, id sumitur pro mensura cæterorum quæ sunt in eo genere; sic albedo est mensura omnium colorum, & homo omnium animalium: cum igitur primum & supremum æuiternum sit perfectius & simplius cęteris, quo enim Angelus est superior, eo simplicius operatur, relinquitur æuum locandum esse in primo & supremo æuiterno.

Sed quod nam sit hoc supremum æniternum, subiectum æui, non satis conuenit inter Thomistas: quidā enim aiunt esse Animā Christi, vtpote quæ sit omnium creaturarū perfectissima: sed hoc nō dicitur cōueniēter doctrinæ D. Thomę: Aut enim Anima Christi est subiectum æui, propter existentiam eius, aut propter visionem beatificam, aut propter alias operationes eius, nō primum, quia secundum D. Thomam 3. p. quæst. 17. art. 2. & Quol. 9. art. 3. humanitas Christi non habet aliam existentiam nec aliud esse, quam esse Verbi Diuini; Christus namque licet habeat duas naturas, non habet tamen duo esse, tantum vnum, esse autem verbi Diuini non pertinet ad æuum, sed ad ęternitatem: Non secundum, visio enim beatifica cuiuslibet Beati, ne dum Christi, transcēdit æuum attingens æternitatē, quocirca D. Thomas putat eam mensurari non æuo, sed æternitate participata: Non tertium, nā sicut natura Animę Christi per se est minus simplex, quā natura cuiuslibet Angeli, hæc enim essentialiter, nec est composita nec componens, illa autem vt non sit composita, est tamen componens & pars compositi, ita intellectio Animæ Christi tam quę procedit ex scientia eius acquisita, quā quę ex scientia infusa, est minus simplex & vnita, & in plures habitus distincta & multiplicata quā scięntia & intellectio cuiuslibet Angeli: quā rē disertis

& perſpicuis verbis tradit D.Tho.3.p.q.11.art.6. Nõ igitur poteſt Anima Chriſti eſſe (ſecundum D. Thomam) ſubiectum æui. Alij Thomiſtæ fecerunt Luciferum ſubiectũ æui; ea ratione adducti, quod Lucifer ſecũdum B Gregorium fuit ſupremus omniũ Angelorum, ac proinde ſimpliciſſimus omnium neq; ob peccatum (Dionyſio auctore perdidit dona naturalia, cũ igitur ſimplicitas æui non ſit attendenda in Angelis, penes operationem beatificã quippe cũ ſecũdũ D.Tho. menſuretur æternitate participata, ſed penes ſimplicitatem quę eſt in operatione naturali Angelorum, alioquin æuum non in vllo Angelorũ, ſed in Anima Chriſti vel B. Virginis Mariæ ponendũ eſſet, vtpote in quibus viſio beatifica ſit multò perfectior quã in Angelis, neceſſariò conficitur Lucifer ũ cui' naturalia sũt omniũ ſimpliciſſima atq; perfectiſſima, conſtituendum eſſe ſubiectũ æui. Verùm opinionem horũ conceptis verbis explodit D.Thomas Quolibeto 5. art. 7. nõ dubitãs affirmare Luciferũ auersũ à Deo, decidiſſe à ſimplicitate & conuerſum ad multitudinem rerum quarum primatum apetiit, vim eius variè diſtractam fuiſſe quemobrem B.Dionyſiũ in libris de Diuinis nominib. cap.4. dixiſſe, Dæmones infirmari circa operationes ſuas naturales. Verũ, quid attinet longius facere inquirendo ſententiam D.Thomæ de ſubiecto æui? cum eo in loco quem proximè ante memorauimus, explicatiſſimis verbis ipſe demonſtret primum æuiternum quod eſt ſubiectũ æui: & menſura aliorum omnium æuiternorum eſſe ſupremum Angelum Beatum.

Cæterum, rationes quibus D. Th. opinionem ſuam de vnitate æui probare conatur, poſſet quis ad hunc modũ refellere. Quod enim ait, ſi tempus eſt vnum numero etiam æuum vnũ eſſe debere, dupliciter vitioſa eſt argumentatio: tum, quod vnum eſſe tempus, in motu cæli poſitum, quo vno menſurentur omnes res temporales, & à veritate & doctrina Ariſtotelis abhorrere; ſuperius oſtendimus in hoc libro, cum ageremus de vnitate temporis: tum etiam, quia vtdemus vnum numero eſſe, tempus: non ideo tamen conſequens eſt, vnum etiam æuum eſſe debere. Etenim, cum motus cæli, vſque adeo præcellat reliquos motus, vt ſit primus, antiquiſſimus, perpetuus, minimus, æqualiſſimus, certiſſimus, communiſſimus, apud omnes notiſſimus, & cauſſa omnium aliorum motuum, vtpotè ſine quo nullus aliorum eſſe queat, vt docet Ariſt. 8. Phy. tex. 56. nõ temere, nec abſque ratione facere videntur, qui faciunt vnũ tempus, idque collocant in motu cæli, quo vno menſurentur cæteri motus, qui ab eo pendent. At non ita ſe habet res in æuo, duratio enim rerum æuiternarũ, vnius rationis eſt in omnibus æuiternis; neque enim vnus Angelus

gelus ſecundum durationem eſt vel antiquior, vel ſimplicior, vel perfectior vel nobis notior, quàm alius quilibet Angelus: nec duratio vnius, eſt cauſſa durationis aliorũ. Deinde, quod ad eiuſdẽ ſententiæ confirmationem addit, in vnoquoque genere id eſſe menſuram eorum quæ ſunt eiuſdem generis, quod in eo genere eſt primum, ſimpliciſſimum & perfectiſſimum: ſi intelligatur de menſura perfectionis, concedi poteſt; ſin autem de menſura durationis, negari debet: albedinem enim aliorum colorum, & hominem aliorum animalium, menſuram eſſe conſtat, non ſecundum durationem, ſed tantum ſecundum perfectionem.

Explicantur eadem de re opiniones Henrici, Scoti; Ochan, Durandi.

CAP. XV.

ALtera opinio eſt Hẽrici Quolibeto 5. quæ. 13. & Ægidij in tractatu de Menſura Angelorũ: qui opinantur quot ſunt æuiterna, totidẽ æua eſſe conſtituenda: vnũquodq; enim æuiternũ habet ſuũ æuũ à quo intrinſecè mẽſuratur, Huius opinionis duplex eſt fundamẽtũ quo ea nititur & fulcitur: vnũ, quod cum omnia æuiterna ſit paria ſecundũ durationẽ: quæ ſola per ſe eſt mẽſurabilis æuo, aut in nullo æuiterno eſt ponẽdum æuum, quod nihil aliud eſſet quã deſtruere æuum: aut cum nullà cauſſa ſit cur magis locandum ſit in vno quàm in alio quolibet, ſuum cuiq; æuiterno aſſignãdum eſt quũ. Alterũ fundamẽtũ eſt, vel primũ æuiternũ, quod. D. Tho. facit ſubiectum æui, menſuratur æuo vel non menſuratur; non menſurari æuo: præter rationem eſt, quippe cum habeat durationem æquè menſurabilem, atque cætera æuiterna: ſin autem mẽſuratur æuo: vel menſuratur æuo, quod eſt extra ipſum in aliquo alio æuiterno, at neq; eſt vllum æuũ ſuperius ſupremo ac prius primo, neque conuenit primum æuiternum menſurari per æui terna, quæ sũt illo inferiora, vel mẽſuratur intrinſecè æuo, quod in ipſomet hæret, at pari ratione vnumquodque aliorum æuiternorum ſuo æuo menſurari poteſt, Quare tot ſunt æua, quot euiterna. Sed hanc opinionem quidam refutant ea ratione, quod menſura debet eſſe extrinſeca rei mẽſurabili, & ab ea diuerſa, ea que notior, quod non haberet locum in æuiternis, ſi eorum vnũ quodque eſſet ſui ipſius menſura.

Opinio Henrici vnũquodque æuiternum habere ſuum æuum à quo menſuretur.

Tertia opinio eſt Scot. 2. Sent. 2. Diſt. q. 3. cui nõ placet, vel vnũ tantummodo eſſe æuũ, vel tot eſſe æua, quot æuiterna. Sed illud magis probari videtur quodlibet ſuperius æuiternũ eſſe mẽſurã eius æuiterni, quod eſt illo inferius: ita vt primum ſit mẽſura ſe

Opinio Scoti, quilibet ſuperius æuiternum eſſe mẽſurã inferioris.

cundi:& ſecundum tertij,& ita deinceps in aliis. Verum,illud Scoto maximè aduerſatur,quod neceſſe eſt ſecũdũ ipſum,primũ quiternũ,aut nullã habere menſuram, cũ tamen habeat durationem nõ minus quã reliqua æuiterna,menſurabilẽ;aut ſeipſo menſurari,quod & paulò ante refutatũ eſt,& Scoto videtur improbabile.

Opinio Ochan & Durandi, nullum eſſe æuum.

Quarta opinio eſt;Guglielmi Ochan,Durãdi,& Gabrielis Biel. 2.Sent.diſt.1.qui aiunt nullum eſſe æuum:quod,argumẽto ducto ex refutatione ſuperiorum opinionum,ad hunc modum oſtendi poteſt;ſi eſt æuum, aut eſt vnum omnium æuiternorum, aut eſt ſuum cuique æuiterno, aut quodlibet ſuperius æuiternũ eſt æuũ inferioris; ſed nihil horum dici poſſe, ſatis perſpicuè demonſtratum eſt,refutando opiniones D.Thomæ, Henrici, & Scoti,ergo nullum eſt æuum. Hanc ſententiam,aſſertores ac defenſores qui, oppugnant ea ratione, quod omnis duratio eſt per ſe menſurabilis,& oportet menſuram congruentem eſſe rei menſurabili; cũ igitur æuiterna habeant durationem menſurabilem,& non tempore noſtro; nec æternitate Dei, neutra enim menſura propriè congruit æuiternis,neceſſariò efficitur præter tẽpus,& æternitatẽ aliam quandam menſuram conſtituendam eſſe propriam rerum æuiternarum,quæ vocatur æuum.

Exponitur ſententia auctoris.

CAP. XVI.

Hæc diſputãtur ab aliis de vnitate çui. Nobis aũt,quid in tanta opinionũ varietate proprius,atq; ſimilius vero eſſe videatur,explicatis duabus propoſitionibus aperiemus illud præmonendo,nomẽ æui dupliciter poſſe accipi, vno modo pro ipſamet duratione æuiterna,quæ habet initium,& caret fine; quomodo nemo poteſt negare çuum eſſe in rebus,niſi quis negare audeat Angelos,cælos,animos noſtros &materiã primã,habere eſſe incorruptibile vel habuiſſe durationis initiũ.Alteromodo pro re aliqua quę extra animã exiſtens,verè ſit menſura huiuſmodi curationis çuiternę:atque hac ſignificatione ſumitur çuũ:cum de eo diſceptatur ſit ne in rebus,& an ſit vnum,an multa.Hac diſtinctione æui declarata,ſubiiciamus duas illas propoſitiones,quę noſtram de æuo ſententiam continent,paucis comprehenſam.

Prima propoſitio.Non eſt in rebus aliquid diſtinctũ à tempore, nuncupatum æuum,quod ſit verè ac propriè menſura durationis æuiternæ.Hæc propoſitio,probari poteſt eadem ratione, qua ſuperius probata fuit:quarta opinio,nimirũ refutando ſententias eorum qui introducentes æuum,variè ipſum conſtituunt. Verùm, præterea confirmatur etiam hoc firmiſſimo argumento.Non debet poni æuum propter durationem æuiternam,hæc enim, cum non ſit quanta,& extenſa,& habens partes,vtpotè quæ eſt tota ſimul & diuiſibilis, & cum ſit infinita, per ſe non eſt menſurabilis,non enim eſſe poteſt per ſe mẽſurabile, niſi quod eſt quãtũm, & finitum,id quod ſupra in hoc libro,& perſpicuè oſtenſum eſt, & ſæpe inculcatum.Non eſt etiam opus æuo, propter intellectũ Angelicum,is enim cum intrinſecè, ac per ſe cognoſcat perfectè ſuam durationem,ſicut perfectè cognoſcit ſuam ſubſtãtiam, eſſe potentias,operationes,& omnia quæ naturaliter de ipſo Angelo ſunt cognoſcibilia,ita non eget menſura aliqua extrinſeca ad cognoſcendam ſuam durationem. Etenim cum quantitas alicuius rei per ſe eſt ignota, tunc ad eam cognoſcendam adhibetur extrinſecus alia quantitas notior, quæ illi tanquam menſura applicata,eam manifeſtat,quod ſi prior illa quantitas, per ſe notiſſima eſſet, fruſtra quæreretur menſura aliqua ad eam manifeſtandam. Cum igitur ſua cuilibet Angelo duratio ſit notiſſima,&tam nota quàm duratio alius cuiuſlibet Angeli, nihil attinet ex parte Angeli,quærere menſuram aliquam ad metiendam atque declarandam eius durationem. Denique,non eſt neceſſarium æuum,propter intellectum noſtrum, tum quia ipſum æũum qualecunque fugatur,aut magis aut æquè ignotum nobis eſt atque ipſa duratio Angeli: quocirca non poteſt illud eſſe nobis huius menſura, tum quia nos durationem Angeli,nõ metimur per çuum,ſed per coexiſtentiam & relationem eius ad tempus noſtrum,quare cum æuum non debeat poni vel propter ipſam durationem æuiternam, vel propter intellectum Angeli, vel propter intellectum noſtrum,relinquitur ipſum fruſtra poni. Verum igitur eſt quod probandum ſuſcepimus,per ſe & ex parte rei, nullum eſſe æuum quod verè ac propriè menſura ſit durationis æternæ.

Probatur æuum propriè nõ eſſe menſuram durationis æuiternæ.

Secunda propoſitio.Eſt aliqua ſecundũ nos,menſura durationis çuiternę.Dupliciter nos metiri ſolemus res æuiternas,vno modo generaliter & cõfuſè,altero modo particulariter,& diſtinctè:prio rem modũ conficit mens noſtra effingendo quãdam generalem rationem dignoſcendi quanta ſit duratio rerum çuiternarũ ex negatione temporis,& æternitatis:cum.n.res æuiterna nec ſit temporalis,quippe cũ ſit incorruptibilis, nec vnquã deſinat eſſe:neq; ſit æterna;propterea quod habet initium durationis:mens noſtra (qua eſt ſolertia) animaduertit huiuſmodi res æuiternas habere tertiã quãdam durationis ſpeciẽ,interiectã &mediã inter tẽpus,& æternitatẽ,inferiorem quidem æternitate,quia initium habẽs aliquando eſſe cępit, ſuperiorẽ autem tempore, quia fine carẽs nũ-

Obſerua diligenter doctrinam hanc de menſura durationis æuiternæ.

quam esse desinet: quam durationem appellamus æuum, nomine vsu Theologorum, iampridem recepto & trito: & quæ habent eiusmodi durationem, eas æuiternas appellatione inde ducta, nominamus. Quare nomen æui, si quis attendat animum ad rei naturam & vsum loquentium, cõperiet significare potius ipsam-met durationem æuiternam quàm aliquam eius mensurã. Porrò, ratio illa qua declaramus quanta sit duratio æuiterna, dicentes eam habere initiũ sed carere fino, vel esse ante quidem finitam, post autem infinitam; est generalis & rudis atque crassa, nec tam est mensura æternitatis, quàm explicata eius notio & quasi descriptio. Posterior autem modus dimetiendi durationem quiternam particulariter, & distinctè, qui est nobis manifestissimus atque familiarissimus, fit) per cœxistẽtiam, & relationem durationis æuiternę ad tempus nostrum. Etenim nos durationem quiternam Angelorum apprehendimus quasi coextensam tempori nostro, eiusque differentiis omnibus cœxistantem: quo fit, vt illi nos & prius & posterius, & fuisse, esse & fore (quamuis ipsa indiuisibilis existens tota simul sit tribuamus: illámq; distinguamus in dies & annos, non secus quàm durationem rerum temporalium: dicimus enim Angelos nondum vixisse & durasse sex mille annos, non enim tantum spatiũ temporis interfluxit, postquam ipsi vna cum mundo, & ipso tempore creati sunt. His igitur duob. modis metiri consueuimus durationẽ rerum æuiternarum: illud autem æuum; quod ab aliis inducitur tanquàm propria mensura eiusmodi rerum, & vacat, & verò nullum esse videtur in rebus, nec id cum de illarum rerum agitur mensura, per se venit atq; cadit in sermonem, atque apprehensionem seu cogitationem hominum.

Verùm de æua hactenus: sequitur, vt de tẽpore discreto, quod à quibusdam ponitur quarta mẽsura ab aliis tribus supradictis differens, verba faciamus, de quo cum pauca dixerimus, finem huic disputationi, quæ est de mensuris durationum, imponemus.

De tempore discreto, opinio Thomistarum.

CAP. XVII.

An motus localis quomodo mouetur Angelus mẽsuretur hoc nostro tempore.

TRia sunt genera operationũ Angeli: Est enim operatio eius beatifica, quę est visio Diuinę essẽtię, quã D. Thomas ait mẽsurari æternitate participata: est etiã operatio eius trãsiens in res corporeas, vt cũ Angelus mouet secundũ locum corpora, vel ipse etiam secundũ locum mouetur; quod genus operationis, cum sit res quædam mutabilis, successiua & temporalis, est enim motus localis, non videtur require

re aliam mensuram, quàm tempus nostrum. Nam quod talis motus efficiatur ab Angelo, qui est supra tempus, & qui operando nõ pendet à tempore, id non obstat, quominus is mensuretur à nostro tẽpore; alioquin pari ratione cõcludi posset motũ primi mobilis, quoniam is efficitur ab intelligentia, nec pẽdet ab alio motu, non mensurari tẽpore nostro; quanquàm nõ me latet D. Tho. 1. part. q. 53. art. 3. affirmare motum localẽ Angeli, qui fit propter aliquam operationem Angeli transeuntem in res corporeas, si continuus sit, mensurari tempore continuo, non hoc nostro quo mensurantur res sublunares, sed quodam alio diuerso, & superiori; ita vt secũdum D. Tho. sint tria tẽpora inter se diuersa; vnũ hoc nostrũ, quo metimur sublunares motus Physicos pendẽtes à motu cæli; alterum tempus quoddã continuũ superius priori, nõ pendens à motu cæli, quo mensuratur motus localis Angeli; tertium est tempus discretũ, de quo nunc disputationẽ instituimus. Sed hęc quàm vera sint, & rationi consentanea, alij iudicẽt, neque enim omnia sunt huius disputationis ac loci. Mihi certè tempus illud continuum ab hoc nostro diuersum, nec videtur vllam ob causam necessariũ, cum ad omnẽ durationem continuè successiuam, metiendam, hoc nostrum tempus satis sit; nec facilè expediri possit, in quo, quemadmodum, & quorsum sit illud alterum tẽpus. Etenim vna est ratio temporis, quę est esse numerum motus secundum prius & posterius, qualiscunque & cuiuscunque & in quocunque sit ille motus. Non enim propter motus varietatem quæ oritur vel ex subiecto, vel ex termino ad quem, vel ex mouente, variatur tempus, nisi tantum per accidens & materialiter.

Sed ad varietatem operationum Angeli reuertamur. Pręter illa superiora duo operationum genera, tertium est continens naturales operationes Angeli immanentes, & spirituales; cuiusmodi sunt intelligere & velle, loquor de intellectione & volitione naturali, vt hinc excludamus beatificam. Huiusmodi autem operationum, quatuor secundum Thomistas sunt proprietates. Prima, quod habent durationem vtrinque finitam, incipiunt enim, & desinunt esse, potest namque Angelus de nouo suscipere intellectionem alicuius rei, & paulò post eam deponere. Secunda. Potest intellectio Angeli esse instantanea, ita vt Angelus vno tantum instanti rem aliquam intelligat, & consideret; potest etiã diuturnior esse, si Angelus intellectionem diu continuet; ex quo fit, vt possint huiusmodi operationes secundum suam durationem pro portione quadam respondere vel tempori nostro, vel vni tãtum eius instãti. Tertia. In naturalibus intellectionibus Angeli est successio non continua: nã vna intellectio nõ est continua alij intel-

lectioni, non enim sibi inuicem contihenter cohærent, sed est successio discreta, vna enim intellectio succedit post aliam: potest enim Angelus intelligens hominem, deponere intellectionem eius & suscipere intellectionem cęli, vel immediatè, vel mediatè. 4. Huiusmodi operationes, non sunt ens aliquod fluens & successiuum, sed permanens, & totu simul non quod Volitio Angeli sit indiuisibilis, nō suscipiens magis, & minus, potest enim intendi & remitti: neque. n. necesse est voluntatē Angeli quamcunque rem velit, in eā ferri omni sua vi, & conatu, sed quia volitio, Angelinō est sicut motus, cuius esse consistit in fluxu, & successione; & cui repugnat, vt is habeat partes aliquas simul permanentes.

Nota sententiam & doctrinam Thomistarum de tempore discreto.

Harum igitur operationum Angeli mensuram, Thomistę appellant tempus discretum: tempus quidem, propterea quod videtur esse propiū temporis metiri durationem finitam in qua est successio secundum prius ac posterius: tempus enim definitur numerus motus secundum prius ac posterius, supradictę autem operationes Angeli, habent durationē finitam, estque in illis successio secundum prius & posterius, ac ratione vt paulò ante declaratum est à nobis. Discretum verò tempus appellant, quia illæ operationes Angelicæ non succedunt sibi inuicem continuè, sed discretè ac distinctè vna consequitur aliā, siue mediatè siue immediatè, at hoc nostrū tempus cum sit mensura motus qui est continuus habens continuā suarum partiū successionem, ritè nominatur tempus continuum. Porrò quælibet operatio Angeli vocatur instans, siue duratio eius sit instantanea siue non, & ex huiusmodi instantibus cōponitur tempus discretū: itaque vnaquæque illarū operationum mensuratur vno instanti temporis discreti, ipsa verò huiusmodi operationū successio & variatio secundū prius & posterius, mensuratur ipso tempore discreto, quemadmodum in mensura multitudinis, quęlibet res siue magna sit siue parua mēsuratur vnitate, multitudo autem rerum mensuratur numero.

Quadruplex discrimen inter tempus cōtinuum & discretum secundum Thomistas

Atque hinc licet colligere quadruplex discrimen inter nostrū tempus & hoc tēpus discretū. Primò, illud est mensura successionis continuæ, hoc successionis discretæ. Deinde, illud non componitur ex suis instantibus, hoc ex suis instantibus componitur non secùs quàm numerus ex vnitatibus. Postea, instans illius temporis, semper est indiuisibile nec potest vlli parti tēporis coexistere: instās huius discreti tēporis, licet in se sit indiuisibile aliquādo tamē secundū durationē suā coexistit tantū instāti nostri tēporis, aliquādo etiam alicui parti nostri temporis. Postrēmò, in illo nō possunt instātia esse sibi inuicē immediata neque cōtinuē neque contiguē neque deinceps, vt probat Arist. 6. Phy. in hoc autē possunt instantia esse sibi inuicē immediata, ceu vnitate in numero.

Hęc est opinio Thomistarum de tēpore discreto: quam innuit D. Tho. 1. par. quæst. 10. art. 5. ad primum & quæst. 53. ar. 3. & Quol. 10. ar. 4. & D. Bonauētura 1. Sent. dist. 37. eandem sequitur Hēricus Quol 5. quęst. 13. & Ægidius in tractatu de mensura Angelorum, & Durandus 2. Sen. distin. 2. quæ sententia probatur primùm hac ratione. Duratio huiusmodi operationum Angeli, est mensurabilis. sed non æternitate nec quo nec tempore nostro, ergo hoc tempore discreto: illa enim duratio non est mensurabilis æternitate nec quo, tum quia est vtrinque finita habēs initium & finem: tum quia recipit successionem secundum prius & posterius, quæ duo sunt contra rationem æternitatis, & æui. Nec est mensurabilis hoc nostro tempore, partim quoniam illiusmodi operationes cum sint spirituales & non pendētes ab vllo motu corporeo, sunt supra tempus nostrum, & altiorem mensuram requirunt: partim quia potest Angelus habere duas intellectiones instantaneas sibi immediatè succedentes, quæ non possunt mensurari tempore nostro, cum sint totæ simul, & indiuisibiles, nec instantibus nostri temporis, cum sint inter se immediatè coniunctę, quod repugnat instantibus nostri temporis.

Deinde, conantur idem persuadere multis testimoniis D. Augustini: is enim tum in 8. lib. super Genesim cap. 21. & lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 15. cum aliis quamplurimis locis, ait in operationibus Augelorum esse implicatum tempus: & creaturam spiritualem tametsi non per loca, per tempora tamen moueri à Deo. Sed quidam vehementer vrgent Thomistas illo argumento. Si Angelus potest habere duas intellectiones instantaneas sibi immediatè succedētes, quarū vnaquęque per se respondeat instāti nostri temporis, quod ipsi concedunt & sumunt ad probandam suam opinionem, ex eo necessariò conficitur etiam in nostro tempore posse dari duo instantia sibi immediata: nam prior intellectio Angeli respōdet vni instanti nostro & posterior intellectio respondet etiam vni instanti nostro, sed posterior intellectio ponitur immediatè succedere priori, ergo pari ratione vnum instans nostrum immediatè succedit alij instanti.

Scotus 2. Sen. dist. 2. quæst. 4. quoniam opinatur rationem qui in eo esse vt metiatur durationē permanētem, & quæ est tota simul cuiuslibet rei qualiscūque ea fuerit, hoc est siue incorruptibilis siue corruptibilis: siue durationis infinitę, siue finitę, ideo ait operationes Angeli, de quibus nūc agimus, mensurari æuo, cū singulæ habeant durationem permanentem, & totā: simul neque referre quāta sit earum duratio finita ne an infinita, magna an parua. Ve-

rum quia opinionem Scoti supra refutauimus, cum ageremus de ratione æui non erit in præsentia opus eam refellere.

Sententia auctoris de tempore discretobreuiter exposita.

Quid igitur est iudicium, quæ sententia nostra de hoc tempore discreto? Equidem tria hic statuo: primùm enim arbitror, triplicem tantum esse speciem durationis, spectando rationẽ quantitatis, propter quam solam duratio est per se mensurabilis: vnam æternam, vtrinque infinitatem; alteram æuiternã, ex altera parte infinitam; tertiam temporalem ex vtraque parte finitam, quę nimirum & initium habet & finem; nec præter has alia vlla fingi potest. Deinde, aio tẽpus dupliciter posse accipi; vel Physicè, quod tantum est in iis, quæ subiiciuntur motui Physico, quo tempore certum est non mensurari operationes Angeli: vel Metaphysicè, quod reperitur vbicunque est aliqua successio vnius potest aliud, & variatio secundum prius & posterius; atque hoc modo sumit tẽpus D. Augustinus, cum inquit Angelos moueri in tempore, & in eorum actionibus esse tempus. Postremò, quod in fine præcedentis capitis diximus de æuo, idem quoque de duratione operationum Angeli sentiendum, dicendúmque arbitramur: nempe, huiusmodi durationem per se mensurabilem non esse, cũ sit indiuisibilis, expers quantitatis & extensionis, omne autem mensurabile necesse sit esse quantum & aliqua præditum extensione; neque vero ad eam durationem manifestandam opus esse Angelo aliqua extrinseca mensura, cum illam durationẽ Angelus extrinsecè, & per se cognoscat perfectissimè: neque nostra causa introducendam esse mensuram aliquam illius durationis diuersam à nostro tempore, quæcunque enim fingatur, erit nobis quàm illa duratio, vel æquè ignota vel etiam ignotior: neque nos aliter illã durationem operationum Angeli metiri possumus, quàm durationem existentiæ ipsorum, per coexistentiam nimirum, & relationem ad nostrum tempus, denique quęcunque paulo ante diximus de æuo, ea possunt (ne sæpius eadem repetantur) ad hunc locum transferri, & accommodari. Sed vereor, ne dum quę ad mensuras durationum pertinent, ea nimis subtiliter ac diligẽter persequor, lõgius prouectus & euagatus sim, quàm patitur ratio mei instituti, quare finẽ huic disceptationi, & duodecimo libro imponens, referã me ad ea quæ reliqua sunt huius operis, pertractãda.

FINIS DVODECIMI LIBRI.

DE NATVRA MOTVS

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Cognitio motus ad omnes Philosophiæ naturalis partes multas; alias disciplinas plurimum conducit.

QVAM est motus cõmunis omnium rerum quæ natura constant, tam est cognitio eius non modo vniuersæ Philosophiæ naturali, sed aliis etiã permultis disciplinis, necessaria. Quot autem, & quantas vtilitates scientia motus ad omnes Philosophiæ partes percipiendas adferat, hinc perspicuum esse poterit. Primò natura in quæ explicanda tota Physica occupatur, ignorato motu nequit benè cognosci; cum natura definiatur esse principium motus, & motus sit quippiã proprium naturæ, omni soli & semper cõueniens; vide Arist. 3. Phys. text. 1. Deinde, res subiectæ Philosophiæ naturali, eius definitiones, demõstrationes, termini denique ac limites Physiologiæ definiuntur motu: & ab Arist. scientiæ speculatiuæ ita distinguuntur, vt Physica res motui omnino coniunctas tractet, Mathematicæ disciplinæ ratione à motu seiunctas, Metaphysica, re & ratione separatas. Postea, pleraque ac præcipua fundamenta Philosophiæ, motu deprehẽsa & cognita fuerunt: motu. n. reperta sunt quatuor genera causarum, quod indicat vniuscuiusque causę definitio; motu locali & alteratione, inuenta sunt quatuor elementa; materiam ptimam esse, atque ingenerabilem, & incorruptibilem esse motus patefecit: Mundum æternum esse, & generationem rerum æternam Arist. falsò quidem, sed ex motu tamen argumentatur: priuatio motus Physici monstrauit Aristoteli humanum intellectum ingenerabilem, & incorruptibilem esse, dissimilem formis materialibus, & vt intellectus est, extra considerationem Physici. Quod natura propter finem agat, motus rerum naturalium, qui ordine ac vt plurimum eodem modo fiunt manifestè ostendit. Præterea, omnium rerum perfectio, motu declaratur & acquiritur: nam quæ nõ sunt, per motum existunt; quæ iam sunt, perfectionem suam, vel in motu habent, vt animata; vel per motum acquirunt, vt res inanimatę; vel motu perfectionem suam aliis communicant, vt cæli & Intelligentię. Ad-

hæc sublato motu gradus,species,& perfectiones rerũ naturaliũ discerni nõ possent.His accedit,q̃ ex motu naturali cæli differẽs ab his sublunarib.numerus,ordo,& dignitas orbiũ cęlestiũ,& ordo Vniuersi cognoscitur. Postremò,si tollis motũ,nec Meta.nec Perspectiua,nec Musica,nec Astronomia,nec Medicina, nec aliæ multę disciplinę,speculatiuę,actiuę,& factiuę stare poterunt.Vide Arist.8.Phys.tex.22.Cum igitur tam multiplex sit vtilitas,quã parit cognitio motus,visum nobis est separatim de motu generalem tractationem cõscribere.tres ob causas:Primò, quoniam contemplatio & cognitio rerum vniuersalium,præcedit cognitionem rerum particularium:quamobrem generalis motus præcognitio,necessaria est ad intelligendas species eius:Deinde,quoniam de motu Aristoteles & pauca vniuersè scripsit, eaque non vno in loco,sed sparsim in variis.Postremò quia si omnia,quę ad motum vniuersè pertinent seorsim explicata fuerint,eum ad tractationem specierum eius accedemus,breuior erit,facilior,& ordini naturali congruens earum explicatio:sic enim,& quæ omnis motus communia sunt,& quæ vniuscuiusque motus propria dispiciemus; & in omnibus rebus demonstrationibus vniuersalibus,ac propriis vtentes , propriam , atque perfectam cuiusque rei scientiam consequemur. Tripartita autem erit tractatio motus,in tres libros diuisa,primum enim explicabuntur,ea quę attingunt essentiam motus:tum agetur de variis & pręcipuis quibusdam diuisionibus motus:Postremò, disseremus de motus æternitate.In hoc autem qui proximè sequitur, libro, tria explicanda sunt,quæ pertinent ad declarandam motus naturam : Vnum est in quo genere , vel categoria poni debeat motus; alterum est,subtiliter ac diligenter explanare definitionẽ motus traditã ab Arist.3.Phy.tertium est,agere de terminis motus,ex quibus,vnitas,distinctio,cõtrarietas,& prestantia motus æstimatur.

In quo genere,seu categoria sit Motus.

CAP. I.

HAnc quęst.tractat Alex.1.lib.Natur aliũ.qu.c.21. Simplcius in prædicamentis, & obiter super 4.text.lib.3. Phys.Auer.3.Phy.com.4.& 5.lib.Phy.com.9.Albert. in 3.Phy.tract.1.c.3.à nobis sic declarabitur,vt primò exponamus sententiã,quã arbitramur magis probabilẽ;deinde,si quę remanet dubitatio,propter eos,qui cõtra sentiũt eã tollamus.

Sententia autẽ nostra duas partes habet;priori asserimus motum in nullo certo prædicamẽto per se reponi,posteriori autem affirmamus motum poni in prædicamento reductiuè , id est reduci ad prædicamentum eius rei,ad quam fit motus; vt generatio,quia fit in substantiam, reducitur ad prædicamentum Substantiæ;augmentatio ad prædicamentum Quantitatis;& similiter alij motus.Prior pars nostræ sententiæ,ita probatur.Primò, neque motus est aliquod prędicamentum diuersum ab aliis decem vt putauit Plotinus referẽte Simplicio,quia decem tantùm esse prædicamenta,& omnium ferè Philosophorum cõsensu receptum est;& hoc demonstratur tum in Logica,tum in Metaph. neque motus ponitur in aliquo prædicamento illorum decem quia Arist.in nullo eorum reposuit motum,imo reposuit in post prædicamentis,significans motum non contineri in aliquo certo prædicamento,sed vagari per multa prædicamenta. Deinde, omnes interpretes exponentes textum 4.lib.3. Phys.aiunt motum,non dici vniuocè,vt videre licet apud Simplicium , Auerr. Alber.ergo motus non reponitur in aliquo prędicamento;nam tam æquiuoca , quam analogica remouentur à prædicamentis. Et confirmatur hoc quia sicut Arist.in 7.Metaph.text.4. ait substantiam esse priorem accidente tempore,natura & perfectione ita idem scribit 8.Phy.56. motum localẽ esse priorem aliis motibus,tempore,natura & perfectione,ergo sicut substantię & accidenti,non datur vnum commune genus,ita neque dabitur genus commune motui locali, atque aliis motibus. Præterea motus idem est secundum rem cum termino ad quem,vt posterius ostendetur,& quamuis hoc apud aliquos dubium sit, tamẽ illud certum est apud omnes, motum non posse existere, aut definiri sine termino ad quem,quoniam ab ipso accipit vnitatem & distinctionem,vt dicitur 5.Phy.si ergo motus esset genus commune generationi,augmentationi & alterationi , ergo daretur terminus ad quem respondens illi motui generico,communis genericè,& substantiæ,ad quam fit generatio,& qualitati ad quam fit alteratio,& quantitati ad quam fit augmẽtatio,quod & Arist. negat 3.Phys.text.4.& per se absurdum est quoniam substantia, quantitas,qualitas,cum sint genera summa, non habent aliquod genus superius, neq; quidpiã quod de illis vniuocè dicatur.Postea,si motus esset vnum aliquod genus,ergo augmentatio,alteratio & alij motus,essent vnius generis,quod est falsum;quoniam Arist.5.Phys.text.31.tradit tres modos,secundum quos motus dicitur esse vnus,nam inquit,vel motus est vnus genere,cuiusmodi sunt omnes motus,qui pertinent ad eandẽ categoriã, vt omnes generationes inter se , vel alterationes inter se : vel est vnus specie,quoniã terminus ad quẽ est vnius speciei,vt omnes calefactiones sunt vnius speciei qa fiũt ad caloré,q̃ est vna species qualitatis:vel est vnus motus numero,quãdo &subiectũ,& terminus

Probatur motum per se non pertinere ad vnam aliquam categoriam.

ad quem,& tempus est vnum numero.Si autem motus in communi,esset genus Aristot.prætermisisset alium modum vnitatis secundum quem omnes motus possent dici esse vnius generis, quatenus conueniunt in motu qui ponitur esse genus aliorum; & ea ratione,generatio,alteratio,& latio essent vnius generis.

Posterior autem nostræ sententiæ pars, quod motus reducatur ad categoriam eius rei,ad quam tendit motus,sic ostenditur, primo,quia via & principium,reducitur ad prædicamentum eius rei,ad quam est via & cuius est principium, sed motus(verbi gratia)generationis,est via ad substantiam,& idem iudicium est de aliis,ergo.&c.Postea imperfectum & perfectum non variant speciem:sed motus nihil aliud est quàm res ad quam est motus prout est imperfecta,& in fieri;vt c. lefactio nihil aliud est quam calor prout est imperfectus & tendit ad perfectionē, quare ambo ad idē prędicamentum pertinebunt.Tum, actus, & potentia pertinent ad idem prædicamentum:vt calor in potentia & calor in actu,non pertinent ad diuersa prædicamenta, sed reducuntur ad idem;ergo quod est in potentia nō differt genere, ab eo quod est actu:ergo multo minus quod partim est actu partim potentia,differet genere ab eo,quod est actu:sed motus nihil aliud est quàm res quę producitur,prout partim est actu partim potentia ergo nō differet genere ab ipsa re:nam si calor in potentia est eiusdē categorię,atq; calor in actu,ergo calor(vt ita dicam)fiens, qui partim est actu partim potentia,erit quoq; eiusdē categoriæ atque calor in actu:& hanc rationē tangit Auerr.5. Phys.com.9.

Quomodo dixerit Alexander motum referri posse ad varias categorias.

Nunc respondendum est cuidā obiectioni quę contra supradictam sententiam existit ex his quæ scribit Alex.1.lib.naturalium qu.c.21.illic.n.ait motum pertinere ad varias categorias, nimirum ad categoriam.Quantitatis,Ad aliquid,Passionis,Qualitatis & ad categoriam eius formæ ad quam dirigitur motus. Sed respondendum est,motum,per se ac directè ad nullam categoriam pertinere (vt supra ostensum est) secundum quid autem, pro vt variis modis consideratur.etiam posse referri ad varias categorias.Potest.n.reduci ad categoriam Quantitatis, quatenus est de genere continuorum,vt hic inquit Arist.principio lib.Phys.nam continuum & discretum,species sunt quantitatis: ad categoriam verò ad aliquid,quia motus est actus mouentis in mobili vt definit Arist.3.Phys.text.23.mouens autem,& mobile sunt relatiua reuocatur quoque ad categoriā Passionis, quia sicut passio est in patiente,ita motus in mobili,& sicuti per passionē res transmutatur & afficitur, ita quoque per motum; & quia tertia species Qualitatis appellatur passio,& patibilis qualitas, hoc etiā nomine motus redigi posset ad categoriam qualitatis:postremò, quia motus est via ad aliquam formam, & non differt ab ea,nisi tanquam imperfectum à perfecto,meritò reducitur ad prędicamētum illius.hæc igitur cōsiderans Alex.scripsit motū referri posse ad varias categorias. Quod autem hæc verè & propriè dici nequeant de motu,hinc planum est:motus.n.per se nō est in prædicamento Quantitatis. quoniam Arist.& in Logica in categoria Quantitatis,& in Metaph.lib.5.text.18.ait motum esse quantum per accidens:nam cum duplex sit ratio quantitatis, vna esse diuisibile in partes,altera esse mensuram;neutra per se cōuenit motui,motus.n.diuisibilis est vel propter mobile, vel propter id in quo fit motus: ratio autem mensuræ nō conuenit motui per se, sed propter tempus,quod est numerus motus. Deinde,neque est in categoria ad aliquid, nam si motus est relatiuum, necessariò habebit suum correlatiuum,hoc autem,vel erit mobile,vel mouens,nam quid sit aliud,ne fingi quidem potest:at respectu motus ad mobile, cum sit respectus accidentis ad suum subiectum non pertinet ad categoriam ad aliquid,alioquin omnia accidentia includerentur in prædicamento ad aliquid: respectus autem motus ad mouens,est respectus effectus ad causam, qui licèt secundariò &,vt vocant,secundum dici,habeat vim aliquam relationis,tamen principaliter & secundum esse,minimè habet:alioquin omnes res quæ productæ sunt à Deo,cōiici deberent in categoriam ad aliquid.Quod non sit in categoria Actionis,vel passionis,ex eo perspicuum est:quia motus indifferens est ad actionem,vel passionem;& idem motus prout habet respectum ad agens,dicitur actio,prout autem habet respectum ad patiens, dicitur passio; quare si quia per motū patiens mouetur,debet motus poni in categoria passionis, ergo pari ratione, quia per motum agens mouet,æquè deberet collocari in categoria actionis Deinde, si motus est in categoria passionis, ergo hæc est bona prædicatio,motus est passio:similiter hęc quoque est bona,actio est motus, ergo à primo ad vltimum, erit quoque bona prædicatio hæc,actio est passio,per illam regulam prioristicam, Dici de omni,&c.quod absurdum est,quippe cum actio, & passio sint categoriæ diuersę inter se.Quod autē ait Alex.motum pertinere ad tertiam speciem qualitatis, quatenus est quædam passio, non est absolutè verum:nam passio,quæ est tertia species qualitatis, non est quilibet motus sed tantum est alteratio, neque est quælibet alteratio,sed quæ breui,& celeriter transit,nec afficit,atque denominat subiectum.Verùm ad quam categoriam pertineat,satis dictum sit.

Explicatur definitio motus tradita ab Arist 3. Phys. text. 6.

CAP. II.

ARistoteles in 3.lib.Phys. magna diligentia vsus est in explicanda natura motus:nam à text.3.vsq; ad 6.prę-misit quatuor hypotheses valde vtiles, ad definiendum motum. Deinde dedit tres definitiones motus: vnam text.6.alteram text.16.tertiam.text.23.Postea multis modis declarauit & confirmauit primam definitionem,à text.7.vsque ad 12.explanando particulas definitionis,à text.12. vsque ad 16.demonstrando eos,qui secus de motu senserunt,vel aliter ipsum definierunt propriam naturam eius ignorantes,multùm errasse.Postremò,quoniam vt dicitur lib.4.Phys.tex.31.signum bonæ definitionis est,ex illa solui posse dubitationes,quę circa rem definitam existunt,idcirco Arist.à text.18.vsque ad 24.diligenter exponit duas dubitationes quæ de motu afferri solent,nimirum an motus sit in mobili,an potius in mouente;& an idem sit actus mouentis,& mobilis:quæ dubitationes ex secunda & tertia definitione motus facilè dissoluuntur.Sed de viis quibus institit Aristot.ad inuestigandam definitionem motus;vide Auerr.3.Phy. comm.12.Cum igitur cognitio motus perneccssaria sit.difficilis tamen(vt dicit 3.Phys.text.15.) cum sit motus actus imperfectus & mixtus cum potentia,enitendum nobis est,vt eã planam & facilè reddamus.quod speramus nos assequi posse, si primùm omnes particulas primæ definitionis subtiliter,& diligenter explanemus: deinde soluamus difficultates quæ circa hanc definitionem occurrunt. Definitio autem motus à nobis explicanda hæc est.*Motus est actus entis in potentia prout in potentia* In qua sunt quatuor particulæ,Prima est.*Actus*.Secunda.*Entis*.Tertia.*In potentia*.Quarta.*Prout in potentia*,quas sigillatim discutere oportet.

An motus dici queat Endelechia.

Actus.Græcè est ἐντελέχεια & sic legit Alexander,Porphyrius & Themistius.Sed hæc lectio non probatur Simplicio,quoniam nomen Endelechiæ,vt declarat etymologia eius significat perfectionem,quæ duplex est(vt dicitur 2.de Anima,text.2.)vna est forma perfecta,altera est operatio à tali forma proficiscens:motus autem est actus imperfectus,vt dicitur 3.Phys.text.15. quare Simplicius mauult legi,energiam,quod nomen dicitur de omni actu,tam perfecto,quam imperfecto.Verum pro Alexandro& aliis dici posset, vocabulũ endelechiæ propriè quidem sumi pro actu perfecto, interdum tamen amplè vsurpari pro omni actu; vt idem valeat, atque energia:nam Aristoteles paulò infra loquens de motu an sit motus vnus actus mouentis,& mobilis,indifferenter

differenter vocat nunc Endelchiam, nunc Energiam. Et sicuti generatio,quę est via ad naturam,vocatur natura,vt 2.libr.Phys. text.14.dictum est,ita quoque motus, quoniam est via ad formam quæ propriè dicitur Endelechia poterit etiam appellari Endelechia.

Triplex actus in omni re naturali.

Sciendũ est autem,in omni re naturali,quæ accipit esse per generationem inueniri triplicem actum:vnum per quem res fit & hic est motus:alterum per quem res habet esse, & hic est forma: tertiũ,per quem agit,& hic est ipsa operatio:quamuis igitur forma dicatur actus primus respectu operationis suæ,tamen potest dici rectus secũdus,respectu motus per quẽ acquiritur. Actus verò primus & vltimus,semper in idem numero incidũt respectu diuersorũ:nam motus respectu mobilis,est actus primus & imperfectus,respectu autẽ mouẽtis,est actus vltimus,& perfectus:quia proficiscitur à forma quæ est in mouẽte.Nã vt dicitur 3.Phy.tex. 17.semper mouens affert aliquam formam, quæ est principium motus.Hinc igitur facile intelligitur definitio motus quã Themistius tradit 3.Phy.super tex.7.dicens (motum esse primum actũ eius,quod est in potentia)Nam secundus inquit,actus est forma,per quam res iam quiescit:cur enim vocet motum actũ primum,ex his quæ diximus palam est. Similiter planum est quod hoc loco scribit D.Thom.asserens res antequam moueantur esse in duplici potentia,vna ad fieri,altera ad esse:prior potẽtia reducitur ad actum per motum,nam cum res mouetur,tunc fit,& non est amplius in potentia ad fieri,vel moueri; altera verò reducitur ad actum per formam,quæ completo motu,dat esse rei. Dicitur autem motus actus,quia necesse est,cũ mouetur res,habere aliquid formæ,quæ est actus:nihil enim aliud est motus, vt verbi gratia calefactio,quàm calor qui producitur ab igne,& cõtinuè perducitur ad ampliorem perfectionem.

Quatuor dubitationes.

Sed hic existunt quatuor dubitationes. Prima est,cũ motus sit actus mixtus cũ potentia,cur potius definitur per actũ,quàm per potentiã;Secunda est, Arist.de Anima tex.2.facit duplicem actũ, vnum primum quem ait esse formam,alterũ secundũ, quem dicit esse operationem prouenientẽ à forma:neuter autẽ conuenit motui,nã neque motus est forma perfecta,neq; est operatio proueniens àforma,sed potius tendens ad formam: ergo male dictũ est motum esse actum primum.Tertia est,Dictum fuit rem cum mouetur,nõ esse amplius in potentia ad motũ, sed esse in potentia ad formam:contra, quia motus,cum sit continuus & diuisibilis,habet partes alias priores,alias vero posteriores,cũm igitur res est in priori parte motus,erit etiam in potẽtia ad posteriores

partes eiusdem motus: verbi gratia sit calefactio quæ duret vt octo, res, quæ calefit, cum habet calefactionem vt duo, adhuc est in potētia ad calefactionem vt quatuor, vt sex, vt octo; Præterea, motus re idem est cum forma quę acquiritur per motum, ergo si quod mouetur est in potentia ad formam erit quoque in potentia ad motum: quia quantum restat formæ, tantum restat motus. Quarta est, Simplicius super tex. 7. lib. 3. Phys. refert. Alexandrum definisse motū hoc pacto. *Motus est prima mutatio eius, quod est in potentia pro vt tale est*; quam definitionem Simplicius duplici nomine reprehendit, primò, quia cū motus, & mutatio idem valeāt (nam licet Arist. in 5. libr. Phy. distinguat motum a mutatione, tamen in 3. Phy: vbi definit motum vtrunque vocabulum indifferenter sumit) definire motū per mutationem est idem per idem definire, & ignotum per æquè ignotū deinde, quid sibi vult motum esse primam mutationem? nā si motus est prima mutatio, ergo post motum erit alia secunda mutatio, at post motum non est nisi forma, quæ tantum abest, vt sit motus, vt ea præsente omnis motus cesset, & per ipsā res quæ antea mouebatur quiescat Hæc Simplicius contra Alexandrum. Dubitatur igitur an definitio Alexandri defendi, & in bonam partem accipi possit.

Soluuntur supradictæ quatuor dubitationes. CAP. III.

Cur motus dicatur potius actus quàm potentia.

Sed ad has dubitationes, difficile non est respondere. Ad primam igitur, ita respōdeo: motus definitur per actū, & nō per potentiā, multis de caussis: primò quia motus re idem est cum forma quæ producitur, at forma nō est potentia sed actus. tum quia motus est quædam operatio, omnis autem operatio est actus. postea, quia idem motus est mouētis & mobilis, non potest autem esse eadem potentia mouentis & mobilis: quia potentia mouentis est actiua. & est in ipso mouente, potentia autem mobilis, est passiua, & in ipso mobili: si ergo motus debet esse vnus mouentis & mobilis, nō poterit esse potētia, sed erit actus, qui trāsit à mouēte in mobile: quia per motū semper acquiritur & augetur actus, potentia autem perpetuò minuitur ac deperditur. Postremò motus nō solum definitur per actum, sed etiā per potentiam, sed actus ponitur loco generis, potentia autem loco differentiæ in obliquo. & quoniā cū accidens definitur in abstracto, genus eius ponitur in recto, differentia autē in obliquo, quæ differentia sumitur ex habitudine ad subiectum. Ideo in hac definitione motus, actus, qui tenet locum generis ponitur in recto, potentia verò, quæ gerit vicem differentiæ, ponitur in obliquo. Ad

Ad secūdam, Aristoteles 2. de Anima, tantum loquitur de actu perfecto: qui tātum est duplex, forma, & operatio formæ: nos autem hic loquimur de omni actu. Forma igitur, quāuis inter actus perfectos est primus actus tamen inter actus, simpliciter sūptos. est secundus: quia forma sequitur motum per quem acquiritur:

Ad tertiam. Est duplex genus rerum: quædam res sunt permanentes, vt homo, & statua: aliæ sunt successiuę, vt motus, & tēpus, quarū esse consistit in fieri, & in fluxu quodam. Inter quas res hoc interest: quod permanentes, tunc dicūtur esse actu, cum perfectè habent suum esse, & simul obtinent omnes partes suas: tūc enim dicitur actu esse homo, cū obtinet perfectè esse hominis, & possidet omnes suas partes: res autem successiuę, quoniam nō possunt secundum omnes partes simul esse, tunc dicuntur esse actu, cum vel vna pars, vel aliquid disarum actu est fluens, ad reliqua: (verbi gratia) nunc dicitur esse dies Martis, non quod, totus hic dies simul sit nunc, sed quia est aliquid huius diei cohærens cū eo, quod præcessit, & continuum, atque fluens ad ea quæ sequuntur. Hinc facilè soluitur dubitatio proposita, motus enim cum sit ens successiuum, tūc dicitur actu esse, cum actu est aliquid ipsius continuum cum reliquis partibus motus, vnde res quæ mouetur, dicitur iam actu habere motū, etiam si non habeat actu omnes partes motus, nec dicitur amplius in potentia ad motum. Forma autem dupliciter considerari potest, vel vt est in fieri, quo modo re non distinguitur à motu, & sic quod mouetur, non est in potentia ad formam, sicuti neq; ad motum: vel consideratur vt forma est perfecta dans esse perfectum rei, & sic differt à motu, & quod mouetur dicitur esse in potentia ad illam. Ergo, vt vno verbo dicam, quod mouetur nō est in potentia ad formam imperfectam, & in fieri, sed ad formam perfectam & in esse completo.

Ad quartam. Pro Alexandro dupliciter responderi potest. Primò vt dicamus nomen mutationis valde ample sumi ab Alexādro, & multo latius quàm hoc loco vsurpetur nomen motus ab Aristotele: est enim duplex mutatio, vna per quam res mutatur à non esse ad esse formæ, siue forma fuerit substantialis siue accidentalis: altera per quam res mutatur ab esse formę ad operationem eius (verbi gratia) duplex est calefactio aquæ, vna passiua per quam aqua calefit, & acquirit calorem, altera actiua, cū aqua per calorem acquisitū calefacit alias res, hanc distinctionem mutationis colliges ex Arist. 8. Phys. 32. & 2. de Anima 57. motus est mutatio illa primo, per quā res à non esse formę mutatur ad esse illius. Alexander igitur fortassis respiciens hanc duplicem mutationem definiuit motum per primam mutationem distinguens

illum à secunda; nam prima est mutatio ad formam, secunda est mutatio forma ad operationem. Deinde posset etiã dici, Alexandrum nõ dixisse motum esse primam mutationem, sed primum actum: quod vt credam; duplici ducor coniectura, tum quia Themistius qui in explanatione Aristo. omnes sententias Alexandri breuitate sua paraphrastica expressit, definiuit (vt supra diximus) motum per actum primum, nõ per mutationem: Tũ etiam, quia quod subiungit Alexander, idcirco motum esse primam mutationem, quia forma, per quam res quiescit, est secunda, non sibi constaret; nam si forma est mutatio secunda, quomodo per eam res quiescit? Deinde, absurdum est formam, quæ est terminus motus appellare mutationem. Verisimile igitur est, Alexãdrum, non scripsisse mutationem, sed actum: si enim sic legamus, oratio ipsius habebit veram & philosophicam sententiam; motus enim est actus primus, quoniam per illum res, quæ ante erat in pura potentia, incipit attingere esse, & actum; forma verò est secundus actus, quoniam adeptione illius, res deponit omnem potentiam, & perfectè acquirit suum esse.

Exponuntur reliquæ particulæ definitionis motus.

CAP. IIII.

Secunda particula definitionis motus est illa (*entis*) Ens, bifariam sumitur, vel vt est nomen transcẽdens, & sic non ponitur hic, quia Ari & in 6. Topicorum vetat huiusmodi transcendentia ponere in definitionibus. Vel accipitur ens, vt est Participium verbi substantiui, sum, & tunc significat id quod est, vel existit, & hoc modo sumitur hic: vt sit sensus, motus est actus entis in potentia, id est, eius quod existit in potentia. Sed dices cur Aris. in hac definitione non posuit proprium subiectum motus, quod est corpus? Respondeo, Aristotelem subiectum motus insinuasse in secunda definitione eius, cum dixit 3. Physicorũ, tex. 16. motum esse actum mobilis in quantum mobile. sed quia nondum certum erat, an omne quod mouetur sit corpus, sed hoc 6. Phy. demonstrabitur, ideo Arist. hic non posuit corpus in definitione motus.

Tertia pars definitionis est (*Inpotẽtia*) sed dicet aliquis, si motus est actus, quomodo, id quod mouetur dicitur esse in potentia? Respõdeo, duplicem esse actum, vnum perfectum, qui aufert omnẽ potentiam, & hic est forma perfecta, alterũ imperfectũ, qui semper habet adiunctũ aliquid potentię dum est, & cum potentia penitus tollitur, deficit ille actus; & talis est motus. Vnde rectè Ari. 9. Metap. tex. 11. & 3. Phy. tex. 57. ait duplicem esse potentiã: vnam, quę tota simul reducitur ad actum, ita vt nihil remaneat ipsius: alteram

teram, quæ reducitur ad actum imperfecte, ita vt neque omnino pereat, neque omnino maneat integra: & Auerroes 9. metap. cõment. 11. ait quendam esse actum, qui expellit omnem potẽtiam, alium verò, qui nõ potest omnino separari à potentia, & talis inquit reperitur in materia, in diuisione continui & in motu. Vide etiam de hoc Themistium 3. Phys. super tex. 6.

Quot modis contingat idẽ esse actu & potentia.

Nec nimirum videri debet, quod mouetur simul esse actu & potentia, nam hoc potest contingere tribus modis, primò vt simul sit actu & potentia respectu diuersorum, veluti aqua actu est frigida, & potentia calida: tum respectu eiusdem, sed diuersis temporibus: vt aqua, quæ nunc est potentia calida, paulò post si fuerit admota igni, euadet actu calida: postremò, vt idem respectu eiusdem, & simul, sit actu & potentia, sed non eodem modo, verùm est actu imperfectum, & potentia ad perfectionem tendens: vt aqua, quę calefit est actu & potentia calida, est actu calida respectu caloris imperfecti, quem iam habet, est potentia calida, respectu caloris perfecti, quem Inõdum habet. Hoc modo omne quod mouetur dicitur simul esse actu, & potentia; ex quo manifestũ est in quibus rebus motus reperiatur, videlicet in his, quæ participant actu, & potentia; quocirca Intelligentiæ apud Peripateticos (licet id falsum sit) non subiiciuntur motui, quoniam secundum Arist. carent omni potentia: Cælum autem sicuti tantùm habet potentiam ad vbi, & ad locum, sic etiam tantum habet motum localẽ; cæteræ autem res sublunares, quoniam propter imperfectionem earum, multiplici constans potentia, ideo multis etiam, & variis motibus cientur.

Sex necessaria sunt vt fiat reactio.

Porrò, cùm res naturales quę mouentur, constent actu & potẽtia, hinc fit vt simul moueant, & moueantur, agant, & patiantur; prout enim actu sunt, mouent & agunt, prout autẽ potentia, mouentur & patiuntur: quod Arist. confirmat 3. Phy. tex. 8. & 16. & in libris de Generatione multis locis; ex quibus locis aperte colligitur dari reactionem, de qua re grauis cõtrouersia est inter Philosophos: verùm aliena huic loco, & à nobis explicãda in libris de Elementis. Sed (vt hoc obiter dicamus) sex conditiones requirun tur vt fiat reactio, id est, vt agens in agẽdo patiatur ab eo in quod agit. Prima est, vt sit agens corporeum, nam Intelligentię mouẽt cælum, & non mouentur ab ipso, quoniam sunt incorporeæ, non potest autem incorporeũ Physicè moueri ab eo quod est corporeum. Secunda. Vt agens habeat eandem materiam atque patiẽs, nam cælum agens in hæc inferiora, nihil patitur ab ipsis, propterea quod habet materiam longè diuersam. Tertia. Vt agens agat actione Physica & reali, non autem intentionali, & spirituali;

siquidem color mouet visum,& tamen non mouetur ab ipso, similiter quodlibet sensibile & intelligibile, & appetibile mouent suas potentias & non mouentur ab ipsis. Quarta. Intelligitur hoc præcipuè in motu locali & alterationis, maxime verò in motu alterationis, nam non necesse est quod generat generari ab eo, quod generatur. Quinta. Vt patiens non sit nimis debile, sed habeat tantam vim, vt possit aliquantulum agere in id à quo patitur. vnde si calor valde exiguus admoueatur summo frigori, patietur,& non aget. Sexta. Vt agens sit intra sphæram actiuitatis ipsius patientis, hoc est vt sit in ea distantia, vt possit virtus patientis pertingere vsque ad agens, nam si esset tale interuallum, vt agens quidem posset attingere ipsum passum, patiens verò non posset virtutem suam transfundere vsque ad agens, tunc fieret actio sine reactione.

An potētia sit magis de essentia motus quàm actus.

Sequitur quarta & vltima pars definitionis motus. *Pro vt in Potentia.* Ex hoc patet potentiam esse magis de ratione & natura motus, quàm actum; quoniam actus ponitur loco generis, potentia verò loco differentiæ, differentia autem magis attingit quiditatem rei quàm genus. Tū, quia motus accipit vnitatem,& distinctionē à termino ad quē, respectu cuius est in potentia. Deinde quia res quæ mouetur non mouetur respectu formę, quā iam habet, quia iam quiescit in illa, & cum iam possideat ipsam, frustra moueretur ad ipsam: ergo mouetur propter formam, quam nōdum habet: sed potest habere: quare motus, præcipuè fit propter potentiam. Postea, sit aqua, quæ admota igni calefiat,& feruear, hæc simul & calefit ab igne,& calefacit aliud nempe manum vel aliud quiddam sibi adiunctum, non potest respectu autem eiusdem principij calefacere,& calefieri. Impossibile enim est idem esse principium agendi & patiēdi, ergo respectu diuersorum principiorū, sed calefacit respectu actus, id est respectu caloris, quem actu habet, ergo calefiet non respectu illius, sed respectu caloris, quē nondum habet, sed pergit,& tendit ad illum habēdum. Itaqi in omni motu tria insunt, primo est actu aliquid formę ad quam

Tria in omni motu reperiri.

fit motus, tum est potentia ad ampliorem participationem illius formæ, denique est quidam fluxus, & (vt sic loquar) quædam tendentia ad illam formam. Nam si hoc tertium desit, quamuis duo priora adsint, tamen non erit motus: vt (verbi gratia) si aqua, quæ calefit remoueatur ab igne, habet quidem actu aliquid caloris, habet item potentiam ad ampliorem calorem, tamen quia non habet illum fluxum, & tendentiam ad calorem, quam antea ex præsentia ignis habebat, ideo non dicitur moueri, vel calefieri.

Ex

Explicantur decem magni momenti dubitationes, quæ circa definitionem motus existunt.

CAP. V.

VNc explicandæ sunt aliquę dubitationes, quarum solutio magnam lucem afferet ad percipiendam melius naturam motus.

An definitio motus sit vniuoca.

Prima dubitatio. An hæc definitio motus sit vniuoca æqualiter conueniens omni motuis. Respōdendum est, hanc definitionē motus non esse vniuocā. Ita enim sentit Alexander, Simplicius, Themistius, Auerroes,& Albertus 3. Phy. super tex. 4. ratio est, primò, quia motus qui definitur, nō est aliquod genus vniuocum, vt supra ostēsum est, quare nec definitio potest esse vniuoca. Deinde, quia principaliter dicitur de motu locali & præcipuè de motu circulari, ab hoc enim necessariò cęteri motus dependent,& hic est natura, tempore,& perfectione prior cæteris. Ad hæc, generatio,& cortuptio, cum subito & in instanti fiant, nō continētur in hac definitione per se, sed ratione præcedentium dispositionum. Præterea, vocabula illa definitionis, *Ens, Actus, Potētiæ* non dicūtur vniuocè de suis inferioribus. Amplius, signum huius est, quod cum motus essentialiter pendeat à termino ad quem, vt à quo accipiat vnitatē & distinctionem, tamen hic non exprimitur in hac definitione: terminus autē ad quē respōdens motui vniuersè sumpto, non est aliquid vniuocū, quod de qualitate, quantitate,& vbi, ad quas res terminantur species motus, vniuocè dicatur. Postremò, cum cælum semper actu sit in suo loco, neque varietur nisi secundum quid, hoc est ratione partium, hæc definitio non conueniet motui cæli, nisi secundum quid, non enim cælum dicitur esse in potentia, nisi secundum quid, ad vbi, non quidem secundum se totum, sed tantùm secundū partes. Atque hoc loco intelligeneum est, motum, si in eo consideretur id quod habet aliquid perfectionis, vel secūdum durationem, vt esse æternū, vel secundum vniformitatē vt esse inuariabilem, vel secundum causalitatem vt esse causam rerum sublunarium, vel secundum principium eius effectiuū, vt fieri ab anima vel ab intelligētia, si inquam hac ratione consideretur, principaliter dici de motu circulari orbium cælestium: sin autem cōsideretur secundum id quod habet imperfectionis, vt esse in potentia,& inter terminos oppositos, qua ratione consideratur & definitur ab Aristotele in 3.& 5. lib. Physicorum, non dubium est quin hæc ratio motus principaliter cōueniet motui rerum sublunarium & minus principaliter motui cæli. Non igitur pugnant inter se duo illa quæ supra dixi-

mus,Nimirùm,motum principaliter dici de motu locali ac circu lari,definitionem autem motus ab Aristotele tradita minus prin cipaliter ac secundum quid conuenire motui cæli.

Secunda dubitatio, quid intelligitur per illud *Entis in potentia?* Nam videtur posse intelligi,& mobile,& ipsum mouens;nam an te motum & mobile erat in potentia vt moueretur, & moués vt moueret;& cum fit motus, sicut mobile partim iam est actu mo tum,partim debet amplius moueri; sic mouens partim iam actu mouit,partim debet etiam vlterius mouere, Respondeo procul dubio Aristot.per illud *Entis in potentia*, intelligere,ipsum mobi le,& non mouens,quod patet ex duobus;primò quia omnia exé pla quibus definitionem motus declarat pertinent ad mobile: deinde,quia in reliquis duabus definitionibus, loco illius *Entis in potentia*,ponit *mobile*,dicens,motus est actus mobilis in quantum mobile.Verùm & Simplicio & mihi placet,huiusmodi definitio nem posse accommodari etiam mouenti; & causa est,quia vnus idémque motus est actus mouentis & mobilis. Itaque per illum & mobile deducitur ex potentia passiua ad actum,& mouens ex potentia actiua ad effectum suum:& sicuti mobile successiuè mo uetur,& cum perfectè accepit formã desistit moueri, sic mouens successiuè mouet & cum perfectè formam produxerit, desinet mouere.Sed etiam in hoc multiplex est discrimen:primum, quia motus respectu mouẽtis est actus perfectus, respectu mobilis est imperfectus.Secundò.Quia respectu mobilis respicit potentiam passiuam,respectu mouentis potentiam actiuã.Tertiò.Quia re spectu mouentis,producitur à forma, respectu mobilis tendit ad formam. Quartò. Quia per motum mouens dat aliquid, & ideo motus indicat perfectionem mouentis: at mobile per motũ ac cipit,& acquirit aliquid quodarguit ipsum esse imperfectũ.Quin tò.Quia talis mutatio mouentis ab habitu ad vsum eius, non est propriè motus eius, quamobrem Arist.in 2.de Anima 57.muta tionem, quæ in agente fit ex forma seu habitu ad operationem, negat esse alterationem.

Tertia dubitatio,cũ Aristoteles tradat in 3.Phys.tex.6.16.& 23. tres definitiones motus.Vna est *Actus entis in potẽtia prout in potẽ tia*,altera est *Actus mobilis prout mobile*:Tertia est *Actus mouẽtis in mobili:vel eius quod potentia actiuum est & eius quod potentia passiuum quatenus huiusmodi ac simpliciter*;vidẽdũ est quid inter has definitio nes intersit.Respondeo,primã definitionẽ esse magis Metaphysi cã quàm Physicã,quoniã illa vocabula *Ens*, *Actus Potentia*, sunt Metaphysica:tamẽ ea videtur maximè declarare, & aperire,pro priã naturã motus ignotã antiquis;motus enim neq; est pura po tentia

tentia,neque est purus actus,sed est quasi medium quiddam, hoc est actus mixtus cum potentia.Veteres autem cum viderent mo tum neque esse puram potentiam tantùm, neque actum, & non animaduerterent hunc actum medium,valde hallucinati sunt in explicanda natura motus.Hoc igitur nomine commendanda est prima definitio. Secunda verò definitio, est magis Physica,con stat enim terminis Physicis,& exprimit proprium subiectũ mo tus,quod est mobile. Sed Alexander dubitat,quomodo definitur motus per mobile,cum ambo sint æquè ignota; & respõdet,hæc esse relatiua,in quibus nõ est vitium vnum definiri per alterum; vt docet Arist. 6. Topicorum.Sed ego arbitror neque motum & mobile esse propriè relatiua, mobile enim non refertur ad mo tum sed ad mouentem,& falsum est motum & mobile esse æquè ignota:mobile enim notius est,quàm motus;quod apertè scribit Arist.4.Phys.text.104. aiens motum esse notum propter id quod mouetur. Idem scribit 3.Phy.Themistius super tex. 16.Tertia au tem definitio,duplici nomine laudanda est,tum quia complecti tur omnia,à quibus dependet esse ipsius motus: motus.n.quia est accidens necessariò pendet à subiecto mobili;quoniam vero esse ipsius consistit in quodam fieri & fluxu,necessariò etiam depẽdet à mouente; tum etiam quia vt ait Auerroes, ex hac definitione tollitur illa grauis dubitatio an sit idem actus mouentis, & mo bilis: nam si motus est actus,mouentis in mobili,profecto idem numero motus est actus, mouentis in mobili, profecto idem mobilis,vt latius dicetur infra.

Cõparatio inter tres definitiones traditas ab Aristo.3.Phy.

Quarta dubitatio, cum motus essentialiter pendeat à termino ad quem,à quo(vt sæpe diximus,& in hoc libro paulò infrà latius edocebimus)accipit vnitatem, & distinctionem,cum in hac defi nitione motus non exprimitur terminus ad quem?Respõdeo,hic definiri motum in communi;non datur autem aliquis terminus ad quẽ communis omni motui,sicuti non datur aliqua natura cõ munis substantiæ,& accidenti;ob hanc igitur causam in definitio ne motus non explicatur terminus ad quem, tamen tacitè signi ficatur,& continetur illis verbis *in potentia, prout in potentia*, nam quod mouetur est in potẽtia,ad quid? proculdubio ad terminum ad quem,cuius gratia fit motus,& quo adepto cessat motus.

Cur in definitione motus non exprimatur terminus ad quem.

Quinta dubitatio,an motor sit de quiditate ipsius motus; ratio dubitandi duplex est,tũ quia Arist.in tertia definitione motus po nit motorẽ,dicẽs motus est actus mouẽtis in mobili vel actiui in passiuo:quidquid autẽ ponitur in definitione alicuius,videtur per tinere ad essentiam eius:tũ etiã, quoniam à quo pẽdet vnitas rei, ab eo quoque pẽdet entitas,& quiditas ipsius, si quidẽ ens & vnũ

An motor sit de essentia motus.

conuertuntur inuicem atque reciprocantur,& idē est principium vtriusque,ad vnitas motus necessariò pendet ab vnitate motoris, vt apertè docet Arist.8.Physi.text.49. definiens vnum motū numero qui fit ab vno mouente& est vnius mobilis:& in eodem libro text. 82. negat motū proiectorum esse vnū numero & continuum,quia non fit ab vno mouente.Respondeo,motorem non esse de quiditate motus.Primò,quoniā Auer.5.Phy.com.3..ait substantiā motus ex tribus tantùm constitui,ex termino à quo, termino ad quem,& subiecto:tēpus autem esse de accidentibus;quę consequūtur motum ; motorē autem esse de caussis extrinsecis ipsius motus.Deinde,quoniam Aris.male fecisset in 1.Phys.tradēs tantum tria principia generationis,nempe materiam,formam,& priuationem , nam si motor est de qualitate motus , non debuit prætermitti. Postea,in 5.Phy. vbi copiosè tractatur de qualitate, vnitate , & distinctione motus,nunquam mentionem fecit motoris. Postremò , motorem non esse de essentia motus , illud est maximo argumento,quod motus vnius speciei,potest fieri à mouentibus differentibus specie, atque etiam genere , vt calefactio potest fieri ab igne,à motu,à sole,seu lumine.Ad priorem autem rationē dubitandi,dicimus, Arist.in tertia definitione motus posuisse motorem,non quia sit de quiditate motus, sed vt ostenderet,vel esse & existentiam motus dependere à mouente,& mobili:vel vt doceret quo pacto vnus & idem numero motus,est actus mouentis,& mobilis,de quo ante dubitatum fuerat. Adde,quòd definitiones Physicę non solùm complectuntur causas internas, quæ essentiam attingunt,sed etiam externas vt efficientem & finē,qua de re supra in 3. lib. huius operis fuse à nobis est disputatum.Ad posteriorem autem respondemus,motorem non esse de vnitate specifica motus , sic enim rectè concluderetur eū esse de quiditate ipsius motus,ab eodē enim sumitur vnitas specifica , & quiditas rei , sed tamen motoris vnitas requiritur ad vnitatē numeralē motus,de qua illis locis loquitur Ari.nō autē sequitur, vt si quid necessarium sit ad vnitatem numeralem motus.continuò id sit de quiditate ipsius:nam certum est,tempus non esse de quiditate motus,quod tamen necessario requiritur ad vnitatem numeralem eius,vt Arist.5.Phy.tex.34.& 35.

An discursus nostri intellectus sit motus, cui conueniat definitio motus.

Sexta dubitatio,an tertia operatio Intellectus quæ vocatur ratiocinatio,sit motus,eiq; conueniat definitio motus. Nam videtur esse motus,appellatur enim à Latinis discursus,quod nomē significat motū.deinde,Intellectus est in potentia ad intelligendū, & per discursum mouetur successiuè ab vno in aliud. Postremo, videtur id dicere D.Th.1.lib.Post.super tex.43. his verbis *Processus*

scientiæ est quasi motus quidam rationis,cuiuslibet autem motus vnitas ex termino ad quem præcipuè consideretur,vt patet ex 5.Physic.quare etiam vnitas scientiæ sumi debet ex termino ipsius qui est subiectum circa quod versatur:nam scientia,aut est speculatiua,aut practica;finis speculatiuæ,est cognitio subiecti sui,vt finis Geometriæ est cognitio magnitudinis:finis autē practicæ,est constructio subiecti,vt finis artis ædificatiuæ est constructio domus. Vnde relinquitur, quod cuiuslibet subiecti vnitas secundū vnitatē subiecti est attendenda. Hæc D.Th. Ad hoc ita respondendum est. Tertia operatio Intellectus, etsi habet aliquā ipeciē & similitudinē motus Physici , per quā potest ei quodammodo accommodari definitio motus,tamen propriè nō est motus Physicus,de quo hic loquimur;quod sic probatur.1.Arist.1.li.de Part. animal.cap.1.ideò negat intellectum pertinere ad considerationem Physicā,quia nō est natura,neq; principiū motus Physici 2. in lib.4.Phys.text.20.probat in anima intellectiua nō esse motum,dicens animam potius quiescendo,quā motu fieri prudentē & sapientē *Secundum nullā*(inquit)*potentiā motus,fit in nobis scientia* Et paulò post. *Quia quieta est residetque anima sciens fit & prudens* 3 In 1.lib.de Anima text.48.reprehendit Platonē , qui dixerat Intellectum mouere seipsum,subditq; operationē Intellectus etiā syllogisticā,quę est discursiua,magis assimilari quieti quā motui. 4.Si operatio Intellectus est motus, ergo pertinet ad aliquā speciē motus;nō videtur autē referri posse ad aliā speciē motus,quā ad alterationē;sed quod non sit alteratio,hinc patet.Primò,quoniā Arist.2.de Anima text.57.ait mutationē.quę fit in Intellectu ad speculandum vel intelligendum, aut non esse alterationem, aut esse aliud genus alterationis.Deinde,quoniā 7. Phys.text.12. inquit alterationē fieri in qualitatibus sensibilibus. 3. In lib.1.de Generat.text.1.docet omne quod alteratur posse corrumpi , sed Intellectus nō corrumpitur,ergo nō alteratur.Postea in lib.2.de Gener.text.24.inquit alterationē versari in qualitatibus quę pertinent ad tactum.Hinc igitur planum est,quamuis discursus Intellectus sit aliquo modo similis motui Physico , tamen verè ac propriè non esse motum Physicum,nec ipsi cōuenire definitionem motus nisi per quandā similitudinē & accommodationem

Vide quę affert Simplicius super tex.32.lib.6.Phys. disputans an actiones animæ sint motus:citánsque pulcherrimas Theophrasti,& Stratonis sententias. Hæc autem licèt cognitu dignissima sint,nos tamen hoc loco studio breuitatis, ea tacitē præterimus.

An definitio motus conueniat motui cælesti.

Septima dubitatio, an hæc definitio conueniat motui cælesti & circulari? Respōdeo aliquo modo ei cōuenire,tum quia 3.Phy. super tex.6.ita sentit Simplicius,Auerr.& Albertus,& Simplicius

etiam Phyſ.ſuper text.9.tum etiam quia Ariſtot.8. Phyſ.text.4. volens probare motum in communi nunquam incæpiſſe,vtitur quaſi fundamẽto & firmamẽto ſuę probationis definitione motus 3.Phyſ.tradita;quaſi illa ſit communis omni motui.Prętera definitur motus, cuius principium eſt natura quæ fuit definita 2.Phyſ.ſed definitio naturæ cõuenit cælo,vt ſupra lib.7. docuimus,ergo etiam motus qui definitur 3.Phyſ.cõueniet motui cęli. Poteſt igitur definitio hęc accommodari motui cęli,nõ quidem ſimpliciter ſed tantummodo ſecundum quid: nam cælum dum mouetur,eſt in potentia,nõ ſecundum ſe totum,ſed ſecundum partes(verbi gratia)Sol qui nunc eſt in ariete, eſt potentia, vt ſit in Tauro.Verumtamen ſimpliciter & abſolutè, nõ videtur hæc definitio cõuenire motui cæleſti; nam quod mouetur,eſt in potentia ad aliquid acquirendum , nihil autem poteſt acquirere quod iam habeat,vel antea habuerit;motus autem cæli eſt localis,cęlum verò ſemper habet eundem locum,neque per motum aut nouum locum acquirit , aut perdit antiquum, aut loco ſuo propiùs accedit, aut longius abſcędit. Deinde , motus eſt actus imperfectus,& quod mouetur eſt imperfectum,vt dicitur 3.Phy. text.15.& 8.Phyſic.text.40.at neque motus cæli eſt imperfectus nequæ cælum quod mouetur eſt imperfectum,ex quo fit vt motus cæli habeat minimum potentiæ, varietatis, & imperfectionis inter omnes motus Phyſicos.

An definitio motus conueniat motui violento & artificiali.

Octaua dubitatio,an hæc definitio conueniat motui violento,& artificiali? Reſpondendum eſt. Non eſſe dubium quin definitio motus poſſit ſecundum quid,& aliquo modo accommodari motui violento, & artificiali. Ad quod probandum ſatis augmenti eſt,quòd Ariſt.explicans definitionẽ motus,vtitur exemplis tam motus violenti,quàm artificialis.Nam 3.Phyſ.tex.7.ponit exemplum ædificationis;& medicationis , qui ſunt motus artificiales, & volutationis,qui eſt motus violentus. Sed verè ac propriè ſi loqui volumus,& rem ipſam ſubtilius conſiderare,definitio motus non conuenit huiuſmodi motibus, vt rectè Simplicius ait lib.3. Phyſ. ſuper text.9. & ratio eſt,primò,quia is definitur motus cuius principium eſt natura,motus autem violentus , & artificialis non fiunt à natura. Deinde, ſi motus eſt actus entis in potentia, ergo quod mouetur eſt in potentia;ſed res nõ eſt in potentia ad motum violentum, alioquin non eſſet motus violentus; nam ſi lapis eſſet in potentia ad motum ſurſum, qui eſt violentus, cum ſit etiam in potentia ad motum deorſum , ſimul eſſet in potentia ad duos motus locales contrarios. Et ſicuti res non eſt in potentia ad formam artificialem,vt oſtenſum fuit ſupra lib.7.huius operis,ſic non eſt in potentia ad motum artificialem.Nona dubitatio,an hæc definitio motus conueniat generationi,& corruptioni?ratio dubitandi eſt, tum quia quod generatur non eſt partim actu,partim potentia,quippe cum generatio fiat in inſtanti vnde tota forma ſimul introducitur in materiã ; tum etiam quia Ariſt.in 5.lib.Phyſ.text.8.negat generationem eſſe motum. Ad hoc,ita reſpondendum eſt,Generatio bifariã ſumi poteſt,vt pulchrè ſcribit Auerr.6.Phyſ.comm.59.vno modo pro ſola introductione formæ ſubſtantialis; & ſic non eſt motus propriè dictus, ſed potius terminus motus,vt eodem lib.demonſtrat Auer.com. 32.& ita negat Ariſt.in 5.Phyſ.generationem eſſe motum. Altero modo ſumitur generatio pro aggregato ex productione formæ ſubſtantialis,& tota præcedente alteratione, ſeu diſpoſitione quæ diſpoſitio quoniam eſt via ad generationem, & propter ipſam inſtituitur,& ordinatur à natura,non immerito etiam vocatur generatio:hoc igitur modo ſumpta generatio, eſt motus, & fit in tempore,& comprehenditur hac definitione. Vnde Ariſtoteles text.6.libri 3.Phyſic.declarans definitionem motus per omnes ſpecies eius,connumerat etiam generationem,& corruptionem. Idem affirmat Simplicius in 8. Phyſic. in digreſſione ſuper text.9. Verum hac de re alio loco plura diſſeremus.

An definitio motus conueniat generationi.

Decima dubitatio.Cum ea definitio ſit vana & dialectica (vt dicitur 1.de Anima,tex.11.)ex qua nõ facilè cognoſcuntur,& percipiuntur proprietates definiti,quærendũ eſt ex definitione motus,quęnam proprietates eius innoteſcant?Reſpõdeo,multas proprietates motus ex eius definitione cognoſci & colligi. Prima proprietas eſt,quod motus cõtinuus & ſucceſſiuus:nam ſi qđ mouetur,partim eſt actu partim potentia,& partim iam fuit motum partim debet etiam moueri poſt,ergo mouetur ſucceſſiuè. Verum hæc cõtinuatio motus,vt ait Auorr.comm.6.lib.3. Phyſ. nõ æquè reperitur in omni motu ab initio vſque ad finẽ; ſed in motu locali perfectè inuenitur,niſi quid impediat;graue.n.extra ſuum locum naturalẽ poſitum cõtinuè mouetur ad ipſum , niſi quid obſtet.Perfectè autẽ continuatio motus cernitur in motu circulari cæli qui eſt perpetuus,continuus,vniformis: quod ei conuenit tum ob incorruptibilem & infatigabilem vim intelligentiæ mouentis,tum ob perfectè globoſam cæli formã principio & fine carentem. In alteratione autem plerumque interpellatur continuatio,propter multa contraria & impedimenta , quæ extrinſecus occurrunt.In motu autem augmentationis,ſæpe interrumpitur,non.n.viuens ab initio vſque ad finẽ,cõtinuè augetur,ſed aliqua ætate plº aliqua verò minº aliqua verò nihil.Vnde

Sex proprietates motº quæ ex eius definitione colligũtur

Auerroes inquit augmentationem componi ex multis motibus & ex multis quietibus. Secunda proprietas est, motum non fieri in instanti sed in tempore; nam si motus sit successiuè, ergo habet partes priores & posteriores, ergo mensuratur tempus, nam tempus definitur ab Arist. 4. Phys. numerus motus secundū prius & posterius. Tertia proprietas est, quod forma quæ per motum acquiritur, nō consistit in indiuisibili; alioquin tota simul in instanti acquireretur: ex quo efficeretur vt motus non esset continuus, nec successiuus, nec fieret in tempore. Est igitur forma quę per motum acquiritur, diuisibilis & habet partes seu, vt vocant Latini, gradus, quorum vnus post aliū acquiritur successiuè per motum. Vnde Auerroes comm. 4. lib. 3. Phys. ait motum nihil aliud esse quam generationem vnius partis post aliam partem eius formæ ad quam tendit motus, donec perficiatur & fiat in actu. Quarta proprietas est, si motus est actus mobilis, ergo mobile est prius motu, nam definiens prius est definito. Hanc proprietatem nimirum mobile esse prius motu, tetigit Arist. 8. Phys. tex. 4. eliciens ipsam ex secunda definitione motus. Ex eo autē quod mobile est posterior motu, Arist. 8. Phy. tex. 4. argumentatur motum nunquam incæpisse. Quinta proprietas est, Motus neq; habet primam partē neq; vltimā: & omne quod mouetur & prius mouebatur; & posterius mouebitur; quæ proprietas oritur ex eo quod motus est cōtinuus & diuisibilis in infinitum; quā proprietatem Aristot. lib. 6. Phys. latè tractat. Sexta proprietas motus est, quòd motus est actus imperfectus, vt ait Arist. 3. Phys. tex. 15. & 8. Phys. tex. 40. Nam si quod calefit non est perfectè calidum, alioquin non esset potentia calidum, nec moueretur vlterius ad calorem, ergo calefactio est actus imperfectus: si etiam omnis motus est mixtus ex actu & potentia, ergo non est actus perfectus, is. n. omnem excludit potentiam. Et quia per generationem forma substantialis tota simul perfectè acquiritur, ideo generatio est actus, ac proinde non est motus. Atque hæc de proprietatibus motus, quæ ex definitione motus cuiuis facilè innotescunt

An actio & passio re differant inter se, an ratione tantùm.

CAP. VI.

QVoniam Arist. in 3. Phys. à text. 18. vsque ad 23. ex eo quod motus est actus mouentis in mobili, argumentatur actionē & passionem esse eundem remotū ratione tamen differentem; relatum. n. ad mouens ex quo procedit, vocari actionem, relatum verò ad mobile in quo recipitur & inhæret passionem appellari; vidēdum est an hoc ita sit. Nam in eo dubitationē & difficultatē haud leuem esse, ipsemet Arist

met Arist. eodem in loco testificatur Scotus quidē certè 4. Sent. dist. 13. qu. 1. censet actionem re distingui à possessione: quod probat hoc argumento, actio subiectiuè est in agente, passio autem in patiente, ergo non sunt vna res. Impossibile. n. est vnum accidens numero simul esse in diuersis subiectis. quod autem actio subiectiuè sit in agente, à Scotistis probatur multis rationibus. primò, vnumquodque denominatur formaliter tale ab eo, quod subiectiuè & intrinsecè est in ipso; vt corpus denominatur albū ab albedine, non quæ est extra ipsum, sed quæ subiectiuè est in ipso; sed agens formaliter denominatur agens ab actione, ergo actio subiectiuè est in agente. Secundò. Actio & passio differunt genere, quia sunt duo prædicamenta diuersa, ergo distinguuntur re. Nam si tantum differunt ratione, ergo citra operationem intellectus non differret actio à passione, & ita idem erit docere, & discutere, verberare, & verberari. Tertiò. Cuius est potentia, eius est actus, vt inquit philosophus in libro de somno & vigilia; sed potentia actiua subiectiuè est in agēte, ergo etiā actio. Quartò. Si actio non est in agente, ergo erit in patiente, ergo patiens, vt patiens, aget. Quintò. Auerr. 8. Phys. comm. 15. volens probare motum esse æternum, & non fuisse de nouo factum à Deo, sic argumentatur: Si Deus ageret aliquid de nouo, ergo mutaretur; quæ consequentia non valeret, nisi actio esset in agente: nam ideo, si Deus ageret quidpiā de nouo, mutaretur, quia reciperet in se nouā actionem quā antea nō habebat. Sextò. Sit vnus ignis calefaciens duo ligna; nō est dubiū, quin cum ignis sit vnus numero, etiam per vnā numero actionē calefaciet illa duo ligna: quęro igitur, aut illa actio est in igne aut in lignis: si in igne, habeo quod volo; si in lignis, ergo vnum numero accidens subiectiuè est in duobus numero distinctis subiectis. Septimò. Idē est subiectum relationis & fundamenti, nam relatio nō inest alicui nisi propter fundamentū quod reperitur in ipso, vt æqualitas non inest alicui, nisi in ipso insit quantitas: sed relatio agentis ad patiens est in ipso agente, ergo fundamentū ipsius erit quoq; in illo agente hoc autē fundamentum est actio. nā per actionem agens refertur ad patiens, ergo actio subiectiuè est in agente. Hęc pro sententia Scoti.

Opinio Scoti actionē subiectiuè esse in agente, atque ideo re distingui à passione quæ est in patiente probatur septem argumentis.

Actionem non esse in Agente, nec re distingui à passione.

CAP. VII.

NOb is autem multò aliter hac re videtur esse sentiendum quare sententiam nostrā breuiter exponamus. Actio tribus modis sumitur. Vno modo amplissimè pro omni actione siue immanente, siue transeunte,

Triplicitер sumitur nomen actionis.

siue Physica siue non;& sic nomen actionis assignatur naturæ animæ,menti, Intelligentiis,& Deo.Deinde, accipitur angustiuè, pro actione tantum quæ fit secundum qualitates,quę dicitur alteratio;nã inter accidentia,sola quantitas propriè,ac per se est actiua,& ita sumit nomen actionis Arist.primò de Generat. text. 45.scribens motum latius patere quã actionẽ, quoniã actio tantum dicitur de alteratione quę fit in qualitatib.motus autẽ,& de hac & de aliis motibus.Prętерea, sumitur actio ea ratione vt reciprocatur cum motu Physico, quemadmodũ sumitur ab Arist. 3.Phys.à text. 18. vsque ad 23. & à nobis in præsenti dubitatione.

Demõstratio, Heruæi ad probandũ actionẽ nõ esse in agente.

His positis,statuo actionem subiectiuè non esse in agente, ex quo patebit etiã re nõ distingui à passione. Sed primùm exponã demonstrationẽ,quam ad id ostendendũ affert Heruæus 4.Quo libeto q.4.post adiungã etiam rationes meas.Heruęus igitur sic argumentatur:si actio est in agente,vel est principium actiuum agentis,vel respectus agentis ad patiens,vel aliqua entitas absoluta de nouo producta in agente dum agit:nam quid aliud sit actio ab his tribus,ne fingi quidem potest; sed actio nihil horum esse potest,ergo falsum est actionẽ subiectiuè esse in agente.Minor probatur secundũ omnes partes;& primùm quod actio non sit principium actiuum agentis,probatur dupliciter:primò,quia principium actiuum est principiũ actionis,ergo si actio est principium actiuum actio est principium actionis,& idẽ sui ipsius. Tum quia quotiescunque est actio , agens semper actu agit, at non semper quotiescunq; est principium actiuum , semper actu agit,nam in igne dum est,semper est principium calefactiuum, cum tamen non semper ignis actu calefaciat:ergo actio non est principium actiuum.Deinde,probatur secunda pars, quod actio non sit respectus agentis ad patiens; nam talis respectus est relatio pertinens ad categoriã ad aliquid , actio verò facit categoriã diuersam, ergo non est respectus. Neque valet perfugium Scoti dicentis duplicè esse respectum vnum intrinsecum,quo prædicamentum ad aliquid cõstituitur:alterum extrinsecum,ad quem pertinent alia sex prædicamenta.Hoc inquã nõ valet, primùm, quia talis distinctio ficta est ab ipso. Deinde, quia ratio formalis relationis quę traditur ab Arist.est esse ad aliud : quicquid igitur per se habebit talẽ relationẽ siue extrinsecè siue intrinsecè,pertinebit ad categoriam ad aliquid.Postremò, probatur tertia pars, quod actio non sit entitas de nouo producta in agente,& dupliciter probatur.Primò,quia si actio est entitas quæ producitur,ergo producitur per aliam actionem,& sic erit progressus in infinitum:nam si dices illã actionẽ produci per actionẽ,quęsit idem cum

cum ipsa,pari ratione ego dicã formã quæ producitur ab agẽte, produci per actionem quæ sit idem cũ ipsa forma:quare cum talis forma quæ producitur non sit in agente sed in patiente,actio per quã producitur non erit etiam in agente.Deinde, si actio est entitas de nouo adueniens agenti,ergo agens de nouo accipiẽs, quod antemon habebat patitur & mouetur, quare agens in agendo per se à seipso pateretur & moueretur,Hæc Heruæus.

Multæ rationes auctoris ad idem probandum.

Nostræ autem rationes hæ sunt .Primò,Hæc opinio repugnat Arist.& Peripateticis.Nam Arist.3.Phy.tex.20.ait non esse incõueniens vt idem actus sit cõmunis duobus,agenti & patienti, nã agentis est tanquam à quo patientis tãquam in quo: sicut doctio est actus,docentis:verum non est inquit,decisus,sed est in ipso discente:atqui doctio est actio,ergo secũdum Arist.actio est quidẽ agentis vt à quo non vt in quo,sed sic est in patiente.Deinde , Arist.3.Phys.in tex.22.volens declarare quomodo idem motus sit actio & passio diuersa ratione, inquit motũ esse actionem,prout est actus huius in hoc.Nota illud in hoc) quia indicat actionem subiectiuè esse in patiente:passionem verò esse huius ab hoc.Prę terea lib.9.Metaphy.tex.16.his verbis scribit.*Quorumcunque præter actionem est aliud quod fit,horum actio in eo quod fit est , vt ædificatio in eo quod ædificatur & contextio in eo quodcontexitur.similiter etiam de aliis & omnino motus in moto.* Sed nihil apertiùs , nihil explicatius, pro huius sententiæ confirmatione dici potest, quàm quod ab Arist.lib.2.de Anima,tex.139.ita scriptum est.*Si igitur motus est actio & passio & est in eoquod mouetur & patitur.actiui enim & motiui actus in patiente fit.Vnde non necesse est mouens moueri.* Et sequenti textu,*Sicut enim* (inquit) *actio & passio in patiente est non in agente, sic & ipsius sensibilis actus in ipso sensituo existit.* Omnes item Peripatetici vt Alexander, Themistius, Philoponus, Simplicius , Auerroes, Albertus,& D.Thom.idem sentiunt vt patet ex his quæ scribunt cum in 3.lib.Phy.in expositione 20.& 23.text.tum in 2. de Anima,in explanatione tex,139.Postea,si omnis actio est in agente,ergo nulla actio est trãsiens sed omnis actio est immanẽs, contra Aristotelem qui lib.9.Meta.tex. 16. facit duplicem actionem,vnam transeuntem,alteram immanentem: & cõtra omnes Philosophos,qui talem distinctionem admittunt. Ad hæc, Pono hoc fundamentum,actionem esse motum , quod patet , primùm ex Arist.qui lib.3.Phys.tex.19. ait tã actionem quam passionem esse motus his verbis.*Cum igitur vtraque sit motus:si diuersi quidem in quo sunt?* & tex. 22.ait *neque actio cum passione idem propriè est.sed eui insunt hæc,motus.*Deinde, ratione quoq; hoc manifestu est,nã agere est mouere & esse agens,est esse mouẽs ergo actio est motus:

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam agens non mouet nisi per actionem. Præterea, actio est ens successiuum, & quia per actionem agens successiuè agit, quod si actio est ens successiuum, ergo est motus. Hoc facto & suppositō fundamento sic argumento. Actio est motus, ergo non est in agente probo consequentiam tripliciter, primò, quia omnis motus subiectiuè est in mobili, vt Aristoteles ait 3. Phys. text. 18. & patet ex definitione motꝰ: nā si motꝰ est actus mobilis prout mobile, ergo est in mobili. Tum, si actio cū si motus esset in agēte, ergo mouens moueretur eo motu quo mouet: probatur consequentia, nam si calefactio est in igne, ergo ignis calefit, nam sicut impossibile est calorem esse in aliquo quod non sit calidum, ita est impossibile calefactionē esse in aliquo, quod non calefiat: ergo ignis per eādē actionē & calefacit & calefit. Prēterea, si actio est motus, passio etiam est motus, ergo vnum numero mouēs simul producit duos motus: & cum motus distinguantur per terminos, cū in actione & passione sit idem terminus numero, nempe forma quæ producitur, quo pacto actio & passio poterūt esse diuersi motus? His acedit, quòd si actio est in agente ergo est aliqua entitas de nouo producta in ipso, quęro à quo producitur talis entitas? non à patiente, ergo à forma quę est in agente, (verbi gratia) calefactio à calore qui est in igne: aut igitur calefactio est idē cū calore qui producitur, & sic non erit in agere, sed in patiēte, sicut etiam calor qui producitur, recipitur in eo quod calefit: vel est res diuersa à calore, & sic non poterit produci à calore, qui est in igne: nam calor non potest producere aliud quàm calorem. Ad extremum, sequeretur, agēs esse prius & posterius actione: prius, quia producit actionem posterius, quia secūdū Scotum agens est formaliter ogens per actionem inhærentem in ipso. Si cur ergo albedo natura prior est albo, sic actio prior debet esse agente, quare idem respectu eiusdem & posterius erit & prius.

Soluuntur rationes Scotistarum.

CAP. VIII.

NVnc respondēdum est ad rationes Scoti, Ad primam, Denominatio potest fieri, vel ab intrinseco vt albū ab albedine: vel ab extrinseco vt esse vestitū à veste quæ est extra, sic agens denominatur ab actione, nō quia sit in ipso sed quia sit ab ipso. Ad secūdā. Nō necesse est prædicamēta distingui re, sed tantū ratione, per rationē autē non intelligimus operationē intellectus, sed definitionē & vt Arist. dicere solet ipsū esse rei. Nā quāuis actio re nō differat à passione tamē etiam

etiam citra operationem cuiusuis intellectus aliud est motum exire à mouente in quo est ratio actionis, & aliud recipi in patiente per quod cōstituitur passio. Ad tertiam. Illius propositionis, cuius est actus, eius est potentia, non est is sensus, vt in quo est potentia, in eodem subiectiuè sit actus: sed potius is cui cōuenit posse agere, eidem conuenit agere non enim est alia res, quæ potest agere & alia quæ agit. sed eadē. Ad quartā. Actio realiter est in patiēte, sed nō formaliter: hoc est res quæ est actio nēpe motꝰ est in patiēte, sed illud quod est exire ab agēte in quo cōsistit ratio actionis non est in patiēte: & hāc solutionē tetigit hic Arist. 3. Phy. tex. 21. Ad quintā. Illa consequentia Auerrois nō habet vim ex eo quod actio sit in agēte, sed quia si Deus immediatè ageret aliquid de nouo, non posset reddi caussa cur nunc egit & nō ante, cum ipse sit æternus, nisi quia ante noluit agere, nunc autē voluit ex quo putauit Auer. sequi Deum mutari secundum volūtatem: verūm argumentationem hanc Auerrois infirmā esse, in extremo huius operis libro demōstrabimus. Ad sextā in illo exemplo, secundum rem sunt duæ actiones, sicut sunt duo calores qui producuntur in duobus lignis, respectu tamen principij actiui à quo procedunt huiusmodi actiones quod est vnum dicuntur esse vna. Ad septimā. Relatio agētis ad patiens est in agēte, similiter fundamentum illius relationis est in ipso agente, verum tale fundamentum non est actio, sed potentia actiua, quæ est in agēte: nā potentia actiua prout ei ex parte passi respōdet subiectū aptum moueri, fundat relationē, quæ est inter motiuū & mobile: prout verò ex parte passi respondet ei aliquis actus productus, vel qui producitur. fundat relationem, quæ est inter mouens & motum, siue inter agens & patiens. Itaque eadem potentia actiua fundat duplicem relationem diuersa ratione.

Relationes quæ sunt inter motiuum, & mobile & inter mouēs & motū, quā habeāt fundamētum.

De Terminis Motus tractantur decem celebres quæstiones.

CAP. IX.

EXposita est definitio motus, quia eius natura declaratur. Deinceps agēdū est de terminis motꝰ. qui etiā in eius ratione cōtinētur. Etenī cū motꝰ sit trāsmutatio quædā, hāc autē (vt nomē ipsū auctore Arist. 5. Phys. tex. 7. significat) nec esse est fieri ex aliquo in aliquid oportet sane motu etiā inter duos terminos esse quorū alterū quidē vocāt terminū à quo, alterū autem terminū ad quem. Verùm vt quę de huiusmodi terminis docere volumus, ea tradantur breuius, & dilucidius explicentur: ponemus nonnullas breues quæstiones, in

quarum explicationem,eorum ferè omnium quę ad hanc doctrinam pertinent cognitionem,includemus.

An omnis motus requirat terminos.

QVAESTIO. I.

IN omni motu ineſſe debere terminos aliquos confirmat Ari.6.Phy.te.91.& 1.li.de Cęlo,tex.86.Deinde,idē perſpicuū fit inductione facta per omnes ſpecies motus:nam in generatione & corruptione, termini ſunt ens,& non ens:in augmentatione & decretione magnū,& paruū, in alteratione,qualitates contrariæ;in motu locali,differētiæ poſitionū contrarię,vt ſurſum & deorſum.Poſtremò,id etiā ratione probatur;nam ſi quis motus careret termino,is eſſet infinitus:ſed natura horret infinitum, vt quod careat ordine & certa agentis intentione,& fruſtra ſit,cū nunquam ad finem peruenire valeat: nam ſi mouens mouet mobile,vt reducat illud de potentia ad actum,ſi motus infinitus fuerit, nunquā poterit reduci mobile ad actum,quare fruſtra mouebitur.Adde,quod ſi motus localis eſſet infinitus,ergo ſpatium,per quod fit, deberet eſſe infinitum:ſi augmentatio eſſet infinita,quantitas deberet eſſe infinita,non dari autem quantitatem infinitam in 3.Phyſ.demonſtratum eſt. Sed dubitatio exiſtit de motu circulari,qui communiter dicitur infinitus,& carere principio & fine. Sed hoc non obſtat,quia in motu circulari duo conſideranda ſunt,vnum,duratio eius quæ eſt infinita ſine principio & fine,quia ſecundum Ariſt. nunquam incepit aut deſinet,& eſt perpetuus atque continuus:alterū eſt, ratio formalis ipſius motus circularis,cui repugnat infinitum:nō enim eſſet circulus,neque motus circularis,ſi eſſet infinitus,ratio enim circularis motus in eo eſt vt vnde incipit, ibi terminetur. adde, quod in circulo oportet eſſe centrum medium circuli locum obtinens,& ab extrema circunferentia æqualiter vndique diſtans,at in infinito neque medium neque extrema poſſunt deſignari. Sed quia circulus non habet principium re diſtinctum à fine, & in eo nō eſt aliqua certa pars quæ præter cęteras poſſit dici principium aut finis,ideo dicitur carere principio& fine.dicitur igitur motus circularis infinitus, vel ratione durationis, vel quod non habet principium re diuerſum à fine, eiuſque termini ſunt re idem, & ratione tantum principij ac finis differentes:hoc enim poſcit natura motus circularis:vide Ariſt.lib.6.Phy.textu vltimo.

An

An omnis motus requirat duos terminos.

QVAESTIO II.

OMnē motū egere duobus terminis,vno à quo,altero ad quē,docet Ariſt.5.Phy.tex.7.probans omnem motū neceſſariò fieri ex vno in aliud,ex ipſo Græco vocabulo μεταβολὴ quod ſonat vnū poſt aliud. Hoc etiā manifeſtū eſt facta inductione per omnes ſpecies motus, quarū vnaquamque duobus ſemper terminis circunſcriptam & definitam eſſe reperiemus.Idem quoque ratione probari poteſt. nam omnis motus continet acceſſum & receſſum,& abiectionē & acquiſitionē:quod non poteſt fieri circa vnum & idem ſimpliciter. Præterea,hoc indicat definitio motus,quæ ſignificat mobile mouerī à potentia ad actū: & Ariſt.4. Phy.91.ait in omni cōtinuo finito non poſſe eſſe tantùm vnum terminum : ſed omnis motus eſt continuus,& eſt finitus,vt patet ex præcedentis quęſtionis explicatione,ergo non poteſt habere tantum vnum terminū. Plures autem vno terminos ad quos, motus habere poteſt, ſed non vel vltimos,vel per ſe primò intentos,vel intrinſecos motui:exempli cauſa calefactionis proprius & intrinſecus terminus eſt calor,at raritas vel leuitas, non eſt terminus per ſe primò intentus; forma ſubſtantialis quæ per calefactionem producitur, licet ſit terminus per ſe intentus non eſt tamen terminus immediatus & intrinſecus calefactioni. Sed hoc loco duo notanda ſunt, vnum eſt,in aliquibus motibus ambos terminos eſſe poſitiuos, vt in omni augmētatione & motu locali,& in multis alterationibus: in aliis verò,alterum terminum eſſe priuatiuum, vt in generatione & corruptione & illuminatione.Alterum eſt,aliquando hos duos terminos eſſe diſtinctos actu,& ſecundum rem,& determinatos, vt patet in omni motu, vno tantum excepto circulari:aliquando verò non eſſe definitos, ſed tantum diuerſos ſecundum potentiam & rationem,vt in motu circulari,cuius quodlibet punctum circuli indifferēter eſt principium & finis, quod exigit ratio motus circularis alioquin non eſſet circularis.

An in vno motu poſſint eſſe plures termini,quam duo.

QVAESTIO III.

NOn poſsūt in vno motu eſſe plures termini per ſe quā duo,vn° à quo,alter ad quē. Etenim in vno motu,terminus ad quem ſimpliciter,non poteſt eſſe niſi vnus; quia ſi vnitas,diſtinctio,& denominatio motus ſumitur à termino ad quē,nō pōt hic eſſe multiplex,ſi motus eſt vnus.

Tum,si motus re idem est cum termino ad quem, vt infra docebimus,erit quoque vnus, vel multiplex motus.sicut est terminus ad quē. Deinde,ostēsum est supra,octauo huius operis libro,eiusdem rei non posse esse plures causas perfectas,& in eodem genere causę,sed terminus ad quem est causa motus tāquàm finis eius, ergo vnius motus non potest esse nisi vnus terminus ad quem.

Quot modis vnus motus possit habere complures terminos ad quos.

Cōtingit autem(vt paulò ante diximus)esse plures vno,sed vel non vltimos & totales, vt in calefactione calor vt quatuor est finis calefactionis quæ præcedit,& per quam acquiritur,sed non vltimus,neq. totalis:Vel non primò,sed consequenter, vt in accretione primo acquiritur quantitas,consequitur autē figura, locus, relatio æqualitatis vel inæqualitatis:Vel nō intrinsecos motui,vt in alteratione quæ præcedit generationem , finis intrinsecus est qualitas,extrinsecus autem productio formę substātialis:Vel per accidens,vt quod mutatur in albū, potest simul mutari in dulce, vel musicum,sed per accidens.

De termino autem à quo,sic dicendum est:cùm triplex sit vnitas motus,generica,specifica,&numeralis,in vnitate generica,terminus à quo debet esse eiusdem generis atque terminus ad quē quia contraria cōtinentur sub eodem genere,sed terminus à quo est contrarius termino ad quem,ergo,&c. In motu autē vno secundum speciem, terminus à quo potest esse multiplex,& differens secundum speciem:vt patet in mutationibus quę fiūt,vel ab extremis ad vnum medium,vel à diuersis mediis ad vnum extremum:nam cum omnis dealbatio sit vnius speciei, vt dicit Arist.5. lib.Phy.tex.31.alia tamen potest fieri à nigro,alia à viridi,vel rubro,quæ specie differunt inter se:& causa est , quia medium cum participet vtroque extremo , ad vtrumuis refertur tanquàm contrariū eius.Quod si quis diceret,cum terminus à quo sit cōtrarius termino ad quem , si terminus à quo possit esse multiplex respectu vnius termini ad quem,fore vt vni sint multa cōtraria,quod

Quomodo vni possint esse duo cō traria.

est contra Arist.& in primo lib.de Cælo,& 10.Metap.Respondēdum esset,vni non esse duo contraria simpliciter:secundum quid autem non esse absurdum:sicut vni extremo opponitur,& alterū extremum,& medium:medium enim non opponitur vni extremo simpliciter,sed ob participationem alterius extremi. Denique in vnitate numerali,impossibile est terminum à quo esse nisi vnum numero:nam si non est, vel igitur erunt plures numero, vel plures specie;non plures numero,nam duo accidentia Physica,quæ habent contrarium , & acquiruntur per motum,si tātum differant numero,non possunt simul esse in eodem numero subiecto;quia talium accidentium vnitas numeralis,vel omnino,vel certè

certè necessariò pendet à numerali vnitate subiecti : si autē fuerint termini à quibus differentes specie,cum illi opponantur termino ad quem, fieret,vt vni essent duo cōtraria;nam extremū,& medium quæ videntur contraria alteri extremo , vel nunquam sunt simul.vel si quando sunt tunc vicem gerunt vnius contrarij cōparatione alterius. Vide Arist.lib.5.Phy.tex.6. Atque hoc quod diximus clariùs cernitur in motu locali. Sicut enim vnū corpus non potest simul esse in duobus locis numero réque diuersis, sic motus localis à duobus locis diuersis simul re cedere non potest. Verùm sicut terminus ad quē,potest esse multiplex modo suprà dicto,sic etiam terminus à quo. Cæterùm non sicut ad vnitatem motus requiritur vnitas termini à quo,ita opus est,vt si motus fuerit diuersus,terminus à quo sit diuersus. Nam à nigro potest fieri mutatio in album & viride,quæ differunt specie;& ab eodem numero loco,id est centro, possunt moueri ignis & aer ad sua loca, quæ specie differunt.ex quo intelligitur terminum à quo nō esse ita præcisè de substantia motus,sicut est terminus ad quem.

An termini motus debeant esse diuisibiles.

QVAESTIO IIII.

Diuisio duplex est:vel secūdū partes quātitatis, vel secūdū gradus perfectionis:prior diuisio tātū reperitur in terminis motus localis &augmētationis:posterior verò,tantū in qualitate. Oportet autē terminos motus esse diuisibiles vel priori,vel posteriori modo;ita vt nō toti simul acquirantur,vel deperdātur, sed successiuè per partem post partē. quod sic probatur:Arist.3.Phy.tex.15.& 8.Phy.tex.40.ait motum esse actū imperfectum,videlicet,quia in motu forma nō habetur perfecta,sed imperfecta;ergo forma est diuisibilis,nam si esset indiuisibilis,tota simul perfectè acquireretur : quare non esset vlla causa propter quam motus ad talem formam , deberet vocari actus imperfectus. Inductione quoque hoc manifestum fit per omnes species motus;in omnib. enim cernuntur termini diuisibiles & partibiliter parabiles.Hoc etiam probatur ratione , nam si motus est actus entis in potentia, ergo quod mouetur,partem habet formæ iam actu acquisita, partem habet potētia acquirendā, ergo illa forma est diuisibilis.Deinde,in motu,aut mobile est perfectè in termino à quo,aut perfectè in termino ad quem,aut partim in vtroque:si primum dixeris , ergo nondum mouetur,si secundum,ergo iam est motum,& cessauit motus : si tertium,ergo

ambo termini sunt partibiles. Præterea, motus p se est successiuus; & fit in tẽpore, ergo cũ motus re sit idem atq; terminus ad quẽ, is acquiretur successiuè. Ob eandẽ etiam causam terminus à quo successiuè perditur, nã si terminus à quo simul & subiecto abiceretur, etiã subitò & simul induceretur terminus ad quẽ: quia sublato termino à quo, non reperiret aliquid sibi resistens & remorãs productionẽ sui. Sed dicet aliquis Arist. in 6. Phy. tex. 44. & 45. significare terminũ ad quẽ esse indiuisibilem, & non acquiri in tẽpore. Respondeo, bifariã accipi terminũ ad quem, vel vt is opponitur termino à quo, continẽs totam formam quæ acquiritur per motũ & sic sumit Ari. 6. Phy. 32. & 40. vsque ad 44. & hac ratione terminus ad quẽ diuisibilis est: vel pro vltimo formæ quæ acquiritur, quo acquisito cessat motus, & sic est indiuisibilis, nã si esset diuisibilis, nõ esset simpliciter vltimũ formę, quoniã haberet partes alias priores, & alias posteriores: quid aũt sit huiusmodi vltimũ, an gradus & pars aliqua formę, an aliud quidpiã, posteriùs cõsiderabimus. nos loquimur hic determino ad quẽ priori modo, Ari. autem in 6. Phy. posteriori modo; quocirca non est contradictio. Cęterũ hęc nostra sẽtẽtia habet locũ tantummodo in motu propriè dicto, non autem in mutatione quę distinguitur à motu, qualis est generatio, & corruptio: nam cum talis mutatio fiat in instanti, forma indiuisibiliter & tota simul acquiritur.

Pulchra dubitatio.

An termini motus debeant esse oppositi inter se?

QVAESTIO V.

NEcessarium est terminos à quo, & ad quem, esse inuicẽ oppositos. Primò, quia Ari. 8. Phy. t. 62. & in 5. Phy. nõ semel ait omnẽ mutationẽ esse in oppositis. Tũ, idẽ fit manifestũ, facta inductione per omnes species motus. Hoc etiã cõfirmatur ratione, quia aut ambo termini sunt eiusdẽ speciei, aut differunt specie, verũ nõ sunt oppositi, sed (sicut vocant) disparati, vt lignum & lapis: non possunt esse vnius speciei, nã sic in motu locali: ambo essent vel naturales, vel violenti; quare non esset vlla causa, cur ab vno fieret mutatio ad alterum. Deinde, quia in motu vnus abiicitur, alter acquiritur, quod non posset fieri si ambo essent similes; nam terminus ad quem qui introducitur ab agẽte, est similis agẽti, ergo terminus à quo, qui eiicitur ab agente, erit ei contrarius: si enim ipse quoq; agenti esset similis, nequaquam ab eo eiiceretur & corrumperetur. Neque verò possunt esse termini disparati, sic enim quodlibet fieret ex

ex quolibet, neq; essent termini cuiuslibet mutationis definiti: & verò non omne agẽs potest quemlibet terminum à quo corrũpere, sicut nec quemlibet terminum ad quem producere: relinquitur igitur, vt debeant esse oppositi. Sed cum oppositio sit quadruplex, videndum est, quænam insit in motu. Ac primum quidem, oppositio relatiua non pertinet ad motum, quia in relatione per se non fit motus, vt postea dicemus; neque contradictoria, nam motus exigit mobile cum aptitudine recipiendi terminum ad quem ipsius motus, contradictio autem, cũ sit oppositio inter puram negationem & affirmationam, id non deposcit. Quocirca 1. Phy. tex. 43. dicitur album fieri ex non albo, non quolibet, sed quod sit nigrum; & quia contradictio est inter ens simpliciter, & non ens simpliciter, ex non ente autem simpliciter nihil fit Physicẽ: ideo motus respuit oppositionẽ cõtradictoriam. De priuatiua autem oppositione, distinguẽdum est; nam vel est pura priuatio, & sic non pertinet ad motum, sed ad mutationem: pura enim priuatio licet sit in aliquo subiecto, tamen quia per se, non est aliquid positiuum, non potest resistere agenti, quare in instanti abiicitur, nec circa ipsam fit motus, sed mutatio instãtanea, vt patet in illuminatione: vel est contrarium, quod respectu alterius contrarij dicitur priuatio, vel quia est imperfectius illo; vel quia includit absentiam contrarij cum aptitudine subiecti, per quę duo cõstituitur ratio priuationis: & quia talis oppositio priuatiua non differt à contrarietate, potest circa ipsam fieri motus; de qua loquens Ari. 5. Phy. tex. 9. Priuatio, inquit, ponatur contrarium. propriè igitur sola oppositio, quæ est in contrarietate, pertinet ad motum propriè dictum.

Sed hoc loco tres existunt dubitationes: Prima est, in creatione est oppositio contradictoria, nã est mutatio à nõ ente simpliciter ad ens. Altera est, Aristotelem 5. Phy. tex. 7. & 9. & lib. 6. tex. 91. scribere generationem esse in contradictoriis. Tertia est, vt fiat mutatio tantum requiritur vt subiectum nõ habeat formam, ad quam debeat fieri mutatio, possit tamen eã habere, quare ad efficiendũ motum sufficit oppositio priuatiua. Ad has dubitationes breuiter, ita respondendũ est. Ad primã, conceditur antecedẽs, sed negatur consequentia, quia nos loquimur hic de mutatione Physica, qualis non est creatio, imo est æquiuocè mutatio. Ad secundam, Aristoteles vel sumit ibi contradictionem pro oppositione priuatiua, vel appellat contradictionẽ eã oppositionẽ, quæ est in generatione & corruptione, propterea quod fit quodãmodo inter non ens simpliciter, & ens simpliciter, sumendo non ens simpliciter, non quidem ipsum nihil, sed quod non est ens in actu,

Explicãtur tres dubitationes.

& opponitur enti substantiali,sicut Ari.tradit 5.Phy.tex.8.Ad tertiam.Vt fiat mutatio simpliciter,quę dicitur de mutatione instantanea & successiua,sufficit oppositio priuatiua,non tamen, vt fiat motus propriè dictus,nam cum his debeat esse continuus & successiuus,exigit aliquam resistentiam in subiecto, quocirca debet fieri inter contraria.

An terminus à quo, debeat specie differre à termino ad quem?

QVAESTIO VI.

DEbet semper terminus à quo distingui specie à termino ad quem;nam si debent esse contrarij, vt proximè ante docuimus,oportet eos differre specie.Et hoc apertè cõfirmat Ari.1.de Cælo tex.86.dicens omnẽ mutationem fieri semper inter ea,quę differunt specie. Verùm hæc differentia specifica in motu circulari non est secundum rem, sed secũdum rationẽ;nam idẽ punctũ est terminus à quo & ad quem,prout habet rationem principij & finis.In augmentatione quoque,non tã insigniter apparet talis differentia,sicut in aliis motibus. Nã minor &maior quantitas(inter hos enim terminos versatur accretio)Mathematicè sumptæ,non differunt specie;Physicè aũt,& in ordine ad esse & operatione viuentis, & vt inchoant,atq; terminant accretionis motum,specie quodammodo differũt , sicq; de ipsis 1.lib.de Cælo,tex.86.sentit & scribit Aristoteles.Mutatio autem quę fit ex minus albo ad magis album,dicitur fieri in eadem specie,quod tamẽ intelligendũ est materialiter,nõ formaliter;talis enim mutatio per se nõ fit ex minus albd,vt albũ est,sed prout habet admixtum nigrum,nam,vt auctor est Aristoteles,remissio formę fit ob admixtionem cõtrarij.Vide ipsum lib.5.Phy.tex.19.

An abiectio termini à quo, & acquisitio termini ad quem sint vnus motus numero?

QVAESTIO VII.

QVm in omni motu sint duo termini,vnꝰ à quo,q abicitur,alter ad quẽ qui acquiritꝫ;meritò dubitatur,an abiectio illius & acquisitio huius,sint vnus motus numero,an duo,Nã cũ sint duo accidẽtia,quorũ vnũ remittitur & corrũpitur,alterũ intenditur & perficitur , videtur id non posse fieri per vnũ motũ veruntamen dicendũ est , vtrũq; cõprehẽdivno motu.Etenim omniũ motuũ est eadẽ ratio,sed in motu locali & augmẽtationis, palã est quòd decedere à termino à quo, & ire ad terminum ad quẽ,fit per eundem numero motum,ergo similiter cõtinget in aliis.Et Arist.in 5.Phys.text.7.ait omnẽ motum necessariò fieri ex vno in aliud,& text.49. ait motum propriè dictum,fieri ex vno contrario in aliud contrarium : & text. 54.scribit omnẽ motum cõsistere in duobus subiectis hoc est terminis positiuis & cõtrariis.At si v.g.in calefactione aquæ,acquisitio caloris esset vnus motus , & abiectio frigoris alter , neuter fieret inter duos terminos cõtrarios,neque esset mutatio ex vno in aliud Postea,Arist.5.Phys.tex.4.& 48.inquit motum magis de nominari à termino ad quẽ quã à termino à quo,quia terminus à quo abiicitur per motum,terminus autẽ ad quẽ acquiritur: ergo supponit Arist. abiectionẽ termini à quo & acquisitionẽ termini ad quẽ fieri per eundẽ motum.Præterea in 4.Phys.text.117 & 128.ait omnẽ motum esse remotiuum & corruptiuum alicuius à subiecto ; quod verum nõ esset,si acquisitio termini ad quẽ esset alius motus ab expulsione termini à quo:ille.n. nihil remoueret à subiecto,sed tantùm acquireret.Deinde in aqua remissio frigoris & acquisitio caloris,fit ab eodẽ numero agente hoc est igne,per eandẽ calefactionem,per quã simul producitur calor & corrumpitur frigus,ergo est vnus motus numero.Adhæc, si remissio frigoris differt in ratione motus ab acquisitione caloris, ergo vel talis remissio erit mutatio vel erit motus propriè dictusnõ mutatio,quia talis fit in instanti,& est in nõ habentibus cõtrariũ ,& si remissio frigoris esset mutatio,etiã acquisitio caloris esset mutatio & nõ motus;oppositorum.n.eadẽ ratio est , sic enim probat Arist.text.8.lib.5.Phys.corruptionẽ nõ esse motum quia opponitur generationi quæ non est motus.Neque etiã expulsio termini à quo potest appellari motus,nam omnis motus fit inter duos terminos positiuè contrarios , quod in remissione frigoris præcisè sumpta,non reperitur;nam ea tendit ab esse formæ,ad eiusdẽ nõ esse. Quid plurib.opus est?Arist.hoc apertè docet 5.Phys.tex.47.scribens his verbis. *Est autem qui ex contrario, ei qui est in contrariũ non cõtrarius, vt qui est ex sanitate ei qui est in ægritudinẽ;idem.n.& vnus est,esse tamen non idem est ipsis sicut non idem est ex sanitate mutari, & in ægritudinem.* Argumentum autẽ initio propositum nihil valet,nãlicet duo sint accidentia terminus à quo & terminus ad quẽ nõ ideò tamẽ fit,vt sint duo motus illius obiectio & huius inductio.Tunc.n.duo accidentia cõstituunt duos motus,cum ambo se habẽt,vt termini ad quos qđ secus est hic, nã vnũ habet se vt terminus à quo,alterũ vt terminus ad quẽ; & acquisitio vnius,per se primo fit,& intẽditur principaliter ab agente , corruptio autẽ alterius, secundario & quasi ex accidenti,

Multis argumentis probatur,electionem termini à quo & inductionẽ termini ad quem non esse duos motus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ab vtro termino sumenda sit vnitas motus.

QVAESTIO VIII.

CVm triplex sit vnitas generica, specifica, & naturalis, de generica constat eã sumi à termino ad quẽ, dicente Aristot. lib. 5. Phys. 31. eos motus esse vnius generis qui versantur in eadem categoria, qui autẽ pertinent ad diuersas categorias distingui genere, & text. 35. perspicuè docet vnitatẽ genericã motus ab eo sumi ad quod fit motus. Vnitas autem specifica nõ potest sumi à termino à quo; cõtingit.n. motus vnius speciei procedere à terminis differentibus specie, vt dealbatio quæ fit ex nigro & quæ ex viridi: similiter aër moueri potest ad suum locũ ex centro terræ & ex cõcauo lunæ. Deinde potest esse terminus à quo vnus & idem, cum tamen motus qui ab eo fiunt, differant specie, vt motus aëris ad suum locum & item ignis ad suum, specie differunt, possunt tamẽ ambo fieri à centro mundi tanquã à termino à quo. Ergo vnitas specifica sumenda erit à termino ad quẽ. Cuius signũ est, quod omnes motus habent denominationẽ suam à termino ad quẽ, & ratio est, quia motus re idẽ est cum termino ad quem, & per se ordinatur ad illũ: & hoc idem apertè docet nos Arist. lib 5. Phys. tex. 31. & 35.

Ponuntur quinque obiectiones.

Sed occurrunt aliquę dubitationes. Prima. Terminus ad quem nondum est, ergo motus nõ potest accipere ab eo vnitatẽ suam specificam. Secunda ad eundẽ terminum potest moueri aliquid per lineam rectam vt per cordam, aliud verò per circularem, vt per arcum, qui motus tamẽ differunt specie. Tertia. Ad eundem terminum per idem spatium potest moueri vnum animal reptando, aliud ingrediendo, aliud volãdo, cum tamen hi motus differant specie. Quarta. A cõcauo lunæ ad centrum moueatur terra, moueatur item ignis; hi motus specie differunt quia vnus est violentus alter naturalis, moueri namque deorsum sicut est naturale terræ, ita igni est violentum; spatium tamen idem est, & ambo termini à quo, & ad quem sunt idem, Quinta. Mutatio ex albo in viridem colorem, & mutatio in rubrum etiam ex albo, communiter existimantur differre specie; cum tamen termini ad quos non differant; nam mutatio ex albo ad viride fit tanquam ad nigrum, quo participat viride aliquo modo; similiter mutatio ex albo ad rubrum, ad ipsum fit tãquam ad nigrum vt docet Aristot. 5. Physic. text. 6. & 52. ergo ambæ mutationes fiunt respectu eiusdem termini ad quem.

Soluuntur obiectiones.

Verùm ad hęc facilè responderi potest hoc modo. Ad primam cum est motus, terminus ad quẽ partim est, partim non est; quia partim est acquisitus, partim est acquirẽdus. Quin etiã totus quodammodo est non in actu perfecto & completo, sed in fieri. Addequod id quod non est, potest esse & habere se vt finis, potest dare nomen & rationẽ specificam iis, quę per se ordinantur ad illum; vt patet in omnibus potentiis & instrumentis quę specificantur per actus ad quos ordinãtur: atque hoc manifestum ex iis quæ supra lib. 8. de Causalitate finis disputauimus. Ad secundam Quamuis extremum vtriusque motus videatur esse idẽ, tamen id in quo fit motus, & quod per motum acquiritur nõ est idem; nam siue quod acquiritur per motum localẽ sit spatium siue sit vbi, cõstat hæc diuersa esse in motu per circulum, & per spatium rectum. adde, quod per accidens est vt quod mouetur per circulum insistat & quiescat in aliquo puncto illius circuli; nã secundum rationẽ circuli, suapte natura aptũ esset moueri ab eodem puncto ad idem punctum. Ad tertiam. & 4. Motus cõsiderari potest, vel vt motus est, vel vt est naturalis, aut violentus; vel secundum modum quo fit; si priori modo cõsideretur, omnes motus, qui fiunt inter eosdẽ terminos, sunt eiusdẽ speciei; sin autẽ poste riori modo, motus ignis & terræ ad centrũ, specie differunt, quia vnus fit naturaliter ad centrum, alter violenter. Similiter motus rependi, ambulandi, & volitandi, non differunt vt motus sunt, sed secundum modum, quo fiunt, proprium, & naturalẽ vnicuiq; generi animãtiũ. Aliud igitur est cõsiderare motus aliquos vniuersè ac simpliciter vt motus sunt, & aliud vt sunt tales motus, nimirum vel ratione principij effectiui, vel ratione modi quo fiũt

Ad quintã. De mediis qualitatib. specie differant ab extremis nec ne, nõ satis liquet. Etenim Auer. 5. Phys. comm. 6. & 52. videtur sentire extrema esse in mediis actu, nõ quidẽ perfecto, sed remisso & imperfecto, non aliter quàm sunt in eo quod est tepidum, frigus & calor. Opinatur etiã qd album fieri mutationẽ ex rubro aut viridi, similiter vt fit ex minus albo; cum quo est permixtum nigrum. His consequens est, rubrum & viride nõ distingui specie ab albo, veluti nec minus album specie differt ab eo quod est perfectè album. In lib. autẽ 4. de Cælo, com. 26. statuit duplex medium; vnum quod dicitur medium per comparationem, quia nimirum cõparatum vtrique extremo, habet cum vtroque similitudinẽ quandã atq; conuenientiã: hoc modo aër dicitur medius inter ignẽ & terrã, quippe qui grauis sit comparatione ignis, leuis autẽ terræ comparatus. Atque huiusmodi medium, est quidpiã simplex & specie diuersum ab extremis. Alterum medium vocatur per cõpositionẽ, quod est mixtum & temperatũ ex ipsis extremis quę in eo actu sed imperfectè insunt. Et mediũ huius generis nõ est forma simplex, sed ex ipsis extremis

Pulchra disputatio an colores medij specie differãt ab extremis.

Opinio Auerr.

conflatum quidpiam atque eõcrẽtum,nec ab vtroque extremo ſpecie,ſed tantummodo ſecundum magis & minus differens.Atque hoc modo viride eſt medium inter album & nigrum.Ne quis autẽ de opinione Auerr.dubitandi locus cuiquã reliquus eſſet,is lib.10.Metaph.comm.23.explicatiſſimis verbis ſententiam ſuam aperuit,ſcribens medias qualitates nõ diſtingui ſpecie ab extremis,ſed tantum differre ab illis ſecundum magis & minus Nec id modo ait,ſed etiam probat eo argumento, quòd cum ab vno extremo non fiat mutatio ad alterum extremum,vt ab albo ad nigrum , niſi per media quæ inter vtrumque extremum interiacent,ſi media ſpecie differrent ab extremis , nunquã poſſet fieri motus vnius ſpeciei,nec cõtinuus ab vno extremo ad alterum extremum , frequenter.n.propter varias mediarum qualitatum ſpecies interrumperetur.Nec in motu cõtinuo qui fit inter duo extrema cõtraria,eſſet ipſum(inter) ad quod neceſſe eſt priùs peruenìri quàm ad extremũ,vt docet Ariſt.li.5.Phy.tex.22.

Videtur Ariſt. idẽ ſentire cũ Auerr.

Atque hæc quidem ex ſenſu Auerrois dicta ſunt. Cuius ſententiæ ſuffragari videtur Ariſtot. ſcribens 1.Phyſ.text.47. & lib.10. Metaph.text.23.Media cõponi ex ipſis extremis : & affirmans 5. Phyſ.text.6.& 52.mutationes quæ fiunt à mediis ad extrema,fieri tanquã ab extremo ad extremum,quoniã medium eſt quodãmodo vtrumque extremum.In lib.autẽ Phyſic.6.text.32.apertè docet,quod mutatur ex albo in nigrum,id nõ cum primum diſcedit ab albo , iam eſſe in nigro; prius enim eſſe in fuſco & per hoc poſtea ad nigrum peruenire. Ex quo licet concludere, fuſcum ſpecie non diſtingui ab albo & nigro:alioquin,ſi ſpecie differret,nunquam ex albo in nigrum fieri poſſet motus vnius ſpeciei & continuus ſed propter mediorum colorum varias ſpecies quas neceſſariò pertrãſiret,ſemper eſſet interruptus.Ergo ſecundum hanc opinionem, mutatio ex albo in nigrum , non differt ſpecie ab ea quæ fit ex albo in viride vel rubrum,vel alium quẽuis colorem medium; quod tamen in quinta dubitatione, tanquam certum & cõceſſum ab omnibus, ſumptũ & poſitum fuit.

Opinio cõmunis.

Altera opinio eſt,quã plerique omnes Philoſophi ac Theologi ſequuntur , medias qualitates ſpecie diſtingui ab extremis; nec has eſſe in illis actu & formaliter,ſed tantum virtute; & propter ſimilitudinem atque conuenientiam quam mediæ habent cum extremis,dicuntur illæ ex his componi. Cum igitur ex nigro fit mutatio in viride,dicitur fieri quodammodo in album, quia viride habet conuenientiam quandam cum albo , propter quam viride quodammodo eſt contrarium nigro;& quia mutatio non fit niſi vbi eſt contrarietas, idcirco Ariſtoteles ait ex nigro mutationem

rationem fieri in viride ea ratione vt & quodammodo album, quoniam hac ratione eſt quodammodo contrarium nigro ; per ſe autem,& vt loquuntur formaliter,ſeu actu,viride nihil habet in ſe nigredinis & albedinis, & ab vtroque colore,differt ſpecie.

Atque hæc quidem à magnis Philoſophis,de præſenti quæſtio ne in vtranque partem , ſatis acutè ac probabiliter diſputantur. Ego priorem ſententiam,ſi falſam & improbabilem dixero,plane mentiar.Præſertim cum in ea quoque,Themiſtium, & Simplicium fuiſſe ſciam:quippe qui explanando text. 6. lib.5.Phyſi. haud obſcuris verbis docent medios colores, mixtos & compoſitos eſſe ex colorib. extremis,qui in ipſis inſunt;nõ aliter,quàm id quod eſt tepidum(hoc.n.ipſi vtuntur exemplo)mixtum & cõcretum eſt ex calore & frigore.Conſtat autem tepidum nõ differre ſpecie à frigido & calido,cum nihil aliud ſit tepidum,quàm frigidum & calidũ ſimul & remiſſe.Addunt præterea illi, ex nigro fieri mutationem in viride, nõ ea ratione, vt eſt viride , ſed propter albedinẽ,quę aliqua ex parte in eo,quod eſt viride, cõtinetur.Videmus etiam pictores,partim extremorum,partim mediorum colorũ certa quadam permixtione,& tẽperatione, alios colores medios efficere. Quis autẽ credat,nouas colorũ ſpecies, tanta facilitate ſic ab illis cõfici? Ergo,licet(vt dixi)priorẽ ſententiam nõ reprobẽ,ad poſteriorẽ tamen , quæ inter qualitates medias & extremas differentiã ponit ſpecificã,ſum equidẽ aliquanto propenſior.Fit.n.mihi vero ſimillimũ qualitates medias eſſe formas & qualitates ſimplices, eáſq; habere proprias ac peculiares cauſas,proprietates;& effectus; quãobrem neceſſariò diſtingui ſpecie ab extremis. Si.n.cõſtant ex ſola mixtione extremarum qualitatum,nec ab illis differunt niſi ſecundum magis & minus, ergo viride nõ magis differret à nigro & albo, quàm ab his differunt minus album & minus nigrum:at quis ita ſentiat,cum id vel oculorum iudicio , apertè redarguatur? Iam verò ſi colores medij non ſpecie, ſed tantummodo ſecundum magis & minus differunt ab extremis, & ex illorum mixtione conflantur ergo quotieſcunque ex nigro perfecta fit mutatio in album,oportet omnes intermedias colorum ſpecies procreari & apparere;quodfalſum eſſe, mutationes quas in eiuſmodi coloribus, cũ ab arte,tũ à natura quotidie fieri videmus,manifeſtè declarãt

Themiſt. & Simplicius ſequũtur priorẽ ſententiã.

Sententia auctoris.

Cur colores medij dicuntur componi ex coloribus extremis.

Sed cur(nã & hoc quæret aliquis) Ariſt.& Peripatetici aiunt,colores medios componi ex coloribus extremis? An id nõ eſt intelligendum de compoſitione Phyſica? ſed de Metaphyſica;quæ in eo conſiſtit, quòd colores medij habent affinitatem, ſimilitudinem & cõuenientiam cum extremis.Nam animam rationalem

quæ est simplex substantia, Philosophi aiunt esse formam quandam inter naturam materialem & immaterialem quodammodo mediam, & ex vtraque compositam: quoniam est vtri iusque similis & particeps. An potius coposítio mediorum colorum referenda est, non ad colores extremos sed ad eorum causas? Causę autem colorum sunt (vt innuit Alex. 1. lib. Naturalium quæstionum c. 2.) lux, perspicuitas, & opacitas: lux & perspicuitas in mixtione, cum priuatione opacitatis, est causa albedinis; Opacitas cum priuatione, vel certè cum perexigua perspicuitatis & lucis admixtione excausa nigredinis, Ex illis tribus variè mixtis inuicem, atque certa quadã ratione tẽperatis medij colores existunt. An potius id referri debet ad colorum effectus? Album omnino disgregat visum, nigrum omnino eum cõgregat, vtrumque nimis ac præter modum oculorum sensum afficit: quãobrem eum offendit ac lædit; omni namque sensui, quoniã is in mediocritate & temperata quadã ratione cõsistit omnis rerum quę sentiuntur exuperantia, molesta, & noxia est. At viride, purpureum, cæruleum, aliique colores medij, partim cõgregant, partim disgregant visum, & modicè ac temperatè sensum afficiunt. Ex quo fit, vt nõ modo nõ offendant, sed etiã iuuent atque oblectent aspectum. Verùm de hac qu. quę nunc à nobis raptim cursimq; dicta sunt, ea lectori hoc loco, satis esse debent. quæ nos, licet obiter, & quasi per trensennã, explicare tamen voluimus, vt rẽ perse obscuram, nec satis adhuc explicatã & sanè scitu admodũ dignã, aliquantulũ tractatione nostra illustraremus. Nunc meminí (quod libet hic adiungere) idẽ quod nos de mediis coloribus sentimus ipsum etiã Auer. in 6. Phys. com. 32. & 3. Meteor. com. vlt. sentire.

Tria concurrũt ad vnitatem numeralẽ motus.

Deinceps sequitur, vt de vnitate numerali motus, vnde ea petenda sit doceamus. Ad constituendã vnitatem numeralem motus, tria (vt ait Arist. 5. Phys. text. 53. (necesse est cõcurrere, vnum numero mobile; vnum numero terminum ad quẽ: tempus item vnum numero atque cõtinuum. Etenim motus est accidens, est via ad terminum ad quẽ à quo re nõ differt; est denique ens successiuum. Quia motus est accidens, nõ potest is esse vnus numero, nisi subiectum etiã in quo inhęret, hoc est ipsum mobile, fuerit vnum numero. Sit autem motus est via ad terminum ad quem nec re differt ab ipso, qui potest esse vnus numero, si terminus ad quẽ vnus numero non fuerit? Quod si motus est ens successiuum, ergo nõ potest esse vnus numero nisi etiã fuerit cõtinuus; continuatio autẽ motus cognoscitur & iudicatur ex tempore: eum namque motum iudicamus esse continuum, quem cognoscimus toto tempore, quo durat, nunquam fuisse interruptum.

Verùm

Verùm hoc loco nonnullæ dubitationes existũt. Prima. Præter tria supradicta quæ concurrũt ad vnitatem numeralẽ motus. etiã necesse est terminũ à quo esse vnũ numero. Non enim potest vnus numero motus, ex diuersis numero terminis simul procedere. Secũda. Arist. 8. Phy. tex. 49. & 82. perspicuè & affirmatè docet motũ vnũ numero atq; continuũ esse non posse, nisi mouẽs etiam fuerit vnũ numero; ergo præter illa tria opus quoq; est vnitate numerali motoris. Tertia. Si canis ex turri cadens, medio in lapsu moriatur, erit vnus numero motus canis viuẽtis & motui à turri vsq; ad terram, quia est continuus: ridiculũ enim esset dicere cnem in medio aëre, posteaquã occidit, aliquãto tempore quieuisse, quia hoc est contra naturam grauis, nec potest reddi caussa, quare si potuit aliquanto tempore quiescere, deinde moueri cæperit, ac non potius toto reliquo tempore quieuerit. Hic igitur est vnus motus numero, tamen subiectũ non est idem numero, canis enim viuus & mortuus non est idem numero. Quarta. Si in alteratione acquiritur semper alia & alia pars formæ, ergo non potest esse idem numero terminus ad quem totius alterationis. Quinta. Motus est prior tempore: quippe cũ tempus sit passio motus vt dicitur 12. Metaphy. text. 29. ergo vnitas motus, non pendet à tempore, prius enim non pendet à posteriori. *Quinque dubitationes.*

Sed ad hæc argumenta sic respondendum est. Ad Primũ Arist. prętermisit terminũ à quo, vel quia certum est, si motus sit vnus, & terminus ad quem vnus, terminũ etiam à quo necessariò fore vnũ cum sit oppositus illi: vel quia cum, terminus à quo abiiciatur per motũ Arist. in declaranda vnitate, & cõtrarietate motus, videtur eum despexisse. Ad Secũdum. Verũ vnitatem motus etiam pendere à motore: tum quia motus dependet in esse & fieri à mouente: tum quia definitur esse actus mouẽtis in mobili, sed quia nõdũ Arist ostenderat omne quod mouetur necessariò moueri ab alio, & omnem motũ egere mouente quod demõstrabit ipse tum in 7. tum in 8. Phy. ideo in 5. li. Phy. nõ fecit mentionem motoris, ne videretur vti rebus obscuris, & nec dum demonstratis. Nec ignoro quosdam dissentire Aristoteli, negantes vnitatem motus pendere à mouente: vt patet, cum eadem nauis trahitur à multis hominibus, & idem calefit à multis ignibus: alios verò arbitrari, dictum Arist. tantum esse verum in motu circulari, qui non solum est vnus numero & continuus, sed etiam vniformis & semper sui similis, in aliis autem minime, sed prior solutio satisfacit præsenti dubitationi, tota autem hæc controuersia alio loco discutienda est. Ad tertium. Secundum opinionem eorum qui ponunt tãtum vnam formam in vno composito, re- *Solutio dubitationũ.*

An si ea nis ex tur vri cadens medio in lapsu mo- viatur sit spondendum est: motum illius canis viuentis & mortui non esse vnum motum continuum, sed duos motus qui se habent deinceps ceps seu consequenter qui copulantur illo instanti, in quo corrumpitur forma canis & inducitur forma cadaueris: nam in illo instanti nō est amplius canis & incipit esse cadauer: & immediatè autem post idē instans, erit motus cadaueris: quarę inter illos duos motus non intercipitur vllum tempus sed tantum intercedit vnum instans, nec potest dici illud corpus aliquo emptore quiescere. Secūdum autem opinionem Auerrois, cui nos in hac parte assentimur, cū motus deorsum illius canis non fiat ratione animæ, sed terræ quæ est in ipso (sunt enim elementa actu in mixto) quia eadem terra manet in cane & cadauere: ideirco idem numero motus continuatur manente eodem subiecto, quod non est canis sed materia terrea quæ erat in ipso. Ad quartum. Quamuis per alterationem acquirantur diuersæ partes formæ, tamen tum quoniam acquirūtur vno continuo fluxu, tū quia ex illis multis partibus seu gradibus fit vna numero forma perfecta ideo terminus alterationis censetur esse vnus numero. Ad quintum. Verum est vnitatem motus per se non pendere à tempore, tamen quia motum fuisse continuum, & non interruptum non potest cognosci à nobis, nisi ex relatione ad tempus, ideo tempus adhibetur ad constituendam vnitatem numeralem motus.

numero & continuus.

Vnde petenda sit contrarietas Motuum?

QVAESTIO VIII.

MOtui aduersantur & motus & quies: ille vt quiddā cōtrariū, hæc autem vt priuatio eius. Vnde autē sumenda sit contrarietas motuū, manifestum est ex præcedenti quæstione. nā si ratio & vnitas motus sumitur à termino ad quē, ab eodē quoq; sumetur distinctio, & cōtrarietas. Quoniam igitur motus fit ex vno in aliud, perfecta contrarietas existet cū ambo termini vnius motus erūt contrarij ambobus alterius vterque vtriq; vt patet in calefactione & frigefactione. Et ratio est, quia tūc in vno motu, vnus terminus abiicitur, in altero vero idem acquiritur, & contra vnus acquiritur & idem alio motu deperditur. Præterea, si frigus est contrarium calori ergo frigefactio calefactioni nam illa re idem est cum frigore, hæc autem cum calore. Quies autem opponitur motui, non quælibet cuilibet sed quies in aliquo, opponitur motui ex illo: nam aliquid habere, & perdere illud, opponūntur inter se, per quetem autem in aliquo habetur illud, per motū verò abiicitur, quies autē in aliquo, nō opponitur motui qui fit ad illud, quia talis quies est finis

finis illius motus, & perfectio, propter quam fit motus. Rursum quietes in terminis contrariis opponuntur inter se, vt quies in frigore, & quies in calore: tum quia sunt priuationes motuū contrariorū eorūmq; termini nempe calefactionis, & frigefactionis: tū quia re idem sunt cum ipsis terminis, idem enim est quies in calore atque calor acquisitus & perfectus.

Quatuor dubitationes.

Sed circa hæc occurrūt nonnullæ dubitationes. prima. Motus ignis & terrę deorsum sunt contrarij, quia vnus est violentus, alter naturalis, tamē vtriusq; terminus, tam à quo quam ad quē est idem, fingamus enim vtrūq; corpus moueri à concauo lunæ vsque ad centrū. Secunda. Motus aëris à centro ad suū locum & ex concauo lunæ ad eūdem locū partim videntur esse cōtrarij, quia vnus est ascensus alter descensus, vnus fit sursum alter deorsum; parti verò minimè, quoniā ambo sūt naturales aëri. Tertia. Motui circulari, neq; opponitur mot⁹, vt dicitur in 1. de Cęlo, tex. 24. neque opponitur quies, quia est perpetuus: ergo non omni motui opponitur vel motus vel quies. Quarta Priuatio in termino à quo inchoat motum, priuatio autem in termino ad quem priuat motum, ergo magis hæc aduersatur motui quàm illa.

Solutio dubitationū.

Sed ad hęc ita respondemus. Ad primam. Illi motus, in ratione cōmuni motus non sūt contrarij, sed opponūtur quatenus vnus est naturalis, alter violētus. Itaque cōtrarietas mot⁹ simpliciter, attenditur penes terminū ad quem: quatenus verò est naturalis, aut violētus, ex principio effectiuo sumitur: nam motus qui fit à principio intrinseco rei, est naturalis, qui verò fit omnino ab extrinseco contra inclinationem mobilis, est violentus. Ad secūdā. Illi duo motu aeris, nullo modo sunt contrarij secūdū rationem motus naturalis & violentā: tā naturale enim est aeri ferri ad suū locū ex alio loco inferiori, quàm ex alio superiori: in ratione autem communi motus, non sunt cōtrarij simpliciter: nam ascensus & descēsus opponūtur cū fiūt per idem numero spatiū, quod hic non fit: similiter motus qui fit sursum simpliciter opponitur motui qui fit deorsum simpliciter: at locus aeris cum fit medius neq; est simpliciter sursum neq; simpliciter deorsum sed tantū secūdū quid: & respectiuè: nam respectu concaui lunę est deorsū: respectu autem centri, est sursū. Sicuti mutatio ex albo in viride & mutatio ex nigro in viride nō sunt inter se cōtrariæ simpliciter: quamuis viride sit albū secundū quid respectu nigri, & sit niger respectu albi. Ad 3, aliud est loqui de motu in communi vt motus est aliud autē de motu, vt est circularis & vt est motus cę-lis: motus enim vt motus est, potest habere contrariū motum, & potest habere oppositā qnietē, quāuis hoc repugnet motui cir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cularí,quatenus eſt motus naturalis cæli,cui repugnat quieſcere. Quocirca Auerroes 1.lib.de Cælo, com. 32. ait motum circulare, ſecundum naturam,nõ habere contrariũ,ſecundũ autem imaginationem,habere poſſe: nã imaginari poſſumus duos motus circulares ſuper eoſdẽ polos idemq; centrum ad partes contrarias, qui eſſent contrarij,quoniã impedirent ſe ac deſtruerent, quamobrem natura eos nõ facit,quoniã vel vterq;, vel certè alteruter, eſſet ocioſus:nã ſi virib.pares eſſent, ſe inuicem impedirẽt & neuter perfici poſſet:ſi alter eſſet potẽtior,is impediret alterũ,nec ſineret eum confici & abſolui.Hæc ſecũdum Auerroem .vel aliter reſponderi poteſt, Ariſt.hic præcipuè loqui de motu rẽcto, nam circulari,quæcunq; traduntur his libris,vix conueniunt niſi forte ſecundum quid & per quandã acommodationem. Ad Quartam. Duplex eſt priuatio, vna quę continet abſentiam formæ futuræ, altera quę habet abſentiam formæ preſentis quatenus erat fluẽs, in motu & in fieri:priori modo,quies in termino à quo,eſt priuatio motus qui fit ex illo.poſteriori autem modo , quies in termino ad quẽ,eſt priuatiò motus,qui fit ad ipſum , dicitur autẽ motui magis opponi illa quam hęc , tum quoniam illa abiicitur per motum,hæc autẽ acquiritur. tum quia quies in termino à quo, re idẽ eſt cum ipſo,ſimiliter motus cũ termino ad quẽ,& quia hi termini opponuntur, ideo talis quies & motus etiã opponuntur. Motus autem ad terminũ ad quẽ,&quies in ipſo termino,re ſunt idem inter ſe & cum ipſo termino ad quem:nam prout forma eſt in fieri , dicitur motus , prout eſt iam facta & acquiſita , dicitur quieſcens& ipſa quies.Sed quia in hac diſputatione,quam de terminis motus adhuc tractauimus , ſæpe diximus,& quaſi certum ſumpſimus motum re non diſtingui à termino ad quem , an ita ſit, diſputandum atque diiudicandum eſt.

An Motus re differat à termino ad quem.

QVAESTIO.

Opinio & argumẽta eorum qui cẽſent motũ eſſe rem quampiã diuerſam à termino ad quem.

OPinio eſt Aureoli,Pauli Veneti,& multorũ,motũ eſſe re diuerſum à termino ad quẽ qui acquiritur per motũ vt calefactionẽ à calore:quę cõfirmatur his rationibus,Primò,illa differũt re, quorũ vnũ poteſt eſſe ſine altero & multo magis quando cum vnum eſt alterum nõ eſt nec eſſe poteſt:ſed ita ſe habet motus & terminus ad quem:nam cum eſt motus,nondum eſt terminus ad quẽ , & quando eſt terminus ad quẽ,iam nõ eſt amplius motus,ergo differunt ſecundum rem. Secundo,De eadem re non poſſunt verificari prædicata cõtradictoria , ſed motui & termino ad quẽ conueniunt prædicata contradictoria,ergo differunt re. probatur minor , nã motus eſt ens ſucceſſiuum,non habens partes ſimul,vt calefactio,calor autẽ eſt ens permanens:illa non eſt per ſe in prædicamento,hic autem eſt per ſe;per illam acquiritur calor; at per calorẽ non acquiritur calor;illa terminatur ad calorem, at calor non terminatur ad calorẽ.Tertio.Proprietates motus non conueniunt termino ad quẽ; nam motus eſt continuus & velox vel tardus , diſtinguitur per mutata eſſe, cuius nulla pars eſt præſens præter quiddam indiuiſibile:hæc autem omnia nõ poſſunt cõuenire termino ad quem vt per ſe clarum eſt.Quartò.In motu locali,non eſt idem motus, & terminus ad quem:nam motus eſt in mobili,quod autem acquiritur per motum localem eſt ſpatium ſeu locus,qui non eſt in mobili;quare ſimiliter ſentiendum eſt de aliis motibus.

Altera ſententia probabilior, motũ non re. ſed ratione tã tùm diſtinguí à termino ad quem.

Altera ſentẽtia probabilior eſt, motũ re idẽ eſſe atque id quod per motum acquiritur , ratione tamen differre ab eo , Forma enim,v.g.calor dupliciter conſiderari poteſt, vel per ſe,vt eſt qualitas quædam permanens , & ſic differt à motu ; vel vt eſt forma quædã fluẽs(& vt ita loquar) fiẽs,de nouo exiẽs ab agente in paſſem,vel potius ex potentia materiæ in actum , non ſimul obtinens eſſe,ſed accipiẽs illud continuè atque ſucceſſiuè, huiuſmodi formam dicimus nihil aliud eſſe quàm motum.Itaque in motu duo conſideranda ſint,vnum tanquam materiale,quod eſt ipſa forma,alterum quaſi formale,quod eſt continuè fieri, ſeu fluere, & continenter tendere ab imperfecto ab perfectum.

Solutio argumẽtorũ prioris ſententiæ.

Atque hac poſita diſtinctione ,funditus corruunt argumenta contraria.Primum enim argumentum nihil valet , tũ quia illud axioma(ea re diſtingui , quorum vnum poteſt eſſe ſine alio)falſum eſt,vt patet in materia & priuatione, in quantitate & figura, in fundamento & relatione:tum etiam,quia forma,vt eſt fiens & per motum fluens, nõ poteſt eſſe ſine motu nec motus ſine ipſa. Secundum autem,pari facilitate diſſoluitur,nam de motu & forma enuntiantur prædicata contradictoria ea ratione , vt differunt ſecundum rationem,quæ enim conueniunt motui non conueniunt formæ , vt forma eſt:tamen illa omnia conueniunt formæ,vt eſt in fieri.Idem reſpondendum eſt ad tertium argumentũ,nã eſſe continuũ,& velox,vel tardũ,licet non cõueniat formæ, vt res quædã permanens eſt , tamen conueniunt illi, vt eſt fiens. Ad Quartum.dicendum eſt,id quod intrinſecè , & formaliter acquiritur per motum localem non eſſe ſpatium, aut locũ,ſed vbi, quod ſubiectiuè eſt in mobili,quare motus localis ſecundũ rem,

neque differt à mobili, neque ab vbi; nihil enim aliud est, quàm mobile habens continuè aliud, & aliud vbi.

Motũ non distingui à termino ad quem probatur septem argumentis.

Sed refutatis contrariis argumentis, adducenda sunt ea, quæ valeant ad corroborandam sententiam nostram. Primò, hanc sententiã tenet commentator 3. Phy. com. 4. & quinto Phys. com. 9. & D. Thomas 11. Metaphys. summa 4. cap. primo, eamque innuit Arist. in tertio Phys. tex. 4. his verbis. *Motus non est præter res ad quas est motus.* Deinde, Arist. inquit 3. & 8. libro Phys. motum esse quiddam mixtum ex potẽtia & actu, & esse actum imperfectũ, qui continuè perficitur: & in quinto Phys. ait motum ad aliquem terminum perfici per quietem, quæ est in illo. hæc inquam dicta Arist. non possunt rectè intelligi, aut exponi, nisi ponatur motus idem esse ac terminus. Præterea, si calefactio est res differens à calore qui producitur, cum ipsa habeat esse post non esse, ipsa quoque producta erit, quare vel per se ipsam, quod est impossibile, vel per alium motum, & sic progressus fiet in infinitum. Tum, si calefactio producatur, debet autem produci, cum sit res quædam transiens à non esse ad esse, vtique producetur per calefactionem, nam producetur ab igne: ignis autem, vt calidus est, non agit nisi per calefactionẽ: erunt igitur duæ calefactiones, vna, per quam producitur calor in aqua, altera, per quam producitur ista calefactio, quare erunt etiam duo calores, non potest enim calefactio separari à calore; quæ quàm sint absurda nemo est qui non videat. Postea, si motus localis producitur, ergo vel per alium motum localem, quod est est impossibile; tum quia incurritur in infinitum, tũ quia motus localis per se non habet vim producendi quicquam: aut per alium motum, vel generationis, vel alterationis ex quo fieret, vt motus localis per se posterior esset generatione, vel alteratione: quod est cõtra Arist. in 8. Phy. vbi multis argumẽtis probat motũ localẽ omni modo esse priorem cæteris motibus. Adhæc, si calefactio re differt à calore, aut illa duo differunt numero, aut specie, non numero tantùm, tum quia duo accidentia solo numero differentia non possunt simul esse in eodem subiecto, & tam calefactio aquæ, quàm calor qui per calefactionẽ aquæ producitur, subiectiuè sunt in aqua; tum quia vnum est ens permanens, alterum verò successiuum: neque specie, nam qui possunt specie distingui, cum ambo producantur ab eodem numero igne, & per idem numero principiũ, nempe calorem qui est in igne? Postremò, ita se habet potentia calefactiua quę est in igne ad calefactionem, sicut calor qui est in igne ad calorem productum; ergo secundum permutatam proportionem, sicut se habet potẽtia calefactiua ad calorem, qui est in igne, ita cale

calefactio ad calorem, qui producitur, sed potentia calefactiua ignis non differt secundum rem à calore eius, ergo neque calefactio differet secundum rem à calore qui producitur, quod autem potentia calefactiua non differat secũdum rem à calore qui est in igne, sic ostenditur, nam id per quod ignis calefacit, vel potest calefacere, est calor, sed id, per quod ignis calefacit, aut potest calefacere, est potentia calefactiua: ergo potentia calefactiua, & calor sunt idem. Deinde, si hæc differunt secundum rem, ergo cogitemus vnum remoueri ab altero, sit ergo calor sine potentia calefactiua, tum ignis, & poterit calefacere, & non porerit, potetit quia habebit calorem, non poterit quia non habebit potentiam calefactiuam: idẽ accidet, si remoueamus calorem ab igne, & relinquamus potentiam calefactiuam.

Ex his igitur perspicuum est, motum non re, sed tantum ratione distingui à termino ad quem. Intelligo autem hic per terminum ad quem, nõ extremum formæ, sed totam ipsam formam, quæ acquiritur ab initio motus vsque ad finem, neque formam, prout est acquisita, vel acquirenda, sed prout est in fieri continuè tendens ab eo quod est acquisitum ad id quod restat acquirendum. Sed de natura motus eiusque terminis, hactenus sit in hoc decimotertio libro disputatum.

FINIS DECIMITERTII LIBRI.

DE VARIETATE ET DIVISIONIBVS MOTVS.

LIBER DECIMVSQVARTVS.

QVID sit motus, & quidquid ad propriam eius rationem atque naturam constituendam pertinet, præcedenti libro fuit explicatum. Deinceps, agendum est de varietate & diuisionibus motus. Tres autem sunt principes diuisiones motus: vna qua motus diuiditur in suas veluti species, hoc est in generationem & corruptionē, in accretionem & decretionem, in alterationē, & in motum localem: altera qua motus diuiditur in naturalem motum atque violentum: Tertia qua motus, ea ratione vt est continuus, diuiditur in partes suas quas vocant quātitatiuas. Has diuisiones motus hoc libro contēplari & pertractare volumus, Sed à prima diuisione motus in suas species exorsi, quænam sint veræ species motus propriè dicti, diligenter inuestigemus.

Generationem & corruptionem, non esse motus propriè dictos.

CAP. I.

VT colligamus veras species motus, quoniā is necessariò sit in aliqua categoria, perlustrandæ ac excutiēdę sunt omnes categoriæ, & de vnaquaque quærendum sigillatim, an possit in ea fieri motus nec ne. Et quia substantia est prima omnium, generatio autem & corruptio mutationes sunt ad hanc, videndum est an hæ mutationes sint motus. Ari. 5. Phy. tex. 8. 10. 51. Auer. 4. Ph. com. 129. 5. Phy. com. 8. & 21. & 6. Phy. com. 32. & 59. negāt generationem esse verum motum. Idem sentiunt omnes expositores Arist. vt videre licet 5. Physic. sup. tex. 8. Rationes Arist. sunt tres. Prima. omne quod mouetur est ens in actu, sed quod generatur non est ens in actu, tum quia quod generatur nondū est, tum etiā quod materia, quæ est subiectum generationis est ens potentia, ergo quod generatur non mouetur, nec generatio est motus. Secūda. Quod mouetur est in loco, sed quod generatur cū sit nō ens, nō potest esse in loco, ergo &c. Tertia. Omnis motus est inter contraria, sed substantiæ nihil est contrariū, ergo in ipsa non potest fieri motus propriè dictus.

Possent addi duæ aliæ rationes. Vna est, quia omnis motus est continuus & fit successiuè: vt patet ex definitione motus: & quia quod est in tempore, est successiuum, omnis autem motus est in tempore: & in 6. Physi. demonstrater omnem motum esse continuum, & indiuisibilem: at generatio non fit successiuè, sed in instanti, vt docet Simplicius 5. Physic. super text. 8. & Auerroes 4. 5. & 6. Physic. locis supradictis: & patet, quia generatio fit inter terminos contradictorios, vt in 5. Physic. docet Arist. in quibus non est medium. Deinde, cum substantia sit indiuisibilis, quippe quæ non suscipit magis & minus, acquiri non potest diuisibiliter, ergo neque successiuè. Et cum subiectum generationis sit materia prima, quę cum per se nullam habeat resistentiam ad formā substantialem, in instanti recipiet eā: causa enim successionis quam habet motus, est resistentia existens in subiecto. Altera ratio qua idem probari potest, ita se habet. corruptio desinit per primum sui non esse. v.g. in corruptione ignis, datur instans, in quo verum est dicere nūc non est ignis, sed immediatè antea erat, quæro, an in hoc instanti, in quo facta est corruptio ignis, incipiat generatio alterius rei: si incipit, ergo generatio non est motus, quia motus non potest incipere in instanti, cum sit successiuus, & declarabitur hoc in 6. Phy. libro: si non incipit, ergo in illo instanti, materia erit sine vlla forma, & non erit verum illud celebre axioma, corruptio vnius est generatio alterius & Auerr. 8. Phy. & 3. de Cælo pulchrè demonstrat, si materia prima per vnum instans spoliaretur omni forma, fore vt nunquam deinceps posset aliquam formam recipere. Denique, generationem non esse motum propriè dictum, sententia est Scholæ Peripateticæ: nullus enim euentus est, qui contra sentiret.

Quod generatio nō sit motus propriè dictus, & quod non fiat in instanti probatur multis argumētis.

Sed hoc quo clarius, & certius sit, dissoluenda sunt quędam argumenta, quę contra asserri possunt. primò, secundū Auer. 3. de Cælo, com. 67. elemēta manēt actu in mixto, ergo subiectū generationis mixti nō est materia prima aut ēs in pura potētia: sed est massa quatuor elementorū existēs actu & in loco: falsū igitur est, quodcunq; generatur esse non ens, & non existere in loco. Secundò. etiam quantitas non habet cōtrarium & tamen fit motus in ea, ergo carere cōtrario, non obstat, quominus mutatio secūdum

substantiam possit esse motus. Tertio. Generatio fit successiuè, ergo est motus; antecedēs probatur; primò, definitio motus cōprehendit generationem, vt indicant exempla Aristot. quibus 3. Phy. tex. 6. explanat definitionem motus: Sed ex definitione motus elicitur continuatio, ergo talis inest in generatione. Tum, in 4. Phy. tex. 129. ait omnem motum, & mutationē esse in tempore, non distinguendo motum à mutatione, & tempus esse causam potius corruptionis, quàm generationis. Et in 6. Phy. tex. 59. demonstrat omnem motum esse continuū, ponens exempla generationis, & corruptionis: & in 7. Phy. tex. 34. inquit vnam generationem comparatā alteri, esse magis, aut minus, aut æquè velocem vel tardam quàm alteram; velox autem & tardum cum mensurentur tempore, habent esse in successione. Deinde, si generatio fieret in instanti, & tota simul, ergo generari, & genitum esse idē esset, & fieri & factū esse, quod Arist. 6. Phy. tex. 55. & 59. ducit absurdum: aliud enim est mutari, aliud mutatum esse: quod si aliud est generari, & genitum esse, cum genitum esse fiat in instāti, ergo in eodē non poterit fieri generari. Vel ergo fiet in alio instāti immediatè, vel in tēpore: non in instāti, quia duo instantia non possunt esse inuicem immediata, ergo in tēpore, quare generatio erit in tēpore. Postea, Arist. 5. Phy. tex. 7 loquens de mutatione quæ comprehendit etiam generationē, inquit eam signare vnum post aliud, & vnum prius, alterum verò posterius; at vbi talia sunt, ibi necessariò est successio, ergo in generatione est successio. Adhæc formæ elementorum secundum Auerr. 3. lib. de Cælo, com. 67. intenduntur & remittuntur, ergo partibiliter acquiruntur: quare saltē generatio elementi fiet successiuè. Postremò, Auerroes primo Phy. comm. 62. ait in generatione hominis successiuè deperdi partes seminis, & acquiri partes formæ humanæ, ergo talis generatio fit successiuè.

Solutio superiorum argumentorum.

Verùm ad hęc argumēta sic respondendū est. Ad primū. Auerroistę variè respōdet. Quidā aiunt discrimē: quod ponitur 5. Phy. tex. 8. inter generationē & motū, non esse in eo, vt omnis generatio est, habere pro subiecto nō ens simpliciter, sed quia nō repugnat generationi, vt generatio est, habere pro subiecto nō ens, aliqua. n. generatio qualis est corporū simpliciū, habet subiectū ipsum nō ens actu hoc est ipsam materiā primam. Omnis autem motus, vt motus est, habet pro subiecto ens simpliciter actu, & nō habere tale subiectū repugnat illi. Alij dicūt, Arist. per id quod generatur nō intelligere materiā primā, quippe quæ sit ingenerabilis, sed compositum quod de nouo fit, cuius priuatio dicitur non ens simpliciter, quia ipsum compositum substantiale est ens simpliciter: ergo quamuis subiectum generationis mixti corporis, sit aliquod ens in actu nempe massa quatuor elementorum, tamen quia in ipso est priuatio mixti, quod est ens simpliciter, ideò talis generatio dicitur fieri ex non ente simpliciter, ad ens simpliciter. Alij dicunt, sicut sunt varij modi generationis, nempe per simplicē productionē, cum vnū mutatur in aliud, vt in elementis: vel per mixtionē vt ex elementis inuicem mixtis conflatur mixtum: vel per procreationē ex semine, vt stirpes & animalia, sic Arist. dedisse varias rationes ad distinguendā generationē à motu. Eā igitur quā ponit text. 8. valere tantùm in generatione corporum simpliciū, quę dicitur simplex generatio: alterā verò traditā text. 10. qua probat generationē nō esse motū quia omnis motus fit inter contraria, subsitātię autē in qua fit generatio nihil est cōtrariū, valere in omni generatione. Verùm de hac opinione Auer. secundū quā, pcedit dubitatio, alibi agēdū est. Ad Secundā. Licet quātitas nō habeat cōtrarietatē maximè propriè dictā, qualis inuenitur in alteratione, habet tamē eā quæ sufficit ad motū: nimirū oppositionē inter duas quantitates; perfectā scilicet & imperfectam, quæ nō possunt esse simul, & acquiruntur partibiliter; quę ratio cōtrarietatis non inuenitur in substantia.

Ad alia argumenta, quibus ostēditur generationē esse motum successiuum, cum duplici distinctione, respōdendum est: vna est, generationē posse accipi bifariā, vel pro sola introductione formæ substantialis, & sic fit in instanti, nec esse motus: Atque hac significatione nos in præsentia nomen generationis accipimus, cum docemus generationē non esse motum; vel pro aggregato ex hac & præcedente alteratione, quæ quoniā ab agente inducitur, & ordinatur ad generationē propriè dictā, etiam ipsa apud Philosophos inuenit nomen generationis; propter hanc igitur generatio dicitur fieri successiuè, & sic exponenda sunt omnia loca Arist. quibus significat generationem fieri successiuè. Hanc distinctionē, innuit Simplicius 5. Phys. super text. 8. Auerr. autem apertis cōceptisque verbis tradit eam 6. Phys. comm. 59. de qua nos ante loquuti sumus cum definitionē motus explanaremus: altera distinctio est, successionē motus dupliciter posse considerari, vel secundum formam, quæ cum suscipiat magis & minus, & habeat partes & gradus secundum quos intenditur & remittitur, etiam necessariò acquiritur successiuè, vel secundum subiectum, nam cum omne mobile sit diuisibile, & habeat partes alias priores & propinquiores mouenti, alias verò posteriores atque remotiores à mouente, mouens primum mouet partes sibi propinquiores, deinde alias successiuè: generatio igitur non est

motus successiuus priori modo, quia forma substantialis non habet gradus, sed cõsistit in indiuisibili tanquàm numerus, posteriori verò modo, nihil prohibet generationem fieri successiuè. Cum.n. ex aliquo magno ligno fit ignis, non simul totũ lignum conuertitur in ignẽ, sed priùs vna pars propinquior igni cõburenti deinceps alia secundum ordinem, & sic tandem totum: & quamuis in motu propriè dicto reperiatur vtraq; successio, prior tamen attingit naturam motus. Hæc autem distinctio valde notanda est, vt potè per quã soluuntur magnę difficultates in Philosophia. Cum igitur apud Philosophos legimus generationem fieri successiuè quemadmodum intelligendum sit, ex hac gemina distinctione cognouimus. Ad illud autẽ quod obiicitur, quod idem esset mutari, & mutatum esse; respondeo in omnibus mutationibus instantaneis qualis est generatio, id necessariò concedendum esse, vt in illuminatione quæ fit in instanti, simul est illuminari, & esse illuminatum. Ad illud, quod in omni mutatione est prius & posterius, respõdeo non esse hoc intelligendũ intrinsecè vt omnis mutatio habeat partes priores & posteriores; sed intelligendum de terminis à quo & ad quẽ; etenim quòd mutatur, prius est sub termino à quo, dendè transit ad terminum ad quẽ. Vnde cum in instãti generatur ignis ligno, verum est dicere, nunc materia est sub forma ignis, & prius erat sub forma ligni. Ad illud, quod formæ elementorum suscipiant magis & minus; dico id esse in opinione, & alias discutiendum; tamen cui libet sententiã Auerr. sequi, posset is respondere, formas elementorum nõ acquiri successiuè per se primò, sed per modũ sequelæ, nempe propter qualitates, à quibus nõ possunt separari; quoniam enim calor successiuè acquiritur, & perditur, ideò forma ignis, quæ naturaliter cõiuncta est cum calore, etiã successiuę acquiritur vel perditur: in motu autẽ vero requiritur successio per se. Ad vltimum respõderi potest, vel secundum duplicẽ distinctionẽ supradictam, ducendo generationẽ fieri successiuè ratione subiecti, non autem formæ; primò.n. generatur cor, tum, ordine suo cætera finguntur membra: Vel ex verbis ipsiusmet Auerrois, quę ibidem paulò post subiũgit, dicens *siquidẽ talis forma habet partes.* Ex his igitur palam est in Substantia nõ esse motum. In Relatione autem, Actione, & Passione, Quando, & Habere, nõ esse motum propriè dictum, partim probatur ab Arist. partim etiã per se manifestum est. Simplicius autẽ, qui 3. Phys. text. 5. & 5. Phys. text. 9. cõtendit motum esse in omnibus categoriis, quia in omnibus est actus & potẽtia, & quia in omnibus categoriis fit transitus à non esse ad esse, qui nihil aliud est quã motus; tantum concludit, absolutè

absolutè motum posse fieri in omnibus categoriis, sed non motum propriè dictum, aut motum per se, & non secundum accidens; supradictæ enim categoriæ non acquiruntur per se primò sed consequenter, quatenus sunt coniunctæ cum his ad quæ fit motus per se, nimirum cum qualitate, quantitate, & vbi.

De tribus speciebus motus propriè dicti, hoc est de augmentatione, motu locali, & alteratione.

CAP. II.

Quòd augmentatio non sit motus propriè dictus septem obiectiones ponuntur.

RESTant igitur tres categoriæ in quibus versatur motus propriè dictus. Quantitas, Qualitas, & Vbi: Circa quarum vnãquamq;, cum nõnullę sint dubitationes, has nunc oportet explicare, incipiendo à quãtitate.

De augmentatione igitur, quæ est motus ad quantitatẽ, prima dubitatio est, omnis motus fit inter contrarios terminos vt in hoc 5. lib. sæpe est dictum, sed termini augmentationis sunt magnum & paruum, vt tradit Arist. 1. de Cælo, 86. magnum autẽ, & paruum nõ sunt inter se cõtraria, vt habetur in categoria Quantitatis, ergo, &c. Secunda. Cõtraria sunt, quæ maximè distant sub eodem genere, sed in quantitate non potest assignari maxima distantia, cum in ea non reperiatur maximum & minimum, siquidem ea est in infinitum diuisibilis, ergo, &c. Tertia. Contraria differunt specie, sed magnum & paruum non differunt specie, sicut nec magis album & minus album, ergo, &c. Quarta. In motu terminus à quo abiicitur, sed in augmẽtatione, prior quãtitas non abiicitur, aut deperditur, ergo, &c. Quinta. Forma ad quam est motus, quia partibiliter debet acquiri, suscipit magis & minus, sed quantitas non suscipit magis & minus, vt docet Arist. in categoria Quantitatis, ergo, &c. Sexta. Augmentatio est species motus localis, ergo non differt genere ab illo, quare motus non debet diuidi in localẽ & augmentationẽ, quia vnum membrum diuidens non debet contineri sub altero; antecedens probatur ab Aristot. 4. Physic. 32. faciente tres species motus localis, lationem, accretionem, & decretionem. Septima. Omnis motus propriè dictus debet esse continuus, sed augmentatio non est motus continuus quemadmodum tradunt Aristot. & Auerr. 8. Physic. text. 23. & Auerr. 3. Physic. comm. 6. ergo, &c.

Adhæc, ita respondendum est. Ad priora tria responderi potest magnum & paruum, inter quæ fit augmentatio, bifariam sumi; vel Mathematicè, vt sonant nudam quantitatem, & sic procedunt argumenta; vel Physicè, vt significant quantitatem naturalem imperfectam, vel perfectam, & non idoneam nec accõmodatam ad exercendas operationes naturales viuentis: termini

igitur argumentationis non sunt præcisè magnum & paruum, sed magnitudo naturalis imperfecta & perfecta, vt docet Aristo. lib.6.Phys.text 91.& lib.8.Phys.text.62.& Alex.1.Naturalium q. c.7.vbi sanè eandē dubitationē explicat.In quantitate ergo Physica secundum vnamquanque speciē reperitur maxima distātia, hoc est maximum & minimum; quia omnium rerum naturalium magnitudinis & paruitatis terminus præscriptus est à natura,vt dicitur 1.Phys.text.36.& lib.2.de Anima text.41. Aliud igitur est considerare quantitatem per se ac præcisè, aliud verò vt est quantitas naturalis, & vt vt est cuique rerum speciei conueniens; inter quantitatem autem imperfectam, & perfectam, quamuis non sit tanta contrarietas & differentia specifica,quanta maxima esse potest, & quæ cernitur in alteratione, tamen eiusmodi est,quæ Aristoteli sufficit ad cōstituendum motum. Ad quartam. In augmentatione, terminus à quo materialiter quidem manet; sed non formaliter, hoc est prior quantitas manet, sed non,vt parua & imperfecta, per augmentationem enim euadit magna,& perfecta. Ad quintam. Suscipere magis & minus, hic sumitur amplè, siue fiat secundum intensionem, vt in alteratione,siue secundum extensionem,vt in augmentatione, siue secundum maiorem, vel minorem appropinquationem ad locum, vt in motu locali. Ad sextam. Augmentatio per se primò fit ad quantitatem,consequenter autem ad locum; nam cum omni quantitati debeatur locus,necesse est maiori maiorem minori minorem ascisci: quamobrem in augmentatione sicut acquiritur maior quantitas, ita necesse est acquiri etiam amplioremlocum:contra verò in decretione.Ergo si augmentatio cōsideretur per se primo, per se differt à motu locali, si autem secundario,potest aliquo modo statui species motus localis, & sic loquitur Arist.loco supradicto.Ad septimam. Tribus modis potest intelligi augmentationem esse motum continuum; vel vt sit perpetuus, & sic solus circularis vocatur continuus ab Arist. 8.Phys.text.73.vel vt augmentatio continuetur cum decretione,vt inter has vt inter has mutationes nihil temporis,aut quietis intercedat,& hac ratione augmentatio non est motus continuus, quia inter duos motus contrarios necessariò intercedere aliquid quietis,probatum est ab Arist.in 8. Phys.vel vt augmentatio cōtinuè fiat à principio quo incipit homo augeri vsque ad finem,& hoc duplici modo Arist.8.Phys.tex.23.negat augmētationem esse motum continuum;sed quod augmentatio dum fit & durat,non fiat continuè,hoc nec Arist.affirmat,& repugnat experientiæ.Vnde Auer.3.Phys.comm.6. ait augmentationem, videli-

Quomodo augmētatio sit motus continuus & quomodo non.

videlitet totalem,componi ex multis motibus,& quietibus. Licet igitur tota accretio ab initio vsq; ad finē actioni viuentium non sit vnus numero motus atq; cōtinuus, partiales tamē accretiones nihil prohibet eo tēpore quo durant,esse motus cōtinuos.

De motu autē locali sunt hæ dubitationes; prima cum motus localis fiāt ad locum,qui ponitur in prędicamento quātitatis videtur non distingui genere ab augmentatione.Secunda.In motu locali nō est contrarietas quia contraria sunt inuicē actiua & corruptiua, & apta fieri circa idē subiectum , at sursum & deorsum,in quibus ponitur cōtrarietas motus localis,nō sunt apta fieri circa idē subiectum,aliud.n.est corpus,quod mouetur sursum, aliud verò deorsum,neque potest idē natutaliter moueri sursum & deorsum vel ibi quiescere:præterea , sursum & deorsum non agunt inuicē & corrumpunt.Tertia. Quod mouetur partim est in termino à quo,partim est in termino ad quē,vt nihil videtur esse posse partim sursum & partim deorsum,imo verò nō potest dici sursum esse,nisi cum attigerit vltimum terminum , qui est sub cōcauo lunæ,ergo,&c.Quarta.Quod acquiritur per motum est in ipso mobili,vt patet in augmētatione,& alteratione:sed locus,qui acquiritur per motum localē,nō est in mobili,quinimo mobile est in loco. Quinta. Præcipua species motus localis, est circularis,cui tamen nec definitio motus,nec ea,quę 5.Physic.de vnitate,& oppositione motus traduntur, videntur conuenire.

De motu locali quę obiectiones.

Verum ad hæc,ita respōdendum est.Ad primam,motus localis per se primò ad Vbi,sed quia vbi nō acquiritur,nisi in acquisitione loci , & quia videtur prouenire ex circunscriptione loci ad locatū,ideo motus localis(vt loquamur cum Philosophis)intrinsecè,& formaliter fit ad Vbi,extrinsecè autem,& effectiuè fit ad locum:cōstat autem ipsum Vbi diuersum genus esse à quantitate.Ad secundam. Rectè ait Auerr. contrarietatem non dici, vniuocè de omni motu,sed secundū prius & posterius,nam maximè cernitur in alteratione,minus in motu locali, minimè cernitur in augmentatione : Et quia duplex traditur definitio contrariorum,vna, contraria esse, quæ sub eodem genere maximè distant;altera,contraria esse quæ sub inuicem corruptiua & apta fieri circa idem subiectum:secundū priorem definitionem,propriè inuenitur contrarietas in loco , quia distare propriè dicitur in loco,in aliis verò Metaphoricè:secundum autem posteriorem contrarietas maximè viget in alteratione , in aliis autē motibus non itidem.Vide Aristo.in categoria Quantitatis: & 10.Metaph. text.13.& lib.2.Meteororum Summa.2.cap.3. Contrarietas igitur in motu locali solum attēditur penes maximam distantiam,

Solutio obiectionū.

quæ sumitur secundum lineã rectã,quæ est semidiameter mundi:hæc.n.est maxima distantia , per quam possit fieri motus rectus.Possunt autem dici sursum,& deorsum cõtraria,eo quod locus sursum,est conseruatiuus corporum leuium , corruptiuus autem grauium:è cõtrario verò deorsum.Sed hoc interest,quod(vt ait Auerr.) contrarietas in alteratione, existit inter duas formas, & circa vnum subiectum:in motu autem locali, inter duas formas,& duo subiecta. Etenim idem subiectum in alteratione est naturaliter capax vtriusque contrarij,nimirũ materia prima. At in motu locali non est idem corpus naturaliter locabile sursum atque deorsum.Ad tertiam.Mobile dicitur esse partim sursum.partim deorsum per appropinquationẽ & distantiã;nã quatenus est propinquius ipsi sursum , quàm cum erat in termino à quo,dicitur secundum hoc esse sursum , quatenus verò distat ab illo,dicitur esse deorsum . Adde,quòd quælibet pars eius spatij, quod est inter sursum & deorsum, respectu vnius, dicitur deorsum,respectu alterius,dicitur sursum.Ad quartã. Quod acquiritur intrinsecè per motum localẽ,nõ est locus,sed Vbi,quod subiectiuè est in ipso mobili.Ad quintã.Motus circularis secundum rem & secundum nobilitatẽ,est principalè analogatum motus, quatenus est perfectus,infinitus causa cęterorum,in nobilissimo subiecto inhærens,& à nobilissimo agente effectus:secundũ autem rationem formalem motus, quæ dicit potentiam & actum imperfectum,est infinitum analogatum, habet.n.minimum potentiæ,& imperfectionis,neque fit inter duos terminos propriè distinctos,nec opponitur ei motus,aut quies;quare non sine causa quæcunque Aristot.tradit de motu præcipuè accommodat ad motum localem rectum, & corporum sublunarium.

De alteratione. Alteratio autem duplex est,vna quæ fit in qualitatibus Physicis,vt calefactio;altera in non Physicis,quales sunt qualitates spirituales,vt scientiæ,& virtutes:Rursus Physica,alia est perfectiua subiecti quòd alteratur,alia corruptiua, vt illuminatio aëris perfectiua est,calefactio aquæ corruptiua. Corruptiua alia fit per se primò ad aliquid,vt calefactio ad calorẽ;alia secundariò,& consequenter,vt calefactio ad sanitatem,vel ægritudinem,Itaque alteratio simpliciter sumpta,versatur in qualitate Physica, in qualitate sensibili,& quę per motum Physicum acquiritur perfectiua alteratio,in qualitate,quę cõfert ac cõseruationẽ,& perfectionem rei; corruptiua per se primò tantum est in quatuor primis qualitatibus,frigore,calore,humore,& siccitate.Et propter alterationẽ quæ fit in hisce primis qualitatib. existit quoq; alteratio in secundis qualitatibus quę ex primarum qualitatum mixtione oriuntur

oriũtur,velut in coloribus,odoribus,saporibus,sanitate, ægritudine,& huius generis aliis.Cæterũ alteratio, quæ est propriè motus censeri debet ea esse tantũ,quæ fit secũdũ primas tantũ qualitates;nam in his propriè actio & passio & contrarietas, & detali alteratione loquens Arist.ait in 1.de Cælo. Cælum esse inalterabile;& in 1.de Gener.quicquid alteratur esse corruptibile, & contra.Hæc est alteratio , quæ communiter induit sibi nomee generationis & corruptionis , nam est via ad generationem , & corruptionem.Sed de speciebus motus satis gt dictum.

Est autem inter has species motus,varia & differens comparationis ratio.Nam si comparentur inter se secundũ dignitatem, motus localis antecedit alios,quia est cõmunis omnibus rebus naturalibus:quia non pendet ab aliis:alij verò ab ipso : quia non ponit;vel detrahit aliquã formam subiecto; quia continet veluti speciem motũ circularem cæli , qui est fons omnium motuum. Generatio præstat reliquis motibus propter terminum ad quem videlicet formam substantialem,nam reliquis motibus tantùm acquiritur forma accidentalis.Augmentatio autem excellit,ratione subiecti quia est motus rei viuentis.Denique in alteratione nonnullæ proprietates motus, vt distinctio terminorum , & contrarietas propriè & illustrius quàm in cæteris,eluceſcũt.Aristoteles tamen videtur præcipuam rationem habere motus localis.Ex quo fit,vt pleraſque demonstrationes quas in 6.Phys. & alibi tradit de motu,ferè applicet atque accõmodet motui locali. Quæ sint igitur veræ ac germanæ species motus propriè dicti, breuiter declaratũ est. Nam de earum vnaquaq; propriè copioseq; alio loco disputandum est.Nos de alterationem in libris nostris de Elementis:de Augmentatione verò , in libris de Anima (fauente Deo) subtiliter accuratéque disseremus.

Comparatio inter species motũ.

Tractatur secunda Diuisio motus in naturalem & violentum,

CAP. III.

SEquitur altera diuisio motus in naturalẽ & violẽtũ quę oritur ex principiis ipsius motus efficientib.Etenim qui motus proficiscitur ex principio aliquo , q̃ est in ipsa re quę mouetur,is dicitur naturalis;qui autẽ solũ extrinsecꝰ accidit rei mobili cõtra naturalẽ eius appensionẽ eũ appellãt omnes violẽtum:motus lapidis deorsum ex grauitate quæ est in lapide proficiscens,naturalis est lapidi;motus eiusdẽ sursum proiecti, à solo proiiciente vim habens.violentus est.Est tertius quidã motus medius,& mixtus ex naturali & violẽto:vt motus progressiuus animalis,violẽtus est ratione corporis,naturalis autẽ ratione

animę:motus item lapidis magna vi deorsũ deiecti,naturalis est ratione loci quem petit lapis,violẽtus autẽ ratione modi,hoc est ratione celeritatis,maiori enim celeritate fertur, quam sua vi & põdere aptus est lapis naturaliter ferri.Sed hoc loco tantũ de motu naturali & violẽto dicendũ est,primò qũidẽ de naturali,postea verò de violẽto.De naturali autẽ motu,explicare volumus illud crebris Philosophorũ sermonibus vsurpatũ tritúmq; Problema, cur nimirũ motus naturalis propè finem sit velocior, quàm in principio.Cuius Problematis verã & propriã rationẽ & causſam attingere,quàm sit difficile,tanta opinionũ inter se discrepantiũ varietas quantam in huius quęstionis explicatione apud Philosophos reperimus,nõ obscurè declarat.Sed nobis propositum est,expositis aliorum sententiis,q; in singulis improbabile est,id, refellere:quod autem erit vero magis simile, & rationi consentaneum,id astruere,atque confirmare.

Cur motus naturalis quo propior est fini,eo celerior euadat.

Primaopinio Simplicij dubitãtis an verum sit motũ naturalẽ celeriorẽ fieri propè finem.

Simplicius extremo illo suo commentario, quo explanat text. 88.primi libri de Cęlo in dubiũ vertit,an quod dicitur ab omnibus,motũ naturalẽ propè finem velociorem esse quã in principio,id pro vero & certo habẽdũ sit:negat enim se scire,vel à quo vel quomodo id compertũ,& exploratum fuerit:addit prętereà, videri hoc esse contra experientiã.Etenim si saxum quod è sublimi ad imum fertur,celerius mouetur quo propius accedit ad imũ locum,ergo fiet tunc grauius atq; põderosius:aut si quis perculũ faciat nihilo plus ponderis deprehendet esse in illo saxo cũ est prope finem motus,quàm erat in eo cùm moueri cœpit.

Cõfutatio Simplicij.

Verùm nec auctoritas,nec ratio Simplicij debet nos abducere ab ea sententia,quę probatur omnibus, & ab Aristotele traditur multis in locis.Etenim is ait hoc verũ esse 5.lib.Phy.tex.61.& libro 8.tex.76.& 1.lib.de Cælo,tex.88.&2.lib.tex.35.Quin etiã ipse met Simplicius exponens textũ 61.5.libri Physicorum idem ap-

Stratonis, qui fuit discipulus Theophrasti,duo argumenta, quib⁹ probatur motum naturalem esse velociorẽ propèfinẽ.

probãs refert Stratonem Lampsacenũ discipulũ Theophrasti, & ob excellentia doctrinæ præsertim Physicæ, cognominatum Physicum,habitumque in primis ac summis Peripateticis, hoc probare solitum duobus manifestis signis. Vnum est aquæ defluentis ex regulis,quam si quis ab alto cadentem contemplatus fuerit,videbit à principio quidem eam fluere continuam,ad terram autem peruenire magis diuulsam, atque disiunctam: diuelli tur autem à sua continuitate, propter impetum celeritatis maiorem,quo fertur prope finem motus.Alterum signum est, si lapis è sublimi aliquo loco deiiciatur in terram grauiorem ictum facit,acriúsque ferit in fine illius spacij per quod mouetur, quam in medio,vel prope principium:ergo in fine motus,& spatij,maiorem

iorem celeritatem habet quam in principio.Hęc Strato in libro quodam suo de Motu,referente Simplicio. Non igitur dubitare licet an hoc ita sit,sed cùm id verissimũ esse constet, quænam sit causſa cur hoc ita eueniat,inuestigare oportet.

2. Opinio Hypparchi eiúsq; cõfutatio.

Hypparchus dixit causſam huiusmodi inuẽtus eam esse, quod motum naturalem antecedit motus violentus.quod enim mouetur naturaliter deorsum,prius fuerat motum, & proiectũ sursum:quare cũ reuertitur deorsum,vis illa qua sursum proiectum fuerat,debilitatur,atq; minuitur:& quia propè finem, vis illa est maximè fracta & remissa,idcirco tùc motus existit celerior. Sed Hypparchus meritò reprehenditur ab Alexãdro: vt enim,quod is ait,verè dici queat in eo motu naturali,quẽ motus aliquis violentus proximè anteiuit nõ potest tamẽ locũ habere in aliis motibus naturalibus,quos non est proximè antegressus motus aliquis violentus eiusdem mobilis:veluti si lapis generatus in nubibus continuo feratur deorsum,autsi saxũ multos annos in loco aliquo sublimi detentũ,postea remoto impedimento moueatur deorsum:huiusmodi autem motuũ naturalium,quos non proximè præcessit motus aliquis violentus, finis velocior erit quàm principium. Quare eius aliam rei causſam indagare oportet.

3. Opinio, quam refert Alexãder & Simplicius, refellitur.

Alij opinantur causſam huius rei,non esse aliam, quam ipsum medium per quod fit motus,quod resistit rei,quæ per ipsum mouetur,eiusq; motum retardat,quare cũ in fine motus,minus supersit medium superandum,& diuidendum à mobili,quàm erat in principio;ideo tunc celerior fit motus.Atque horum opinionem commemorat Alexander, vt refert Simplicius super textũ 88.primi libri de Cælo.Verũ hi non animaduertũt,si id fiat propter medium,quod accidit motui naturali vt nimirum sit velocior prope finem,idem quoque euenire debuisse motui violento,quippe cum semper id fine vtriusque motus, minus supersit medij.Deinde per idem spacium aëris,quod sit terræ proximũ, idem pondus cadens ex loco sublimiori maiori celeritate atque impetu fertur,quàm si caderet ex loco aliquo humiliori:nõ igitur ipsum medium causſa esse potest huiusmodi celeritatis.

4. Opinio Alexandri.

Alexãder Aphrodisæus ait,quod mouetur ad locũ naturalem, id moueri ex loco non naturali,& sibi contrario:in quo propterea quod ipsum mobile,vel generatũ fuit,vel aliquandiu manfit, necesse fuit ipsum affici qualitatibus sibi contrariis, & naturales eius facultates impuras,& imbecillas effici:quanto magis autem per motum suum naturalem recedit ab illo loco nõ naturali,tãto purius,& liberius euadit ab illis qualitatibus contrariis:& virtus eius motiua potentior redditur.Atque hanc putat Alexãder

cauſſam eſſe cur motus naturalis in principio ſit tardior, prope finem autem celerior. Et hanc quidem Alexandri opinionem, eo quem proximè diximus, loco Simplicius exponit. Sed Alexandro illud poteſt obiici, ſi quis lapidem è terra tollens ferat ſecum ad altiſſimam aliquam turrim, atq; inde ſtatim deiiciat in terrā, non eſt dubium, quin motus illius lapidis celerior futurus ſit in fine, quàm in principio; at quis auſit dicere, niſi ab omnibus rideri velit, lapidem illum dum fuit ſupra turrim (fuit autem perquam exiguo tempore) partem ſuæ grauitatis propter vim ſuperi loci ſibi repugnantis amiſiſſe, eamque poſtea per motum naturalem paulatim recuperaſſe? Cum & lapis ſua natura valentiſſimus ſit ad patiendum, atq; reſiſtendum, & quis periclitari vellet pondus illius lapis cum is erat ſupra turrim, & poſtquam ad terram peruenit, idem planè pondus, eandémq; grauitatem vtrobiq; reperiret. Ac ſupradictas tres opiniones refert Simplicius 1. de Cælo, text. 88.

5. *Opinio multorum communis.* Themiſt. 8. lib. Phyſi. ſupra text. 76. Albert. 4. lib. Phy. tractatu 1. cap. 11. D. Thomas 1. lib. de Cælo ſuper text. 88. in fine lectionis 17. aſſerunt extremum motum naturalem fieri celeriorem, atq; vehementiorem, propterea quod virtus motiua ex appropinquatione mobilis ad locum ſuū naturalem, magis confortari, & corroborari ſolet. Sic enim ſcribit Themiſtius. *Naturales, & ſpontanei motus quanto plus ab initio ſeparantur eo citatiores, perniciorésque ſunt, quia quæ ſecundum naturam mouentur quo propius accedunt ad calcem, eo iunctiora ſunt cognatis, & ſibi ſalutaribus locis.* hactenus Themiſtius. Intelligere autem oportet, confortationem illam, atq; corroborationem virtutis motiuæ, nihil aliud eſſe ſecundum Ariſt. & Peripateticos (interprete Simplicio ſuper tex. 88. primi libri de Cælo) quam additionem quandam, & creationem virtutis motiuæ, hoc eſt vel grauitatis vel leuitatis; huiuſmodi autem additionis princeps cauſa efficiens eſt locus naturalis; vtpote in quo vim eſſe aiūt attractiuam, generatiuam, conſeruatiuam, & perfectiuam locati. Hæc illi.

Simplicius affirmat hanc etiā eſſe Ariſtot. ſententiā: quod facile credet, quiſquis attentè legerit, & conſiderauerit Ariſtotelis verba in 1. de Cælo, tex. 88. Ibi enim argumētatur, graue quo propius accedit ad ſuum locū naturalem, eo maiorem velocitatē acquirere, ac proinde etiam maiorē grauitatē, nam ſi corpus graue velociter mouetur deorſum propter grauitatē, neceſſe eſt ſi augetur eius velocitas, augeri etiam grauitatē. Quanquā Ariſtoteles in lib. de Quæſtionibus mechanicis quæſtione 19. ait omnia corpora acrius, & vehemētius operari mota, quàm quieſcētia: quare (inquit)

(inquit) ipſum graue ipſa ſui motione vim acquirit, & quo plus mouetur, eo plus grauitatis aſſumit. Ex his verbis licet intelligere, Ariſtotelem cauſam maioris velocitatis, quæ eſt in fine motus naturalis, hoc loco non referre ad maiorem appropinquationem ad locum naturalem, ſed ad maiorē ipſius grauis agitationē, atq; motionem; adeo vt hic non ineptè dici queat, quod Poeta dixit eleganter de fama. *Mobilitate viget viréſque acquirit eundo.*

Pulchra refutatio ſententiæ communis.

Verum opinionem eorum, qui aiunt in fine motus naturalis augeri virtutem motiuā ob propinquitatē loci naturalis; ſiue ea ſit Ariſtotelis ſiue non ſit, tria mihi quidem faciunt improbabilem. Vnum eſt, ſi tunc augetur grauitas lapidis, ergo etiam pondus; quare lapis pōderoſior eſſet in fine motus, quàm erat in principio: hoc autem eſt contra experientiam, vt ea diſcerni nequeat: nam cū differentia velocitatis in principio & fine motus, ſit admodum inſignis & notabilis, neceſſe eſt differentiā grauitatis, ex qua illa proficiſcitur, eſſe inſignem & notabilē. Alterum eſt, quomodo augetur grauitas lapidis ſine vlla eius alteratione? aut quomodo cum lapis ob ſuam duritiem & ſiccitatem ſit maximè inalterabilis, tā cito alterari poteſt, aut quomodo locus poteſt imprimere illam grauitatem lapidi? Etenim ſi lapis cadat ex alto in aquam, celerius mouebitur prope finē motus; ac ridiculū eſt grauitatem lapidis augeri, vel ab aere, vel ab aqua: tum quia hęc elementa nō ſunt loca naturalia ipſius lapidis, tum etiam, quia ſunt minus grauia, quam lapis. Tertiū & vltimum eſt: idem lapis proiectus in terrā ex loco ſublimiore, maiori impetu terram feriet, grauiorémque ictū imprimet, quàm ſi ex loco inferiori, & proximo terrę proiiceretur: cū tamen vtroque modo lapis ęqualiter adpropinquet loco ſuo naturali Præterea, ſi ex altiſſima turri demittatur in terrā lapis ligatus fune, cūque prope terrā fuerit, fune rupto cadat in terrā, & idem rurſus lapis ex eadē turri per idē ſpatium aeris in eundē terræ locū ſine fune deorſum proiiciatur, nō eſt dubiū quin ille lapis hoc poſteriori modo, maiori impetu & ictu, terrā percutiet, quàm priori modo, neque tamē eius rei cauſa ex propinquitate loci naturalis peti poteſt, quippe cum vtroque modo ſit idem terminus à quo, idem ſpatiū, idemque terminus ad quem: quare huius euentus cauſſa aliunde ſeruanda, & petenda eſt.

Alia opinio ſimplicij.

Simplicius autem 8. li. Phy. ſuper tex. 76. exponens rationē eius euētus. quod nimirū motus naturalis in fine eſt velocios: omnes ſuperiores cauſas ſimul complectitur, hoc modo ſcribens. *Quod mouetur ſecūdū naturā, quo propius fuerit ſuo loco naturali, fertur celeriꝰ:*

Vel vt ad id,quod est sibi cognatũ & eiusdem generis : Vel quod appropinquãti minus sit quod impedimentũ afferat,& ipsum diuidat,quod autẽ minus est potest facilius diuidi : Vel quod est ei simile,id quod proprio propinquũ & nõ æquè contrariũ,atq; id vnde cæpit moueri: Vel quod nuper mutatũ est ex cõtrario,& nondũ perfectè liberatũ est ab illius qualitatibus,procedens autẽ fit purius,& cum in id quod est secundũ naturã suã perfectius atque sincerius mutatũ fuerit (quod accidit ei propè finẽ motus) nũc mouebitur celerius,tũc enim habet perfectiorẽ etiã eã qua mouetur inclinationẽ. Hactenus Simplicius.Sed,quia opinio Simplicij cõplectitur omnes superiores sententias, neque addit quicquã ab illis diuersum,ideo quæ contra illas superius sigillatim allata & dicta sunt,ea nunc simul omnia valent aduersum Simplicium.

6. Opinio Burlæi & Cõtareni.

Burlæus in 8.Phy.super tex.76.& Contarenus 1.lib.de elementis,causam maioris velocitatis, quæ accidit motui naturali propè finem eius,attribuunt aeri.Hoc autem ita declarant:causa cur in fine motus naturalis augeatur velocitas, est aer:tum is qui terga lapidis subsequitur retro impellens, & promouens lapidem, sicut ventus à puppi impellens nauim:tum etiã is qui à lapide descendente truditur & ad anteriora pellitur. Hic quidem,quia per motum lapidis etiã ipse mouetur,& quia tenuis est,dissipatur,& tanto magis,quãto magis durat motus lapidis:aer autem motus & dissipatus minus resistit, quàm vnitus, præsertim motus versus eum locum,ad quem mobile tendit naturaliter, ex quo fit,vt quia in fine motus naturalis,aer est maximè commotus & dissipatus,ac proinde minus valens ad resistendum, tunc motus naturalis celerior & vehemẽtior euadat. Ille autem aer qui subsequitur lapidem,magis etiam confert ad eius promotionem. etenim descendente lapide,partes aeris proximæ priùs à lapide pulsæ ac diuulsæ,vt locum ab illo relictum subeant & occupant,concurrunt magno impetu ad terga lapidis,ipsumque propellunt,atque vlterius promouent,& quo plures fuerint,maiorique nixu pulsę, eo maiori vi confluentes lapidem retrò vehemẽtius protrudunt, & quoniam graue quo lõgius abest ab eo vnde cæpit moueri, & propius abest à suo loco naturali, eò plus aeris post se habet ipsum impellentis,ideo tunc mouetur velocius.

Duo igitur hic animaduertere oportet, è quibus pendet huius opinionis intelligentia,& propositæ quæstionis explicatio: Vnũ est,aerem(;idem autem de aqua intelligendum est) eo ingenio, eáque conditione naturę prędituṁ esse,vt paululum extrinsecus motus, deinceps etiam per se vehementius aliquandiu quasi fluctuet,atque agitetur, & alias res mouere queat: quod manifestè cernitur in fluctuatione & agitatione aquæ facta obiactũ vnius lapil-

lapilli,idem autem tanto magis fit in aere(licèt non ita sensibus conspicuum sit)quãto is est tenuior,mobilior,& ad omnem agitationẽ habilior.Nõ igitur mirũ videri debet,si lapis motus deorsum,moueat circũfusum sibi aerẽ, à quo moto vicissim ipse moueatur.Alterũ est,aerem,& lapidẽ,vicissim & mutuis operis suos motus iuuare,nã primùm lapis mouet aerem,qui motus promouet lapidẽ, & quia ad vim motiuã lapidis accidit impulsus aeris, iã tunc incipit augeri celeritas descẽsus ipsius lapidis, rursus lapis magis hoc modo cõcitatus,magis etiã pellit aerẽ,hic magis pulsus, vehementiùs etiam promouet lapidẽ, aque itidem fit deinceps,vsque ad finem motus. Hæc duo,qui secum reputauerit,is facilè intelliget quomodo celeritas motus naturalis, propter aerem,magis magisque à principio vsque ad finem augeatur.

Sententia auctoris sextam & vltimãopinionẽ cæteris, præferentis.

Hæc sententia,mihi quidem videtur cæteris probabilior: tum quòd aliæ manifestis necessariisque rationib. refelluntur, atque conuincuntur,contra hanc verò ne probabile quidem argumẽtum fingi potest : tum quod hæc nihil ponit, quod non sit congruens rationi,& experientiæ, & quod non ex ipsa natura rerum deprõptũ esse videatur.In hac opinione magis quàm in cęteris, animus meus sibi ipsi satisfacit, in hac vna maximè conquiescit. Hoc etiam,videtur sensisse Aristoteles in lib.de Quæst.mechanicis quæst.19.(quem locum paulò ante posui) affirmans motum corporis, ipsa motione & agitatione augeri & celeriorem effici.

Locus Aristotelis, qui videtur auctoris sententiæ valde contrarius.

Cæterùm,vnus alle locus Arist.in 1.li.de Cælo,tex.88.toties in hac disputatione à nobis citatus, dupliciter huic sententiæ aduersari videtur:primùm,quia ibi Arist. docet celeritatem motus naturalis propè finem augeri,propter augmẽtum virtutis motiuæ & ob maiorem appropinquationem mobilis ad locum suum naturalem,at secundum hanc opinionem, non propter has causas crescit celeritas in motu, sed propter maiorem ipsius mobilis impulsum & promotionem factam ab aere, neque enim augetur in mobili virtus motiua,& per accidens(vt supra ostendimus)se habet ad hunc euentum seu effectum, appropinquatio ad locum naturalem.Deinde,Aristot.ex eo,quod corpus naturale quo magis procedit in motu naturali,celeriùs mouetur, argumẽtatur esse determinata loca ad quæ mouentur corpora naturalia,alioquin si in infinitum mouerentur, aut non semper celeriùs mouerentur,aut oporteret virtutem illorũ motiuam in infinitum augeri : neutrum autem horum necessariò concluditur secundum hanc opinionem, quæ facit aerem causam celeritatis, nam tametsi graue deorsum moueretur in infinitum,semper tamẽ celerius moueretur citra vllam ipsius grauitatis additionem,

propter maiorem impulsum grauis proficiscentē ab aere. Quare locus ille Aristotelis videtur è diametro pugnare cum hac opinione. Verùm, siue Arist. illa ex suo sensu scripserit, siue ex suppositionibus antiquorum eos oppugnare volens, siue illa serio dixerit demonstratiuè docens, siue obiter tantū attigerit Dialecticè modo disputans: Ego certè hanc vltimam opinionem tantisper amplecti, & tueri volo, quoad melius aliquid aliud, atque probabilius cognouero. Nec dubitanter dixerim, si spatium aeris per quod saxum fertur deorsum, esset infinitū, eius saxi motum semper celeriorē, atque vehementiorem fore; nec vllam tamen eius grauitati & ponderi factum iri accessionē. Quinetiam ipsemet Aristoteles 3. lib. de Cælo, tex. 28. apertè docet, motum naturalem ab aere iuuari, atque promoueri. Et sanè parum firma videtur argumentatio illa Aristotelis, quæ est 1. lib. de Cælo tex. 88. Non enim ex eo, quia in motu naturali crescit velocitas, rectè cōcluditur etiam in eo quod mouetur, crescere debere grauitatem & pondus. Nam si lapis moueatur per spatium aliquod priori parte densius atque crassius, posteriori autē, tenuius rarius, & quod faciliùs diuidatur, proculdubio motus eius lapidis celerior erit in fine illius spatij, vbi minor est resistētia, quàm in principio, idque accidet nō propter incrementum grauitatis, sed propter inæqualitatem spatij, per quod factus est motus. Verùm de motu naturali, ita dictum sit. Deinceps de motu violento disputemus.

De causa motus violenti eorum quæ proiiciuntur.

CAP. IIII.

ARistot. 7. lib. Physi. tex. 10. facit quatuor genera motus violenti, pulsionem, tractionem, vectionē, vertiginem seu circūuolutionē: ad hęc reuocantur omnes alij motus violenti. Pulsio aūt duplex est, vna impulsio, cu mouens ita pellit mobile, vt ipsum tamē non deserat altera expulsio, cū mouens pellit mobile, non tamen ei adest vrgens ipsum, sed vbi pepulit, ipsum derelinquit. Ad expulsionem pertinent motus eorum quæ proiiciūtur, vt motus globi bombarda explosi, sagittæ arcu emissæ, lapidis vel manu, vel funda iacti. In quibus motibus, illud magnam difficultatem habet, cum id quod proiicitur recessit à proiiciente, & fertur per aera, à quo tunc proximè moueatur? hanc dubitationem ponit Arist. 8. Phys. tex. 82. cum enim ipse, tum in 7. tum in 8. lib. Phys. tres propositiones diligenter, & accuratè tractasset, & verissimas esse multis rationib. confirmasset: vnam omne quod mouetur, ab alio moueri, alteram, mouens debere simul esse cum mobili, & ipsum tangere: tertiam, moueri à se ipso, proprium esse animatorū, nec id posse in rem vllam inanimatam conuenire; idémq; vereretur ne quis de veritate harum triū propositionum dubitaret, propter motum proiectorū qui videtur illis aduersari: idcirco voluit in fine 8. lib. Physic. quæstionem ponere de motu proiectorum, & causam eiusmodi motus explicare. Sed cur motus proiectorum dubitare facit de veritate illarū propositionū? An quia lapis proiectus, dū fertur per aera disiūctus & remotus à proiiciente, aut mouetur à seipso, & ita non erit propriū viuentiū moueri à seipsis: aut etiam tūc proximè mouetur à proiiciente, & sic non erit necessarium, vt omne mouens proximū, simul sit cū mobili, ipsúmque tangat: aut à nullo mouetur, at hoc concesso stare non potest illud tam nobile pronunciatum, omne quod mouetur ab alio moueri. Ac licèt Aristoteles, tū 8. Physic. tum aliis permultis locis diserté, ac perspicuè causam proximam eiusmodi motus exposuerit; nonnulli tamen, vel quod hæc Aristotelis loca non viderunt, vel quod non intellexerūt, vel quod non animaduerterunt, vel denique, quòd sententiam Aristotelis non probauerūt, longè diuersam causam huiusmodi motus proiectorum excogitarunt; quorum opinio prius confutanda est, quàm sententiam Aristot. quæ vera est, & rationi atque experientiæ maximè congruens, explicemus.

Cur Ari. quæstionē de causa efficiente motus proiectorum, exponendam susceperit.

Opinio aientium proiecta moueri ob virtutem quandam; ipsis à proiiciēte impressam.

Sūt igitur nec pauci, nec minuti, sed nobiles in primis Philosophi, qui cēsent, cū lapis iacitur, illa vi & impulsu proiectionis, ĩm primi in eo à proiicient virtutē quandam motiuam, quæ inhærens in lapide mouet ipsum cū est disiunctus à proiiciente: mouet aūt per tantū spatiū, quanta est ipsa virtus motiua; hæc autem tāta est, quanta fuit contentio, vis, & impulsus proiicientis, cum primùm lapidē proiecit. eíq; virtutē hanc impressit. Volūt etiam hanc virtutē esse qualitatē motiuam realem, cū sit principiū motus localis realis, & esse realiter distinctam à lapide; quippe cum sit principium motus localis, qui repugnat naturæ lapidis. Aiūt præterea, huiusmodi virtutē intendi & remitti à principio; nám q; est potentior, facítq; motū celeriorem, atq; vehementiorem, propè finem autem est remissior atq; imbecillior; quam ob causam euadit tunc motus tardior, atque debilior.

Cōfirmatio opinionis.

Fundamentum & firmamentū huius opinionis, est hoc. Cū lapis separatus à proiiciēte fertur per aerē, aut à nullo mouetur aut à proiiciente, aut à seipso, aut ab aere aut à virtute quadā ei impressa: sed quatuor priora dici non possunt, ergo lapis tūc mouetur à virtute sibi impressa. Minor ita probatur: tria illa priora sint cō tra illas tres propositiones tātopere cōmendatas ab Aristotele, de

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus diximus initio huius quæstionis ; quartũ autem, quod nimirum proiecta moueantur ab aere, non est verisimile. Primò, quia sic non soluitur quæstio, sed trãsfertur à lapide proiecto ad aerem; de quo similiter vt de lapide quæri potest, à quo is mouetur, cum est separatus, & longe remotus à proiiciente: nam si dixeris eum moueri per vim acceptam à proiiciente, cur non itidem lapis per vim sibi impressam à proiiciente moueri queat? Secundò. Si talis motus sit ab aere, ergo cũ flante vehementissimo Borea, aer sit maximè motus concitatus, si tunc lapis in sublime proiiceretur, is ab aere multò celeriùs & longiùs ferri deberet, quàm cũ manu hominis proiicitur, quod est tamen contra experientiam. Tertiò. Vt possit aer promouere lapidem iactum, vel sursum, vel deorsum, quatenus partim est leuis, & partim grauis, vt docet Aristoteles 3. lib. de Cælo, text. 28. attamẽ quomodo mouere poterit lapidem, cum is proiicitur in trãsuersum, vel ad dextram, vel ad sinistram, vel ante, vel retro, vel cum torquetur in gyrũ vti fit in trocho? Quartò. Cur si iaciatur pluma, non fertur ab aere, nec tã vehemẽter, nec tã longè, quàm magnus lapis, cũ tamen pluma vt minus resistens aeri, magis ab eo moueri deberet? Quintò. Lapis, vel iaculum in scopum aliquem iactum, directò tendens, scopum attingit: at quis hoc tribuat aeri? cum is ex se non habeat, vt directò tendat aliquo præterquam ad suum locum naturalem: nam licet extrinsecus ab aliquo motus, per se aliquantulum moueatur, mouetur tamen vagè, quasi fluctuans, nec præfinitũ aliquẽ locũ petens. Adhæc, Iulius Scaliger in opere suo aduersus Cardanum, exercitatione 28. alia quędã argumenta affert, vt ostendat causam motus proiectorũ, non esse assignandam aeri. Cũ igitur motus proiectorũ nõ fiat ab aere, nec ab aliis caussis superiùs commemoratis, relinquitur ipsum effici à virtute impressa corpori, cũ id proiectũ fuit ab ipso proiiciente. Concedunt quidẽ isti aerẽ præbere aliquantulum adiumenti motui violento proiectorũ, ipsũmq; quodãmodo promouere, negant tamen aerem, aut esse principem causam eiusmodi, aut etiam ei conficiendo esse necessarium. Addunt illud, motum proiectorum esse vnũ numero, & continuũ propter vnitatẽ numeralem virtutis impressæ: quod si is ab aere fieret, cũ multæ, ac variæ sint partes aeris quæ successiuè propellunt lapidem, non esset motus continuus, quod est contra rationẽ & experientiã; quis enim dicat motũ sagittę, quę tãta vi & celeritate fertur per aerẽ, aut globi, qui displosa bombarda, tanto impetu iacitur, non esse vnum numero, & continuum, sed esse millies interruptum, toties nimirum quot sunt partes aeris mouẽtes vna post aliam? Hæc isti

Refellitur opinio faciens causam motus proiectorum, virtutem quandam impressam proiectis.

CAP. V.

HAnc opinionem falsam esse perspicuũ fiet, si primùm doceamus, secundum Aristo. & Peripateticos causam motus proiectorum, esse aërem, nõ autem virtutem aliquam impressam. Deinde, si demonstremus vim istam impressam, vix, ac ne vix quidẽ defendi posse. Quàm fuerit certa, & constans sententia Arist. aërem esse causam motus proiectorum, ex multis locis, quæ nunc indicabimus, manifestũ erit. Primò. In lib. 4. Physic. text. 68. sic ait. *Mouentur proiecta, eo qui impulit non tangente, aut propter contrarij circum obsistentiam, sicut quidam dicunt.* (Hanc opinionem, quã Alex. tribuit Platoni, Arist. refellit 8. Phy. text. 82.) *Aut ex eo, quod pellit pulsus aer,* (& hæc est sententia ipsius Arist. vt patet ex 8. Phys. text. 82. & 3. lib. de Cælo text 28.) *motu velociori, quàm sit pulsi latio qua fertur in propriũ locum in vacuo autem nihil horum erit.* Et hoc loco duo colligimus. Vnum est, Aristo. memorando causas motus proiectorum, duas tantum ponere, vtranq; autem in aëre, virtutis autem impressæ nullam prorsus mentionem facere: Alterum est, Arist. asserere in vacuo non posse fieri motum proiectorum, at si is motus fit à virtute impressa, & non ab aëre, posset etiam fieri in vacuo. Secundò. Aristoteles ponens hanc quæstionem de motu proiectorum in 8. Phy. tex. 82. eam soluit causam huiusmodi motus non assignans virtuti impressæ, sed aëri vel aquæ, hoc est medio in quo fit motus: & ibidem subdit, motum proiectorum, non esse vnum numero, & continuum, sed esse multos motus sibi inuicem consequentes, vel contiguos; propterea quod sunt multæ, ac diuersæ partes medij, quæ successiuè mouent corpus proiectũ: at si talis motus fieret à virtute impressa, nulla reddi posset causa cur is non esset continuus; quod bene intelligentes defensores virtutis impressæ cõuenienter dogmati, qđ susceperũt defendendũ, affirmãt motũ proiectorũ esse vnũ numero & continuum. Tertiò. Arist. 2. lib. de Cęlo, text. 35. ait, piectis ineſſe maiorẽ celeritatem in medio motu, quàm vel in principio, vel in fine: Sin autẽ proiecta mouentur à virtute ipsis impressa, oportet eorum motum maximè velocẽ esse in principio, tunc. n. virtus impressa cũ tunc recens producta fuerit à proiiciente, deberet esse maior: sicut aqua calefacta ab igne, magis calida est cum primùm separatur ab igne, quã reliquo tẽpore quo manet ab igne separata. Quartò. In lib. 3. de Cælo, text. 28. facit Arist. duas species motus proiectorum; vnum motum omnino violentum, vt cum lapis sur-

Luculentissima Aristot. testimonia.

sum proiicitur,quem ait solum effici à potentia, id est à principio motiuo,quod est extra lapidē:Alterum partim naturalē,partim violentum, vt cum lapis magna vi ab aliquo proiicitur deorsum, nā ferri deorsum naturale est lapidi , & fit à natura eius, quę est principiū eiusmodi motus,tanto autē impetu ferri, non est ei naturale,sed violentum,& fit à principio extrinseco:vtrunque autē hunc motum violētum proiectorum vult Arist.fieri à potentia,tanquā à causa principali,ab aëre autem,ceu ab instrumento,cum.n.is partim sit grauis,& partim leuis,commodè potest inseruire vtrique motui.postea,subiungit Aristot.hæc verba *Quapropter, & non sequente eo quod mouit, fertur, quod vs motum est: enim non esset tale aliquod corpus (intelligit autē medium,hoc est vel aërem,vel aquam) non vtique esset qui vi sit motus : & eum quoque qui secundum naturam vniuscuiusque fit,motum,promouet eodem modo.* Ex totam causam motus proiectorum , siue is sit omnino violentus, siue sit partim naturalis,& partim violentus,Arist.attribuit aëri: de virtute impressa nullum verbum.Quintò.In libello de somniis c.2.ita scribit Arist.*Cum quis mouet aquam, vel aërem, hoc aliud mouet,& hoc item aliud,& quiescente illo,accidit huiusmodi motum procedere vsque ad aliquid,illo qui mouet non præsente,* quæ verba explanans Themist.in sua paraphrasi c.9. hæc scribit.*Simul atque telum de manu iaculantis recessit,longius quasi suo motu fertur , propterea quod ille qui misit,primorem aërem commouet;qui collisus subinde,alium aërem propellit,atque hic deinceps alium continenti serie, donec vires senescant,atque ita telum quiescat.*simile quoque est quod ab Arist. scribitur in lib.deDiuinat.per somnum c.2.Arist.etiam Sectione 11. Problemate 6.mentionē faciens eorum , quæ proiecta feruntur per aërem,huiusmodi motus causam attribuit aëri. Sextò Arist. in lib.de Quæst.mechanicis qu.33. ad hunc modum scribit. *Cur quippiā,non secundū peculiarē sibi fertur lationē, impulsore alioquin non consequente? An videlicet,quoniā primū id efficit vt alterū impellat,illudq; rursus vt alterū:cessat autē quando nō potest amplius facere primum impellens,id quod fertur:vt impellat, & quando ipsius lati grauitas nutu suo declinat,magis quā impellentis in ante sit potentia.* Hactenus Arist. ex cuius tā multis locis,liquido cernimus, eū causam motus proiectorū semp referre ad aërē,vel aquā,vel mediū,per qđ fit eiusmodi motus;de virtute autē impressa nullū vsquā verbū facere.

Testimonia Simplicij Themistij & Auerr.

Hanc Arist.sententiā luculenter exponit,& doctè, copioseque tractat Simplicius 8.Phys.super text.82.& Themistius in sua paraphrasi: Auerroes etiam ibidē eruditam facit digressionem de motu proiectorum,enarrans singulare ingenium &naturā aëris & aquæ,& admirabiles horum corporum proprietates.

Verùm,

Verùm,omissis(breuitatis studio)aliorum Peripateticorum testimoniis vnum modò D. Th. ad id de quo nunc agitur confirmandum testem excitabimus,quòd eius auctoritas magnum(& quidem meritò) pondus habeat, plurimumque valeat apud eos quibus cum nobis est de hac qu.disceptatio.Is igitur in 3. lib.de Cælo sub finem lectionis septimę exponens text..28.hęc scribit *Non est intelligendum,quod virtus violenti motoris imprimat lapidi, qui violenter mouetur,aliquā virtutē per quā moueatur,sicut virtus generantis imprimit genito formam, quam sequitur motus naturalis. Nam sic motus violentus esset à principio intrinseco,quod est contra rationem motus violenti.Sequeretur etiam, quod lapis eo ipso quod per violentiam moueretur localiter,alteraretur,quod est contra sensum. Motor igitur violentus solum imprimit lapidi motum, quod quidem fit dum tangit ipsum : sed quia aër est susceptibilior talis impressionis,tum quia est subtilior tum quia est quodammodo leuis,violentius mouetur per impressionē violenti motoris,quàm lapis:& sic desinente violento votore, aër ab eo motus, vlteriùs propellit lapidem,& etiam aërem coniunctum,qui etiam mouet lapidem vlteriùs, & hoc fit quousque durat impressio primi motoris violenti, vt in 8.Physi. demonstratum est. Et inde est,quod quamuis motor violentus non sequatur ipsum mobile , ita vt præsentialiter ipsum moueat , tamen mouet per impressionem aëris.Si enim non esset tale corpus,quale est aër,non esset motus violentus. Ex hoc patet , quod est instrumentum motus violenti necessarium, & non solum propter bene esse.* Th. testimonium.

Hæc D. Thom.qui his verbis ostendit perspicuè causam motus proiectorum esse aërem,& quemadmodum is fiat ab aëre , diligenter & accuratè declarat, & opinionem illam de virtute impressa,funditus euertit.

Multis argumentis

Verùm, quia motum proiectorum nō à virtute impressa , sed ab aëre,secundum Arist.& Peripateticos,proficisci,satis est adhuc (vt mihi quidē videtur)explicatū his cōsequens est,vt illam virtutē impressam, inanē vel potius nullā esse doceamus.Primùm igitur,videamus quid sit; tum quomodo generetur. Postremò, qua ratione recipiatur in corpore proiecto.Aiunt isti virtutē impressam esse qualitatē motiuā.Ergo cum mouet sursum,erit leuitas:cum mouet deorsū,erit grauitas,at cum mouet lapidē dextrorsum:sinistrorsum,antrorsum,retrorsum,cum mouet rotam, vel trochū vertit in orbē,qualis erit virtus motiua?postea,si virtus mouens lapidē sursum est leuitas , aut ista leuitas differt specie à leuitate aëris,vel no differt specie:si differt specie, quo pacto igitur petit eundē locū,&mouet lapidē ad eūdē locū ad quē moueret leuitas aëris?distinctio.n.tā motuū localiū quā virtutū motiuarū spectari debet ex terminis,& locis ad quæ terminātur motus. His accedit,ꝙ si leuitas virtutis impressæ specie differt à

virtus ipsa proiectis imprimitur.

leuitate aëris,vel ignis, vni erunt duo contraria, nam grauitati terræ,erit cõtraria leuitas ignis,& leuitas virtutis impreſſæ. Sin autẽ leuitas virtutis impreſſę nõ differt ſpecie à leuitate aëris,vel ignis,quomodo habent tã diuerſas cauſas efficiẽtes,tã diu diuerſum modũ ꝓductionis,& tã diuerſas alias multas cõditiones?De inde vnum cõtrarium nõ inducitur in ſubiectũ, in quo eſt alterum cõtrarium, niſi cum remiſſione illius, quẽadmodum calor nõ inducitur in aquã,niſi cum remiſſione frigoris, quãtum.n.caloris acquirit aqua dum ſubditis ignibus caleſit tantum amittit frigoris,& quo magis fit calida,eo minus frigida euadit:ergo cũ lapis proiicitur ſurſum, ſi ꝓducitur in eo virtus motiua, quæ eſt leuitas cõtraria grauitati lapidis, neceſſe erit illius inductione minui grauitatẽ lapidis, & quo maior eſt illa leuitas, eo minorẽ reddi grauitatẽ lapidis,quare cum lapis mouetur ſurſum,minoris eſſet grauitatis,atq; põderis,quã cum reuertitur deorsũ.Quin etiã ſi quis eſſet tãtis lacertis,ac viribus,vt poſſet lapidẽ proiicere vſq; ad cõcauum lunę,imprimeret in eo ſummã leuitatẽ,quę eſſe poſſet,quam obrẽ expelleret à lapide omnẽ grauitatem:hoc autem,quam ſit contra rationẽ & experientiã,nemo eſt qui non intelligat.Prẽterea,cum lapis mouetur deorſum à proiiciente maiore vi & celeritate,quã ei cõueniat ſecundum naturã ſuam, imprimeretur ei virtus motiua quę eſt grauitas,nõ differens ſpecie a grauitate naturali lapidis, cum vtraque moueat lapidẽ ad eundẽ locum:verum vna magis, altera minus velociter, magis autẽ & minus nõ variant ſpeciẽ:Sed hoc fieri nõ poteſt,nam hoc poſito,eſſent duo accidentia tantum differentia numero in eodem ſubiecto,hoc eſt duę grauitates in lapide, vna ei naturalis, altera in eo violentè impreſſa.Si dicas fieri ex vtraque vnum accidens vnámque grauitatẽ intenſiorẽ:falleris,cum.n.grauitas lapidis ſit ei naturalis, grauitas autem impreſſa ſit ei violenta, non poteſt illa per hãc augeri,nec vtraque poteſt eſſe vnius rationis. Quid? quod grauitas terræ eſt ſumma,nec poteſt amplius attendi? Adde,quòd ſi augetur grauitas,augeri deberet etiã pondus:quare lapis ſic proiectus deorſum,ponderoſior fieret,quam antea erat,& quàm erit poſtea.Ad hæc,grauitas ſolet mopere magis deorſum duplicitèr,vel ratione intẽſionis,magis.n.mouebit deorſum grauitas vt octo,quàm grauitas vt quatuor,vel ratione extenſionis, ſi ea ſit in ampliore materia,habeátque maiorẽ molẽ:laxum.n. ingens ex ſublimi cadens,maiori celeritate fertur deorſum,quã exiguus aliquis lapis. Atque hic locum habet permulgata illa apud Philoſophos ſententia, in maiori corpore eſt maior virtus. Cum igitur quando lapis proiicitur deorſum nec grauitas eius augeatur

augeatur intenſiuè, quippe cum ea ſit ſumma, quæ amplius intendi nequit,nec augeatur extenſiuè,non enim lapis tunc ſecundum molem euadit,maior, relinquitur eum nullam grauitatem extrinſecus accipere à proiiciente,nec qualitatem motiuam,nec virtutem aliquam impreſſam.

Sed nunc videamus,qualis ſit productio iſtius virtutis impreſſæ.Et primùm,quæro à quo producatur; dicunt eam produci à proiiciẽte;ſed quì fieri poteſt,vt eadẽ numero manus nunc producat leuitatẽ in lapide,cum mouet eum ſurſum,nunc grauitatẽ cum mouet deorſum,nunc alias qualitates motiuas,cum mouet antrorſum,dextrorſum,ſiniſtrorſum,retrorſum,& in orbẽ? Et vt quiuis quotieſcunq; ei collibitũ fuerit, tanta facilitate producere queat quaſlibet qualitates motiuas? qua ratione cum lapis iacitur funda, vel arcu ſagitta,vel bõbarda globus,iſta virtus motiua imprimitur,& producitur in eiuſmodi corporib. proiectis? Deinde,quæro,per quã ſpeciẽ motus producatur iſta virtus impreſſa?reſpondebunt eã produci per motũ localẽ:neque.n.alius tunc cõcurrit motus: Atqui motus localis ſecũdum Ariſt.8.Phy. 59.per ſe nullã formã de nouo generat,aut corrumpit in mobili. Et virtus motiua, cum ſit qualitas realis, nõ poteſt aliter produci,quã per generationẽ,vel alterationẽ. Ad extremum,quæro an iſta qualitas,& virtus impreſſa,educatur ex potẽtia materiæ quę eſt in lapide;at hoc nõ poteſt fieri ſine præuia alteratione ſubiecti;vel extrinſecus aduenięs adungitur lapidi, at ſi crearetur ex nihilo.Et nulla forma extrinſecus aduenit materiæ (auctore Ariſtot.2.lib.de Generat.animal.c.3.ſpræter humanam mentem.

Reſtat,vt diſcutiamus vbi recipiatur iſta virtus impreſſa in lapide.an in ſuperficie ſola,vel tantum in vna aliqua parte lapidis quomodo igitur lapis mouetur ſecundum omnes partes æqualiter & æquè citò?ſi recipitur in cunctis partibus lapidis, quì potuit iſta virtus,tam citò peruadere, & permeare per omnes partes lapidis citra vllam alterationẽ lapidis?Deinde,cum lapis magna vi ſurſum iacitur, ſecundum iſtos imprimitur in eo magna vis motiua quę eſt leuitas:at quo pacto tanta leuitas,tã cito produci potuit in lapide, in quo eſt ſumma grauitasilli contraria? nulla enim qualitas habens cõtrarium in ſubiecto ſibi reſiſtens, ſtatim producitur perfecta, ſed primum generatur imperfecta, poſt perficitur paulatim, ídque accidit ob reſiſtentiã qualitatis contrariæ,quæ eſt in illo ſubiecto. Valeat igitur iſta virtus impreſſa,quę nihil habet ſolidum & firmum,nihil rationi,nihil experientiæ, nihil denique Peripateticæ doctrinæ conſentaneum.

Reliquũ eſt, vt rationes ſoluamus quibus aſtruebatur & cõfir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mabatur hęc virtus impressa;vel potiùs quibus probabatur causam motus proiectorum,ad aërē referri non posse. Ad primā rationē respondemus hoc modo. facilius aër mouetur & mouet, motum etiā quē ab impellente accepit,illo cessante, & ipse diutius retinet,& aliis citius impertitur,quàm lapis,& aliud quodvis corpus durum:idque euenit ob magnā tenuitatem aëris,eiusque quoquo versus mobilitatē;quocirca quum proiicitur lapis,vis & impressio proiicientis,magis recipitur, & seruatur in aëre, & ab vna parte aëris transfunditur ad alias,quàm in lapide. Perpende verba D.Th.quę superius ex 3.lib.de Cęlo adduximus:& doctam illā digressionē Auer.de Motu proiectorum,quę est in 8. li.Phy. Com.82.hanc.n.solutionē valde illustrāt.Ad secundā.Licet ātē ventro totus aër cōmoueatur, tamē pars aëris quæ tangit lapidē magis vnitè & cōiunctē mouetur à proiiciente,ideóque maiorē ab eo vim accipit ad promouēdum lapidē eiusque motum aliquādiu cōtinuandum,quàm ab vllo vento. Ad tertiā. Aër licet facilius moueat deorsum & sursum quàm alio modo, tamen sicut ob humiditatē & tenuitatē suā facilè terminabilis est extrinsecus quocunque termino alieno,& figurabilis quacunque figura:sic etiā est mobilis quouis genere motus, & secundum quaslibet partes;& multò facilius,quā lapis,vel aliud corpus solidum & durum. Ad quartā rationē respōdere possumus id quod Arist. respōdet ad similē quæst.in lib.de Quæst.mechanicis qu.34.hæc scribens. *Cur neque parua valdè, neq; magna longè proiici queunt:an nimis par quia necesse est, quod proiicitur & impellitur, & cedere & simul contra ua longè niti ei vnde impellitur? quod autem ob magnitudinē nihil cedit, aut proiici pos pter imbecillitatē non contra nititur,non efficit proiectionem, aut impulsionem. An quia tantum fertur,id quod fertur,quantum aeris mouerit ad profundum, quod autem nō mouetur, neq; mouebit quidpiam; accidit autem illis,ambo isthæc habere; valde e im magnum, & valde parum seu non mota existunt; alterum namq; nihil mouet, alterū autem nihil mouetur. Oportet igitur id quod proiicitur commensurationem quandam habere ad id quod proiicit* hactenus Arist. Ad quintam. Quēadmodum cum nos loquimur, nostra voce ac sermone formamus proximum aërē,& ille similiter alium,atque ita deinceps:sicque vox, & sermo perfertur per aërē vsque ad aliquod spacium, ita etiam proiiciens proximum aërē mouet,& dirigit aliquo,hic simili directione mouet alium:& hic similiter alium sicque procedit directo impulsis proiicientis in lapide per aërem vsque ad terminum intentum. Verùm,tam de hac quæstione, quàm de vniuersa diuisione motus in naturalem & violentum, satis dictum sit.

Cur neq; nimis magna neq;

Expo-

Exponitur tertia diuisio motus in partes eius quantitatiuas, & agitur de continuitate motus.

CAP. VI.

TErtia diuisio motus,est in partes eius,vt vocant quātitatiuas;est enim motus quātus,& cōtinuus,ac proinde nō solū diuisibilis in partes eiusdē rationis,sed etiā infinitè diuisibilis. Diuiditur autē motꝰ,in ea quę dicūtur,moueri,&ea quę vocātur,mutata esse:illa sūt partes motꝰ, hæc sūt termini motus; & habēt se in motu,sicut pūcta in linea, & instantia in tēpore De his mutatis esse,& de ipsis moueri, quæ sunt partes motus,multa præclara theoremata explicat Arist. in 6.li.Phy. Verùm,quia diuisio motus in suas partes quantitatiuas, oritur ex continuatione eius,de hac prius agendū est. Videamus igitur,primum quidem,an motus sit continuus tum verò quæ sit causa eius cōtinuationis,quam habet in se motus.

Probatur motū esse ens successiuum, atque continuum.

Motum esse continuum affirmat Arist.3.Physi.text. 1.scribens motū esse de genere continuorū & in 4.Phy.tex.99.ait hæc tria magnitudinem; motū & tempus, esse continua:tempus quidem propter motum,hūc autem propter magnitudinem; & quæcūq; Arist.in 6.lib.Phy.de motu demōstrat, ea non cōuenirent motui,nisi is esset continuus:cúmque motus mensuretur tempore, est enim tempus numerus motus secundum prius & posterius, quemadmodum ipsum tempus, est cōtinuum,ita etiam oportet motum esse continuum,Adde,quod motus est ens successiuum, ergo continuum:nam si esset discretum, componeretur ex ipsis mutatis esse,& mutata esse,essent inuicem immediata,quòd tam est hic impossibile,quàm est in punctis & linea,in tempore item atq; instantibus. Esse autem motū ens successiuum, per se clarū est:nam si esset permanēs,nō esset motus,quod enim manet nō mouetur,& quod mouetur non manet,si enim manet, quiescit, quid enim est rem manere,nisi eam similiter se habere nunc vt prius? at hoc ipsum est quiescere secūdū Arist.6.Phy.tex.73. Verū continuitas, & successio motus euidenter concluditur ex definitione motus si enim motus est actus entis in potētia prout in potentia necesse est,id quod mouetur dū mouetur, partim esse actu,partim potētia,ergo successiuè mouetur:si enim simul fieret motus & in instanti totus esset actu,& tūc non diceretur moueri sed iam mutatum esse. Rectè igitur dixit Auer.ex definitione motus apparere statim eius cōtinuitatē,Sed dices,Aristotelē lib. 8.Phy.solum motum circularem facere continuum: respondeo ibi Aristotelem sumere cōtinuum pro perpetuo & sempiterno,

cuius nec sit initium aliquod nec vllus finis. Cum etiã Peripatetici aiunt augmentationem nõ esse motum cõtinuũ, significare volunt vniuersam augmentationẽ viuentis, quæ fit ab ortu eius vsque ad ætatẽ cõsistentiæ nõ vnum esse numero motum, qui fiat æquabiliter & continuè, sed eã sæpe interrumpi, & inæquabilem esse, & vt Cõmentator dixit 3.Phy.com.6. constare ex multis motibus & multis quietibus. Tota igitur accretio viuentis, nõ est vnus motus continuus: singulæ autem augmentationes, quas vocant partiales dum fiunt, sunt motus continui. Motum igitur (loquimur autem nũc de motu propriè dicto excludendo omnes mutationes instantaneas, cuiusmodi est generatio, corruptio illuminatio & aliæ similes) cõtinuum esse manifestum est.

Quæ sit caussa cõtinuationis motus.

Deinceps aperiendũ est, quæ sit caussa huius cõtinuitatis. Aristoteles variè loquitur de caussa continuitatis motus; nã in categoria Quantitatis, ait motum esse quantũ propter tempus; cum idem scripserit 4.Phy.tex.99. è contrario tempus esse continuũ propter motum. In 2. autem lib de Genera. & Corrup. tex. 62. ait motum esse cõtinuum, propter id quod mouetur, hoc est ratione subiecti in quo est motus; nõ autem propter id in quo fit motus, nisi fortè in motu locali. huic autem sententiæ contrariam omnino sententiam pronuntiat. in 5. lib. Metaph. tex. 18. affirmãs motum esse quantum, non propter id quod mouetur, sed propter id in quo fit motus, quod in motu locali est spatium, in aliis motibus est forma quæ per motum acquiritur.

Verum, si rem ipsam diligenter expendamus, atque considere mus, proculdubio cognoscemus, quæ ab Arist. de continuitate motus scripta sunt, ea non solum nõ pugnare inter se, sed etiam verissimè in motum omnia conuenire. Etenim, motus dicitur continuus propter tempus non secundum se, nec secundum naturam, cùm enim motus sit natura prior tempore quippe cum hoc sit quasi passio quædam illius, potius tempus est continuum prodter motum, quàm è contrario: sed motus dicitur continuus propter tempus, secundum nos, & in ratione mensurabilis, & mensuræ; nos enim quantus sit motus, & an is sit continuus, an interruptus, metimur & cognoscimus ex tempore; dicitur enim aliquis deambulasse per vnam horam continuè, quia nulla fuit pars horæ, in qua non deambulauerit. Porro sciendum est, duplicem esse quantitatem motus, vnam secundum extensionem, quam accipit à subiecto in quo est, nam sicut albedo calor, & aliud quoduis accidens extenditur secundum extensionem subiecti, sic etiam motus. Quis enim nõ intelligit, motũ brachijma iorem & ampliorem esse ratione subiecti in quo est quàm motũ solius

solius digiti, & motum totius corporis, quàm motum solius brachij? & hoc modo Arist. 6. Phys. tex. 33. ait motum diuidi secundũ diuisionem mobilis, & demonstrat sicut totus motus est totius mobilis, ita partes motus esse partiũ mobilis. Altera est quãtitas & continuitas motus secundũ successionẽ, & durationẽ quæ aduenit ei propter id in quo, vel ad quod fit motus, id dico, quod per motum acquiritur; nam quia te, minus ad quem successiuè acquiritur, & non totus simul in instanti, ideo motus existit successiuus indeq; capit suam durationem: Exẽpli caussa motus localis est successiuus, quia partes magnitudinis, & spatij per quod fit motus localis successiuè transeunt vna post aliam: calefactio itẽ est motus successiuus, quia calor non totus simul acquiritur, sed gradus post gradũ & pars post partem successiuè producitur.

Ad continuitatẽ motus localis nõ est necessaria continuitas spatij per quod sit motus.

Verùm, hoc interest inter motum localem & alterationem, quod motus localis potest esse continuus, etiam si spatium per quod, non sit totum continuum, si enim è concauo lunæ lapis moueretur vsq; ad terram motus eius esset cõtinuus, nihil enim esset, quod eum interrumperet, spatium tamen quod transitur non esset continuum, ignis enim & aer non sunt elementa cõtinua, sed tantum contigua: atque hoc etiam videtur innuere Arist. 5. Phy. tex. 23. secundũ expositionem Themistij. Alteratio autem, vnus & continuus motus esse nequit, nisi sit vna numero qualitas, quæ successiuè sine vlla eius intermissione acquiritur. Caussa verò huius differentiæ inter motũ localem & alterationem, est in eo, quod motus localis, non est idem re quod spatiũ, sed est idem, quod ipsum mobile aliter & aliter se habens super spatium: & quia satis est vt spatium sit contiguum, quo mobile possit continuè aliter & aliter se habere super ipsum idcirco ad continuitatem motus localis, non est necessaria continuitas spatij: At verò, quia alteratio est idem re quod qualitas, quæ acquiritur per alterationem, ideo ad continuitatem alterationis necessaria est vnitas numeralis, atque continuitas qualitatis.

De duplici genere partium motus, altero secundum extensionem, altero, autem secundum successionem.

CAP. VII.

COnstat igitur duplicem esse cõtinuitatẽ motus, vnã secundũ extensionem, alteram secundũ successionẽ & durationẽ: & illã quidẽ motũ accipere à subiecto in quo est, hanc verò ab eo in quo fit motus & quod per motũ acquritur Ex quo necessariò etiã efficitur, esse duplices partes quantitatiuas motus, alteras secundũ extensionm, & alte

Quinque differētiæ inter partes motus secundum extensionē, & secundū successionem.

ras secundum successionem,ac durationem.Inter has autem partes plurimùm interest. Primùm enim,illas motus habet propter subiectū in quo est,non secus,atque cætera accidentia, quæ sunt extēsa,& diuisibilia propter subiectum in quo inhærent: has autē habet motus propter terminos à quo,& ad quem; qui cū sint inuicē oppositi,& habeant gradus secundum quos intenduntur, ac remittuntur,partibiliter,ac successiuè acquiruntur & perduntur.Deinde,illas metimur per quātitatē subiecti, quo enim subiectū est maius,eo necesse est eas partes motus,quę sunt secundū extensionē,plures & ampliores esse:has autē partes, quæ sunt secundum successionem ac durationem,metimur tẽpore:est enim tempus numerus motus secundum prius & posterius, motus autem habet prius & posterius,non propter extensionem, quā habet in subiecto sed propter successionem, quam habet in amissione & acquisitione terminorum.Præterea;partes motus secundum extensionem,sicut simul, si enim mouetur totum aliquod mobile,necesse est vnà etiam omnes partes eius moueri: partes autem secundum successionem,impossibile est, vel quantumuis paruo temporis spatio,simul esse: est enim contra rationem, & naturam rei successiuæ, vt partes eius simul sint. Adhæc,habere partes secundū extensionem, per accidens conuenit motui,sicut etiam ipse per accidens extensus est, nimirum propter subiectū: habere autem partes secundum successionem, per se conuenit motui:tum quia motus per se est ens successiuum: tū quia est idē re, quod res ipsa quæ per motum acquiritur, à qua ipse accipit successionem:quemadmodum quòd calor sit extensus,extrinsecus,& per accidens ei conuenit, quod autē habeat gradus secundum quos intendatur & remittatur,intrinsecè, ac per se ei conuenit.His accedit,quod motus localis & partes eius, secundum extensionem non possunt esse continuæ, nisi ipsum mobile sit omnino continuum,si enim mobile esset corpus aliquod coagmentatum ex variis partibus non quidē inter se continuis,sed tantum contiguis, motus eius secundum omnes pates non esset continuus:nam sicut totus motus habet continuitatem extensionis à toto mobili; ita partes motus à partibus mobilis:quare si partes mobilis nō sunt inuicē continuæ,nec partes motus inter se cōtinuæ esse poterunt,at motus localis potest habere partes secundū successionem continuas,etiamsi id in quo fit motus,ipsum dico spatium,quod motu locali pertranſitur, non sit omnino continuum:quemadmodum paulò supra ostendimus.

Quod autem necesse sit motum habere in se vtrāq; continuitatem,extensionis nimirum & successionis,perspicuum est. Etenim

nim subiectū motus propriè dicti, cuiusmodi est alteratio,augmentatio,& motus localis,nō est sola forma,nec materia,sed totum compositum, quod est corpus habens extensionem & distantiam partiuni,ergo necesse est motum qui recipitur & inhęret in eiusmodi subiecto,effici quoque corporeum,eiusdem continuitatis & extensionis participē. Si quis autem contendat,prorsus subiectum alterationis, quæ versatur in primis qualitatibus,non esse compositū,sed materiam primam, putans in ea tanquàm in subiecto(vt vocant)inhæsionis,recipi, & hærere primas qualitates;is nihilominus fateri debet,alterationem habere pro subiecto rem quantam. Siue enim quantitas sit materiæ primæ coæua & inseparabilis,siue non sit,semper tamen cætera accidentia præsupponunt quantitatem in materia, quippe cum ea prima omnium accidētium aduenial materiæ, nec materia accipit reliqua accidētia, nisi prius assecuta fuerit quantitatem,prius dico,vel ordine temporis,vel certè(de quo,inter omnes conuenit) ordine naturæ. Quod etiam motus habere debeat quantitatem successionis,satis explicatum est paulò superius, cum motum esse debere ens successiuum,& continuum ostenderemus.

An continuatio & successio sint de essentia motus, an potius sint eius accidentia.

CAP. VIII.

Sed quęri potest hoc loco, an cōtinuitas sit de essētia motus,an potius sit accidens eius? Equidem respondeo,hac de re duo esse certa,& vnum esse dubium atque incertum.Primò enim certum est continuitatem extensionis esse accidentariam motui,nimirum,propter subiectum eius;sicut enim calor,albedo,& alia accidentia dicuntur quanta,& diuisibilia per accidens,ratione subiecti,sic etiam motus. Deinde,illud etiam certum est atque indubitatum,continuitatem successionis per se conuenire motui,& ab eo esse inseparabilem; conuenit enim omni,& per se ac primò soli motui, & semper. Illud autem dubium est, an continuitas successionis sit de essentia motus, an sit tantùm propria passio consequens eius essentiam.

Ac videtur quidē eiusmodi cōtinuitas,non esse de essentia motus:tū quia Arist.5. Metaph.tex. 18. excludit motum à categoria Quantitatis, affirmans eum esse quantū propter id in quo fit motus:Et Auer.4.Phy.com. 119. ait tēpus mēsurare quantitatē accidentē motui,significās his verbis quātitatem esse accidēs motus: & 3.Phy.comm. 6. inquit ex prima definitione motus apparere

continuitatē eius:quasi continuitas non quidem ingrediatur,sed tantùm consequatur definitionem & essentiam motus:tum etiam,quia cum tradantur in 3.Phy. tres definitiones motus , in earum nulla ponitur continuitas

E contrario autem,illud vehementer vrget,quod motum esse ens successiuū, videatur esse prædicatio essentialis , & nō videatur posse subſtrahi motus à successione,id est perfectè secundum essentiam suam intelligi, non simul intelligendo successionem, & nulla re alia videtur motus propriè dictus , distingui posse à mutatione,quàm quod ille est successiuus , hæc autem minimè. Deniq;,si eiusmodi continuitas est propria passio motus , nō careret Aristoteles reprehensione , qui eam nusquam de motu demonstrauerit:& cum motus alterationis nō sit aliud,quàm ipsamet qualitas,vt fluens,&(vt ita loquar)fiens,qui potest eiusmodi fluxus sine aliqua successione cogitari? Ego tametsi video vtrāq; partem huius quæstionis probabilem esse , verisimilis tamē puto continuitatem non esse de essentia motus,sed esse veluti quādam propriam passionem motus,ex natura eius manantem.

Obserua diligenter hanc distinctionē & differētiam,inter cōtinuitatē & successionem motus.

Sed fortasse his hęc posset melius dirimi hac distinctione. Aliud est in motu successio, & aliud continuitas , successio motus oritur ex eo,quòd terminus ad quem non totus simul , sed per partes,vna post aliā,acquiritur,ex quo fit,vt necesse sit eiusmodi acquisitionem esse successiuam. Potest tamen hęc successio esse continua,&non continua,partes enim termini ad quem,possunt acquiri successiuè dupliciter,vel continenter,& sine vlla interruptione,& sic acquisitio earum est successiua & continua,vel successiuè quidem,sed interruptè,ita vt vno instanti producatur aliquid formę,tum interposito aliquando tempore, in alio instanti producatur aliquid aliud formæ,& sic deinceps productio formę procedat vsq; ad finem,successiuè quidē, sed non continuè. Atq; hoc modo,censent nonnulli augmentationem esse motum successiuum,existimantes in augmentatione produci quantitatem per minimas partes,successiuè quidem,sed non continuè. Cum igitur aliud sit in motu successio,& aliud continuitas, diceret aliquis,nec sanè,meo iudicio,ineruditè,successionem quidem esse de essētia motus propriè dicti, cum is sine hac cogitari nequeat, continuitatem autem esse passionē fluentem ex natura motus. Ego,prima definitio motus,manifestè ostendit successionē motus,vt quæ sit de eius essentia:continuitatem autem eius,nō tam manifestè declarat,ea tamen ex illa definitione necessariò concluditur tanquam passio & affectio motui necessariò conueniēs, & omnino inseparabilis. Nam successio quæ fit per instantia inuicem discreta,non est vnus motus numero , sed variæ mutationes,in quarum singulis mobile dici quidem verè potest mutatum esse , non moueri , at in motu mobile ita mutatum est, vt etiam dum est motus,actu moueatur. Nec mutatio instantanea est actus entis in potentia , prout est in potentia , sicut habet definitio motus,sed est actus mobilis, prout iam est actu mutatum,vel totam formam,vel ad aliquam eius partem, quæ in instanti producta fuit. Sed dices, si continuitas non est de essentia motus,qua igitur re motus propriè dictus essentialiter differt à mutatione?An quia motus est actus entis in potētia prout in potentia,non autem mutatio,vt proximè ante ostendimus?An propter terminos à quo & ad quem,qui in motu propriè dicto,ambo sunt(vt vocāt)positiui,contrarij partibiles, & partibiliter acquisibiles? An in motu propriè dicto per se, ac necessariò inest successio,in mutatione autē.aut nulla vnquam est successio?quia forma semper tota simul in instāti producitur,vt fit in generatione substātiali,vel si quādo est in mutatione successio, quòd forma per partes interruptè producitur , id per accidēs euenit,nēpe non propter ipsam formam,quæ cū non habeat vllū in subiecto contrarium eius productioni resistens,tota simul(quod ad ipsam attinet)produci potest:sed cum ob alias causas , tum ob agentis imperfectionem, quod cum in se formam perfectè non habeat, non potest eam perfectè totam producere, id quod in illuminatione potest cōtingere. Cōtinuitas igitur,vel est de essentia motus,vel ex ea necessariò fluit tanquā eius propria passio, quæ quidem continuitas,non æqualiter est in omni motu:etenim continuitas,vt docet Auerroes 3. Phys.comm. 6. in motu augmentationis minimum apparet , in alteratione autem magis elucet,in motu verò locali,est maximè conspicua.

Verùm existit hoc loco grauis quæstio , quæ oritur ex iis quæ dicta sunt de continuitate motus. Si enim motus est continuus, ergo est infinitè diuisibilis,& nec primam,nec vltimam partem habebit:id quod Aristot. 6. Phy. necessaria, & manifesta ratione demonstrat,quomodo igitur motus poterit,aut incipere esse,aut desinere,cum in se,nec primum habeat,nec extremum? Nos capta hinc occasione,non solum docere volumus (quod tamē satis erat ad enodandā propositam difficultatē)quemadmodum motus esse incipiat,& desinat,sed etiam (quo vberior & absolutior sit doctrina varios modos, quibus omnes res generabiles atque corruptibiles incipiunt & desinunt esse,breuiter exponemus.

De variis modis incipiendi, & desinendi, quos habent res naturales.

CAP. IX.

PHiloſophi quò breuiùs, diſtinctiùs,& clariùs exponerent varios modos quib.res naturales incipiunt,& deſinunt eſſe;excogitarunt hæc quatuor vocabula; Primũ ſui eſſe, Vltimum ſui eſſe, Vltimum ſui nõ eſſe,& Primũ ſui non eſſe ; quæ vſu Philoſophorũ facta ſunt in ſcholis tritiſſima.Primũ & tertium,deſignant variũ modum incipiendi: ſecundũ,& quartum,varium modum definendi. Primum ſui eſſe,eſt inſtans temporis intrinſecum durationi rei , in quo res eſt, cum immediatè ante non fuiſſet:incipere igitur per primum ſui eſſe,ita deſcribitur,nunc res eſt,& immediatè ante non fuit. Vltimum ſui eſſe, eſt inſtans intrinſecum durationi rei , in quo res eſt,ſed immediatè poſt non erit,vt deſinere per vltimum ſui eſſe ſit,nunc eſſe,& immediatè poſt non eſſe futurum. Vltimum ſui non eſſe,eſt inſtans extrinſecum durationi rei , in quo res nõ eſt, ſed immediatè poſt erit , vt verè dicatur de re quæ incipit per vltimum ſui non eſſe,nunc ea res non eſt, ſed immediatè poſt erit: & vocatur vltimum ſui non eſſe , quia illud inſtans eſt vltimum totius illius temporis,in quo res habuit non eſſe. Primũ ſui non eſſe,eſt inſtans extrinſecum durationi rei in quo res non eſt , ſed immediatè ante fuit:& ſic appellatur , quoniam cum res fuiſſet tempore immediatè præcedente,illud inſtans eſt,in quo primum habet non eſſe : vt verè dicatur de eo, quod deſinit per primum ſui non eſſe,nunc non eſt,ſed immediatè ante fuit.

His etiã illud adiungendũ eſt,varia eſſe genera rerũ: quædã enim res ſunt permanentes vt homo:aliæ ſucceſſiuæ , vt motus,& tẽpus.Quædã producũtur per motũ propriè dictũ,vt calor,& frigus:aliæ nõ,vt forma equi,& quælibet forma ſubſtãtialis. Quædã habẽt contrariũ in ſubiecto reſiſtens productioni ipſarũ,vt calor habet in aqua frigus ſibi contrariũ;aliæ non habent,vt lumen in aere.Quædã habent eſſe ſuũ in puncto quodam indiuiſibili, ſicut bicubitũ,tricubitũ,ſpecies figurarum, & omnia ſuperlatiua,quæ talia ſuntialiæ non habent eſſe in indiuiſibili,vt albedo. His poſitis,ſubiiciemus nonnullas p roppoſitiones , è quib.facilè intelligetur quemadmodum res naturales incipiant & deſinant eſſe.

Et motus, & quæcũque motu producuntur, atque corrumpun

Prima propoſitio.Ens ſucceſſiuũ vt motus , nõ incipit per primum ſui eſſe,ſed per vltimũ ſui non eſſe;Nec deſinit per vltimũ ſui eſſe,ſed per primũ ſui non eſſe. Prior pars huius propoſitionis,ita probatur:motus non poteſt eſſe in inſtanti,cum motus ſit diuiſibilis,& inſtãs ſit indiuiſibile; ſi autem motus inciperet per primũ ſui eſſe,motus eſſet in inſtanti;quia de motu verum eſſet dicere,nunc eſt motus,& immediatè antea non fuit.Adde , quod motus nõ poteſt incipere poſitiuè per aliquid ſui determinatũ & illi intrinſecũ, cum nec detur prima pars motus, nec primũ mutatum eſſe,vt probatur in 6. Phy. Incipit igitur motus per vltimum ſui non eſſe ; nam verum eſt dicere nunc non eſt motus, ſed immediatè poſt erit morus , immediatè autem poſt inſtans, ſequitur tẽpus in quo motus & incipere & eſſe poteſt. Quare cũ dicitur calefactio duraſſe per vnam integram horam,excludenda ſunt primum & vltimum inſtans horæ , in quibus non potuit eſſe calefactio , ſed in primo cœpit negatiuè & in vltimo deſiit negatiuè.Poſterior pars propoſitionis,ex prioris cõfirmatione fit manifeſta.Si enim motus deſineret per vltimum ſui eſſe, in vltimo inſtanti eſſet motus,& daretur vltima pars motus,vtrumque autẽ eſſe impoſſibile demonſtratur lib.6.Phy. Et quamuis detur vltimum mutatum eſſe in motu , hoc tamen neque eſt motus, neque pars motus. Deſinit igitur motue per primum ſui non eſſe;vt de calefactione, quæ duravit vnam horam integrã, verum eſt dicere in vltimo inſtanti illius horæ, nunc non eſt calefactio, ſed immediatè per totam horam præcedentem fuit calefactio. Hinc colligitur,omnem formam , quæ producitur , & corrumpitur per motũ propriè dictũ,incipere per vltimum ſui nqn eſſe, & deſmere per primũ ſui non eſſe: quippe cũ eadẽ planè ratio ſit huiuſmodi formæ,quę eſt ipſius motus;eodẽ enim modo incipit calefactio,& calor, qui producitur per calefactionẽ;eodẽmq; modo deſinit calor, quo deſinit frigefactio , p quã calor corrũpitur.

Secunda propoſitio. Formæ quæ non habent contrarium in ſubiecto incipiunt per primum ſui eſſe,vt lumen in aere. Ratio huius in promptu eſt : Etenim,vbi non eſt contrarietas,ibi non eſt reſiſtentia,vbi autẽ hæc non eſt, nec erit ibi vlla mora,& ſucceſſio in productione:productio enim fit ſucceſſiuè ob reſiſtentiam ſubiecti , vbi autem non eſt ſucceſſio in productione , ibi productio fit in inſtanti , & res incipit eſſe in illo inſtanti , quare incipit per primum ſui eſſe.Hinc colligimus duo:vnum eſt,quęcunque creantur à Deo, ea quoniam fiunt ex nihilo ſine vlla reſiſtentia & ſucceſſione in inſtanti, incipere per primum ſui eſſe: Alterum eſt, omnia quæ producuntur per mutationes inſtantaneas,ea propter eandẽ cauſam, incipere eſſe per primum ſui eſſe;vt lumẽ quod producitur in aere per ſubitã illuminationem.

Formæ quæ nullũ habent cõtrarium in ſubiecto, producuntur in eo per primũ ſui eſſe.

Quæ habent eſſe indiuiſibile ea incipiunt per primũ ſui eſſe.

Tertia propoſitio.Quæ habẽt eſſe ſuũ in indiuiſibili,velut ſpecies figurarũ,& omnia ſuperlatiua,ea ratione vt alia ſunt,vt eſſe calidiſſimum,& frigidiſſimum,ea omnia incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per vltimũ ſui eſſe. Cùm enim eſſe illarum

motus nõ poteſt incipere per vltimum ſui non eſſe ; nam verum eſt dicere nunc non eſt motus, ſed immediatè poſt erit morus , immediatè autem poſt inſtans, ſequitur tẽpus in quo motus & incipere & eſſe poteſt. Quare cũ dicitur calefactio duraſſe per vnam integram horam,excludenda ſunt primum & vltimum inſtans horæ , in quibus non potuit eſſe calefactio , ſed in primo cœpit negatiuè & in vltimo deſiit negatiuè.Poſterior pars propoſitionis,ex prioris cõfirmatione fit manifeſta.Si enim motus deſineret per vltimum ſui eſſe, in vltimo inſtanti eſſet motus,& daretur vltima pars motus,vtrumque autẽ eſſe impoſſibile demonſtratur lib.6.Phy. Et quamuis detur vltimum mutatum eſſe in motu , hoc tamen neque eſt motus, neque pars motus. Deſinit igitur motue per primum ſui non eſſe;vt de calefactione, quæ duravit vnam horam integrã, verum eſt dicere in vltimo inſtanti illius horæ, nunc non eſt calefactio, ſed immediatè per totam horam præcedentem fuit calefactio. Hinc colligitur,omnem formam , quæ producitur , & corrumpitur per motũ propriè dictũ,incipere per vltimum ſui nqn eſſe, & deſmere per primũ ſui non eſſe: quippe cũ eadẽ planè ratio ſit huiuſmodi formæ,quę eſt ipſius motus;eodẽ enim modo incipit calefactio,& calor, qui producitur per calefactionẽ;eodẽmq; modo deſinit calor, quo deſinit frigefactio , p quã calor corrũpitur.

Secunda propoſitio. Formæ quæ non habent contrarium in ſubiecto incipiunt per primum ſui eſſe,vt lumen in aere. Ratio huius in promptu eſt : Etenim,vbi non eſt contrarietas,ibi non eſt reſiſtentia,vbi autẽ hæc non eſt, nec erit ibi vlla mora,& ſucceſſio in productione:productio enim fit ſucceſſiuè ob reſiſtentiam ſubiecti , vbi autem non eſt ſucceſſio in productione , ibi productio fit in inſtanti , & res incipit eſſe in illo inſtanti , quare incipit per primum ſui eſſe.Hinc colligimus duo:vnum eſt,quęcunque creantur à Deo, ea quoniam fiunt ex nihilo ſine vlla reſiſtentia & ſucceſſione in inſtanti, incipere per primum ſui eſſe: Alterum eſt, omnia quæ producuntur per mutationes inſtantaneas,ea propter eandẽ cauſam, incipere eſſe per primum ſui eſſe;vt lumẽ quod producitur in aere per ſubitã illuminationem.

Tertia propoſitio.Quæ habẽt eſſe ſuũ in indiuiſibili,velut ſpecies figurarũ,& omnia ſuperlatiua,ea ratione vt alia ſunt,vt eſſe calidiſſimum,& frigidiſſimum,ea omnia incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per vltimũ ſui eſſe. Cùm enim eſſe illarum

rerum consistat in indiuisibili, si inciperet per vltimum sui non esse, acquireretur in tempore, cum autē quoduis tempus sit diuisibile, & nō totū simul, acquireretur diuisibiliter, quare eiusmodi esse nō iam esset indiuisibile, sed diuisibile. Similiter etiā, si desineret per primū sui nō esse, corrumperetur in tempore, & corrumperetur diuisibiliter, non igitur consisteret in indiuisibili.

Forma substātialis incipit per primū sui esse.

Hinc elicitur, si quæ res sint habētes esse tātum per vnum instās, exēpli causa, vt mutatū esse in motu, eas res necessariò incipere per primum sui esse, & desinere per vltimum sui esse: verè enim de illiusmodi rebus diceretur, quòd in illo instanti sunt, & ante nō fuerūt: & quod in illo instāti sunt, & immediatè post nō erūt. Quarta propositio. Forma substantialis incipiet per primum sui esse. Hoc manifestū est, tum ex eo, quòd producitur per generationem, quæ est mutatio instātanea, & sine vlla resistētia: omnis enim contrarietas, quæ in subiecto efficere poterat resistētiam, per dispositionem præcedētem eiecta fuit: quòd autem sine resistentia in instanti producitur, incipit per primū sui esse, vt ostēsum est in secūda propositione: tum etiā ex eo, quod forma substantialis consistit in indiuisibili, non suscipiens magis & minus, quare nō potest produci in tempore, sic enim produceretur diuisibiliter, constat autem ex tertia propositione, quæ habēt esse indiuisibile, ea incipere per primū sui esse. His accedit, quòd alteratio Physica ordinatur ad generationem & productionem formę substantialis, desinit autem alteratio cum sit motus, per primum sui non esse, quare in illo vltimo instanti, in quo est verū dicere, nunc non est alteratio, sed immediatè antea fuit, vel producitur forma substātialis, vel nō, si producitur, habemus quod volumus quia incipit esse in illo instanti cū immediatè antea non fuisset: si non producitur, ergo alteratio non est consequuta finē suum ad quem naturaliter ordinabatur. Est enim generatio terminus alterationis. Nec verò mihi obiiciat quispiā formas elementorū, quas Auerroes ait intendi & remitti, nec aliter produci & corrūpi quā primas qualitates: nam de hoc adhuc sub iudice lis est. Nos autem hīc non nisi certa, & concessu omnium probata, tradimus.

Forma substātialis desinit per primū sui nō esse.

Quinta propositio. Forma substātialis desinit, per primū sui nō esse. Forma enim substātialis necessariò desinit vna cū accidētibus quorū ope, & adminiculo substentatur in materia; huiusmodi autē accidentia cum tollātur ex materia per alterationē, simul cum ea desinūt esse per primi sui non esse; quare etiā forma substātialis desinet per primū sui nō esse. Deinde, si forma substātialis nō desineret per primū sui non esse, ergo desineret per vltimū sui

sui esse, quare in vltimo instanti esset, & immediatè post non esset; cum igitur in illo instanti nondum sit generata forma contraria, quia duæ formæ substantiales oppositæ non possunt esse simul, generabitur immediatè post illud instans; quęro, vel illud immediatè sequens vltimū instans esse formæ præcedentis, est etiam instans, vel tempus; si instans, ergo duo instantia essent sibi immediata; si tempus, ergo forma substantialis sequens, generaretur in tempore; cōtra id quod demonstratū est in quarta propositione. Relinquitur igitur formam substantialem non posse desinere per vltimum sui esse, quare necessariò desinet per primum sui non esse.

Nota & considera diligenter has duas dubitationes.

Verum, contra quartam, & quintam propositionem, duæ se nobis offerunt per quam arduę dubitationes. Dubitatur. n. cōtra quartam propositionē, quomodo forma substant, aliis possit incipere per primum sui esse, & produci in instanti: nam si in illo instanti fit productio formæ substantialis, fiet in illo instanti actio; non. n. productio potest esse sine actione; si tunc est actio, ergo tunc est alteratio, omnis. n. actio Physica productiua alicuius formę fit per qualitates, neque. n. substantia immediatè agit, sed per qualitates, vt Arist. docet in lib. de Sensu, & sensili, c. de sapore. Omnis autē actio, quę fit per qualitates Physicas, est alteratio; at in illo instanti nō potest esse alteratio; tum quia alteratio est motus, qui non est in instanti; tum quia ponitur desinere per primum sui non esse, quare in illo instanti non est alteratio, sed immediatè ante fuit, alioquin si in illo instanti esset alteratio, ipsa desineret per vltimum sui esse.

Dubitatur etiam cōtra quintā propositionem. Forma substantialis habet esse indiuisibile, & consistens in indiuisibili; ergo desinere debet per vltimū sui esse: tum quia hoc probatum fuit supra in tertia propositione; tum quia si desineret per primum sui non esse, desineret in tēpore, quare desinerer diuisibiliter. Deinde corruptio attingens esse formę substantialis, nō fuit in tempore precedente illud vltimum instans; alioquin forma substantialis, quę secundum suum esse est indiuisibilis, diuisibiliter corrumperetur; si autem fuit in vltimo instāti, cum illa corruptio sit actio Physica, erit alteratio, vt patet ex iis quæ circa primā dubitationem probata sunt; si est alteratio, ergo cum ipsa sit motus, in instanti esset motus, & motus desineret per vltimum sui esse.

Ad priorem dubitationē, responderi posset dupliciter; vel negando in illo instanti, quo producitur forma substantialis, esse actu aliquam actionem Physicam; sed tunc produci formā substantialem virtute dispositionis & actionis Physicæ, quę imme-

diatè ante fuit;quæ actio non in tempore præcedenti,sed in illo vltimo instanti sortita est suum effectum producendi formam substantialem. Vel aliter,sicut nõnulli volunt in alteratione dari primum mutatum esse, in quo producatur minimũ quidpiam qualitatis, & deinde sequitur alteratio & productio qualitatis successiuè, ita fingi posset in alteratione dari vltimum mutatum esse,per quod producatur in vltimo instanti aliud minimũ, & vltimum qualitatis,cum quo simul etiam producatur forma substantialis;talis autem productio qualitatis,est quidem alteratio, sed non motus propriè dictus,est enim mutatio quædam instantanea,talis nimirum,qualis est illuminatio aëris.

Ad posteriorem dubitationem; dupliciter etiam responderi posset;vel aiendo formam substantialem desinere in illo instanti,non positiuè per aliquam actionem,quæ tunc eam corrumpat sed negatiuè,quia tunc non est cum immediatè ante fuisset.qđ autem tunc non sit,id quidem factum esse virtute præcedentis alterationis corruptiuæ, quæ vltimum suum effectum sortita est in illo vltimo instanti. Vel aliter,in illo vltimo instanti,inducitur vltimum qualitatis pro forma generanda(vt paulò antè diximus)cuius inductione,vltimum qualitatis cõtrariæ,quæ substentabantur forma corrumpenda, etiam tunc expellitur, & simul cum eo prior forma substantialis.nec ista expulsio,quamuis sit alteratio,est motus,ppriè dictus,vt antè diximus,sed mutatio

An hæc responsa sint vera,& an omnino tollant difficultates propositas,dictis viris considerandum,atque iudicandum relinquo.mihi certè nõ penitus eximunt scrupulum,nec animo meo omnino satisfaciunt;quædã.n.inuoluunt quæ videntur,vel perspicuè falsa,vel magis dubia quàm id sit de quo nunc dubitatur; cuiusmodi est illud dari vltimum qualitatis,quod in instanti inducatur;& item illud,cum actu producitur forma substantialis, non esse tunc necessarium actu aliquam actionem,sed ad id.sufficere prægressam alterationẽ.Sed quî fieri potest,vt illo instanti producatur forma substantialis ignis,& tunc non sit actu productio eius? Aut,si tunc quidem productio,sed nulla tunc sit actio; quæ autem actio ignis esse potest nisi calefactio? calefactio autem cum sit motus,in instanti esse nullo modo potest.quomodo igitur forma substantialis producatur in instanti, perobscurum est,nec satis adhuc explicatum. Verùm hæc discutere,ac refellere supersedeo,ne nimis diligenter ac subtiliter in huiusmodi res videar inquirere.

FINIS DECIMI QVARTI LIBRI.

DE MOTVS ET MVNDI ÆTERNITATE.

LIBER DECIMVS QVINTVS.

DVobus proximè superioribus libris dictum est de natura motus,& de multiplici eius varietate, ac diuisione:hoc libro, qui extremus erit huius operis, agendũ est de duratione motus. de qua duas quæstiones explicare volumus; vnà,an motus sit æternus,alterã,vt motus non fuerit æternus,an tamẽ æternus esse potuerit. Idem autẽ est de motus,atq; de mundi æternitate disputare. Nam vtrũuis ponatur æternum, aut non æternum,alterum quoque æternum, aut non æternum esse necesse est. Prioris autem qu.difficultas omnis posita est in explicandis, refellendísque eorum rationibus, qui æternitatem mundi astruere ac persuadere conati sunt: quorũ principes fuerunt Arist. Proclus in eo libro quem de Æternitate Mundi scripsit;& Auer. Horum nos hoc loco argumenta fideliter commemorabimus,ac diligenter expendemus. In quibus dissoluendis, illud obseruauimus;vt quoniam eorum,qui nouam mundi creationem defendunt, tres sunt sententiæ; Etenim aliqui putant mundum non potuisse fieri ab æterno, quoniam rationi creaturę atque creationis repugnat,æternitas durationis. Alij tametsi talem repugnantiam non ponunt in creaturis incorruptibilibus,eam tamen inesse affirmant in creaturis, quæ ortum & interitum habent; quibus si tribuatur æternitas, necesse sit aliquid esse actu infinitũ,infinitũ item transactũ esse,infinito maius aliquid dari,& alia multa incredibilia,& absurda. Tertium genus eorum est,qui negant æternitatẽ repugnare mundo, siue ratione rerum incorruptibilium, siue corruptibilium; Deum tamen voluisse eum de nouo concedere, tum ob alias causas mortalibus occultas; tum fortasse, quoniam ex noua mundi creatione, clariùs, atque illustriùs ab homine perspicitur & cognoscitur

Tres sententiæ eorum qui negãt mũdum esse æternum;

Dei perfectio ac maiestas. Non.n. molitio mundi, clarissimè demonstrat Deũ esse; & esse efficientẽ, intelligentem, ac prouidentem omnium rerum: eúmq; esse infinitæ virtutis; habere peculiarem modũ producendi sine motu & materia, quẽ nos creationem vocamus: non agere ex necessitate naturæ; posse quicquid voluerit de nouo etiã immediatè, ac sine causis secundis efficere; quę omnia ad illustrandam regionem, ad amplificandum Dei cultum, ãd pietatem hominum animis inserẽdam, & augendam, ad iustitiam inter homines conseruandam; ad eas denique quas naturaliter inditas de prouidentia, clementia, & iustitia Dei notiones habemus corroborandas, quantam vim habeant, nemo est, qui si quid intelligit, non perspicuè intelligat. In hac igitur opinionum varietate, nos aduersariorum rationes dissoluentes, illud obseruauimus, vt secundum supradictas tres opiniones, argumentis occurreremus. quænam autem illarum trium sit verisimilior, in explicatione posterioris quæstionis, diiudicabitur.

An Aristot. putauerit æternitatẽ mũdi demonstratiuè probari posse aut à se probatam esse.

Verùm, quia putant nonnulli Aristotelem, vel nõ sensisse mundum esse æternum; vel ipsum certè non existimasse æternitatem motus & mundi, firmis ac necessariis rationibus à se fuisse conclusam, atque demonstratam: sed eum contradicere tantum voluisse opinionibus antiquorum, qui aiebant Mundum ex materia per motum Physicum esse procreatum: hos falli, & doctrinæ Arist. perspicuè aduersari, obiter ostendamus. Equidem non ignoro, multis videri posse Diuum Thomam, non multum ab illorum sententia abhorrere; is enim 1. part. q. 46. artic. 1. ita scribit *Rationes Arist. pro æternitate mundi, non fuerunt demonstratiua simpliciter, sed tantum secundum quid, nempe contra antiquos generantes mundum per modos quosdam secundum veritatem impossibiles. & hoc apparet ex tribus, primo, quia tam in 8. Phys. quam in primo libro de cælo differens de æternitate mundi. præmittit opiniones antiquorum, vt Empedocles, Anaxagoræ, & Platonis, contra quos rationes contradictorias inducit. Deinde, quia vbicunque de hac materia loquitur, inducit testimonia antiquorum quod non est demonstratoris, sed probabiliter persuadentis. Postremò, quia expressè dicit in 1. libro Topicorum cap. 9 esse quædam problemata dialectica, de quibus rationes certas non habemus; cuius rei exemplũ ponit hoc problema, vtrũ Mundus sit æternus.* Hæc D. Thom.

Sed siue hoc D. Th. illis verbis significare, siue aliud quidpiam innuere voluerit; mihi sanè nunquã verisimile fieri potuit quod illi aiunt. Quis.n. tantùm non omninò rudis, & ignarus scriptorum, & doctrinæ Arist. legens 8. librum Phys. 1. librum de Cælo, extremam partẽ secundi libri de Gener. & corrupt. posteriorem item partem duodecimi libri Metaph. non aperte videat, si quod est dogma apud Arist. & peripateticos, certum, & exploratum, firmum, ratum, & constitutum, hoc de æternitate mundi, esse quam quod maximè? An non hoc vno maximè fundamento, nititur doctrina, quam is de cælo, de intelligentiis, & Deo tradidit? Quis veterum Peripateticorum? quis etiam aliorum (his vnis paucis exceptis) Mundum æternum esse secundum Arist. vnquam dubitauit? Tolle æternitatem motus, neque intelligentias esse, neque æternas esse, nec immateriales, nec indiuisibiles, nec omnis expertes potentiæ, nec intelligentes, nec optimam dispositionem, ac statum, habere probauit Arist. cum hæc omnia ex motus æternitate concluserit. Tolle æternitatem motus necesse est admittere creationem; quam ne cognitam quidem fuisse Arist. nedum ei probatam, quinto libro huius operis ostendimus. Sed cur inquies, ipse vocauit hanc quæstionem, an Mundus sit æternus, problema dialecticum, ad cuius neutram partem contradictionis tractandam, certæ suppetant rationes? Primùm respondeo, ineptum, & iniquum esse, quod vno & loco, quod obiter, quod exempli tantum causa dicitur ab Arist. velle id ceu magnum aliquod argumentum valere contra ea, quæ idem Arist. aliis permultis locis, ex professo, propriè, distinctè, affirmatè, asseuerenter, & copiosè docuit. Deinde, ego arbitror vocari ab Aristot. illo loco problema dialecticum (vtrum Mundus sit æternus) non quod ea ipsa de re ambigeret, vel quod non ipse putaret id à se necessariis rationibus fuisse demonstratum, sed propter varias ea de re Philosophorum sententias, aliis aientibus, aliis autem negantibus, Mundum esse æternum. Qui enim consideraret varietatem opinionum, & dissensionem Philosophorum circa illam quæstionem, existimaret eam esse problema dialecticum, non enim potest eadem res in contrarias partes veris & necessariis rationib. tractari, sed tantum dialecticis, & probabilib. Ergo, an mundus sit æternus, problema dialecticum vocatur ab Arist. non quia, non posset æternitas mundi demonstratiuè probari, sed propter varietatem & discordiam Philosophorum de illa quæstione in vtramq; partẽ disputantium. Non igitur in eo desudandum nobis est, vt ostendamus Arist. de mundi æternitate aliter sensisse, quam re vera sensit, sed in id toto pectore nobis incumbendum erit, vt omnia cum Arist. tum aliorum Philosophorum argumenta, quibus ipsi æternitatem mundi omnibus probatam, & persuasam fore arbitrantur, infirma esse, paruôque negotio solui posse, doceamus.

Ponuntur duo fundamenta, quibus maximè nititur solutio argumentorum, quæ sunt pro eternitate Mundi.

CAP. I.

DEfensores æternitatis Mundi, duobus maximè fundamentis nituntur: Vnum est creationem esse impossibilem: alterum est, Deum agere ex necessitate naturæ: quare, vt eorum rationes benè ac facilè soluantur oportet nos ex aduerso hic supponere duo alia fundamenta illis omnino cotraria; nempe, & creationem, hoc est productionem, rei ex nihilo, esse Deo possibilem: & Deū non agere ex necessitate naturæ, sed liberè hoc est, quod facit Deus potuisse eum facere, & non facere; nec solum quando facit posse facere, sed etiam alio quouis tempore, nec tantū quomodo facit posse facere, sed aliis etiam multis modis. At prius quidem illud fundamentum, quoniam quinto libro huius operis, vbi de creatione disputauimus, satis fuit à nobis firmatum atq; stabilitum, noua nunc confirmatione non eget; hoc autem posterius, breuiter nunc confirmandum est.

Deum nō agere ex necessitate naturæ probatur septem argumentis.

Deum igitur non agere ex necessitate naturæ, probare possumus his argumentis. Primò. voluntas necessariò vult vltimum suum finem, cętera verò ea ratione tantū vult, vt habet ordinem ad finē: si habent ordinē necessariū vt sine quibus finis haberi nequeat, necessariò vult ea, si nō habent ordinē necessariū ad finem non vult ea necessariò: sed Diuinæ voluntatis, nō est aliud primariū obiectū neq; alius finis, quàm propria ipsius bonitas, & essentia quę sine creaturis nihilominus sibi ipsa sufficiens, & perfecta est, quàm illis productis; neq; ad bonitatē Dei vel cōstituendam, vel conseruandam, vel augendā, & ornandā, quicquam conferunt creaturæ: ergo non est necessariū Deum velle producere creaturas. Pulchrè. n. regius vates Dauid illud cecinit. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Secundo. In essentia Diuina eminenter continetur omnis ratio boni, ergo voluntas Dei satiatur & expletur in volitione suæ bonitatis, nec ea quæ extra illam sunt, necesse est eum velle. Antecedēs ea ratione probatur quod Deus est prima causa omnium rerū efficiens, & quidē causa æquiuoca, quare quicquid boni & perfectionis est in reb⁹ creatis, id totum in Deo excellentiùs esse necesse est. Tertiò voluntas hominis, ideo necessariò vult suam fœlicitatem (omnes. n. naturaliter expetunt beatitudinem, & nemo velle potest se miserum esse) quia nomine beatitudinis apprehendit id in quo omnis ratio boni, & appetibilis continetur, & omnis ratio mali excluditur; quod autem tale est non potest voluntas nolle cum eius

eius obiectū sit bonū, vt bonum est: alia verò nō vult necessariò, quoniam vel in illis reperit aliquā mali rationem, vel certè non inuenit omnem rationem boni, & appetibilis: cū igitur Dei voluntas in sua essentia inueniat omnem rationem boni, quinetiā finitā quandā bonitatis exuberantiam, hanc solā necessario volet: creaturas autem, in quibus non inest omnis ratio boni, sed tā tū libatio, & participatio quædam bonitatis, diuinæ, nulla causa est: cur necessariò velle debeat Quartò. Si omnis perfectio creaturæ excellēter est in Deo: hominem autem habere liberū arbitrium respectu eorū quæ non sunt vltimus finis hominis existimatur in primis pertinere ad perfectionem, & excellentiam humanæ naturæ, cur simile volūtatis libertatē, nō tribuemus Deo respectu creaturarū? Quintò. Deus est ens simpliciter, & ex se necessarium: hæc enim est notio Dei omniū animis innata: ergo remoto quocunq; alio quod non sit Deus, ipse nihilominus obtineret suum esse, nec quicquā ob id perdere posset: alioquī Deus nō esset ens simpliciter, & omnino necessariū, siquidē posset nō esse alio sublato: At si Deus necessariò vellet creaturas, nō posset nō velle eas, & quia in Deo esse & velle sunt idem, remota volitione creaturarum, remoueretur etiā esse Dei: ex quo sequeretur Deū nō esse (quod tamen positum fuerat, & sanè cōcessu omnium est quā certissimum) ens simpliciter, & omnino, & perfectè necessarium ex se. Atque hanc quidem rationem Scotus in 1. sent. dist. 8. quæst. 5. existimat esse valentissimam ad eos conuincendos, qui aiūt omnia effici à Deo ex necessitate naturę. Sextò. Si Deus potest ex nihilo aliquid creare, ergo Deus non agit ex necessitate naturæ: sed quod potest creari ex nihilo, est indefinitum atq; indeterminatum: propterea quod ipsum nihil est indefinitum atq; indeterminatum, quare quod produceretur à Deo ex nihilo esset indefinitū atque indeterminatū, quod falsum est, si tamen falsum appellari conuenit, quod est impossibile. Minor syllogismi confirmata est in quinto libro huius operis, vbi de creatione disputātes docuimus Deū habere vim, & potestate creādi res ex nihilo.

Septima & vltima ratio, qua idē probari potest, sit hæc. Deus est infinitæ virtutis, ergo nō agit ex necessitate naturæ: patet cōsequentia, quoniam cum agens ex necessitate naturæ, agat quātū potest agere, si Deus habens infinitam vim ad agendum, ageret ex necessitate, infinitè ageret, & infinita produceret. q tamē falsum est. Et si est agens infinitū, sine dubio multo plura potuisset facere quam adhuc fecit, & multo plura posset nunc facere, quàm facit: si idem quoque agens ex necessitate, ergo necessariò plura fecisset quam facit & faceret plura quā facit. Quinimò, apud me

implicat cõtradictionẽ esse agẽs ex necessitate naturæ,& esse agẽs infinitę virtutis:deberet enim ab illo produci quantu potest produci hoc est effectus infinitus respondens potentiæ eius infinitę.Vel igitur nihil à tali agẽte produceretur vel produceretur actu infinitum,vel certè nihil definitũ,atque determinatũ assignari posset,quod verè diceretur ab eo produci:nam quacunque re finita producta,posset produci maior ab illo agente infinito, quinetiam fuisset maior necessario producta ab eo,cum sit agẽs ex necessitate,& agat secundum vltimum suæ potentiæ.

Probatur multis argumentis Deũ esse infinitæ virtutis.

Antecedens superioris argumentationis, hoc est Deum infinitę virtutis,probatur tripliciter:primò,quia Deus potest ex nihilo creare (vt alio loco ostensũ est) & verè creat animas rationales,& cruit intelligentias,atque cælos:ad creandum autem siue de nouo,siue ab ęterno,infinita opus est virtute.Tum,quia Deus conseruat omnia,eiusdem autem virtutis est creare res,& creatas conseruare,cum conseruatio nihil aliud sit,quàm cõtinuata quodammodo quędam creatio.Deinde,quia si Deus habet virtutẽ finitam,quæro,quis eam ipsi finiuit ac determinauit?non ipse sibi: sicut enim nihil à se producitur,ita nihil à se definiri & determinari potest,cũ hoc ipsum finire ac determinare,præsupponat naturam esse,ac virtutem rei.Nec alius præfiniuit Deo vim agẽdi: Deus enim est primum ens à nullo alio depẽdẽs.Præterea, quicquid finitur,aut finitur intrinsecè ratione principiorũ essentialium,quæ sunt materia & forma,vel extrinsecè ab agẽte: priori modo finiuntur substantiæ compositæ,posteriori modo substãtiæ simplices,vt intelligẽtię:De⁹ neutro modo finiri potest:cum sit & summè simplex,& primum omnium efficiens: ergo Deus habet virtutẽ infinitam. Dices,Deum habere virtutem finitam, quia ratio,& natura entis nõ admittit infinitatem.Sed istud inruditè dicitur,cum istud ipsum sit in quæstione an in natura entis possit esse infinitas virtutes:nos enim id asserimus,& merito asserimus,qui cõtra sentit,probet sentẽtiã suã, nostrasque rationes refellat.Deinde,esto,rationem entis non admittere infinitatem virtutis certè finitas virtutes quantacunque illa sit, non repugnat rationi entis, quod autem non repugnat rationi entis, non est denegandum Deo,& si hoc ei demitur,,sine caussa demitur.Si igitur Deus habet virtutem finitam v.g.vt decem,quæro, cur non habeat,vt viginti,vt triginta vt centum, & sic deinceps in infinitum:Nam si solùm infinitas virtutis ei repugnat, quãtacunque finitas,poterit ei cõuenire:cum autem quod est citra infinitum sit indefinitè finitum & indeterminatè determinatum & in æternis idẽ sit esse & posse:hinc necessariò cõsequens esset, virtutem

virtutem Dei esse indefinitam atque indeterminatam quod est absurdum ; nam actui, præsertim primo & purissimo qualis est Deus repugnat esse indefinitum,atque indeterminatum,quippe cum hæc indeterminatio ex radice potentialitatis proficiscatur. Verum hæc satis sint ad probandũ quod proposueramus, nimirum Deum non agere ex necessitate naturæ.

Sententia veterum Peripatth corum de libertate vel necessitate Dei in agẽdo.

Neque verò me quisquam vrgeat ac premat obiiciẽs mihi,id, quod Commẽtator scribit in opere,quod inscribitur Destructio destructionum disputatione 3.in solutione primæ & secũdæ dubitationis:& disputatione 11. in solutione primæ dubitationis, quibus locis affirmat, Deũ apud Peripateticos neq; agere ex necessitate naturæ,neq; ex electione,sed eminentiori quodam alio modo mortalib.incognito,& ipsi solo noto.Theologi etiã aiũt Deum non agere ad extra contingenter,cum hoc sonet mutabilitatem sed liberè.Nos enim de voculis,& modo loquendi non contendimus:illud tantum docere,ac persuadere volumus,creaturas non ita effici à Deo,vt non potuerint non effici ab eo: neque ita necesse fuisse mundũ condi à Deo,vt impossibile fuerit eum non fuisse conditum: hoc quo modo appelletur,quibus verbis explicetur vel à Philosophis,vel a Theologis,neque nos curamus,nec sanè vel ad contemplationem veritatis,vel ad rei à nobis propositæ demonstrationem,multum refert.

Nota sententiam hãc Alexandri & Simplicij.

Sed volo hic adscribere pulcherrimum quendam locum Simplicij,qui clarissimis verbis expressam continet sententiam eius & Alexãdri Aphrodisæi de libertate,& necessitate Dei in agẽdo. Cum enim Arist.6.Phy.tex.15. dixisset omne,quod mouetur posse moueri tardius,& velocius & dubitari posset de cælo,quod neque tardius,neque velocius moueri potest,quã mouetur:id quod ipsemet Arist.demonstrat 2.de Cælo text.35.Simplicius in expositione illius textus decimiquinti, qui est in 6.lib. Physic.tractãs hanc dubitationem ita scribit. *Pulchrè autem dubitat Alexander, quomodo in corpore quod fertur motu circulari,quod quidẽ mouetur æquabiliter verum sit moueri celerius & tardius? Et primum quidem infirmè soluit,vt existimo,dicens non dixisse Aristotelem idem monere celerius, & tardius, sed posse moueri quod dicit ineſſe etiam ei corpori quod fertur motu circulari,propterea quod à se motu proprio moueatur,& non vlla ad ductum necessitate,nec prohibeatur ab aliquo quominus aliter quoq; moueatur.nam nec boni bona faciunt adducti necessitate etiam si ea semper faciant,sed est in eorum potestate facere ea,quæ sunt contraria.Oportebat autem,vt existimo,mente reputare,primum quidem, quod boni dicũtur habere potestatem contrarij,quia etiam aliquando ex eo operantur : cælestia autem,& quæ sunt æterna.quomodo habuerint potestatem quæ nunquàm*

Exit in actum? Deinde, quod duplex est necessitas, vna quidem diuinior, ex qua necesse est, vt Deus sit bonus, & vt quæ pollui non possunt animæ, nunquam malæ fiant, Violenta autem altera, per quam coguntur etiam im probi à legibus non peccare. Atque etiam potestas similiter est duplex: vna quidem perfecta, altera verò imperfecta, & magis potestate. Cælestia ergo & necessitatem habent diuiniorem, vt semper simpliciter, & eodem modo moueantur, voluntatem in bono definitam, & perfectissimam, & à potestate dubia planè mundam. non enim diuinæ animæ bonum habent similiter ac humanæ. Sed hæ quidem finitum & quod aliquando mutatur in cõtrarium: illæ vero bonum infinitæ potestatis, & quod in eo quod est idẽ, est semper collocatum. Ex his Simplicij verbis liquido cernimus Simpliciũ idẽ propemodũ sensisse de necessitate Dei in agẽdo, quod Auerroes scriptũ reliquit iis locis, quę paulò superius citauimus: Alexandrum autem videri tribuere Deo libertatem quãdam nõ dissimilem eius quam Theologi assignant. Veteres sanè Peripatetici aiunt Deum liberè agere, quoniam agit cognoscendo, & volendo quod agit, nõ agere autem liberè, sicut nos, qui agimus ex electione & consultatione, & possumus agere indifferenter vtrumuis contrariorum, siue quod est melius, siue quod est minus bonum, Dei autem voluntatem affirmant necessariò determinatam esse ad alterum tantũmodo oppositorum, quod est melius. Negant item Deũ agere ex necessitate naturæ, quia non est sicut agens naturale, quod est determinatũ ad vnum tantũmodo effectum particularem: & quia non agit Deus sine cognitione & appetitu, nec agit vllius coactionis, aut violentiæ necessitate adductus. Eundem tamen docent agere ex necessitate naturę, ea ratione vt nõ agit liberè & contingẽter sicut nos, & quia voluntas eius est necessariò determinata ad vnum oppositorũ, semper enim & necessariò agit alterum oppositorum quod est melius, & quia sic agit, vt non possit non agere, quia causare & agere est perfectio, qua putant Deũ carere non posse, alioquin posset esse agens non actu sed potentia, in Deo autem & intelligentiis, nullam huiusmodi potentiæ admixtionem esse probat Arist. lib. 12. Metaphy. tex. 30. Denique, talem isti videntur in Deo ponere necessitatem agendi ad extra (vt vocant) hoc est erga creaturas, qualem Theologi attribuunt Deo in operationibus ad extra, hoc est in productionibus Diuinarum personarũ. Verùm hęc, quę de libertate & necessitate Dei in agendo secundum Peripateticos, breuiter dixi mus, ea latius tractantur ab Auerroe, & Simplicio locis supra mẽmoratis, præsertim autem in Commẽtariis eorũ super librum octauum Physicorũ, & à Proclo in libro suo de Æternitate mũdi, quæ nos in hoc libro, suo quodque loco diligenter explicabimus.

mus. Sed tempus est, vt ad certamen disputationis descẽdentes, manus cum aduersariis conseramus. & primo quidem loco ponemus argumenta Arist. tum Procli, deinde Auerrois, postremo quorundam aliorum Philosophorum.

Exponuntur & refelluntur argumenta duodecim, quibus Aristoteles vtitur ad æternitatem mundi & motus comprobandam, ex variis locis eius de prompta.

CAP. II.

PRimum argumentum, sumptum est ex 1. li. Phy. tex. 82. Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis, alioquin enim cum necessariũ sit aliquod subiectum omni generationi præexistere, & omni corruptioni superesse, aut daretur alia materia prior, quàm prima, aut eadem, quæ prima est, antequàm generaretur existeret, & post interitum superstes esset, oportet igitur materiam primam æternam esse. Non potest autem sine forma materia vnquam existere, quare procreatio formarum sempiterna est. Ex quo fit, vt motum & mundum sempiternum esse necesse sit.

Secundum argumentum, ex li. 8. Physic. text. 4. Ipsum mobile, prius est motũ, cuius est subiectum. Quare, si aliquãdo motus cæpit esse, subiectũ illius primi motus, quod ipso motu prius esse dixerimus, aut generatum fuit, aut sempiternum, sed cum generatio sine motu fieri nequeat, alius motus prior præcessisset primum motum: sin autẽ mobile sempiternum fuit, motu tamen carens credendum profectò est, aliquod impedimentum fuisse, vel in ipso mobili, vel in mouente, propter quod in tota illa æternitate, motus esse non potuerit, illo autem sublato, deinde motus esse cæperit: at talis impedimenti remotio, sine motu fieri nõ potuit: quare ante primum motum fuisset motus, quod est absurdum. Nunquam igitur motus cæpit esse.

Tertium argumentum, ex eodem libro tex. 10. Tempus sempiternum est. nam si cæpit esse verum erit dicere, aliquando tẽpus non fuisse, & nõ esse tẽporis prius fuisse, quàm esse illius, at prius, & aliquando, sunt differentiæ ipsius temporis, ergo ante generationem temporis, fuisset tẽpus. Quod si tempus sempiternũ esse necessarium est, motum item oportet æternum esse. Vt enim in 4. Phy. ostensum fuit, tẽpus, vel est motus, vel non est sine motu.

Quartum argumentum, ex eodem lib. tex. 21. Absque ipso, nũc, nullum tempus esse potest: omne autem nunc, cum sit præsens, est intermedium, nempe finis præteriti, & principium futuri:

nullum igitur tẽpus,aut esse aut cogitari potest, ante quod aliud tempus non fuerit,& post quod aliud tempus futurum nõ sit:ob quam etiam causam,motum,sine quo tempus esse nequit, principio & fine carere necesse est.

Quintum argumentum,ex eodem lib.tex. 15. Nihil inordinatum est eorum,quę secundum naturam fiunt.Natura enim causa est ordinis in omnibus,ordo autem omnis in quadam proportione cõsistit:infinito autem quasi tempore Deum quieuisse,postea verò aliquando mundum fecisse, huius autem nullã esse differentiam,quare nunc potius,quam prius, neque rursus aliquem ordinem habere,non amplius naturæ est opus:Nam quod secundum naturam fit,simpliciter ac semper ita fit, vt ignem naturaliter ferri sursum:aut si aliquando non ita fit,subest naturalis causa & probabilis ratio potest reddi, cur non ita fiat,vt in monstris euenit. Non igitur Deus ab aliquo initio mundum condidit.

Sextum argumentum, ex eodem libro tex. 53. & ex libro 2.de Generatione tex.56.Idem manens idem,semper est natum facere idem:cum igitur Deus semper idem sit,&immutabilis,ac semper eodem modo permanens, vel semper mundum fecit,& faciet,vel nunquam fecit,nec vnquam faciet,aliquando enim non facere,&aliquando facere,varietatem quandam arguit in opifice inesse.

Septimum argumentum,ex eodem libro tex.76.Motus circularis,non habet actu terminos,à quorum altero dicatur incipere, ad alterum vero terminari,sed semper est in principio,medio & fine,vel potius nunquã est in principio,medio,& fine,ex quo fit, vt motum circularem principio,& fine carere necesse sit.

Octauum argumentum , ex 1.de Cælo,tex.20. Cælũ est ingenerabile,& incorruptibile,nam quidquid gignitur,ex cõtrario,& subiecto gigni oportet,contrariorum autem corporum cõtrarij sunt motus,porrò motui circulari nullus alius motus contrarius esse potest, quò sit vt cælum contrario careat,ac proinde ortus & interitus expers sit.Non igitur mundus esse cæpit.

Nonum argumentum,ex eodem libro tex.22. Omnes gentes faciunt cælum locum,sedem,atque domicilium Deorũ , quod si locus congruens esse debet iis quæ in ipso sunt, oportet cælum sempiternum esse,quemadmodum Dij æterni sunt. Prẽterea,ex omni temporum memoria,quod quidem monumentis proditũ sit nulla vnquã aut in vniuerso ipso cælo,aut in aliqua parte eius facta mutatio dicitur quæ ipsum corruptioni subiectũ esse signi ficet. Quinetiam ipsum nomen cæli ab antiquis impositum, hoc quod diximus non obscurè indicat: æthera enim nominare voluerunt,quod ipsum æterno,atque irrequieto ambitu circumagi viderent.

Decimum argumentum,ex 12.lib.Metap.tex.30.Opifex Mundi eiusmodi est,vt substantia eius sit actus omni carens potentia, at si non semper operaretur, sed aliquando quidem ageret , aliquando autem ab actione vacaret, interdum esset opifex potentia,interdum actu,quare non esset omnino expers potentiæ. Ab æterno igitur Mundum condidit.

Vndecimum argumentum,ex eodem libro tex.48.Optima,ac perfectissima dispositio Intelligẽtiarum,est mouere orbes,& quę sub ipsis sunt,sic enim suam bonitatem,& perfectionem aliis rebus communicant,quod est maximè proprium boni,& perfecti: hac etiam ratione euadunt causæ aliarum omnium rerũ in genere causæ efficientis,& finis. Quare si mundus non est æternus, Intelligentiæ ab æternitate ociosæ,ac imperfectæ fuissent.

Duodecimum argumentum,ex 8.libro Phy.t ex.48.& 56.Deus & natura semper faciunt ex possibilibus,quod melius est,melius autem est mundum esse, ac semper esse, quam non semper esse, est autem hoc possibile,qui enim de nouo factus est,potuit ante fieri,& ab æterno fieri,nisi fortè potentia Dei varietur suscipiens magis &minus,Porrò,sicut melius est esse,quam non esse,ita melius proculdubio est semper esse , quàm non semper esse , mundum igitur semper fuisse, & semper fore melius est, quam non semper fuisse:Ergo Deus ab æterno mundum fecit.

Respondetur ad argumenta Aristotelis.

CAP. III.

IN Prima,secunda,& octaua ratione,ponitur ac sumitur,quasi certũ & indubitatũ , creationẽ esse omnino impossibilẽ, hoc est nullã rẽ ex nihilo posse,omnémque productionem cuiuslibet rei, vel esse motum,vel cum motu necessariò coniũctam:quod fundamentum, quám sit vitiosum & fragile, perspicuum est ex iis quæ docuimus quinto libro huius operis , vbi de creatione disseruimus & multis argumentis probauimus,creationem nõ esse impossibilem,quare iupradictas tres rationes Aristotelis , quæ tali fundamento nituntur atque fulciuntur,infirmas esse necesse est. Nam & primam materiam,& primũ mobile,& omnes cælos de nouo productos esse dicimus,nõ per motum Physicum & ex aliquo subiecto , vt Aristoteles argumentatur,sed per creationem ex nihilo.

Ad tertiam.Illa vocabula(prius)& (aliquando)hic nõ designãt

vllas differentias temporis veri & realis, sed vel imaginarij, vel tã tum significãt motum nõ semper fuissenõ secus ac illa (extra) vel (supra) mundum nihil esse, quo modo loquẽdi vtitur Aris. 1. li. de Cælo, tex. 99. non significant differentias loci, cum extra & supra primum cælum nulla sit differentia veri loci. Ad Quartã. eiusdem sententiæ est, negare motum & tempus æternum esse, ac omne nunc esse medium inter præteritum & futurum: qui. n. diceret ali quã lineã, cuius extrema nõ cernuntur, finitã esse, negaret vtique omne punctum illius lineę medium esse, id est principium, & finem lineæ, Quare sumitur in argumento, id quod est in quęstione. Ad Quintã. Ratio cõcluderet, si Deus ex necessitate mundum fecisset, oporteret. n. aut mundum ęternum esse, sicut est Deus, vel Deum nõ semper fuisse idoneum ad efficiendum mundum: cum autẽ nulla necessitate adductus Deus, sed liberè quę extra ipsum sunt producat, quẽadmodum in iis quę fiunt à libero arbitrio, nõ eadem ratio quærenda est atque in reb. naturalibus quæ fiunt ex necessitate quędam naturę, atque eodẽ ferè modo: sic etiã in Dei operibus non est idem requirendum, quod in aliis rebus, nec ea sunt exigenda ad normam agẽtium naturalium, nec ad leges naturę astringenda. Neque vero si voluntatis Diuinę nulla ratio certa, & manifesta assignari potest, cur tunc & non ante fecerit, ideo quod dicimus negãdum est, quàm. n. multa sint, quę nõ propter ea negamus, quod eorum causæ nos lateant? Ad Sextam. Ab agente per intellectum cuiusmodi est Deus, prodit effectus, nõ secundum esse illius, alioquin omnia haberent esse Diuinum, nec posset distinctio rerum corporearum, & incorporearũ ab ipso immediatè proficisci, sed tantum secundum præscriptionem atque definitionem intellectus & determinationẽ voluntatis Dei: vnde licet Deus æternus sit tamen quoniã ab æterno voluit mundum facere non quidẽ ęternum, sed nouũ; ideo non ęternus, sed nouus; extitit. Fuit igitur in Deo ęterna voluntas, vt esset mũdus nouus, Quare, nec in esse, nec in intellectu, nec in voluntate artificis, ob nouã molitionẽ mundi, mutatio vlla contigit. Ad Septimã. Principium & finis motus circularis, non penes mobile tãtum attendi debet, alioquin nullius corporis rotũdi motus vt pillę vel globi, aut initium, aut finẽ habere posset: sed penes motorẽ, qui ab æterno decreuerat vt aliquando motus ęli inciperet. fuit autem motus circularis cum ęlo productus à Deo: vel effectus est ab intelligentia, quę cum primũ orbis cælestis est à Deo cõditus, vim suam ad eum mouendum applicuit. Ergo licet motus circularis non habeat ex parte circuli certum aliquod initium vnde incæperit, habet tamen ex parte mouentis intelligentiæ (pẽdet autẽ ex

ex mouente duratio motus (quæ nõ semper mouit sed ab aliquo principio cępit moueri. Ad Nonã. Vt verum sit, cęlum ab omnib. Putari locum Dei, non tamen ex eo efficitur, vt sempiternum sit, quemadmodum Aris. placuit, non enim cælum sedes, ac domicilium Dei esse dicitur, quasi Deus illo indigeat ad conseruationem, vel ad habitationem, sed quia in eo supra cæteras res creatas, vim, magnificentiam, atque gloriam suam clarissimè ostẽdit. Vide enim, quàm multos ipse ex antiquis Philosophis commemoret, & in 2. tex. lib. 8. Phy. & in vltima parte 1 lib. de Cælo, qui lõgè aliter senserunt, quàm Aris. non facientes mundũ ęternum sicut ipse facit, Quod autem, nec in cælo, nec in aliqua parte eius vlla vnquam mutatio visa fuerit, id quidem arguit cælum esse incorruptibile, & ingenerabile motu Physico, non autem non esse productum à Deo per creationem. Ad Decimam. Esse opificem, vel creatorem, est respectus quidam Dei ad creaturas, in creaturis quidem realiter existens, in Deo autẽ nõnisi secundum rationẽ, & terminatiuè. Quare, aliquid de nouo facere, nullam nouitatem aut varietatem ponit in Creatore, sed tantum in creaturis, ideo enim dicitur de nouo creator, quia aliquid de nouo creatur ab ipso, propter nouitatem creaturæ, non ipsius creatoris: sed hoc infra exponetur accuratiùs. Ad Vndecimam. Otiosum, & imperfectum est, quod nõ obtinet finem suum, aut caret dispositione necessaria ad consequendam perfectionem suam. Dei autem, qui per se & absolutè est beatus, ac sibi sufficiens, finem aut perfectã aliquam dispositionem ponere in relatione aliqua ad creaturas, quarum ipse est auctor, absurdum est. Sicut igitur Deus ex se habet esse, & nõ in ordine vel ex relatione ad creaturas: ita ex se habet omnem suam perfectionem. Itaque, licet nulla esset res creata, nihilominus tamen Deus, æquè atque nunc est, beatus & perfectus esset. Ad Duodecimam. Non potest mundus æternus esse, aut certè meliùs est eum eon fuisse æternum: non quidem, quia opifex non fuerit semper æquè potens, & idoneus ad efficiẽdum mundum, sed quia vel repugnat creaturæ, vt Creatori suo coęterna sit: vel quia posita æternitate mundi, permulta videntur inde absurda sequi, vt infra monstrabimus, vel quia cum mundus ad demonstrandam Dei gloriam conditus sit (omnia enim, vt est in sacris literis, propter semetipsum operatus est Dominus) eius infinita potentia, libertas voluntatis, prouidentia omnium rerum, denique perfecta independentia à rebus creatis clariùs elucet in noua effectione mundi, quam in eius æternitate.

Verum de argumentis Aristotelis, hæc sint dicta: deinceps ad expositionem & confutationem eorum argumentorum, quibus

æternitatem mundi Proclus pugnaciter præfractéque defendit veniamus. Hæc autem argumenta, ex eo opere quod Philoponus eadem de re contra Proclum scripsit (nam Procli pro æternitate mundi scripta interciderunt) depromemus. Et quæ Philiponus refellens Proclum, cognitu digna prodidit, ea nos in hāc nostram disputationem, suo quodque loco, inseremus.

Viginti argumenta Procli pro æternitate mundi, & solutiones eorum.

CAP. IIII.

PRIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

SI mundus ortum habet, cur non ante factus fuit, quam nos asserimus esse conditum? Præsertim cū Deo tribuamus infinitam facultatem, & affirmamus mundum multo ante potuisse condi.

RESPONSVM AD PRIMVM PROCLI ARGVMENT.

Sicut, quia infinitum, aut in magnitudine, aut in numero, actu in natura constare non potest, (vt plurimis, firmissimísque rationibus demonstrauit Arist. tum in 3. libr. Phy. tum in 1. lib. de Cælo) sed necesse est rerum omnium & molem, & numerū finitū esse: ridiculum est quærere, cur non plura, & maiora, in mundo procreata sint à Deo, quādoquidem sine dubio poterat id facere, etenim cum illa quantacunque, & quotcunque forent, oporteret esse finita, semper eadem maneret dubitatio, cur nō plura, & maiora facta fuissent: Eadem ratione dicendum est de mundo, cum enim res mundi, sicuti nec magnitudine, atque numero, sic nec duratione infinitæ creari potuerint (vt mox docebimus) sed necesse est omnia aliquando primum cæpisse, ridiculum est quærere, cur non antè mundus factus fuerit, semper enim eadem hæreret quæstio. Adde, quod tunc, & non ante factum esse mundum, pendet ex voluntate sola opificis, cui tunc libuit facere, & non antea, ea enim agentia, quæ voluntariè, ac liberè operantur, plerunque ita agunt, tantum quia sic volunt vt pictor pingit nūc & non post, tantū, & non plus, interdū non aliā ob causam, nisi quia ita vult. Quocirca in his verum est illud, quod vulgò iactari solet, sit pro ratione voluntas. Et licet Deus nihil agat sine summa ratione mundúmq; tunc, & non ante vel post factum esse, non casū acciderit, rationem tamen huius rei quærere, ac perscrutari velle stultū est, cū plurimarum rerum, etiā viliſſimarū, quas ante oculos habemus, & sensibus vsurpamus, causas penitus ignoramus. Satis

Satis igitur sit, Mundum vel non potuisse vel non decuisse fieri ab æterno: cur autem nō ante, aut post sit factus, quàm est factus, cum id ex libera Dei voluntate pendeat & occulto nobis eius cōsilio, præstat piè ignorare, quàm curiosè ac superbè perscrutari.

SECVNDVM ARGVMENTVM PROCLI.

DE natura boni est, seipsum cum aliis communicare, suamque bonitatem aliis rebus quantum fieri potest, impertiri, & id maximè conuenit summo bono, qui Deus est. At si mundus non sit ab æterno, per æternum (vt ita dicam) tempus, Deus nihil egit, & suā bonitatem non communicauit. Quæro, aut potuit ab æterno mundum creare, aut non; si potuit, aut voluit etiā, quare fecit quid enim ei obstare potuit? si noluit, ergo non est summè bonus, & inuidia tāgitur: id quod impium est cogitare, ne dum loqui, aut sentire. Sin autem voluit sed non potuit, ergo est finita vi, & circumscripta facultate præditus, & inæquabilis, & non simplicissimus, quando in eo non est eadem, ac par voluntas & virtus, atque potentia.

AD SECVNDVM ARGVMENTVM PROCLI.

CVm dicimus mundum ab æterno non fuisse factum; nec de bonitate, nec de potentia opificis quicquam detrahimus: sed asserimus æternitatem aduersari, ac repugnare conditioni eius quod fit. Si enim mundus à Deo factus est, eb eo suum esse, ac durationem accepit; at si coæternus ipsi fuit, non potuit accipere. Nam quod semper est, quomodo ad ipsum esse produci potest? omnis. n. productio aliquid nouum necessario significat, loquor de productione creaturæ, quæ fit ad extra. Præterea, si mundus superatur ab opifice in essentia, in viribus, in actione atque perfectione, superabitur etiam in esse, ac duratione: quare mundus erit posterior ipso & non coæternus ei. Nullam enim, neque naturæ, neque artis procreationem cernimus, in qua causa non antecedat effectum. Præterea, si mundus est ab æterno, sequentur hæc absurda infinitum esse transactum, erunt enim vsque ad hunc diem infiniti anni transacti: & dari maius infinito, nam numerus annorum transactus infinitus, augetur per additionem annorū, qui sequun-

Cur Deus non fecerit mundum ab æterno.

norum,qui sequuntur:& multiplicari infinita,nam si species cum mundo sunt æternæ, secundum vnãquamq; speciem erunt transacta infinita,indiuidua,imo erunt præterita infinities infinita, nã vsq; huc præterierunt infinitę horę,& infinitæ dies,similiter hebdomadæ,menses,anni,lustra sæcula, & alia huiusmodi infinita. infinitum autem, neq; à finito, neq; ab infinito pertransiri posse demonstrat Arist.6.lib.Phys.Præterea essent actu infinitæ animæ rationales;siquidem illæ sunt immortales,& in vnoquoque homine vna.Nec valet dicere,infinitum in actu non repugnare iis,quę materia sitúq; carent:Nam Arist.in 3 Phys.41.de omni numero vniuersè loquens asserit eum infinitum esse nullo modo posse.Neque etiam valet dicere,Mundum secũdum partes æternas,vt Angelos,& orbes cælestes ab æterno exístere potuisse,non autem secundum partes corruptibiles & quæ per successionem multiplicantur;hoc.n.est dicere Mundum non nisi imperfectum,ac mutilum existere potuisse.Neq; rationi consentaneum est dicere, entia nobiliora,& perfectiora ab æterno fieri potuisse, ignobiliora verò,atq; imperfectiora non potuisse;si enim,quod maius est potuit fieri, ergo etiam, quod minus est:& si corpora cælestia fuissent ab æterno, æterno tempore fuissent priuata suo motu naturali,quorsum enim ab æterno mouerentur, si nihil potuit ab æterno per motum produci?& sic ab æterno Intelligentiæ motrices fuissent otiosæ,& sanè hoc nõ dicitur conuenienter congruenterque sententię Arist.qui & motum cæli,& species omnes,& generationem æternam esse pluribus in locis manifestè asserit Præterea;hinc necessariò fieret,vt infinitum,qua infinitum est,cognitum esset.Intelligentiæ.n.cum æternæ fuerint, infinitũ quod iam transactum est cognoscerent:nam si cognitionem horum inferiorum ipsis adiment, attamen conuersionem cælestis globi quam quæq; conficit necessario cognoscit:conuersiones autem eiuscemodi quemadmodũ & dies innumerabiles iam extiterunt. Quocirca infinitum percipitur ab ipsis.Nisi quis (quod tamen absurdissimum est)fingeret oblitionem præteritarum rerum in eas cadere:quod si infinita cognoscunt,vnaquæque erit infinitæ virtutis,ac essentiæ:nam plura simul perfectè cognoscere, est maioris perfectionis,ergo simul infinita, erit perfectionis infinitæ: erunt igitur non vnum infinitum actu,verum complura.

Si quis autem putet,Mundum,& si non est æternus,potuisse tamen fieri ab æterno,posset aliter ad hoc argumentum ita respondere.Licet Deus potuerit creare mundum æternum,id tamen facere noluisse,quoniam ita melius erat; vel quia ex noua molitione mundi,manifestius, certiúsq; cognoscitur perfectio, & gloria Dei

Dei (cuius causa mundus est conditus) quàm ex æternitate eius: vel alias ob causas, quæ nos mortales humanæ insciticæ caligine circunfusos,ceu alia pleraque,latent.

TERTIVM ARGVMENTVM PROCLI.

ALiqui effectus sunt simul cum suis causis efficientibus,neque priores, neque posteriores ipsis:exempli gratia, corpora opaca quæ sunt in lumine, sunt simul cum ea vmbra, cuius causa sunt: Sol etiam efficit lumen,cum quo tamen simul est, neque antecedens ipsum,neque subsequens. Ergo mundus, etsi à Deo sit conditus,nihilominus tamen potest esse coæternus ei Neque pugnant hæc inter se,vt effectus sit tempore simul cum causa efficiente.

AD TERTIVM ARGVMENTVM PROCLI.

EXemplum vmbræ,vitiosum est duab.de causis:primum quidem,quoniam vmbra non est per se res aliqua,sed tantum mera negatio,seu priuatio luminis; at Mundus est res quædã habens consistentiam.Sed dicet quispiam, vmbram non esse meram negationem luminis:alioquin esset tenebræ, atqui in vmbra colores cernimus,qui sine lumine videri nequeunt; est itaque vmbra lumen quoddam imperfectum.Verùm hoc soluitur ad hunc modum.Vmbra lumen quidem habet,at non à corpore cuius est,sed ab illuminante;quòd tamen lumen illud sit imperfectum & maiori perfectione carens(id quod priuationem quãdam esse constat) causa est ipsum corpus opacum, impedit enim obstátque ne illa pars aëris possit perfectè illustrari à sole. Rectè igitur in principio dictum fuit,vmbram quatenus efficitur à corpore opaco,solum esse priuationem luminis:nam vmbra vt est lumen, est ab illuminante;vt est subobscurum & imperfectum lumen,est ex corpore opaco. Deinde alio quoque vitio exemplum vmbræ laborat; neque enim omnino verum est, corpus quod est in lumine, vmbram necessario emittere. Nam si sol in eo puncto sit, quod corpori respondet ad verticem quemadmodum apud eos accidere solet, qui incolunt loca subiecta æquatori, vel quæ vsque ad tropicos extenduntur, palam est sine vmbra esse ibi corpora subiecta, ea certè quæ cum terra ita continuata sunt, vt nihil aeris interiectum sit. Vmbra igitur, tum quòd nihil est, tum

Quid sit vmbra an ens positiuum, an tantum modo priuatium.

necessario producitur à corpore quod est in lumine, non potest esse imago, & exemplū idoneū eius, quod in præsentia inquirim⁹.

Pulchra considera tio luminis solaris

Alterum exemplum, nihilo plus valet ad propositum concludendum, quàm prius. Etenim lumen solis est duplex: Vnum, quod in ipsius Solis globo hæret, quòd Solis, vt astrum quoddam est, essentiam proculdubio constituit, ab eo enim Sol obtinet, & vt sit Sol, & vt Sol nominetur: quocirca effectus eius esse nullo modo potest. Mundus igitur, qui effectus à Deo esse, & ad naturam eius nulla ratione pertinere ponitur, non rectè comparatur cum tali lumine. Alterum lumē est, quod à Sole diffunditur per aera, ipsum colluſtrans; hoc autem subinde gigni, atq; interire, constat ex eo, quod ipsum excipiunt tenebræ, & Sole nubib. obducto, interciditur. tale autem lumen dependet à Sole, habens esse suum in fieri perinde atque motus, & tempus. Vnde cùm primum corpus quod illuminat disiungitur, statim, quod erat in aere, lumen, ita deficit, vt amplius non sit. Existimamus igitur semper in aere nouum lumen gigni. Nam non aliter per continuationem quandam à corpore lucido, lumen in aera defluit, quàm aqua de fonte scaturire solet: vel certè moto Sole non idem lumen manet in aere, sed aliud gignitur; non. n. lumen est corpus qđ moto Sole ipsum quoque ex vno loco in alium locum secundum Solis motum moueri queat, sed est accidens in subiecto sic inhærens, ex eoq; sic pendens, vt sine interitu sui, ab eo non possit abiungi. Neque verò lumen quod est in aere tantummodo interit; verum etiam illud, qđ cælestib. globis impertitur à Sole. Cui rei fidem faciunt eclipses Lunæ, cuius lumen in defectionib. quidē, totum comfertim deficit, sensum autem in reliquo toto tempore. Cætera autem astra idem lumen perpetuo retinere videntur, propterea quod ob continuationem orbium nihil incurrere potest, quod ea obscurare queat. Tale autem lumen obnoxium esse interitu etiam ipse Proclus affirmat in eo libro, quem scripsit de lumine. Quare lumen quod est à Sole profectum, non erit simul perpetuo cum ipso Sole. Non igitur refert similitudinem Mundi, qui ponitur vna esse ab æternitate cū ipso opifice. Ex hisce igitur quæ diximus, perspicuum factum est, neutrum Procli exemplū ad ostendendum Mundum coæternum opifici esse potuisse, accommodatum esse.

Posset etiam argumento Proclialiter occurri. Etenim si ponatur vmbra & lumen esse suis causis efficientibus coæterna, nihil videtur sequi manifestè absurdum & impossibile. At opinioni quæ ponit mundum Deo coæternum, necessariò & apertè consequentia sunt quamplurima grauissimáq; incommoda, quę supra in cōfutatione secundi argumenti indicata sunt, & infra subtilius exponen-

exponentur. Qui autem opinantur Mundum potuisse fieri ab æterno, responderent; Proclum quidē suo illo argumento probare Mundū potuisse fieri coæternū Deo, quod ipsi non negant: non tamen fuisse factum æternū: id quod nunc in quæstione versatur.

QVARTVM ARGVMENTVM PROCLI.

EST æterna Idea Mundi, ad quam Deus respiciens, Mundum fabricatus est; Ideæ autem essentia in eo consistit, quòd est, exemplar esse alterius, quod est imago eius. Exemplar autem & imago, cum sint ex numero eorum, quæ cum alio conferuntur, simul sunt, neq; vnum sine altero constare potest. Ex his necessario cōsequens est, vt quandoquidem Idea & exemplar Mundi æternum est, Mundus itidem, qui est imago eius, sit æternus. Alias necessarium est, aut exemplar non esse æternum, si imago eius non sit; aut esse exemplar sine imagine; aut Mundi exemplar nullum esse; quorum omnium nihil est quod cum veritate, ac recta ratione nō pugnet.

AD QVARTVM ARGVMENTVM PROCLI.

PRrima Hypothesis, esse Ideas omniū rerum, quales Plato ponebat. Platonis quidē illa est sententia: Verum difficilis creditu, & ab Arist. plurimis locis accerrimè oppugnata & penè labefa ctata. Cæterum disputationis gratia, cōcedamus eā Proclo. Altera tamen, quam ei subiungit, est manifestè falsa: nempe quòd essen tia Ideæ sit referri ad aliud, hoc est esse exemplar alterius. Etenim aut Idea Mundi est substantia; aut nō est; & sanè Plato Ideas substantias primas & nobilissimas esse censeti; & cum Mundum animal quoddam perfectum, & substantiam eodem statu permanentem appellet, multo magis ipsum eius Archetypum substantiam esse oportet. Si Idea Mundi substantia est, essentia eius non consistet in relatione ad aliud, est. n. substantia ens absolutū, nullius vel subiecti vel termini adminiculo, vt cōsistat, indigens. Ea verò quę referuntur ad aliud, accidentia sunt, & non per se cohærent, sed fundantur in alio, & opponuntur inter se, quę substantię nullo modo conueniunt. Non erit igitur essentia Ideæ, exemplar esse alterius, & referri ad aliud. Quod si Idea Mundi non in eo, quod sit exemplar Mundi, suam essentiam obtinet, non est necesse, si Idea

An exæternitate Mūdi, rectata. Etè conclu datur æternitas Mundi.

Mundi æterna fuerit, continuò Mundum quoque æternum fuisse. Sicuti, quia essentia Sophroniſci non est posita in eo, quod est esse Patrem Socratis, non sequitur, vt statim atque fuerit Sophroniſcus, fuerit etiam Socrates, sed bene cum primum Sophroniſcus cœpit esse pater, tum quoq; necessariò fuit Socrates. Sicuti etiam Rex est exemplar eius imaginis, quæ ad similitudinem illius effingitur, & tamen quia essentia regis non consistit in eo, quod est exemplar esse alterius, non sequitur, vt statim atq; Rex fuit etiam fuerit imago eius. De Idea Mundi eodem planè modo & sentiendum, & loquendum est. Si autem Ideæ substantiæ non sunt per se subsistentes, erunt notiones, ac rationes quædam, secundum quas opifex, qui eas animo comprehensas tenet, operatur. At ne sic quidem necesse erit vt vna cum rationib. artificialib. sint opera, quæ secundum ipsas fiunt. Etenim domorum, & nauiũ fabricatorem esse licet, qui domus vel nauis Idea in mente habeat, nondum tamen secundum eam fabricetur. Quare ne sic quidē necessario sequitur, vt si Mundi Idea sempiterna sit, mundum quoq; sempiternum fuisse necesse sit. Quinimò, si Deus qui summa Prouidentia omnia gubernat, res antequam sint, præuidet atque prænoscit vt est communis omniũ animis insita sententia, & hoc testatur Proclus in opere, quod de decem contra Prouidentiam dubitationib. composuit, & Plotinus in libro, quē de iis quæ mente percipiuntur, & de Bono conscripsit; palam est, omnibus rebus quæ oriuntur, Ideas, & rationes architectrices antecedere. Deniq;, si Deus ageret ex necessitate naturæ, fortasse Procli argumentum probabilius esset, cum autem non sic, sed liberè agat, nec eius naturalis perfectio ex molitione Mundi pendeat, vt supra ostendimus, nulla ratio est, ex æternitate Idearum quæ naturaliter sunt in Deo, quinetiam re sunt idem quod Deus æternitatem rerum, quę liberè à Deo ad earum quæ in ipso sunt Idearum similitudinem effectæ sunt, velle concludere. Nam nec homines qui ex arte operantur libere, necesse est simul atq; alicuius operis formam, & Ideam animo expressam tenent, opus ipsum perficere: sed plerunque euenit Ideam operis, esse ipso opere antiquiorem.

QVINTVM ARGVMENTVM PROCLI.

CAusa efficiens, aut semper est actu, aut aliquando est potestate tantùm; & siquidem actu semper sit, effectus etiam semper erit; causa enim si actu fuerit, effectus actu erit, & si illa potentia, hic quoque potentia. Præterea, id quod est potentia, reducitur ad actum, ab eo quod est actu, vt calidum potentia, à calido actu:

tia, à calido actu: similiter opifex potentia, euadet artifex actu, ab eo qui est iam actu opifex. Opifex igitur Mundi, vel semper fuit actu efficiens Mundum, & sic Mundum item semper fuisse necesse est, vel aliquando fuit in potentia efficiens, ergo ab alio efficiente qui actu fuit reductus est ad actū. Sed quæro de hoc, an semper reducebat illum ad actum, & sic ille semper actu fuisset opifex, id quod repugnat positioni: vel nō semper reducebat, sed poterat tantùm reducere, ergo erat aliud, à quo ex tali potētia ad talem actum traheretur, & similis quæstio de hoc fiet, & de alio item atque alio, aut igitur erit progressus in infinitum in efficientibus, quod manifestè falsum, atque adeo impossibile est, aut necessariò fatendum erit opificem Mundi semper actu efficientem fuisse, & proinde Mundum semper extitisse. Quare Mundus æternus est.

AD QVINTVM ARGVMENTVM PROCLI.

De duplici potētia & actu.

DVplici significatione nomen potentiæ vsurpatur apud Philosophos. Primò, pro naturali quadam habilitate, vti puerū adhuc rudē, dicimus potētia Grāmaticū esse, propterea quod sit aptus ad eā discendā. Deinde, pro habitu, quo præditus, potest bene prōptéq; operari, sed fortasse vel aliis reb. occupatus, vel quia non vult, nequaquā operatur: vt qui iā artē Grammaticæ didicit, potest quidē, at nō semper Grāmaticè agit. Et hic quidē habitus, respectu prioris potentiæ, potest appellari actus sed respectu earū actionum, quæ proficiscuntur ex ipso, dicitur potentia, potest igitur hic habitus, si comparetur cum præcedente potentia, nominari actus primus, ad differētiā secūdi, qui oritur ex ipso: si verò cōferatur cū actu quē ipse gignit ac parit, potest ritè nūcupari potentia secunda, ad differentiā primæ, quę præcedit talē habitū. Est igitur duplex potētia, prima & secunda, duplex item actus, primus, & secundus. Sed potētia secunda, & actus primus, re non differunt, sed ratione tantū. atque hanc quidem distinctionem potentiæ, tradit Arist. in 8. li. tex. 32. & li. 2. de Anima, tex. 54. & 55.

Ex his perspicuū est illud primū pronūciatū Procli, si causa est actu, effectus quoq; erit actu, intelligendum esse de actu secūdo, non primo: exempli gratia, si præceptor actu docet Grāmaticam,

necesse est aliquē esse, qui actu doceatur Grammaticā: & si edificator iā ædificet erit quoq; aliquid quod ædificatur. At de primo actu non est verū. Fit enim, vt ædificator partum habeat ædificādi habitum, ipse tamen actu nō ædificet, neq; quicquā ędificetur.

Secundū autē pronunciatū, nempe id quod est in potentia tale, reducitur ad actū ab eo quod est actu tale: intelligendū est de eo, quod est in prima potētia: puer qui potest esse Grāmaticus euadet Grāmaticus actu, eruditus, doctusq; ab eo, qui actu tenet Grāmaticam. Nō est autē verū in secunda potentia: is enim qui iā cōparauit sibi habitū Grāmatices, si quando non operatur, est tūc in potentia, sed ex tali potētia nō excitatur, vel traducitur ad actū ab alio, sed à seipso cū vult: aut si agens fuerit naturale, vt ignis, cū amotū fuerit impedimētū obstās eius actioni. Quocirca licet ex hoc colligere opificē actu primo, nō necessariò esse simul cū effectu tū etiā, eum, qui sit opifex habitu, qui vt diximus appellatur potentia secunda, non ab alio, sed à seipso traduci ad actum.

Hinc elici potest solutio argumenti, quod est fallax & captiosum ob homonymiā vocabuli Potētia & Actus. Affirmamus Deū esse opificē habitu, vel secunda potētia, nō quod in eo sit aliquis habitus, vel aliqua potentia, sed ob similitudinem quādam & quo planius res intelligatur; virtutem diuinam, secundum quam non semper operatur, quando vult tamen, optimè, facillimè, promptissimēque operatur, nomine habitus, & potentiæ secundæ nominamus, Cum ergo Deus, non fuerit ab æterno opifex Mundi actu, sed vt ita loquar, habitu: quoniam ab æterno habuit perfectissimam vim atque potestatem condendi mundum: sed quia voluit ab æterno, vt Mundus de nouo conderetur, & initium aliquod suæ durationis haberet, ideo sine vlla sui mutatione, tunc, quando decreuerat, Mundum de nouo cōdidit. cum igitur ita res habeat, non oportet Mundum simul esse cum ipso Deo, neque Deus reducetur actu condendum Mundum ab alio, sed à seipso. sicut pictor callens scientiam pingendi, iam non indiget alio cuius ope adiutus pingat, sed quandolibet ei, pingere potest. Alia etiam, quæ assumuntur in argumento, non sunt omnino veræ vt illud, Omne quod in potentia est, reduci ab alio actum. Duæ sunt enim viæ sciendi, ex sententia omniū Philosophorum, via disciplinæ, & via inuentionis: qui enim indoctus abundantia quadam, & naturali fælicitate ingenij, per se aliquam scientiam inuenit, is ex potentia sciente fit actu sciens, à se non ab alio. Neque illud alterum verum est, Quidquid est potentia tale, ab eo, quod est actu tale, reduci ad actum: stirpes enim fiunt actu dulces albæ, vel alio colore affectæ, non ab eo, quod est actu dulce, vel album, sed beneficio aquæ, qua irrigantur, & solis, & hoc perspici potest in omnibus generationibus, quas naturales Philosophi æquiuocas vocant. Nisi propositio intelligatur, non de eo, quod est actu tale formaliter tantum, sed vel virtualiter, sed formaliter.

SEXTVM ARGVMENTVM PROCLI.

DEus auctor est Mundi omnino immutabilis: ergo vel ab æterno Mundum fecit, vel nunquam fecit: nam si quando non fuit factus Mundus, & aliquando fuit factus, ergo Deus ex non faciente ad faciendum mutatus est, quare Deus mutabilis est. Et cum omnis mutatio sit imperfecta quædam actio tempore indigens, & ad perfectionem aliquam acquirendam tendens: tempore inquam indigēs, vtpote, sine quo nullus motus perfici queat, erit Deus imperfectus aliquo indigens. Quamobrem, qui æternitatem Mundi negant, etsi cupiunt esse pij erga Deum, sunt tamen, (vt ex iis, quæ iam diximus perspicuum est) erga ipsum valde impij. Possumus igitur breuiter concludere totam rationem ad hunc modum. Si Deus prius non faciebat Mundum, & postea fecit, ergo mutatur, si mutatur, ergo mouetur, quoniam omnis mutatio, vel est motus, vel non fit sine motu: si mouetur, ergo est imperfectus: quod enim dealbatur non est perfectè album: si etiam mouetur, indiget tempore quoniam motus necessario fit in tempore. Quæ si absurda sunt, & omnia tamen pendent ex illo, quòd Deus ex non faciendo ad faciendum migrauerit, certè illud falsum erit, quare ab æterno Deus Mundum fecit.

AD SEXTVM ARGVMENTTM PROCLI.

VErum est, motum esse actionē imperfectā: & omnem mutationem, vel esse motum, vel non esse sine motu. Sed quod omne transiens à non faciendo ad faciendum necessario, motum subeat, falsum est: nam non faciens, habitu tamen & potestate faciēdi præditus, postea, quū ei libet, ex tali habitu actiones promit absque vllo motu. Si enim ex habitu faciēte euadit actu agēs per aliquē motum, is vel erit diuersus ab effectione, vel erit ipsa effe-

ctio si erit diuersus, vel erit habitus, & hoc non, quoniam habitus rationem quietis potius, quam motus habet, quod enim habitu est tantũmodo agens, quiescere potius, quam moueri dicendum est; vel erit aliquid medium inter habitum & effectionem; & hoc non, quia in eodem instãti finem facit non agendi, nullo tempore intercedente: in quo talis motus fieri queat; alioquin in illo medio tempore, neque faceret, neque non faceret, & sic inter contradictoria esset medium. Erit igitur ipsamet effectio motus; at si ita sit, cum iuxta sententiam eorum, Deus semper Mundum efficiat, etiam semper mouebitur, quare semper imperfectus, ac tẽporis indigens erit. Quare in eorum caput solers ipsorum inuentũ relabitur. Non est autem omnis actio, motus, neque imperfecta, neque temporis egẽs; vt sensus, & mentis actiones, quæ neq; motus, neque imperfectæ sunt, neque interuallo temporis fiunt. Præterea, si effectio esset motus quo moueretur ipsũ agens tunc motus esset in mouẽte, at non est in mouente sed in mobili; est enim actus mobilis, prout est mobile, quemadmodum Arist. definit. in 3. Phys. & Arist. 2. de Anima text, 57. & 58. ait ex habitu ad actum quempiam transire sine vllo motu. sic enim ibi scribit *Quocirca nõ rectè se habet dicere ipsum sciens cum scit alterari, sicut neque ædificatorẽ cum ædificat.* Hoc est is qui habens scientiæ habitum, deinde actu scit, & contemplatur, transit ab habitu ad actũ sine vlla alteratione; quod si talis non alteratur, neque simpliciter mouebitur, non enim augebitur, vel minuetur, vel loco mouebitur. Non est autem magis perfectus Deus, quando aliquid actu procreat, quàm erat antea cum potentia tantum procreans erat: est enim per se, ac sine alterius rei adminiculo omni ex parte perfectus; alioquin opera quæ facit Deus, Deo perfectionẽ tribuerent, & pertinerent ad essentiam Dei; quæ enim naturam alicuius perficiunt, partes sunt eius, vt rationale hominis, vt manus totius corporis. Mundus igitur pars erit Diuinæ essẽtiæ, erit igitur corpus Deus, corporeisque affectionibus obnoxius. Quod si Deus perfectus non sit, nisi Mundus ab æternitate cõsistat, Deus perfectionem suam accipit à Mundo, quare plura accipiet à suis operibus, quà illis ipse impertiatur. Cum enim illis det, vt sint, ipse ab illis accipiet, vt perfectus sit: pluris autem est perfectio Dei, quam natura cuiusuis rei creatæ. At qui potest hoc fieri? si enim perfectio ab essentia eius non differt, sicut Deus esse non accipit à Mundo, ita neque, perfectionem: & sicut esse Deus non pendet à Mundo, sic neque perfectio eius. Adde, quod perfectio est in eo quod perficitur, at creatio & productio Mundi, & aliarum rerũ effectio, transeunt in res quæ fiunt. Et cum Proclus tribuat Deo prouidentiam & efficientiam

cientiam rerum etiam extremarũ atque minutissimarũ, quarum tamen quædam extinctæ sunt, quædam nunc constant, aliæ verò futuræ sunt, necesse est dicat Deum potestate opificem nunc esse, respectu rerum futurarum, nam si actu opifex sit, res futuræ actu iam præsentes essent ex ipsius sententia, si igitur potestate opificem esse, imperfectionem esse Proclus existimat, semper autem in mundo aliqua à Deo procreanda sunt, respectu quorum dum futura sunt, est opifex potentia, necessarium habet omnino dicere Deum semper imperfectum esse.

Porrò, sciendum est actionem posse duobus modis considerari, vno modo secundum id quod ponit actio vt actio, in agente: deinde quatenus infert ex se passionem vel effectum: primo modo actio Dei est in actu ab æterno, non autem secundo modo: priori modo Deus non est causa in potentia, seu in actu ab æterno, posteriori modo Deus nõ fuit ab æterno actu efficiens causa. Mundi, quia non creauit Mundum ab æterno. Et aduerte, mundum, & alios effectus esse in Deo antequam fiant in potẽtia actiua, neque hoc est absurdum, solum enim de iis quæ formaliter sunt in Deo, inconueniens est ponere aliquid in potentia in ipso Deo. Quocirca, oportet actionem secundũ id totũ quod ponit in agente, formaliter esse actu in Deo ab æterno, hæc autem actio Dei & vis atque potestas omnium effectrix nihil aliud est quàm efficax Dei voluntas, quæ in se semper est actu & inuariabilis, tunc autem ab ea procedit effectus, quando vt procedat, & à sapientia Dei præscriptum, & à voluntate eius determinatum fuit.

SEPTIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

SI Mundus conditus est, & peribit necesse est tempus, quod vna cum Mundo necessario cohæret, ortum quoque, interitúmque habere: quare aliquando non fuit tempus, & aliquando non erit tempus, sed (Aliquando) certum quoddam tempus significat, ergo aliquod tempus, quando nullum tempus erit: fuit tempus, quando non erat tempus, & erit: quæ cum sint inter se pugnantia, necessarium est, Mundum ab ęterno fuisse.

AD SEPTIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

ESt captiosum argumentum. Etenim verbum illud (Aliquando) non significat propria, & naturali vi sua tempus aliquod

certũ,sed tantum significat aliquid, vel non fuisse semper, vel nõ fore nunquam.Cũ enim dico crastinus dies aliquando erit, illud (Aliquando) non sonat aliquod certum tempus, in quo crastinus dies futurus sit, alioquin illud tempus etiam esset aliquando, & rursum illud, ac ita deinceps in infinitum : sed tantum significat crastinum diem, neque semper, neque nunquam sed medio quodam modo futurum. Cum igitur dicimus aliquando Mundus est factus, intelligimus Mundum non semper fuisse, sed habuisse ortum,& principium, similiter cum dicimus aliquando Mundus non erit,intelligimus Mundum, vel motum non semper futurũ: sicuti Verbum, erat,vel fuit, non semper tempus aliquod significat,quoniam hæc tribuimus Deo, qui nullo pacto subest tempori.Plato enim in Timæo dixit,quoniam Deus probus erat, & nequaquam inuidus, Mundum condidit, & sicuti quando dicimus extra, vel supra cælum nihil est, in hac oratione(supra)&(extra) non significant aliquam differentiam loci, nisi imaginariam, sic (aliquando)cum dicimus, Mundus aliquando cæpit, non significat tempus,nisi imaginarium.

OCTAVVM ARGVMENTVM PROCLI.

MVndus dissolui non potest, ergo neque vnquam factus est:patet consequentia, nam si quod generatum est,aliquando interibit, ergo ex oppositio consequentis,quod interire nequit, vt est apud Platonem in Phædro,nunquam generatum fuit.Antecedens probatur,nam Mundus à solo Deo,qui fecit ipsum,dissolui potest: is enim rationem soluendi nodum tenet,qui fecit nodum : atqui Deus nunquam dissoluet,nã quod bene & cum ratione colligatum,& copulatum est,velle dissoluere,improbi est: vel igitur Mundus non fuit bene compactus à Deo, quare in eo faciendo bonus artifex non extitit,vel si bene factus est improbi erit ipsum velle dissoluere. Quare cum nefas sit opinari Deum vel in faciendo Mundo non optimum fuisse artificem,vel in eo dissoluendo improbum euadere,planum est mundum dissolui non posse.

AD OCTAVVM ARGVMENTVM PROCLI.

AN non corpora nostra, & animantium item atque stirpium pulchrè cõpacta sunt? vel igitur hæc Deus vult dissoluere, vel

vel non vult, si non vult, quomodo contra voluntatem eius dissoluuntur? si vult, quomodo improbus non est, qui quod bene compactum est vult dissoluere? Quod si dicas, hæc corpora mortalia non à Deo proximè effici, sed à Diis secundis, vel à causis naturalibus procreari : hoc nihil obstat, quominus & ipse Deus, qui causis secundis vim agendi tribuit, & cum ipsis ad efficiendum concurrit, malus sit, & Dij secundi, seu causæ naturales, improbæ sint quæ res pulchrè compactas dissoluant. Sanè qua bonitate ductus initio mundum fecit, eadem si voluerit, dissoluet,etsi dissolutionis ratio nos lateat,neque enim ea,quorum causas ignoramus,temerè,aut male fieri arbitrari debemus. Posteà, facultas quæ ad actum nunquam deducitur, imperfecta & otiosa est,vt solent ipsi dicere, cum igitur Deus habeat facultatem dissoluendi Mundum,quomodo enim,qui nodum fecit & vinculum colligauit,nesciat aut non possit ipsum dissoluere? vel igitur hæc facultas promouebitur ad actum, quare Mundus aliquando dissoluetur, vel nunquam reducetur ad actum, quare talis facultas imperfecta,& otiosa erit. Adde,quod nec Aristoteli placeat,in æternis aliquid esse,quod potestate tantum sit, vnde est illa eius sententia 9.libri Meta.tex.17.Nihil potentia æternum est. Et illa etiam in 3.Phys.tex.32. in perpetuis non differt posse ab ipso esse. Deinde, si soluere Mundum malum est, cùm igitur Deus possit Mundum soluere, habebit vtique Deus facultatem malè agendi, & vt aliquando malus euadat. Quare, vel in Deo non est facultas dissoluendi Mundum,& sic in ipso fuit facultas condendi, vt supra diximus, vel si est,aut soluere Mundum nõ est malum,aut in Deo inerit facultas mali.

Possumus etiam aliter ad hoc argumentum, breuiter respõdere ad hunc modum: quicquid ortum est per motum Physicum,& ab agente Physico,potest etiam similiter interire per motum Physicum & ab agente Physico,& è contrario, quod potest interire per motum Physicum,fuit etiam similiter generatum, & hoc intellectu verum est illud Platonis & Aristotelis axioma, quodcunque est generabile est corruptibile,& quodcunque est corruptibile est generabile : & item,quicquid cæpit esse aliquando desinet esse,& quod aliquando desinet esse,aliquando etiam cæpit esse. At quod cæpit esse per creationem à Deo productum,potest quidem nunquam desinere esse per motum Physicum & potestatem agentis Physici,sed potest tamen desinere esse per potentiam Dei qui ipsum creauit,& hoc quidem perspicuè cernitur in anima rationali,idem autem de mundo sentiendum est.

NONVM ARGVMENTVM PROCLI.

VNiuersi anima ortu caret & interitu, ergo Mundus quoque ortu, & interitu vacare debet. Consequentia patet, quia non potest animal interire, aut non esse, cui anima eius semper adsit. Antecedens probatur, quoniam anima Mundi à seipsa mouetur. Quare Plato in Phædro ait, animam nunquam natam, aut caducam esse.

AD NONVM ARGVMENTVM PROCLI.

AN non etiam iuxta Platonem, anima nostra à se mouetur & immortalis est, corpus autem quod ab ipsa mouetur, & ortum, & interitum habet? An non infirma ratio est quæ nititur decreto Platonis non valde certo, neque à multis recepto, nimirum quod essentia animæ in eo sit, vt moueatur à seipsa, & sit principium mouendi? Neque placet Aristoteli, vnam esse Mundi animam à Deo diuersam, à qua cuncta regantur corpora, sed solis orbibus cælestibus immortales animas suã cuique attribuit, quarum motionibus omnia quæ infra Lunæ orbem sunt, regi, foueri, & moderari censet. Quare quod hic à Proclo de anima Mũdi dicitur, à nobis non conceditur. Adde, quòd qui negant Mundũ æternũ esse, hos consequens est, vel negare animã Mundi cæteràsque intelligentias æternas esse, sed fuisse eas simul cum mundo procreatas vel dicere illas non habere adeo necessariã cum mũdo connexionem, vt sine ipso & ante ipsum esse non potuerint. Quare sumere æternitatem animæ, tanquã rem certam & indubitatam, & ex ea concludere æternitatẽ Mundi, quasi absque Mũdo anima esse nõ potuerit, est duplici nomine vitiosam facere argumentationẽ, tum quia sumit pro certo, quod est dubiũ, tũ quia ex hoc conficit id, quod ex illo nõ concluditur necessariò. Deinde, vel essentia animæ in eo est, vt sit principium mouendi aliud, & sic anima habebit essentiam suam dependentem à corpore, nec vllam actionem sine illius opera exercere poterit: vel non in hoc cõsistit essentia eius, & sic nõ erit necessarium si anima æterna sit, id quoque quod ab ipsa mouetur æternũ esse. Postea, functiones animæ, separabiles sunt à corpore, ac eo puriores euadũt, quo à commercio corporis liberiores sunt, quare, vt rectè Plotinus ait, substantia quoque animę separabilis erit à corpore. Quare substãtia eius, nõ in eo consistit, vt sit principiũ mouendi corpus. Ipse quoque Proclus in Comment. suis super Timæum, ait essentiam animæ in eo esse, quod est à seipsa moueri, mouere autem corpore, ipsisque vitã impertiri, atq; motus & actiones cõmunicare, non esse substantiã animæ, sed vim, atque facultatẽ, ac fũctionẽ eius. Præterea, Plato in Phædro, sic ait *Anima hominis immortalis est: nã quod semper mouetur, æternum est, quod autẽ agitur, & mouetur aliunde, quãdo finẽ habet motus, viuendi finẽ habeat necesse est: solũ igitur quod sese mouet quia nunquã deseritur à sese, nunquã ne moueri quidẽ desinet, quinetiã cæteris quæ mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi.* Hæc Plato. Cum igitur id solum quod se mouet sempiternum sit, nullúmque corpus vt corpus est inanimũ, à seipso moueri queat, vt Platoni. & Aristot. visum est, mundus autẽ corpus quoddam est, relinquitur, vt Mundus & moriendi, & viuendi finẽ habeat. Cum his autem consentiunt, quæ in Timæo scripta sunt, *quoniam* inquit *orti estis, immortales vos quidem esse, & indissolubiles non potestis*, quod si Mundus interire, & dissolui potest, ortum fuisse necesse, est: neque enim ortum effugit, quod aliquãdo suaptè vi interire potest.

DECIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

MVndus non potest interire, ergo nunquam fuit ortus. Probatur consequentia, nam si quod ingenitũ est, non potest interire, ergo quod potest interire, non est ingenitum, & quod est genitum potest interire. Nam quod non fuit, & potuit esse, cum est, poterit etiam non esse. Præterea, quicquid fit, ex contrario fit, in quod rursus interire potest. Quod si ex priuatione interdum fit commigratio in habitum, vt è tenebris in lucem & ex quiete ad motum, multo magis ex habitu poterit fieri commigratio in priuationem. Quare si Mundus ex inordinato aliquando generatus fuit ordinatus, quæ est commigratio ex priuatione in habitum, multo magis nunc ex ordinato poterit fieri inordinatus, quæ est commigratio ex habitu in priuationem. Quod si hoc absurdum est, absurdum idem erit, facere Mundum aliquando ortum fuisse. Antecedens autem probatur. Quidquid interit, ab aliquo extrinsecus occurrante interit, & in aliquid alienum à se, cum igitur extra vniuersum nihil sit, nec quicquam ab eo alienum existat, sed (vt est apud Platonem) omnia complexu suo continens, totum ex totis, perfectum ex perfectis constet, Mundus igitur interire non potest: quare neque vnquam ortus est.

AD DECIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

Nota sententiã hãc Procli.

PRoclus in opere, quod inscribitur Obseruationes eorum in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles, volens tueri Platonem, qui in Timęo dixit, quidquid sentitur generari & interire posse, aduersus Aristotelem qui huic opinioni opposuit cælum, quod cum sentiatur visu, generari tamen & interire nequit, sic ait *nullum corpus finitum præditum est viribus infinitis, vt ipse Arist. ait 8. Phy. sed Mundus finitus est, vt Arist. ostendit in 1. lib. de Cælo, ergo nõ habet vires infinitas. Atqui quod æternũ est, vim infinitã vt semper sit, habet, vnde ipsum ἀΐδιον hoc est ἀεὶ ὂν ab eo quod semper sit Græcus pellatum esse certum est: quare Mundus æternus esse nequit. Suapte igitur natura & nasci & interire potest. Verum, quia cõiunctus est cum eo quod verè est, & vires habet infinitas, inde suppeditatur illi immortalitas, & æternitas. Quare si cogitatione Mundum ab ipso Deo seiunxerit, & motu atque ipso esse priuari necesse est.* Hæc Proclus. Si igitur Mundus per se finitas vires habet, quod autem huiusmodi est, per se interire potest quomodo Proclus ait, Mundum interire non posse, quia extrinsecus nihil ipsi contrariũ occurrere possit? Præterea, si Mũdus per se caret contrario extrinseco, quod autem tale est, per se interire nequit, Mundus igitur per se non potest interire. Proclus igitur pugnantia loquitur, cum in supradicto opere dicat, Mundum suapte natura interire posse quoniam habet vires finitas, hic autem inquit Mundum interire non posse, quia non habet contrarium extrinsecus occursans illi.

Deinde, non valet quidquid oritur, ex aliquo gignitur quod prius erat alienum, & extra ipsum, sed nihil est à Mũdo alienum, aut extra ipsum, vt vult Plato ergo, Mundus non est generatus. Hoc inquam nõ valet, nam siue id ex quo generatus fuit Mũdus, quid rudè ac informè, nõ necesse est nunc aliquid esse extra Mũdum alienum ab ipso. Nam si id ex quo factus est Mundus, aliquã speciem habebat, ipsam deserens, Mundi formam susc epit. Quid enim hic remanet alienum à Mundo? nam species illa iam interiit: subiectum autem illius. est sub forma Mundi. Si verò fuit aliquid formatum, & aliquam speciem habens, siue fuit aliquid rude & informe, id ipsum, cum in generatione Mundi euaserit materia, elementum, & pars ipsius Mundi, non potest dici esse alienum, à Mundo: non igitur necessarium est si Mundus ortus fuit, aliquid nunc esse extra Mundum. Neque illud, si præcisè dicatur, verum est, quidquid gignitur, ex contrario gigni: nam substantia gignitur, cui nihil est cõtrarium: in solis autem contrariis est mutua reciprocatio, & commutatio: in priuatione autem & habitu, non item euenit, non enim est necessaria commutatio ex habitu in priuationem. Vnde Plato ait Mundum ex priuatione vel ex inordinato fuisse factũ ordinatum, nusquam tamen dixisse legitur, Mundum redituru ad illam priuationẽ informitatis, & inordinationis. Adhęc, cõcedimus Mundum quãtum in ipso est, posse ad inordinationem, & priuationẽ redire: omne. n. quod ligatum est, vult Plato posse dissolui; *& quoniam orti estis*, inquit in Timæo *immortales esse non potestis: neutiquam tamen dissoluemini nec vos vlla mortis fata periment, nec fraus violentior quàm consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus estis tum cum gignebamini, colligati.* Plato igitur sensit Mundum suapte natura dissolui posse, à Deo tamen immortalitatem ipsi suppeditari. Nõ ergo pugnant hęc, Mundũ Dei munere nunquam esse interiturũ, cum tamen ab aliquo initio fuisse cõditum. Deniq; quod ex materia per motum habuit ortum, id suapte natura mortale & aliquando interiturũ est: & quod per motum Physicum est interiturũ. id quoq; ortum fuit. Sed quod sua natura est immortale & incorruptibile, id potuit de nouo fieri, non ex materia per motum, sed ex nihilo per creationem. sic est mundus.

VNDECIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

QVidquid interit, id suo ipsius vitio interire solet. At Mundus nullius vitij capax est, ergo non potest interire. Maior patet, nam quod interit, neque bono suo interit, neque eo, quod neque bonum neque malum sit, sed medium, quod enim est huiusmodi, id neque lædere, neque iuuare potest. Vnde fit, vt neque perimere, neque seruare valeat. Minor apud Platonem perspicua est, ipse enim ait Mundũ beatum esse Deum sicut & deos omnes: & propterea Deorum genus vniuersum; cum vitij non sit capax, nullã sentire posse immutationem. Non igitur vnquam interibit vniuersum cum in eo nihil insit vitij. Quod si interire nequit, nunquam ortum est, alioquin ex nihilo factum esset, nullam autem rem ex nihilo fieri posse, certum est.

AD VNDECIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

NOn decet loco demonstrationis, in omnibus rebus vti testimonio Platonis, vtpotè quem in multis errasse constet: vt in Astronomia, cum solem, quem Astronomi inter stellas errantes medium collocant, secundum à luna locum tenere dixit. In Phi-

losophia naturali,cum animarum transmigratione etiam in corpora ratione carentium,fabulas Pythagoricas sequutus,amplexus est,vt ipse Proclus fatetur in lib.quem pro Timæo contra Aristo. scripsit. In medicina, cum in corporibus viuentium trahendi facultatem negat esse.Præterea,vterum animanté esse voluit,quod reprobatum est à Galeno.Ad hæc,censet stirpes sensus participes esse, quod nec Aristoteli, nec medicis,nec ipsis Platonicis probatur.In philosophia morali;quis non de nuditate mulierum,de cõmunione vxorum,de liberorum procreatione, & abortu, eius in libris de Republica decreta reprehendit? Verùm, si quis plura & grauiora Platonis errata subtilius vult cognoscere,legat is Euseb. lib.13.de Præparat.Euang.à c.8.ad finem vsque eius libri.Deinde, non sequitur,Plato dixit Mundum esse Deum,ergo non sensit illum esse ortum; vtrunque enim dixisse potuit, & sibi contradixisse.Interdum.n.Plato sinceras de Deo sententias sequutus est;interdum patrium morem reueritus,& iudicium Socratis reformidans,ad fabulas deuolutus est.Genus Deorum expers(inquit Plato)vitij est,atqui Mundus Deus est,quis hoc cõcedat?nam si Mundus, qui omnia continet; Deus est, quid erit, quod non sit Deus? rebus itaque inanimatis,& belluis,Diuinitatẽ tribuere oportebit Quomodo Mundus Deus est, cuius partes inferiores penes omnia commutationum genera commutantur,superiores verò,perpetua cõuersione immutantur? Postea,sicut naturalis facultas est causa conuersationis, & vt res sit; sic imbecillitas causa erit, cur non sit;omnis autem facultas finita, necesse est vt deficiat; quare si Mundus vt corpus est,finitę est facultatis, vt fatetur Proclus,finitam autem facultatem deficere est necesse, & cum deficit in id rem ipsam labi oportet, quod contra naturam eius sit, quod autem est contra naturam,id cuiusuis rei est vitium,eique affert interitum:Mundus igitur & vitij & interitus capax erit.

Quoniam autem Proclus ex illo communi axiomate *Ex nihilo nihil fit*,conatur ostendere Mundum non potuisse generari,quippe cum nihil ante Mundum fuerit, ex quo ipse generari potuerit; agedum,huic quoque rationi occurramus.Ars tantum efficit formas accidentarias,non autem substantiam.Natura etiam formas substantiales gignit, non autem materiam. Cum igitur Deus, & artem,& naturam longe antecellat,& formas accidentales,& substantiales,& ipsam materiam efficere poterit.Non enim Deus vi & potestate sua minus superat naturam,quam hæc artem excellit Quare non est illi impossibile ex nihilo aliquid facere. Præterea, aliud est loqui de generatione vniuscuiusq; rei particularis, aliud vero de procreatione Vniuersi & omnium entium,quę ex aliquo sub-

subiecto antecedente non potuerunt existere. Et aliud est loqui de prima procreatione rerum,aliud verò de propagatione & successione earundem; illam enim nullum subiectum antecedere oportet,huic autem semper aliquod subiectũ subesse debet.Quinimo in ipsa communi rerum particularium generatione, cernimus quodammodo aliquid ex nihilo fieri:non enim materia generatur,ac proinde nec totum compositum secundum vtramq; ipsius partem essentialem de nouo producitur; sola igitur forma, quæ ante generationem nulla erat (nisi fortasse formas materiæ inhærentes sempiternas esse quispiam existimet)per generationẽ producitur.Quæ forma,cum subiectũ eius interit,in nihilum videtur recidere.Aut enim in ipsum subiectum commutatur;aut ad alias materias transit:aut ad aliquod proprium totum reducitur: aut ad aliam formam cõmutatur:quorũ nihil fieri potest. Quod autem à quibusdam dici solet materiam esse causam procreationum formarum absurdum est: quomodo enim deterius causa erit melioris,& posterius prioris?forma enim finis est materiæ:dicitur autem materia potentia esse omnes species, non quod ipsas procreet, sed quod habilis sit ad naturas formarum recipiendas; veluti tabella scriptoria,potestate est,quæ in ipsa describuntur literæ; non quod literæ ex tabula nascantur, sed quod potuit in se literarum characteres recipere.Neque verò potest vna forma eadem numero ex vno subiecto transire in aliud; nam nec forma per semoueri: nec vna numero nisi in vno tantum subiecto singulari esse potest.Nec forma dissoluitur in alia simpliciora,alioquin esset composita.Nec redit ad suum totum,seu ad propriam integritatem;tum quoniam formæ partes non habent, & quantitate carent:tum quoniam difficile est fingere, quæ sit tota forma earum animarum vegetantium,quæ in singulis viuentibus inest.aut quod naturale corpus illa tota forma occupet?Neque vna forma in aliam interit,vt seruetur mutua commutatio; talis enim commutatio non fit propter formam, sed propter commune subiectum,quod potestatem habet vtramuis formam recipiendi. Ad hæc,quòd verè generatur,id est per motum efficitur,id & in tempore, & ex aliquo subiecto fieri necesse est; at procreatio Mundi non est motus,nec in tempore fit,immediatè enim fit à Deo, qui in tempore nõ operatur.Sed dicent,nec materiam propriè gigni, neque formam,sed ipsum compositum,idémq; interire: Esto; sed compositum,vt multis placet re non differt à partibus,quare per generationem nullares noua procreabitur,sed terminus generationis erit tantum vnio & concretio simplicium: erit autem generatio nihil aliud, quàm concretio: interitus autem nihil aliud;

quàm secretio, vt placebat antiquis; eueniet q; vt vera sit Empedoclis sententia, affirmantis nullius naturam esse, sed permixtionem tantum. atque mixtorum segregationem. Præterea ante generationem forma non erat. Arist. n. 12. lib. Metaph. text 16. non vult formam esse priorem cõposito; nec post interitum forma superstes est; hoc. n. si alicui formæ tribuendum est, tantum intellectui concedendum erit: in generatione igitur & corruptione compositi, nulla res, & substantia gigni, aut interire cernitur præter formam: sed quoniam tales formæ à composito non sunt separabiles, idcirco ex quadam consecutione efficitur, vt cum forma gignitur, & interit, simul eadem ratione, compositum gigni, & interire necesse sit.

Verum quid opus est multis? breuibus namque occurri potest argumento: concedendo vniuersum quidem naturaliter non posse interire; sed negando ex hoc concludi, ipsum nunquam esse cæpisse: nam vt non esse cæperit per motum, ex aliqua materia factum, nihil tamẽ prohibet, ipsum ex nihilo, per creationem, proximè à Deo fuisse procreatũ. Sed clamat Proclus, ex nihilo nihil fieri; clamet sane quantum libet; nunquã certè creationem probabit Deo esse impossibilẽ. Ac nos quidem supra libro quinto, possibilem esse creationem, multis firmisq; rationibus confirmauimus; & quæ contra creationẽ obiici poterant, omnia repulimus.

DVODECIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

VNiuersi elementa, vel manent in suis locis naturalib. quod ipsis est secundum naturam: vel circulo mouentur, & neq; principium, neq; finem habent mouendi. Si igitur Vniuersi elementa in suis sunt locis, neq; vllum in alienum locum totum contendit, necesse est Vniuersum expers esse mutationis: cum omnia, eáq; tota id obtineant, quod ipsis est secundũ naturam. tum quæ in eodem manent, tum quæ mouentur.

AD DVODECIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

HOc Procli argumentum, duob. syllogismis nititur. Vnus est hic, quæ sunt in loco naturali, ea sunt incommutabilia at vna quæq; Mundi pars, tota est in loco naturali, partes igitur Mundi, sunc incõmutabiles; quare qui ex ipsis cõstat Mundus mutationis erit expers. Alter syllogismus; hic est: quæ in orbem mouentur, neque principium, neque finem habent sui motus, cęlum autem

tem versatur in orbem, neq; principiũ igitur habuit vnquam motus, neq; finem est habiturum. Sed in priori illud falsum est, quid quid manet in suo loco naturali, esse immutabile. Elementa enim contigua, vt aer, & ignis, aqua, & aer, terra, & aqua, in suis locis naturalibus posita, tametsi cognata, & vt aiunt symbola sint, tamen quoniam semper altera qualitate sibi inuicem aduersantur, mutuo alterari, & commutari necesse est.

Deinde, cum ait elementum manens in suo loco, esse immutabile: vel intelligit de mutatione, quæ est secumdum locum, vel de alia: vtrumuis falsum est; nam multas partes cuiuslibet elementi, sæpenumero à suis locis naturalib. ad loca nõ naturalia dimoueri cernimus: aqua item in sua manens integritate, sæpe incalescit, frigescit, discutitur in halitum, vertitur in aerem, & in se computrescens, sexcentas procreat animalium formas. Terrã etiam in loco suo immutari, declarant tam multæ stirpium, & metallorum species, quæ ex ipsa procreantur. At dicet partes elementi possunt immutari, integrum, & totum elementum nequaquam. Verùm hoc est petitio principij; nam qui negat Mundum æternum esse partes eius omnino immutabiles esse, itidem negabit, de vtroque enim pars dubitatio est. Præterea, si nulla pars elementi est immutabilis, quomodo Proclus absque demonstratione sumit totum elementum esse immutabile? cum partium commutatio, contrarium sentire suadeat? Eadem enim est natura partium elementi, & totius elementi; quare si partes sunt corruptibiles, totum item suapte natura est corruptibile. Vel igitur aliquando interibit, id quod nos asserimus, vel nunquam, & sic fiet, vt quod est corruptibile, nunquam corrumpatur: quod & repugnat naturę, & aduersatur iis quæ traduntur ab Arist. in 1. de Cælo. quinimo Aristot. ex motu, & quiete partium terræ in centro (neque enim contingit totum elementum terræ simul moueri ad centrum) argumentatur totius terræ naturalem locum esse centrum.

Neque verò Proclus, illud rectè concludit, cum ait, motus circularis caret principio, & fine, ergo est æternus. Nam in antecedente vel loquitur de principio & fine durationis, & ita petit principium, vt per se manifestum est: vel loquitur de principio, & fine motus ex parte magnitudinis, & ita non valet consequentia. Etenim, idem posset de motu cuiuslibet globi dici: in tali enim motu non licet certum principium sumere, aut finem ex parte globi, non proinde tamen quispiam dicet, aut nunquam cæpisse motum globi, aut nunquam esse desiturum. His accedit, quod duratio motus, non à subiecto corpore, in quo inest, sed à virtute motoris pẽdet; quare si motor libere, & secundum voluntatem moueat, tan-

diu motus durabit, quamdiu ei libuerit; & incipiet tunc, cum motor incipere voluerit: figura igitur mobilis, non necessariò æternitatem motus concludit.

DECIMVMTERTIVM ARGVMENTVM PROCLI.

MAteria prima est procreationis & interitus expers alioquin alterius materiæ indigeret. Illud autem cuius gratia materia est, est ipsa procreatio; & materia refertur ad formam, relatiua autem simul sunt: relinquitur igitur, vt si materia æterna est procreatio quoque, cuius gratia illa est æterna sit, & sint formę in ipsa ex æternitate.

AD DECIMVMTERTIVM ARGVMENTVM PROCLI.

Nota opinionem veterum de interminatis dimensionibus.

PYthagorici, Platonici & Stoici, materiam fecerunt sempiternam; & quamuis nunquam omnis formæ, & qualitatis expers sit per se, tamen informem, & incorpoream esse voluerunt. Huic dixerunt primùm omnium, ineſſe trinam dimensionem, ex qua effici corpus quoddam, quod sua natura solis dimensionib. tribus definitur, & est quasi tumor quidam indefinitus, & solum parui, & magni differentia definitur. Hanc item posuerunt commune subiectum omnibus naturalibus formis, idq; incommutabile; in omni.n. commutatione debet esse aliquod subiectum, quod ab ea forma, quæ interit, transeat ad eam, quæ procreatur. Hanc igitur materiam, si producatur, dicimus nos non necesse esse ex alia materia produci: Formæ.n. quia per se non subsistunt, nec seipsas sustentant, ideo materia indigent cum generantur, Materia verò, quia est receptaculum omnium formarũ, eásque sustentat, si producitur, non indigebit alia natura exqua fiat. Præterea, quamuis in procreatione partium Vniuersi, materiam præexistere cernimus, in productione tamen totius Mundi, non oportet existimare eam præcessisse, sed vna cum Mundo, à Deo productam fuisse. Sed dicet, Plato voluit materiam sempiternam esse; Esto; at idem in Timeo, terram ponit incommutabilem, reliqua tria elementa vult in se mutuo commutari. Cum tamen, ibidem asserat, corpora animantium ex quatuor elementis constare, quod esse non posset, nisi terra commutaretur. Eius igitur viri, qui in re tam manifesta sibi contradicit, velle in omnibus rebus sententiam, quasi oraculum sequi, stultum est, cum ipsemet moneat, vt Socratis paruam, veritatis autem, permagnam curam habeamus. Adde, quod nusquam legitur Platonem dixisse, materiam sempiter

ternam esse, Mundum autem ortum esse, clara voce pronunciat. Vter igitur magis consentanea Platoni dicit, Proclus, qui vult Mũdum æternum esse, (quod apertè negat Plato) eóque sit materia sempiterna, quod nusquam Plato dixit, an nos, qui materiam vna cum Mundo cæpisse volumus, quorum alterum Plato manifestè scribit, alterum nusquam apertè negat? Denique, materiam non posse procreari, ab agente naturali, & motu Physico, verum est: à Deo autem, & per creationem, falsum est.

DECIMVMQVARTVM ARGVMENTVM PROCLI.

QVidquid gignitur, materia eget, & efficiente: quod si id non semper est, id fit aut propter efficiens, quod non semper idoneum est ad efficiendum, aut propter materiam, quæ non est semper habilis, aut certè propter vtrũque quare si Mundus aliquando non fuit, id accidit ei, vel propter materiam, vel propter ipsius Mundi effectorem, at Deus Mundi opifex, semper ad efficiendum Mundum est satis idoneus: cum ipse idem semper permaneat, nec vllo modo immutetur, nam si nunc est idoneus, & ex æternitate fuit, & si ex ipsa æternitate non fuit, nec nunc quidem est idoneus. Materia verò, similiter semper fuit habilis ad procreationem Mundi, cum sit incommutabilis & semper eadem permanens. Cum igitur, quod Mundus aliquando non fuerit, nec materiæ, nec efficienti, ascribi possit, pro falso habendum est.

AD DECIMVMQVARTVM ARGVMENTVM PROCLI.

IN hoc argumento, multa sunt vitia: primum est illud. quidquid fit, indigere materia, multa enim solum requirunt efficiens, vt anima rationis compos, quæ & à Deo condita est, & quoniam est immortalis, ex materia fieri non potuit. Materia item prima, vel non est à Deo producta, quare Deus non omnium erit opifex, sed erunt duo principia prima, Deus & materia prima, quod redolet nugas Manichæorum, vel si est producta, ex materia alia produci non potuit, ne res in infinitum abeat. Neque vero ad ostendendum, non quidquid fit, materia agere, multum interest, siue id ab æterno, siue de nouo factum fuerit. Quemadmodum igitur, qui faciunt Mundum sempiternum, & materiam, tametsi dicant

Mundum à Deo fabricatum esse, nolunt tamen materiam præcessisse constitutionem Mundi, sed vnà cum Mundo ab æterno productã fuisse: sic etiam nos qui volumus hũc Mundum aliquando cæpisse, dicemus materiã simul cum Mundo cæpisse, Alterum vitium est, quod sumitur tanquam certum, materiã esse immutabilem & sempiternam, quod falsum est, & à nobis supra improbatum fuit. Tertium vitium est, quod duplex tantum causa assignatur, propter quam Mundus non semper esse potuerit, nempe materia & efficiẽs: cum neutra earum sit causa, sed alia, quæ prætermissa fuerit, nimirum, quod repugnet naturæ ipsius operis, æquale esse suo opifici, & repugnet Mundo ipsum coæternũ esse Deo, à quo fuit cõditus, vel quia Deus ad manifestationem suæ gloriæ & perfectionis, melius esse iudicauit mundũ fieri de nouo quàm illũ esse ab æterno, vel quia ex parte Mundi repugnat ipsum esse æternum: cum huic positioni, multa, quæ sunt perspicuè falsa, absurda, & impossibilia, sint necessariò consequentia, id quod supra breuiter ostendimus, & accuratiùs, ac diligentiùs infra docebimus.

DECIMVMQVINTVM ARGVMENTVM PROCLI.

PArtes Mundi, nempe cælum, & quatuor elementa, sunt æternæ, ergo etiam Mundus, neque enim totum ignobilius est suis partibus, cum sit id cuius gratia partes sunt, & non è contrariò. Cælum autem Platoni sempiternum esse placuit, quod vel motus eius, qui fit in orbem, apertè declarat: nam ortus, & interitus ineſt iis quæ habent contrarium. Præterea, vnum vni tantum propriè est contrarium, vt à Platone explicatum est in Protagora: cum igitur cælum contrario careat, nam si cælo aliquid contrarium esset, motui quoque eius, alius motus contrarius inueniretur, at quis is esse potest? Cum enim tres sint motus simplices, circularis, & rectus, qui duplex est, vnus qui sursum fit, alter quii deorsum: quis erit horum, circulari contrarius? non is qui sursum fit, nam opponitur ei qui fit deorsum, nec is qui fit deorsum, aduersatur enim ei qui fit sursum, & iam positum est vni vnum tantum contrarium esse, relinquitur igitur neque

neque motui cælesti, neque ipsi cælo quidpiam esse contrarium. Quare corpus erit diuersum ab iis. quę ortum habent & interitum, vt sunt quatuor elementa, & quæ ex ipsis fiunt. Porrò, ipsa elemẽta, licet secundum partes suas gignantur, & intereant, nihilominus tamen semper suum statum naturalem retinent in suis locis remanentia. Mixta verò, non partes Mundi, sed potius effecta dici debent; ad quæ procreanda, Dij, vt est apud Platonem, ex integritate elemẽtorum partes mutuantur, quas iterum restituãt illis: quod dictum est propter resolutionem mixti in elementa ex quibus conflatum erat. Ex iis igitur, & verè & conuenienter Platonicis decretis, atque principiis, demõstratum est, Mundum sempiternum esse.

AD DECIMVMQVINTVM ARGVMENTVM PROCLI.

QVoniam Proclus nimium Platoni tribuens, ad confirmandã æternitatem Mundi testimoniis eius abutitur, velut etiam nunc affirmãs cęlum secundum Platonem non esse cõpositum ex quatuor elementis, sed esse quintã quandã naturã omnium sublunarium corporum lõgè dissimilem, hoc dicens cõuenienter magis doctrinæ Aristotelis, quàm Platonis vidẽdum est, an Plato ita senserit: an potius, vt nos ostendemus, cõtrarium. Plato (inqt Proclus) tribuit cælo motum circularem, qui diuersus est à motib. omnium elementorum, ergo voluit illud esse diuersum ab illis. Procederet sanè argumentum, si Plato fecisset cęlum, vel corpus simplex, vel cõpositum, sed inanimum: tale.n. argumentum ex motu naturali ductum, in simplicib. corporib. & cõpositis inanimatis robur habet, vt videre licet apud Arist. in 1. de Cælo. At cum Plato dicat cælum ex quatuor elementis maiori tamen ignis portione, constare ipsumq; animatum & ab anima motu cieri velit, planum est Platonem attribuisse rotundã cõuersionem cęlo, nõ quatenus corpus est seiunctum ab anima, sed quatenus est animal quoddam cui anima motu circularem impartitur. Nam & in animali motus progressionis, qui fit ad anteriora, naturalis est ipsi, nõratione corporis, fortasse enim illi aduersatur, sed ratione animæ. Præterea, qd dicem⁹ de stirpib⁹, quæ vna cum solis cõuersione circunferuntur, quãobrem cognomines motui solis, Heliotropi nuncupãtur? dicat nobis Proclus cuiusnã simplicis corporis naturalis est ciusmodi motus? Anima igitur cęli circulare motũ illi tribuit, vt adducat

An motus cæli circularis arguat ipsum secundum Platonis doctrinã non esse compositum ex elementis.

ipsum,quoad eius fieri potest, ad imitationē mentis & intelligentiæ,in cuius actione, vt Platoni placet,perfectè ineſt conuerſio,& motus circularis. Quemadmodum igitur, vt ſunt diuerſa genera animantium,volatiliū,terreſtrium & aquatilium,ſic anima,quę in ipſis eſt, diuerſos motus exercet, & ad tales motus exequendos, natura diuerſos figuras eorū corporib. accōmodauit.cū tamen omnia corpora ipſorū ex elementis pariter compoſita ſint:ſic etiā cælum,quamuis ex elementis conflatū fuerit,ob diuerſitatem tamen animæ à qua cietur,& figuram,& motū diuerſum à motibus omnium elementorum ſortitum eſt.Adde,quod ſi propriū eſt animantis mouere ſeipſum,vt eſt apud Platonē 10. lib. de Leg.& aliis in locis:cum cælum Plato animatū faciat,aliquem motum habebit ab anima ſua,qui pręter circularē,alius eſſe nequit. Hęc igitur duo in doctrina Platonis non pugnant inter ſe,vt & cælum conflatū ſit ex elementis,quatenus corpus eſt,&nihilominus tamē,quoniam animatum eſt animā habens diuinam, longè diuerſam multóque præſtantiorem iis,quæ ſunt in caducis & mortalibus animātibus,motum accipiat ab anima ſua diuerſum à motibus elementorū.Quid ſi dicamus cælum,quoniā ex puriſſimo igne ferè conflatum ſit,ſupernū locum occupaſſe,ibíque conſtitiſſe,motum autem circularem quo circumfertur,ab alio principio,ab anima nimirum accepiſſe? quemadmodum in elementis, quæ in ſuis locis naturalibus manent,idem affirmamus,nam ignis qui eſt ſub concauo lunæ,nec ſurſum nec deorſum mouetur, ſed motu orbis cui cohæret,circumagitur.quod igitur cælū,ſiquidē ſimile eſt elemētis,neque deorſum feratur, neque ſurſum,cauſa eſt, quoniā in ſuo loco naturali exiſtit, nullū enim elementum in ſuo loco naturali manens,poteſt ab eo vllo genere motus naturaliter dimoueri,ſed tantummodo vi, quod autem in ſuo loco manens cælū in orbem feratur,facit id quidem anima cæleſtis,cuius ipſum eſt proximum inſtrumentum: quæ anima,cū vt intelligibilem conuerſionem,& perfectiſſimum illum motum circularem,qui menti & Intelligētiis ineſt,in Mundo ſenſibili, & in omniū corpore nobiliſſimo exprimat,tum vt res quæ ſub luna ſunt,tēperato ſyderū motu regat, conſeruet,atque moderetur, motum circularem cælo impartitur.

Sed pergamus ad alia, quæ Proclus in ſuo argumento ſumit,expendenda.Ac primo quidē Proclus ſibi contradicit: nā ait ea quæ oriuntur & intereunt,non eſſe partes Mundi,ſed potius effecta:idē quoque dicit,partes elementorū oriri& interire:cum igitur quidquid eſt pars partis,ſit pars totius,vt quia manus eſt pars corporis, & digitus eſt pars manus,erit etiam digitus pars corporis,ſi partes elementorum non ſunt partes Mundi, neque ipſa elementa erunt, quod

quod eſt abſurdum:quod ſi ſunt partes Mundi cum oriantur & intereant,falſa erit opinio ipſius affirmantis partes Mundi ab ortu, & interitu alienas eſſe,Præterea,ſi cauſſa ortus,& interitus eſt cōtrarietas vt ipſe Proclus dixit,talis autem contrarietas,non modo in partibus elementorum, ſed etiam in ipſis totis elementis primō,& per ſe inuenitur,totum elementum ab ortu,& interitu alienum nō erit.His adde, quod ſupra dictum fuit,cum totū nil aliud ſit,quam ſuæ partes coniunctim ſumptæ, & cum in corporibus ſimplicibus & homogeneis,cuiuſmodi ſunt elemēta eadē ſit ratio cuiuſlibet partis atq; totius,ſi omnes partes elementi ſunt caducæ totum item caducum,& mortale eſſe neceſſe eſt.Quid?quod non poteſt aliquid manere idem numero totum, variatis omnibus partibus eius?Cum igitur nullum elementum,idem numero ſemper maneat vtpotè cuius omnes partes varientur, ſanè videtur ſimile figmento,totum elementum ab ortu & interitu vindicare, Illud autem,nec verum,nec Platoni conſentiens videtur corpora mixta non eſſe partes Mundi,ſed potius effecta:id enim cuius detractione,vel abſentia, aliquid imperfectum, & diminutum eſt, ſuámque perdit integritatem ſine dubio,vel pars eius,vel ad ſubſtantiam ipſius pertinens cenſeri debet: hæc enim duo totum & perfectum reciprocantur,vt docet Ariſt.3. Phyſ. text. 64.quod igitur facit ad perfectionem alicuius,id quoque ad eius integritatem pertinet ac proinde pars illius eſt: ſed Plato vult in Timæo, niſi adſint mortalia animantium genera,Mundum non fore perfectum;hæc igitur in ipſis Mundi partibus numerari debent. Verba Platonis in Timæo hæc ſunt inducit enim Deum opificem Vniuerſi præſcribentem Diis,ea quæ facturi erant, ad hunc modum. *Tria genera nobis reliqua ſunt,eáque mortalia,quibus prætermiſſis, cæli abſolutio perfecta non erit:omnia enim genera animantium complexu ſuo non tenebit,teneat autē oportet,vt ei nequid abſit:quæ ſi à me effecta ſint Deorum vitam poſſunt adæquare:vt igitur mortali conditione generentur & vniuerſum vere ſit vniuerſum,vos ſuſcipite,vt illa gignatis,imitemini que vim meā,qua me in veſtro ortu vsū eſſe meminiſtis.*ſi genera igitur animantium mundo deſint,Mundus Platoni nō erit perfectus:cēſet igitur is,animantia in Mundi partibus eſſe numeranda. Et rectè ſane,nam mixta perfectiora ſunt elementis; & hæc illorum cauſſa ſunt conſtituta. Denique, ſiue hoc quod omnia continet, Mundum appelles ab ornatu;ſiue vniuerſum, Omne, ac Totum, vtpotè cuius amplexu omnia coerceantur negare non potes, eius partes eſſe & quidem potiores,corpora mixta,quippe quæ, cum varietate,tum perfectione naturæ,multum præſtent elementis.

An mixta ſint partes Mundi.

Platonē autē ſenſiſſe,ex quatuor elemētis,tū Cęlum tū Mundū

Pulchra disputatio an Plato sensit cælũ esse compositũ ex elementis.

totum esse coagmentatum, ex iis quę subiungã, perspicuũ erit. In Timæo sic ait, *Vt hic Mundus esset animãti absoluto simillimus hoc ipse solus, atque vnus esset idcirco singularẽ Deus hunc Mundũ, at que vnigenum procreauit. Corporeum autẽ atq; aspectabile omnes necesse esse compo est esse, quod natum est. Nihil porrò igni vacuum videri potest, nec vero tangi quòd careat solido: solidum autẽ nihil quod terræ sit expers. Quamobrem Mundum efficere moliens Deus terrã primum ignémque iungebat.* Et quæ sequuntur vsque ad illa verba. *Earum autem quatuor rerum, quas supradixi, sic in omni Mundo partes omnes collocata sunt vt nulla pars cuiusuis generis excederet extra, atq; in hoc vniuerso ineſſẽt genera illa vniuersa.* Ex quibus verbis apertum est, Platonẽ, & cælũ, & totũ Mundum ex quatuor elementis constituisse. In cælo autem plurimũ igneæ substãtiæ inesse dixit. Nã cũ quatuor sint animãtium genera: Vnum cæleste, atq; Diuinum: alterum pennigerum, & aereum: tertium aquatile; terrenũ quartum: diuinæ animationis (inquit Plato) speciem, Deus maximè faciebat ex igni: vt & splendidissimus esset, & aspectu pulcherrimus, Cúmque eum similem vniuersi naturæ efficere vellet, ad volubilitatem rotundauit, comitantéque eum sapientia, optimæ mentis effecit, circúmque omne cælum æqualiter distribuit, vt hunc varietate distinctum bene Græci Κόσμον, nos lucẽtẽ & ornatum Mundum nominaremus. Hæc ex Platone. Quæ verò aduersus hãc Platonis sententiã in 1. Meteo. Arist. scribit parui momẽti sunt apud Platonicos. Si enim, inquit Aristo. cęlum igneum esset. cum incredibili propemodum excessu hunc Mundum inferiorem superet, pridem omnia, quæ continentur in ipso, incendio consumpta fuissent. Sed ipsi respondent cum elemẽtum ignis cõtineat cætera elementa, ac proinde multis partibus maior sit illis, qui sit, vt quæ ab eo continentur, nõ similiter conflagrauerint? Deinde, Arist. lib. 2. de Generat. tex. 20. & 21. ignem elementarem, nostrati igni diuersum esse: hunc enim non esse simplicem, sed mixtum, & habere caloris excessum vímque vrendi & absumendi corrumpendíque corpora: illum autem minimè: quemadmodum nix, seu glacies, seu gelu, frigidi est excessus: naturalis enim ignis vitam potius impartiendi, quàm vrẽdi viribus præditus est, ceu in nobis insitus calor. Præterea quo ignis est in tenuiori materia, eo minorem vim habet vrẽdi vt ferrum candens magis vrit, quàm carbo, & flamma quàm elementaris ignis: cum igitur cælum ex purissimo, tenuissimóque igni cõstet, mirandum non est, si quamuis magnitudine multum excedat, ea tamen quæ sub ipso sunt, nequaquam incendant.

Patonis autem præcipui interpretes, idem quod nos supra docuimus sensisse Platonẽ asseuerãt. Taurus (vt refert Philoponus) in 1.

in 1. com. in Timæum, postquam locum Platonis à nobis supra ci tatum exposuit *Theophrastus*, inquit, *quòd si spectabile & tractabile ex terra sunt & igni, ex his cælum, & astra constabunt, non sunt autẽ hæc*, inquit, *ex illis, quintum corpus introducens, quod versatur in orbẽ. Verum, vbi quintum corpus illud esse docuerit, tunc hisce contradicat.* Hæc Taurus. Qui non modo vult cælum, & mundũ ex quatuor elementis concretũ esse, sed etiam aduersatur Theophrasto id negãti, & quin quoddam corpus ex Aristotelis sententia introducenti. Porphyrius in expositione eorundem verborum, idem sentit: & post multa, subiungit hæc. *Mundum ex quatuor constitutum esse elementis, diserte dicit Plato quasi quintum illud corpus, quod ab Ari. & Archita inducitur, non esse putauerit.* Proclus quoque, tum in expositione Timæi, tum in eo libro, qui inscribitur Obseruationes eorũ, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles postquã multis verbis explicuit, quomodo vniuersum ex quatuor elementis constet, & cælum ex igni, itemque astra: postremò subiungit hęc *nõ igitur, quasi peregrinã in vniuerso cælorum naturã inducere oportet, sed illic sumam perfectionem naturæ eorum, quæ hic visuntur cõstituentes, per illam, eámque quæ illis sit cognata, his corporibus ortum tribuere.* Plotinus in li. de Mundo, eandem quam nos, Platoni sententiã tribuit, eámque multis verbis, & explicat, & tuetur, ad uersus Arist. cuius verba, ne sim prolixus, hic nõ ascribo. Postremo, Aristoteles Platonis discipulus, sententiam, quam Platoni adscripsimus, reprehendens, fecit cælum quintum quoddam corpus ab elementis diuersum. His accedit, quod Plato, nõ agnouit corpus aliud simplex præter quatuor elementa, sic enim in Timæo scribit, *dicendum est igitur cuiusmodi potissimum quatuor corpora fiant, nam si hoc semel eximus cõsequuti, procreationis terræ, & ignis, & eorum quæ pro rata portione in medio eorum interiecta sunt, veritatem facilè consequemur: tum enim nemini cõcedemus, pulchriora iis, quæ sub aspectum cadãt, corpora vsquã inueniri, quorũ quódque ad suum genus referatur.* si igitur Plato negat vllum corpus esse pulchrius his quatuor elementis, aut his quæ fiunt ex ipsis, procul dubio non putauit cælum esse omnino diuersum ab illis. At dicet aliquis, Platonem, quinque solidarum figuratum, quæ rectis constituantur lineis, & planis similibus, ac naturæ eiusdem, cuiusmodi sunt Cubus. Pyramis, Octaedrum. Icosaedron, Dodecaedrum, quatuor priores, quatuor elementis attribuere, nimirum terræ Cubũ, Pyramidem igni, Icosaedrum aquæ, Octaedrum Aeri, postremam autem, Dodecaedrum, sine dubio cælo ascribere: qua re is non obscurè indicauit, sicut figuram, sic etiam naturam cęli, diuersam esse ab elementis. Sed hi errant, non enim Plato, illa figura Dodecaedri Deum vsum esse ait ad cõpositionem cæli, sed ad vniuer-

Testimonia Platonicorum, quodcælũ, secundum Platonem sit compositum ex elementis.

sitatis constitutionem: vt ex iis verbis quæ sunt in Timæo, perspicuum est, *cum præterea* inquit *quinta quædam sit compositio, ea Deus ad vniuersi constitutionem est vsus, eáque figurauit, & descripsit vniuersum.* Hæc pluribus disseruimus, vt demonstraremus, Platoni cælum nõ esse talem quandam naturam diuersam ab elementis, qualem induxit Aristoteles, sed esse ex elementis compositum.

DECIMVMSEXTVM ARGVMENTVM PROCLI.

MAteria sempiterna est, & per se habilis ad suscipiendas formas, vel igitur formæ in ea semper extiterunt. & semper erunt, & sic Mundus principio, & fine carebit: vel non semper fuerunt, aut erunt, quod est absurdum: quomodo enim materia ex æternitate formis caruit, ad quas suscipiendas semper fuit habilis? Sed fortè dices, ab æterno materiam habuisse formas vagas, imperfectas, & inordinatas, postea vero, productas fuisse formas perfectas. Verum id dici nequit, cum enim materia per se, ac semper habilis sit ad suscipiendas formas perfectas, nulla potest reddi causa, cur non ab æterno illas habuerit. Deinde, quid opus fuit prius habere formas imperfectas, vt deinde perfectas habere posset? quod autem Plato, materiam prius immoderatè, ac inordinatè motam fuisse dicit, id nõ ita accipiendum est, vt prius fuerit inordinata, deinde ordinata, sed cogitare debemus, eum illis verbis exprimere voluisse, qualisnam materia ex se, & suapte natura esset, nisi ab opifice Mundi distincta, & exornata fuisset.

Quid sit illud, quod dixit Plato ante Mundi effectionem, vago & inordinato motu, agitatũ fuisse?

AD DECIMVMSEXTVM ARGVMENTVM PROCLI.

AEternitas materiæ, qua fulcitur argumentum, iam supra improbata fuit: quare necessarium nõ esset pluribus verbis hoc argumẽtum refellere. Sed illud falsum est, Platonem, per id, quod inordinatè mouebatur, intellexisse materiam primã, Porphyrius enim ait intelligenda esse corpora naturalia, ex quibus Mundus coagmentatus est, quæ quoniam naturalia sunt, mouentur illa quidem, verùm nisi ab opifice Mundi in ordinem digesta essent, & suum quódque situm, & locum ab Architecto Mũdi accepissent, turbato, & vago motu agitata fuissent, vt nauis dum gubernatore, & currus cum auriga destituitur. Id autem Platonem sensisse, illa verba indicãt. *Quidquid enim erat, quod sub cernendi sensum caderet, id sibi assumpsit, non tranquillũ & quietũ, sed immoderatè agitatũ & fluitãs, idq; ex inordinato in ordinẽ adduxit.* Quæna, inquit Porphyrius, sunt, quæ sub sensum cadunt, nisi corpora? materia enim, cum secũdum Platonem vix aut ne vix quidem spuria cogitatione comprehendatur, in iis quæ sub sensum cadunt numerari non debet.

DECIMVMSEPTIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

EXemplar Mundi, Plato dicit esse vnigenũ, sempiternum, & numeris omnibus absolutũ: cum igitur Deus Mundum fecerit huic exemplo simillimũ, quemadmodum fecit Mundum vnũ & absolutũ, sic etiã sempiternum fecisse credendũ est. Imago enim, vt perfecta sit, debet omnino similis esse exemplari. Si igitur Mundus ortum, & interitũ habet, nulla ex parte similis erit exemplari: sin autem, vel careat interitu habens ortum, vel careat ortu, habens interitum, non vtraque ex parte, sed ex altera tantum exemplari similis erit.

AD DECIMVMSEPTIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

HOc argumentum, idem est propemodum, cũ quarto superius posito, ac refutato, quocirca eandem habere debet solutionem. Plato autem vult Mundum, ita similẽ esse exemplari vt quẽ admodum exemplar ex omni constat æternitate, sic Mundus per omne tempus perpetuo, & procreatus, & instans, & futurus sit. Lege Timæũ ibi, *vbi autẽ moueri & viuere sempiternorum Deorum factũ à se simulachrum iniellexit Pater, qui procreauit, opere delectatus est, &c.* Cum igitur Plato velit Mundum, ita similem esse exemplari, vt sicut illud per omne ęuũ, sic Mũdus duret per omne tẽpus, debuit sanè Proclus ostendere, Platonem fecisse tempus ex vtraque parte infinitũ, vt inde cõcludere posset. Mũdum ex sententia illius, sempiternum esse, sed id Proclus callide tacitus prętermisit, quia probare non poterat. In Timæo enim Plato sic ait. *Tempus*, inquit, *vna cum cælo factum est, vt simul generata, simul etiã dissoluãtur, si quãdo vlla eorum futura erat dissolutio*, & iterum, *nam dies, noctes, mẽses, & annos, cum ante natum cælum in natura non essent, demum voluit procreari, cum*

cælum productum est in natura. Huic rei fidem facit Arist. lib. 8. Physi. tex. 10. ita scribens. *Plato tempus generat solus, cum cælo enim ipsum simul esse factum, cælum autem factum esse ait.* Quod si Proclus contendat, Mundum exemplari suo esse oportere omnino similem, cum exemplar Mundi sit immutabile, indiuisibile, totum esse simul in se habens, non sensibile, sed tantùm intelligibile, cur Mundus etiam, (siquidem eum omnibus rebus exemplari necesse est esse quam simillimum) non est immobilis, indiuisibilis, incorporeus, denique talis, qualis non est, nec esse potest.

DECIMVMOCTAVVM ARGVMENTVM PROCLI.

SI in Deo duæ sunt voluntates, vna, vt non sit aliquid inordinatum, quod Plato indicat illis verbis. (cum enim constituisset Deus nihil mali admiscere, ex inordinato ipsum adduxit in ordinem.) Altera, vt vniuersum bene colligatum, & ordinatū conseruetur, quam innuit Plato illa oratione, (nam cū voluntatem, & consilium meū nacti sitis, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram, quàm illa quibus estis, tum cum gignebamini colligati &c. necesse igitur est, has voluntates, aut semper esse in Deo, aut interdum vtramque, vnam prius, alteram posterius, at interdū esse, interdum autem non esse, non conuenit ei, qui semper est, & immutabilis semper perseuerat: & prius, ac posterius in iis tantum insunt, quæ tempori subiecta sunt: quod si vtraque voluntas semper quod vult efficit, semper igitur, & inordinatum obliteratur propter perpetuā voluntatē, vt ipsum non sit, & ordinatū conseruatur propter voluntatem, vt ipsum sit perpetuum, cum vtraque voluntas sit semper. Quare si fit vtrumque semper, non prius erit inordinatum, quam ordinatum, nec ordinatum, quàm inordinatum. quod si id quod ordinatum est, principio & fine caret, Mundus autem nihil aliud est, quam ordo, & id quod adductum est in ordinem: Mundus igitur ortus, & interitus expers erit.

AD

AD DECIMVMOCTAVVM ARGVMENTVM PROCLI.

DEus semper vult, vt non sit aliquid inordinatum; inordinatum enim, Deus, & natura refugit: non tamen ideo sequitur, vt si semper vult non esse inordinatum, aut semper vult esse ordinatum, ipsum ordinatum semper sit. semper enim Deus, vt ait Plato, vult bonis omnibus Mundum explere, non tamen omnibus bonis semper Mundus expletus est. Semper vult Deus, non esse malum, bonorum enim, inquit Plato, ad nullū aliud, quam ad Deum causa est referenda; malorum autem, alia quæpiam est requirenda causa, mali. n. causa non est dicendus Deus: non tamen ideo sequitur, vt malum semper nō sit in mundo. Postremo, semper vult Deus ea quæ fiunt in mundo, non tamen necessarium est ea semper fieri, aut esse. Quamuis igitur Deus semper velit aliquid, vult tamen illud esse sicut natura eius patitur. Et ipse quidem semper voluit mundum esse talē qualis nunc est, sed non voluit, vt mundus semper talis esset. Est igitur æternitas in volitione Dei, sed non in effectione mundi.

Deinde, non si quod Deus vult, aliquando est, aliquando non est, ideo dicere oportet Deum interdum hoc, interdum illud velle. Vna est enim, & simplex Dei voluntas. cuius vnaquæque res particeps est, quoad natura ipsius patitur. Vult Deus omnia esse similia sibi, vult esse bona, & conseruari: similitudinis tamen bonitatis, & conseruationis ratio, non eadem est in omnibus. Semper igitur volebat mundum esse conditum: verum, vt potest esse mundus & suapte natura est capax durationis, ita esse volebat. Si igitur immortalitati, immutabilitati, æternitati, atque indiuisibilitati Dei, non repugnat mortalitas, mutabilitas & extensio rerum quas producit: non item absurdum erit, Deum voluisse semper mundum fuisse ordinatum, ipsum autem non semper fuisse: non enim voluit, vt mundus semper esset ordinatus, sed ipse semper, & ab æterno voluit, vt mundus tunc & talis esset, quando, & qualem esse, vel possibile, vel melius erat.

DECIMVMNONVM ARGVMENTVM PROCLI.

QVidquid natum est, aliquando interibit; omne, quod caret ortu, caret etiā interitu: quę duo pronuntiata nō modo sunt Arist. in primo de Cęlo, verum etiam Platonis, qui horum alterum. in libris de Republica, alterum in phædro pronuntiat. Verum id omne quod natum est, manet interitus, inquit Socrates Mu-

sarum personam referens;& quod generatum non est, interitu carere est necesse. Ex quibus pronuntiatis, alia duo deducuntur, Vnum est, quidquid interire potest id generatum esse; nam si non esset generatum, careret interitu, per secundum pronuntiatum. Alterum est, Quidquid non potest interire, id non esse generatum: nam si generatũ esset, vt in primo dictum est pronuntiato, aliquando interiret. cum igitur Mundus interire nequeat, bonus enim fuit opifex ipsius, improbi autem videtur esse, quod bene compactum fuit, velle dissoluere, & immortalium inquit Plato, ipse est opifex: quod autem immortale est, hoc non cognoscit casum, seu interitum, vt in Phædone dicitur, haud enim temere quidquam aliud esset expers interitus, si quod immortale esset, nõ esset huiusmodi. Cum igitur Mundus interitu careat, carebit etiam ortu, per secundum pronunciatum.

AD DECIMVMNONVM ARGVMENTVM PROCLI.

CVm hoc argumentum parum discrepet ab octauo, solutio illius ad hoc idem refellendum accommodari posset.

An Plato sensit Mũdum esse incorruptibilẽ.

Sed potest etiam, hoc modo responderi; dupliciter aliquid dicitur esse tale, vel, intrinsecè & per se, sic ignis est calidus; vel extrinsecus, & ab alio, vt calor in aqua & ferro candẽte. Præterea, dicitur etiã aliquid perpetuũ, vel quod etiã idẽ numero semper maneat, vel quod partes eius deperditę cõtinenter instaurentur. Mundus igitur insolubilis dicitur, & immortalis, nõ per se, ac intrinsecè, nam in Timæo sic ait opifex Mundi, *Quoniam* inquit, *orti estis, haudquaquam estis dissolubiles*, sed tantum extrinsecus, nimirum ob propositum & voluntatẽ opificis, qui quod suapte natura solubile est, conseruat, & partes eius continenter instaurat, ne aliquando omnino totum collabatur. Rectè igitur apud Platonem Mundi opifex ait, *nam cum voluntatem & consilium meum nacti situs quod magis est vinculum ad perpetuitatem vestram, quam illa quibus estis tunc cum gignebamini, colligati neutiquam dissoluemini.* Deinde Plato simpliciter ait Mundum esse ortum, & suapte natura pronuntiat esse dissolubilem, cõsilio tamen Dei nunquam dissolutum iri. Stultum igitur est, ex eo quod Plato secundum quid ait Mundum esse indissolubi

dissolubilem, negare Mundum, secundum Platonem, ortum esse, cum tamen hoc ille apertè, & simpliciter pronuntiet. Quando igitur ait, quod natum est esse dissolubile, intelligit per se, ac suapte natura. Cum verò inquit mundum indissolubilem esse, intelligit extrinsecus, ac ex Diuina voluntate.

Sententia Galeni.

Huic rei fidem facit Galenus, qui in quarto libro eius operis quod scripsit de Demõstratione, referente Philopono in eo libro quem contra Proclum scripsit, quatuor pronuntiata suprapoũta, diligenter expendit: & ad extremũ ait, illud pronuntiatum (Quicquid est incorrupribile, non esse generatum) dupliciter accipi posse: vno modo, vt per incorruptibile, intelligamus id quod per se, ac suapte natura expers est interitus, quia est simplex, & per pessionis expers; & sic verum est pronuntiatum: altero modo, vt per incorruptibile intelligatur id, quod per se est mortale, sed extrinsecus, & ab alio ascititiam obtinet immortalitatem: quemadmodum de diis Plato in Timæo dicere videtur. Verba Galeni hæc sunt [Composita est notio sempiterni, quoniam ortus, & interitus est expers: vtrique autem alterum est consequens, nimirum hoc quoque in loco demonstrans vtrumuis horum sit, alterum protinus esse consequens: illo assumpto, demonstrauit, cuiusmodi esset propositum. Si igitur probè ab omnibus, vt confessum recipitur (& quod procreationis est expers, id esse consequens, vt non intereat) id expendentes, partim intelligemus, pronuntiatum esse, quod demonstratione non indigeat, sed primum, & quod per se fidem mereatur: partim verò a quodam alio euidente pronuntiato confirmari, quod paulò ante huiusmodi esse dictum est (si quid procreationis rationem nullo modo continet, illud neque interitus rationem subibit) Quod igitur, quicquid ortu caret, protinus & interitu careat, prompte, & sine vlla hæsitatione recipit intelligentia; & si quid est aliud eorum, quæ ad notionem sunt euidentia, tale est hoc pronuntiatum. Tamen (quicquid est expers interitus, id necessario ortu carere) hoc indiget quadam determinatione, vt prompte ipsum accipiamus. Quæ est igitur determinatio? certè, vt distinguamus quomodo hoc (interitus expers) concedendum sit, vtrum quod neque omnino rationem interitus accipiat, vt quod omnino simplex est, & perpessionis expers; an verò, vt quod instauratoriam immortalitatem obtinuit? Quemadmodum de diis Plato in Timæo dicere videtur; vbi Deum primum cum iis instituit differentem; est autem hæc eius dictio. *Quoniam generati estis, haudquaquam estis indissolubiles prorsus, & immortales, nunquam tamen dissoluemini, neque mortis vlla fata vos periment; maius est enim ad perpetuitatem vestram vinculum,*

meum consilium, quàm illa, quibus estis, tunc cum gignebamini, colligati, hoc ipsum autem, & in Politico, de toto cœlo persequitur. Concipitur enim quidpiam, quod etsi natum sit; nunquam tamen sit interiturum vt Lacedæmoniorum Ciuitas) liceat hoc vti exemplo) fiet enim, vt ea nunquam intereat, quanquam singulas domos, & partem vnamquamque, eam naturam vt perimantur, habere, concedamus. Verum, quia fieri potest, vt paulatim fiat instauratio, fieri etiam potest, vt vniuersum simul, nunquam dissolutum intereat. Neque verò ciuitatem tantum ad hunc modum permanere incorruptam possumus cogitatione concipere. sed vnicâ quoque domum. si quod in ea fatiscit, instaurationem subinde consequatur. Secundum hanc igitur rationem, si quid ortu careat, id omnino expers est interitus, sin verò careat interitu, non necessario procreationis est expers. Hæc Galenus.

VIGESIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

PLato in Politico ait, res diuinissimas, semper in eodem statu permanere similiter affectas & prorsus immutabiles. Cum igitur opifex Mundi sit quidpiam omnium Diuinissimum semper idem & similiter affectus erit. Quare alienũ est ab ipso, interdum facere & interdum non facere, sed conuenit illi, vel semper facere, vel nunquam facere. At nunquam facere in eum qui est opifex omnium rerum, cadere nequaquam potest: relinquitur igitur, vt Deus semper Mundum faciat ac proinde Mundus sempiternus sit. Præterea, Deus vt in Timæo legitur, Mundum cõcludit diuini exemplaris perfectissimam imaginem, cum igitur exemplar omnino sempiternũ sit, necesse est Mundum, siquidem est imago ipsius, ambifariam sempiternum esse. Ad hæc, Plato Mundum Deum vocat, Deorum autem genus & mutationis & vitij expers est, quare Mundus ortu, & interitu carebit.

AD VIGESIMVM ARGVMENTVM PROCLI.

IN hoc argumento nihil noui ferè Proclus affert, nam prima pars argumẽti, supra in sexto argumẽto, secunda in decimoseptimo, tertia in vndecimo, & ab ipso tractata, & nobis refutata fuit

Si au-

Si autem Plato aliquando Mundum vocauit Deum, id fecit fabulosam Poëtarum consuetudinem sequutus, ex Orphęicis versibus id accipies: qui Poëtæ, nihil est in natura rerum, cui non diuinitatis cultum attribuerint. Cúmq; Poëtarum mos sit Deorum ortus tradere, mores autẽ ipsorum reticere, mirum non est, si cum Plato Mundum ortum esse, neque interiturum esse dixerit, Deum ipsum, Poëtarum cõsuetudine appellet. Et quamuis Plato in lib. de Republica Poëtas multis criminibus incessat, eosq; de sua Ciuitate depellat, nonnunquam tamen, ne vel receptos deos improbare, & noua inducere dæmonia videatur, quod nouerat Socrati mortem attulisse, ad Poëtarum consuetudinem delapsus, fabulis ipsorum interdum vtitur. Oportebat autem Proclum animaduertere, cum Plato in Timæo Deum ait esse Mundum, & stellas omnes quæ conspiciuntur, solem inquam & reliquas? quænam mox subiungat? appellat enim Deum Oceanum, Salatiámque cæli satu, terræque conceptu generatos, ex his Phorcin, Saturnum, & Opem, deinceps Iouem, atque Iunonem, ac reliquorum deorum prosapiam. Quare, si quòd plato hic Mundum Deum esse inquit, Proclus inde vult efficere Mundum perpetuum esse? pari item ratione concludam ego, Saturnum, Iouem, reliquósque supra commemoratos, quod à Platone ibidem nominentur dij, sempiternos & sine ortu, & interitu fuisse cum tamen eos natos esse, ac progenitores habuisse, Plato testetur. Vocat etiam Plato cælum Deum, antiquorum hominum existimationem sequutus? qui cum nihil præter res corporeas intelligerent, in iis autem cælum principem locum obtineret, ipsum à sempiterno cursu τὸν θεὸν appellarunt. sic enim apud Platonem cum Hermogene loquens Socrates in Cratilo ait, *qui in Græcia primi homines extiterunt, videntur mihi solos hos, deos existimauisse (vt hodie etiam barbarorum plerique) Solem nempe, Lunam, Cælum, vt cũ viderent eos sempiterno cursu incedere, ab hac τοῦ θεῖν id est currendi natura θεοὺς. ed est Deos appellauerint. Post ea autem, cum alios de eos obseruauissent, eos nomine eodem nuncupauerint.* Ac Plato quidem rectè de Deo sensisse videtur. Nam in Timæo, vnum esse Mundum ostendit, quòd vnum sit eius exemplar, vnusque eius opifex Deus. Et in epistola ad Dionysium ait, se epistolas quas ex animi sui sententia scribit, ex vnius Dei præfatione & nuncupatione ordiri; quas verò ex aliorum sensu, & in aliorum gratiam exarare cogitur, eas à deorum appellatione inchoare. Et cum Plato, omnes alias res, ab vno Deo, vel proximè, vel per Deos secundos, conditas; & suapte natura mortales, ac dissolubiles esse; Deique munere res cælestes immortalitatem adipisci censeat; qui potuit, vllam earũ rerum, Deum esse arbitrari?

An Plato verè sentiat, Mundum, Cælum & Astra esse Deus.

trari? Interdum tamen multos deos nominat, & colendos esse asserit: veram, quàm de Deo ipse sententiam habebat, in vulgus non enuntians: ne patris legibus aduersari, & à communi hominum sensu, & opinione abhorrere videretur, sicque populi inueteratis erroribus assueti, & veritatis, quæ de vno Deo est, minimè capacis, odium & furorem, qui in necem Socratis tantopere sæuierat, aduersum se concitaret. Sed illud, Platoni condonari non potest? quod intelligentiis, Dæmonibus, Astris, etiam diis Poëtarum cultum adhibere, preces fundere, vota nuncupare, sacrificia facere iubeat. Indignum.n.est, tantum Philosophorum in re tanti momenti quanti est agnitio veri Dei, metu mortis, non modo cælasse veritatem, sed etiam tam falsas, & impias de Deo vulgi opiniones, auctoritate sua fouisse. atque confirmasse. Sed ad Procli argumentationem redeamus.

Plato Mundū ait esse Deum, ergo Mundus, inquit Proclus, non est ortus. Atqui oportebat Proclum audire Platonem vtrumque dicentem, & Mundum Deum, & ipsum nihilominus ortum esse. Oportebat meminisse, Platonē nomen Dei, etiam iis rebus, quas generatas esse constat, tribuisse. Oportebat considerare nomen Dei, cum Mundo tribuitur, nō propriè sumi à Platone, sed eo modo, quo supra declarauimus. Quod autē Plato Mundum, nec propriè Deum esse, nec mutationis expertē censuerit, ex iis, quę scribit in Politico, manifestum erit, *in iisdem enim* inquit, *& eodem modo se habere, & idem esse, iis demum. & solus conuenit quæ maximè sunt diuina: corporis autem natura in hoc numero haberi non potest. Vnde, quoniam Cælum, & Mundus corpus participauerunt, mutationes expertia semper esse non possunt.* & rursus in Timæo, *quid est, quod semper est, neque vllum habet ortum? & quid quod gignitur quidem semper, nunquam est tamen? quorum alterum intelligentia cum ratione cōprehenditur, quod vnum semper, & idem est: alterum, quod affert opinionem per sensus rationis expertes, quod totum est opinabile, id gignitur, & interit, nec vnquam verè esse potest.* Verum de his satis.

Et argumentis quidem omnibus Procli, pro æternitate Mundi ab eo allatis subtiliter, vt opinor, atque diligenter, adhuc respōsum & satisfactum fuit. Sed quoniam in hac disputatione, de Platonis sententia sæpenumero vtrinque disputatum est, operæpretium esse duximus, quid Plato de Mundo senserit: ortus sit, necne, seorsum explicare.

An

An Plato senserit Mundum ortum esse, & aliquando cæpisse, an potius sempiternum esse, atque ortu, interituque carere.

CAP. V.

QVoniam sententia Platonis, ex iis quę scripsit, tum alibi, tū præcipue in Timæo, elici debet, & quia verba eius, ab iis, qui in cōtrariā sententiam discesserunt, variè explanātur idcirco operæpretiū esse duxi, locū Platonis in Timæo, vbi de molitione Mundi loquitur, integrum hic ascribere: vt quoniā ab iis qui Platonē sequuntur, multæ & discrepātes interpretationes illius loci excogitatæ sunt, nos, quæ nam sit germana interpretatio, & verbis Platonis maximè cōgruēs iudicare possimus. Verba Platonis in Timæo, vbi de procreatione Mundi loquitur hæc sunt. *De quo primum considerem⁹, quod in quæstione de vniuerso ante omnia inuestigari debet. vtrum ne sēper fuerit sine vllo generationis principio an genitum sit ab aliquo principio sumēs exordium, Id profectò cernitur. tāgiturq; & corpus habet: omnia verò huiusmodi sensus mouēt, quæ sensus mouēt, opinione per sensum percipiuntur, hæc vero talia esse cōstat vt gignātur & genita sint: quidquid autem gignitur, necessario ab aliqua caussa gigni asseruimus.* Hæc Plato: quibus verbis, cū apertè significaret Mundū ortum esse: Platonici tamen, vt Crātor Platonis interpres, Plotinus, Porphirius, Iāblicus, Taurus Platonicus, Proclus, Apuleius in li. de Platonis dogmate, Alcinous, & Simplicius, hunc Mundū sēpiternum esse ex sententia Platonis pugnaciter defendere cum in animum induxissent excogitarunt multas acceptiones illius vocabuli (ortum) seu (generatum) præter illā cōmunē, qua dicitur aliquid generatum esse, quod prius nō erat, & aliquando cæpit esse, in qua significatione, contendunt Platonis verba accipienda nō esse. Nos igitur expositiones illius vocabuli, quas ipsi commenti sunt, cōmemoremus, & an verbis Platonis conueniant expendamus.

Taurus Platonicus.

Taur⁹ Platonicus, in Cōmētariis, quos scripsit in Timæum, qua tuor acceptiones illius vocabuli (oriri) prętер cōmune eius significationem, adfert. Primò modo, inquit, oriri dicitur, quod nunquā quidem ortum fit, in eodem tamen genere sit cum iis, quę oriuntur; sic videri dicimus. & nō visum sit, nec videbitur, sed in eodem sit genere cum iis quę videntur, vt sit quod sit in centro terrę corpus. Tum, dicitur oriri aliquid, quoniā cōpositum est, quod tametsi nunquā generatum sit, nos tamen, vt cōpositionem eius, & melius intelligamus, & cōmodius explicemus. cogitatione id generamus, suásque in partes resoluimus: vt syllabas ex elementis & figuras ex lineis generari dicimus. Deinde, dicitur etiam aliquid

oriri,quia in eo ſemper eſt,vt gignatur,& non habet totũ ſuũ eſſe ſimul,ſed eſt in perpetua cõmutatione; elemẽta enim continuò cõmutantur,& in ſe mutuò conuertuntur;orbes autẽ cæleſtes licet iidẽ ſubſtantia permaneãt,tamen ob perpetuã conuerſionem ſitus,aſpectus,atque vultus cõtinenter euariant. Poſtremò,ortus etiã dici poſſet Mundus,quoniam aliunde ipſi eſt tributa eſſentia, nẽpe à Deo,à quo exornatus eſt,&quo remoto,in nihilum recideret:vt idẽ ſit Mundum generatũ eſſe,quod non ſua vi extitiſſe,ſed à Deo factum fuiſſe,ab eoque & regi,& conſeruari: ſic ſecundum eos,quibus cælum apertè ſempiternum eſt,Luna ortum,atque generatum à Sole lumen nacta eſt,nunquã fuit tamen cum non ab ipſo illuſtrata fuerit.His inqnit Taurus ſignificationib.qui verba Platonis interpretatus fuerit,ſententiã eius aſſequetur, qui autem cõmunem ſignificationem generationis,qua,id,quod nõ fuit aliquãdo in natura extitit,verbis Platonis attribuerit,toto vt aiũt cælo,à mente Platonis aberrabit.Hæc ex Tauro Philoſopho.Ex illis autem quatuor ſignificationibus,Crantor,poſtremam amplexus eſt;Porphyrius ſecundæ ſignificationi aſſentitur;Proclus Iãblicus:& Simplicius duãbus poſtremis adhæſerunt;Apuleius,& Alcinous,tertiam ſignificationem præcipuè ſequuti ſunt.Nos autem, quantum earũ vnaquæque verbis Platonis,quę ſupra poſita ſunt, vel congruat,vel diſcrepet,accuratè diſcutiamus.

Prima ſignificatio abſurda eſt,& non ſolum à Platonis, verum etiam à cõmuni ſenſu aliena. Nam qui fieri poteſt,vt quod nõ eſt corpus,vel ſubſtãtia ſit in genere corporum,vel ſubſtãtiarũ;genera enim,de iis,quæ ſubiecta ſunt ipſis,nomine, & definitione, dicuntur:qui poteſt inquam fieri,vt Mũdus,qui ſecundum ipſos ortus capax non eſt,ſit tamen ex genere eorũ,quæ oriuntur? quod ſi id quod non eſt ortum,tamen eſt ex genere eorum, quæ poſſunt oriri,ergo per oppoſitionẽ conuerſionis,aliquid erit ortum quod ſit ex genere eorum,quæ non poſſunt oriri? ortum eſt igitur aliquid.quod oriri non poteſt,Quid?quòd generabile, & ingenerabile ſicut corruptibile & incorruptibile,vnius & eiuſdem generis eſſe non poſſunt:Deinde,abſurdus eſt verborum Platonis ſenſus,ſi hoc modo explanentur,vt per ſe manifeſtũ eſt.Præterea,id quod eſt viſibile,tametſi in centro terræ iaceat aptum tamen eſt ſuapte natura videri:quare ſi ita Mundus dicitur eſſe ortus, ſuapte natura capax erit ortus,ex quo fier,vt neceſſariò aliquãdo ſit ortus;nã quod per ſe generabile eſt,nõ per aliam viã,qnàm per generationem veniat ad eſſe.Poſtremo,Plato,quæſtionẽ proponens de molitione Mundi dixit ipſum ortum eſſe,nõ autem ex genere eorũ quæ ortuntur:& quid per ortum intelligeret explicant ait. *Vtrum ſemper*

ſemper fuerit,ita vt ortus ſui initium nullum habuerit, an vero ortum ſit, ita vt ab aliquo tẽporis principio eſſe cæperit, & iterum. Tempus igitur vna cum cælo ortum eſt,vt ſimul nata ſimul etiam diſſoluentur.

Altera ſignificatio,quare aliquid (auctore Tauro) dicitur eſſe ortũ eſt,quoniã eſt cõpoſitum & cogitatione in ea ex quibus eſt cõpoſitum,poſſit diſſolui,qua ſignificatione vſum fuiſſe Platonẽ, cum dicit Mundum ortum eſſe,indicat,inquit Porphyrius,proba tio,quam ſubiicit,*Ortus eſt* inquit *quãdoquidem cernitur & tangitur, & eſt vndiq; corporatus*.quib⁹ verbis nil aliud ſignificatur,quã Mũdum eſſe cõpoſitum.nã quod corporatum eſt,materiam habet & trinã dimenſionem,quod autem cernitur,& tãgitur forma nequa quam carere poteſt; quare cõpoſitum erit. Sed primo abſurdum eſt eã ſignificationẽ Platoni affingere, quæ neq; apud Platonem, neq; apud vllũ veterũ Oratorũ,neq; apud Ariſt.in 1.lib. de Cælo, tex.110.vbi eius,quod oritur,ſignificationes, tã ſubtiliter perſequitur,neq; in cõmuni vſu loquendi reperitur,Præterea vitio dãdum eſſet Platoni,quod tã inuſitata illius vocabuli ſignificatione vti voluerit:nec ante tradita multiplici acceptione eius vocabuli,hoc indicauit,vt obſcuritas,& ambiguitas tolleretur.Deinde,ſecundũ hãc ſignificationem ſenſus quæſtionis à Platone propoſitæ,hic erit;Mundus ne,ſimplex ſit nullũ principium cõpoſitionis habẽs an cõpoſitus fuerit quare illud (ſẽper ne fuerit) pro (ſimplex ne ſit) vſurpatum erit:& illud (ortus eſt) pro(cõpoſitus eſt) ſcriptũ erit.Sed,quæ neceſſitas eo Platonẽ adegit, vt in re tãti momenti declarãda,tã ineptè verbis abuteretur? Ad hæc,ſi per (nõ eſſe ortũ) ſimplex per (eſſe ortũ) intelligit Plato cõpoſitũ) certè quæſtio,quæ à Platone proponitur non eſſet adeo difficilis, vt ad eã explicãdã oportuerit Platonem Deos,Deásq; omnes inuocare,vt ſibi ad huiuſce quæſtionis enodatione: eſſent auxilio. Quis enim vnquã in dubiũ reuocauit,an Mundus ſit quædam res ſimplex an compoſita?Neq; vero,quæſtio eſſet propria Vniuerſi vt Vniuerſum eſt,ſed communis cuiuſuis corporis.Poſtremò,nõ aliter credendũ eſt Platonẽ vſurpaſſe ſupradicta vocabula in Timæo quã in 6.lib.de Legibus,& in Epinomide, illic enim ſcribit. hæc.*Rectè ſiquidẽ hoc ſaltẽ omni homini perſuaſum eſſe debet,quod homi nũ ortus,aut principiũ nullũ accepit neq; ſinẽ vnquã eſt habiturus, ſed & ſemper erat,& omnino eſt,& futurus eſt:aut ſi eſſe cæpit, principij quædã dã longitudo,à quo eſſe cæpit immẽſo iã ante nos tẽpore præceſſit.* Hic autẽ ſic ait;*Arbitrari autẽ decet omnia quæ in cælo ſunt animãtium genera, hæc eſſe.Quod ſanè in primis aſtrorũ gen⁹ ortu fuiſſe dicere debem⁹,corp⁹ quidẽ nactum pulcherrimum animã autem beatiſſimã ſimul & præſtantiſſimam, ex duabus autem ſortibus, alteram tribuendam eſſe propa-*

modum ducere debemus. nam aut ab interitu alienum & liberum à mortalitate, vnumquodque ipsorum esse, & diuinum prorsus, atque necessarium, aut certè diuturnam aliquam vitam habere, quæ cuique horum ad viuendum satis sit, & qua longiore non indigeat.

Tertiam vero significationem Proclus mirificè amplectitur, nam in opere, quod inscripsit obseruationes eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Aristoteles. accusat Aristotelem, quod dicat Platonem sensisse, Mundum ortum esse, id est à principio esse cæpisse. Ortum enim esse apud Platonem (inquit) Proclus) non significat à principio esse cæpisse, sed semper gigni, nam quæ supra tempus collocata æterna sunt, ea vniuersam simul naturam suam, vim, & actionis perfectionem, præsenté obtinere: quæ autem sunt in tempore, ea non confertam simul vitam suam, præsentem habere. Si quid enim, inquit, in tẽpore est, etiamsi in immẽsum tempus producatur, interdum quidem est, nam quidquid ipsius est, id in aliquo est tempore, non enim simul constat tempus, sed gignitur in infinitum. Ad hunc igitur modũ, Vniuersum esse, dicit non quasi sit vt id quod sẽper est, sed vt id quod per omne tempus gignitur, semper tamen aliquãdo in naturam profertur secundum eam temporis partem, quæ instat. Sed vt verum sit, quod Proclus ait Mundum naturam suam obtinere in eo, vt semper gignatur, nos tamẽ cõtendimus, quæ eiusmodi sunt, principium ortus sui habere, quod autem suapte natura generabile est, aliquando generatum fuisse necesse est, vt pulchrè ostendit Arist. in 1. lib. de Cælo, quod autem hæc interpretatio Procli, Platoni non congruat, patet consideranti verba eius. *Semper ne fuerit (inquit) nullo generatus ortus principio, an ortus ita sit, vt ab aliquo principio esse cæperit.* Præterea, si Plato ibi quærebat, an in eo, quod est perpetuò gigni Mundus habeat, vt sit, cur dixit, Ortus est non autem oritur, & gignitur? Item, cur non dixit, vt à principio aliquo incipiat, sed cæperit, nam quod gignitur semper gignendi principia continet præsentia, & quod est eiusmodi, semper incipit gigni, nunquam cæperat.

Superest quarta significatio, qua mundus dicitur esse ortus, quoniam ab alio naturam suam, & essentiam habet, de qua Proclus, loco supra citato, sic ait. *Vniuersum ortum esse dicit Plato, tanquam quod nõ sibi sit causa cur sit, sed quod ab alio in naturam educatur.* Porphirius item *Cum* inquit *Plato quærit vtrum Mundus ortus sit nec ne, sic intelligere oportet, quasi dubitet, vtrum fortuito esse constiterit, vt sui effectorem non habeat, an ab alio sit ortus & aliunde principium habeat, quod esse cæperit.* Sed primum, quod isti tam facile ab alia in aliam significationem transeant, maximum argumentum est, Platonis

tonis verbis vim eos afferre, & ea ad alienũ sensum detorquere. Deinde, cur Plato ambiguitatẽ vocis effugiens, non apertè quæstionem proposuit dicens, Vtrum Mundus ab alio factus sit nec ne? Posteà verisimile non est, Platonem in dubium reuocare voluisse, an Deus sit effector Mũdi nec ne? cum ante ingressum quæstionis Dei opem implorauerit, vt sine cuius præsidio, rectè quippiam fieri non pssit. Plato etiam ante propositionem quæstionis ponit diuisionem eorum quæ sunt, dicens alia semper esse & intelligentia comprehendi: alia vero gigni, nec vnquam esse, & sensu, ac opinione percipi. Opponit igitur Plato ei quod est semper esse & intelligentia percipi, id quod est gigni, & sensu apprehendi, si igitur oriri, & gigni, significat ab aliqua causa pendere, id quod est semper esse, & nunquam gigni, & intelligentia comprehẽdi, significabit à nulla causa pendere, quare efficitur, vt eorum tantũ. quæ sentiuntur, auctor sit Deus, nec sit principium omniũ rerum, quod Plato nõ sentit, is enim ad Dionysiũ scribẽs sic ait. *In omnium rege, omnia sunt posita, atq; illius gratia stãt omnia: atq; is auctor est omnium, quæ cum honestate, & pulchritudine coniucta sunt.* Arist. itẽ in li. de Mundo, scribit omnia à Deo, & per Deũ, orta nobis atque coagmentata esse, nullãmq; naturam esse, quæ ipsa sibi ad sese tuendam satis esse possit, nisi à Deo salus ipsi accedat, & custodia. Et in fine Metaphysic. versum Homeri pronuncians, inquit (Non multos regnare bonum, tex vnicus esto) Quid plura? anima Mundi, animi quoq; rationis compotes, intelligentia solum comprehenduntur, horum tamen Plato in Timæo Deum procreatorem facit. Præterea, postquam Plato ostendit Mundum esse genitũ, ex eo infert, ipsum necessariò habere causam efficientem. Ante igitur, cum probauit Mũdum genitũ esse, non significabat ipsum habere causam efficientem, alioqui eadem esset propositio, & conclusio, & idem bis diceret, superuacaneum enim id erat, quod subiicit, Omne quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est. Secundum enim expositionem istorum, Plato tali argumentatione vsus esset, Omne, quod gignitur, id est, habet causam efficientem, ipsum ab aliqua causa efficiente gigni necesse est, sed Mundus ortus est, id est habet causam efficientem, ergo Mundus habet causam efficientem: qua conclusione, quid magis ridiculum, & absurdum fingi potest? Sed inquit Porphirius, si apud Platonem gigni & ortum esse significat aliquando cœpisse, ergo non valet illa consequentia, qua vtitur, (Mundus cernitur, tangitur, & est corporatus, & sensu percipitur, ergo est ortus id est aliquando cœpit.) Imo vero consequentia valet apud Platonem, nã cũ Plato Mũdũ vniuersum ex quatuor elementis coagmentatu

esse existimauerit, vt supra docuimus, nullúmque corpus putauerit nostris sentibus subiectum, quod non esset elementum, vel ex ipsis elementis conflatum, omnia autẽ elementa per omnes suas partes oriri, & interire perspicuum est, hinc fit, vt rectè Plato cõcluserit, Mundum ortum esse.

Verum postquam eorum, qui cõtra sentiunt, interpretationes futiles, & à sensu Platonis alienas esse ostẽdimus, testimoniis aliorum Philosophorũ, id ipsum Platonẽ sensisse demonstremus. & in præsentia quidem Plutarchum, Atticum, Seuerum, Diogenem, Laertium, Phletonem Platonicum, & ex Latinis Ciceronem, atque alios nostræ Religionis clarissimos Philosophos, vt Iustinum Martyrem, Eusebium Cæsarienſem, D. Augustinum, Clementem Alexandrinum, Theodoretum, atque alios missos faciamus, Aristotelem qui totos viginti annos Platonem audiuit, à quo ob ingenij eius præstantiam, mens suæ scholæ appellatur, in hanc rem testem adhibeamus, & verborum ipsius, Alexandrum Aphrodisæum antiquissimum, & fidissimum interpretem afferamus, ea quæ refert Philoponus, nam Alexãdri scripta interciderunt, memorantes, vt vtriusque testimonio, sententia nostra confirmetur. Aristoteles 1. lib. de Cælo, tex. 102. *genitum* inquit *omnes dicunt Mũdum sed genitũ hi quidẽ sempiternum*, hos Alexãder interpretes inquit fuisse Orpheum, & Hesiodum, & cõplures Theologos, Post hos autem, Platonem idem quoque sensisse, Id eodem textu subiungit Aristoteles *genitum igitur esse sempiternũ tamẽ fore, impossibile est*, quæ verba exponens Alexander, inquit sententiam Platonis ab Aristo. reprehendi. Et quoniam aliqui Platonici, cupientes Platonẽ tueri ab argumentis Aristotelis, dixerant Platonem non id sensisse, quod ei Arist. imponit, sed illis verbis (ortum esse, & generatum, significare voluisse Mundum habere suam essentiam in eo, quod gignitur semper ab aliquo, eiusmodi expositionem Alexander multis verbis reprehendit, tanquam dissentientem à verbis Platonis, quæ quoniam à nobis supra allata sunt, cum aduersus talem significationem disputaremus, consulto nunc prætermittuntur. Idẽ Arist. 1. de Cælo, tex. 104. sic ait. *Auxilium autẽ quod quidem conantur afferre sibi ipsis. qui dicunt incorruptibilem quidẽ esse sed factũ, nõ est verum similiter enim dicunt iis qui designationes describunt, & seipsos dixisse de generatione, non tanquam generato aliquãdo. sed doctrinæ gratia tanquam qui magis cognoscant, si velut designationẽ, viderint factũ.* & quę deinceps sequuntur. quibus verbis Aristoteles indicat refugium, quo, vt Alexander inquit, nõnulli Platonici vsi fuerunt interpretantes illa verba Platonis, Mundum esse genitum, vel pro creatum, non quasi dicta simpliciter, sed ex hypothesi, nimirum docendi

docendi gratia, vt iis qui discunt, natura Mundi clariùs ostendatur: quos Alex. multis verbis redarguit. Item Arist. tex. 109. sic ait. *Sũt nõnulli qui fieri posse putãt, vt & quod natũ nõ est, intereat, & quod natũ est incorruptũ permaneat quẽadmodum habetur in Timæo, illic enim dicit natum quidẽ esse cælum, in posterum tamen tẽpus perpetuum esse futurum*, non hæc dicit Aristoteles inquit Alexãder, quod illa ambo senserit Plato, posterius enim tantum in Timæo scriptum est, sed quoniam illa ambo necessariò inter se connexa sunt, vt qui posterius concedit, ipsum quoque prius admittere necesse sit. Quod autem, eandem sententiam Platoni ascripserit Theophrastus in lib. de Physicorum opinionibus, optimus testis est Taurus Platonicus in Commentariis suis super Timæum. Sed Proclus contendit, Platonẽ fecisse Mundum æternum, tum quoniã ait exemplar Mundi sempiternũ esse, tum quoniã facit causam Mũdi bonitatẽ Dei, & vacuitatem inuidiæ, Cũ igitur Deus semper sit bonus, semper inuidia vacet, semper Mundum procreat. His Adde, quod si non fecit ab æterno, ergo ab ęterno fuit tantum potentia opifex, & nõ actu, quare fuit imperfectus: verum his, atque aliis horũ similibus, cum argumenta ipsius soluerimus, cumulatè satisfecimus. Præter illa testimonia Aristo. quæ supra citauimus, est aliud luculentissimũ in octauo libro Phy. tex 10. *Omnes* inquit *tẽpus natũ esse negãt: solus autẽ Plato ipsum ortũ esse asseuerat, vnà enim cũ cælo ortũ esse, cælum vero natum fuisse affirmat.* Hæc testimonia Aristotelis & Alexãdri quæ adduximus, si quis latius videre cupit, legat Philoponũ in solutione sexti argumenti Procli. Sed dicet aliquis, quicquid natũ est, Plato vult interire posse: at Mundum negat ipse aliquando interiturum, ergo non sensit ipsum ortũ fuisse. Respondeo, est quidẽ Mundus suapte natura interitui subiectus, sed consilio, & voluntate Diuina semper conseruatur, quod perspicuum est ex illis verbis Platonis. *Quoniam* inquit *orti estis, immortales vos quidem esse, & indissolubiles nõ potestis, neutiquam tamẽ dissoluemini, nec vos vlla mortis fata periment, nec fraus violẽtior quam consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram quam illa quib. estis, tunc cũ gignebamini, colligati.* Quod si Plato, ait Mundum nullus rei indigere, nullo morbo affligi posse non ideo dixit, quod mundum sibi ipsum tantum sufficere putaret, neque ab vllo extrinsecus pendere, aut quod suapte natura immortalem, ac perpetuum esse existimaret, sed quoniam nihil sit extra Mũdum, quod extrinsecus incutiens possit perniciem, & interitum ipsi afferre. Quamobrem Plato in Timæo sic ait. *Itaque & ob eam causam & ab iis rebus numero quatuor, Mundi est corpus effectum ea constructum proportione, qua dixi, ex quo ipse se concordi quadã amicitia & charita-*

te complectitur, atque ita aptè cohæret, vt dissolui nullo modo queat, nisi ab eodem, à quo est colligatus, Earum autem quatuor rerum, qua supra dixi, sic in omni Mundo partes collocatæ sunt, vt nulla pars, aut facultas huiusce generis excederet extra, atque in hoc vniuerso inessent genera illa vniuersa, idque ob eas causas, primò, vt mundus animans posset ex perfectis partibus esse perfectus: deinde, vt vnus esset, nulla parte vnde alter gigneretur, relicta: postremo, ne quis morbus eũ posset, aut senectus affligere. Omnis enim coagmẽtatio corporu, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur, & frangitur, & ad morbos, senectutémqre cõpellitur. Hanc igitur habuit rationẽ effector Mundi, mollitorque Deus, vt vnũ opus tantũ, atq; perfectũ ex omnibus totis, atque perfectis absolueret. Cũ autẽ ait Plato Mundũ nullius indigere, intelligit nullius externi, sic enim de ipso ait in Timæo. *Omni autem læuitate Mundi figuram totã circundedit. multis de causis, neq; enim oculis egebat, quia nihil, quod extra cerni posset relictũ erat, nec auribus, quia nec quod auditur quidem, neque erant anima circunfusa externa Mundi, vt respirationẽ, requireret, nec verò desiderabat, aut alimenta corporis, aut detractione confecti, & consumpti cibi, neque enim vlla accessio fieri poterat, neque decessio, neque vero erat vnde, ita se ipse consumptione, & senio alebat sui, cum ipse per se & à se & pateretur, & faceret omnia sic enim ratus est ille, qui ista iũxit & cõdidit, ipsum se contentũ esse Mundum, neque egere altero; melius esse futurum, ac præstãtius.* Quod autem Mundus instauratitiam, ac rediuiuam immortalitatẽ à Deo habebat audi Platonem in Politico hæc dicentẽ. *Mundus* inquit *in cõtrarias partes vltro circunducitur vt qui vitam, & intelligentiã nactus sit ab eo qui ipsum confluxit. Porrò ipsi retrorsum ire, ob id necessariò insitum fuit, quod tali quidẽ sẽper in iisdẽ esse, & eodẽ modo se habere, atque idem permanere, omnium maximè Diuinus naturis solis conuenit. Corporu autẽ natura nõ huius est ordinis. Quod igitur cælum seu Mundum nuncupauimus, permulta, ac preclara munera à Creatore suscepit. Corporis tamẽ factius est mundus particeps vnde fieri nõ põt, vt ipse in omne tempus sit mutationis expers.* Quod autẽ iis quę diximus, Proclus ite cõsentiat, perspicuũ est ex eo opere, quod inscribitur Obseruationes eorũ, in quibus Platonis Timæo contradixit Arist. ibi enim primum quidem ostendit, Mundũ suapte natura sempiternum esse non posse, nullũ enim inquit finitum, vt est apud Arist. in lib. Phy. habet vires infinitas, sed Mundus est corpus finitum, ergo non est præditus viribus infinitis, atqui æuum, siue æternitas est infinita quædam facultas semper (vt ita dicam) existendi: Mundus igitur per se æternus esse non potest. Deinde subiungit, semper esse, extrinsecus Mundo aduenire, ab opifice ipsius sic dicens, *acquirit sibi Mundus, vt semper sit, propter illud, quod semper verè est, cum hoc quantum in sua ipsius natura est positum, id non habeat*

habeat, vt si semper, vnde fit, vt eius quod gignitur definitio, Mundo adaptari possit, & haud ita multo post inquit. *Quemadmodum iis quæ viuuntur in terris conuenit, vt partim intereãt, propter virium infirmitatem, partim conseruentur, propter vires, easque infinitas, multo magis iis quæ non intereunt, conueniet perpetuitas, atque immortalitas, propter vires, easque infinitas, occidit enim vis omnis finita.* Hæc Proclus: Planum igitur est ac luce clarius, Platonem non obscurè, vel ambiguè, sed apertè, & indubitatò sensisse, Mundum ita ortum esse, vt aliquando cæperit, & per se mortalem, & caducum esse, consilio tamen, voluntate, & potentia opificis sui, in perpetuum conseruari. Sed quidam Platonici, vel quòd maximè cuperent Aristotelem conciliare cum Platone, vel quòd Peripateticorum aduersus Platonicam Mundi creationem argumenta nescirent soluere, vel quòd productionem rerum ex nihilo & infinitatem diuinæ virtutis. Deique in agendo libertatem, nollent admittere, quibus rebus non ante concessis, Mundum sempiternum esse negari non potest, vel denique, odio Christianæ religionis, cui, ferre non poterant videri Platonem, cum in permultis aliis decretis, tum in hoc de noua Mundi effectione, tam perspicuè suffragari, ob has inquam causas nonnulli Platonici, opinionem de Mundi æternitate, Platoni vel reluctanti conati sunt imponere, verba eius, quibus Mundum ab aliquo principio esse factum apertissimè pronuntiatur, commentitiis interpretationibus, à vera eorum verborum notione, ad significationes quasdam inusitatas & absurdas detorquentes. Verum de Platonis sententia, & de vniuersa disputatione, quam aduersus Proclum æternitatis Mundi assertorem, susceperamus, satis hactenus dictum sit. Nunc argumenta, quæ in eandem sententiam, Peripatetici, vt Auerroes, & alij excogitarunt expendamus.

Duodecim Argumenta Auerroïs pro Mundi æternitate.

CAP. VI.

PRimum argumentum Auerrois, ex 4. lib. Phy. com. 6. & 1. lib. de Cælo, commen. 92. depromptũ, sic habet. Qui de nouo Mundum generant, debent necessariò vacuum admittere, nam vbi nunc est Mundus, aliquando nullum fuit corpus, nimirum ante generationem Mundi, poterat tamen esse, quandoquidem postea Mundus generatus fuit, ergo illud erat vacuum, namque vacuumm non est aliud, quam receptaculum corporis vacans tamen omni corpore.

Secundum argumentum, ex lib.1 de Cælo, Comment.22. Qui ponunt Mundum de nouo generatum esse, non possunt demonstrare, esse Deum, & æternitatem eius: sicut qui ponunt ipsum æternum esse, & coguntur dicere ante generationem Mundi, fuisse aliquod corpus, & ratio est, quoniam, quod de nouo fit, non potest immediatè fieri à Deo, tũ quoniam, de nouo fit, quod autem tale est, ab eo quod semper eodem se habet modo, proximè effici non potest: tum quoniam quod generatur, debet prius ab alio alterari, Deus autem, & quoniam idem, ac immutabilis est, & quia est incorporeus, non potest immediatè aliquid noui facere, vel aliquid alterare, illud igitur, à quo Mũdus proximè factus est, debuit esse corporeũ, vt & alterare posset subiectum, ex quo Mundus generari debebat, & vt varietate, ac nouitate sui motus, aliquid noui producere posset, quod antea non erat.

Tertium argumentum, ex lib.8. Phys. Com.4. Si quicquid fit, ex subiecto, & opposito determinato fit: idque & ex vi demonstrationis, & ex euidentia sensuum certum est, contrarium autem huius, nec ratione, nec testimonio sensuum ostendi potest: planè impossibile erit ex nihilo aliquid fieri: in tali enim productione, nec subiectum, nec oppositum vllum determinatum esse potest. His adde, quod omnis actio necessariò coniuncta est cum motu, subiectum autem est inseparabile à motu, cum ponatur in definitione eius. Quare, qui aiunt primum agens posse ex nihilo aliquid facere, non prædicant excellentiã eius, sed potius pugnantia inter se loquuntur, quomodo enim vel circa nihilum versari, vel in nihilo recipi vlla actio potest? Vel esse agens sine patiente? cum hæc sint relatiua, quorum ea est natura vnum sine altero intelligi, nedum esse nequeat.

Quartum argumentum ex eodem libro, Com.15. Qui faciunt Mundum de nouo, coguntur fateri aliquam mutationem factam esse in Deo. aut enim Deus eodem prorsus modo se habuit erga molitionem Mundi ab æterno, vt tunc cum fecit Mundum, & sic necessarium est. vt vel ab æterno Mundũ fecerit, vel vt nunquam fecerit: aut diuerso modo se habuit Deus, tunc cum fecit, quàm sese habuerat ab æterno, hæc autem diuersitas cum non potuerit oriri ex ipso Mũdo, vtpotè qui nihil planè esset, necessario profecta est ex ipso opifice Deo.

Quintum argumentum, ex eodem lib. & Com. Vt se habet voluntas noua ad actionem nouam, sic voluntas antiqua ad actionem antiquã, ergo à cõmutata proportione, sic se habebit voluntas noua ad actionem antiquam, sicut voluntas antiqua ad actionem nouam, & cõtra: ergo sicut est impossibile à voluntate noua prodire actionem antiquam, sic est impossibile à voluntate antiqua prodire actionem nouam.

Sextum argumentum, ex eodem libro & Commento. Si voluntas æterna, dicitur producere suum effectum de nouo, & non ab æterno, hoc sine dubio contingit, vel ob aliquod impedimentum, vel ob defectum alicuius rei necessariæ ad illum effectum producendum; necesse est igitur ante generationem Mundi, vel impedimentum illud remoueri, vel illam rem necessariam adesse quorum neutrum potest fieri sine motu. Saltem negari non potest, quin qui differt facere quod vult, expectet præsentiam illius temporis, & velit præterire totum illum tractum durationis, qui præcedit illud tunc in quo vult effectum producere; non possunt igitur effugere quin admittant, ante generationẽ mundi aliquam durationem temporis extitisse.

Septimum argumentum, ex eodem libro & Commento. Aut tempus factum est cum Mundo, aut fuit ante generationẽ Mundi sed cùm nec tempus sine motu, nec motus sine mobili; nec mobile vllum extra Mundum esse possit, quomodo potuit esse tempus ante generationem Mundi? Sin autem tempus factum est, cum omne quod fit, vel in tempore, vel in instanti fieri necesse sit, cúmque ibi tempus esse oporteat, vbi mens nostra distinguit prius, & posterius, fiet profecto, vt ante generationẽ temporis, ipsum tempus fuerit.

Octauum argumentum, ex eo Opere cui nomen est, Destructio destructionum, ex disputatione prima in solutione secundi Dubij, Nullum agens differt agere bonum quod vult, & intendit, nisi vel ob aliquod impedimentũ, vel propter aliquod maius bonum cum ergo ante generationem Mundi nihil planè esset, vel quod restitueret Diuinę Potentiæ, eámq. retardaret, vel quod melius esset Mundo, nulla causa assignari potest, propter quam Deus, non ab æterno Mundum fecerit. Incredibile item est, Deum elegisse priuationẽ Mundi, quasi tempore infinito: nunquam.n. priuatio, aut est prior habitu, aut diuturnior eo, nisi per accidens.

Nonum argumentum, ex eadem disputatione in solutione tertij Dubij. Causa. & causarum sunt relatiua: sicuti ergo accidit Mundo de nouo esse causarum, sic accidet Deo de nouo esse causam Mundi; cum ergo ab æterno non fuerit causa, postea verò de nouo esse cæperit causa Mundi, idq; non extrinsecus euenerit. nihil enim erat extra Deum ante generationem Mundi, necesse est confiteri id accidisse ob aliquam mutationem factam in ipso Deo. Si igitur Deus ab æterno omnes conditiones habuit, quæ requiruntur ad efficiendum Mundum. quid causæ reddi potest, cur ma-

luerit ab æterno non esse Mundum, quàm esse? quis enim, non inquam Sapientissimus, & optimus, cuiusmodi est Deus. sed qualiscunque Artifex, cum possit facere aliquod opus optimum, malit dici, & esse opifex eius potentia, quàm actu, cum tamen actus sit perfectior potentia?

Decimum argumentum, ex eadem Disputatione, in solutione decimiseptimi Dubij. Qui aiunt Mundum de nouo creatum esse à Deo, censent ante hunc Mundum, alium potuisse creari, & ante illum, alium; ex quo fit vt dilatio primi Mundi lõgior esset, quàm secundi, & secundi, quàm tertij; & tertius antiquior esset quàm secundus, & hic quàm primus; dico autem primum hunc nostrum Mundum qui factus est. Et inter tertiũ, & secundum. & inter hunc primum, intercederet aliqua duratio, quę cùm non esset æterna, deberet esse temporalis; quare tempus esset sine Mundo. Confirmatur hoc, quoniam vbi intellectus noster inuenit prius, & posterius, longius, & breuius secundum durationem, ibidem tempus esse oportet.

Vndecimum argumentum. ex eadem Disputatione in solutione decimi noni dubij. Quod est non generatum, necesse est esse incorruptibile: cum ergo ante generationem Mundi possibile fuerit Mundum generari, alioquin non fuisset generatus, & talis possibilitas sit æterna à parte ante, erit quoque æterna in posterum; quare nunquam cessare poterit: non cessante autem possibilitate, impossibile est actu Mundum esse, cum enim primùm Mundus actu esset, corrumperetur illa possibilitas, at posuimus illam sempiternam: possibilitas enim alicuius rei desinit esse, cum primum illa res actu incipit esse.

Duodecimum argumentum, ex eadem Disputatione in solutione vigesimi primi Dubij. Ante generationẽ Mundi, possibile fuit Mundum generari; omnis autem possibilitas fundatur in aliquo subiecto, quod dicitur esse possibile: omni enim agenti respondet patiens cum sint relatiua, quare sicut possibilitas actiua non potest esse nisi in aliquo agente, sic nec possibilitas passiua potest esse nisi in aliquo patiente; & sic necesse est concedere ante generationem Mundi, aliquod subiectum fuisse. Confirmatur hoc, quoniam Physicus ex iis, quæ sunt nota sibi iudicare debet de iis, quæ sunt ignota; cum igitur in cuiuslibet rei generatione, videamus non vnum oppositum recipere alterum, vel transmutari in alterum; sed aliud, quod est subiectum vtrique; præter rationem est, & contra disciplinam Physicam, dicere in generationem Mundi, non præfuisse aliquod subiectum, sed ipsum non ens transmutatum esse in ipsum ens.

Soluun

Soluuntur Auerrois Argumenta.

CAP. VII.

AD supradictas Auerrois rationes, hoc modo breuiter respondemus. Ad primam. Si Muudo per se deberetur aliquis locus, & si Mundus factus fuisset per generationem naturalẽ valeret vtiq; argumentum, at nec Mundo, vt totum quoddã est, debetur per se aliquis locus. sed tantum ratione partium, & Mundus productus est per creationẽ ex nihilo nec ante productionem Mundi præcessit aliquis locus apud Mundum recipere: possibilitas, n. quæ præcessit creationem Mundi, non fuit passiua ex parte subiecti, sed tantũ actiua ex parte Dei.

Ad secundam. Argumentum cõcluderet, si nos diceremus Mundum factum esse per generationem, & motum Physicum; at nos dicimus Mundum fuisse creatum ex nihilo, tunc quando vt crearetur prę scriptum. & determinatum fuerat à Deo ab æterno: talis autem creatio Mundi, proximè monstrat Deum esse. Nam creare Mundum ex nihilo, non potest nisi is qui habeat infinitam vim & potestatem, quíq; sit summè bonus & sapiens, hunc autẽ Deum esse, manifestum est apud omnes.

Ad tertiam. Tale iudicium nostrorum sensuum. ex duplici causa profectum est: tum quoniam sensibus nostris tantum notę sunt generationes particularium rerum, productio autem totius entis & ipsius vniuersi, non potest sub sensus nostros cadere: tum etiam quoniam sensus humani tantũ iudicare possunt de generatione rerum corporearũ, & sensibilium, productio autem rerum immaterialium, sensu cõprehendi nequit. Quamobrẽ oportet, vt intellectus se supra sensus erigens, & generalem totius entis productionem, & specialẽ rerum immaterialium procreationem cõsiderans, agnoscat in iis modum quendam productionis necessarium esse, longè diuersum ab eo, quem in generatione rerum particularium & materialium, sensu percipimus. Neque verò creatio est actio cõiuncta cum motu, vt subiecto & patiente, & tempore indigeat. Et indigere subiecto ad agendum, excusari non potest, quin multum detrahat omnipotentiæ Dei, & generali efficientiæ, quam habet erga omnes res; tollit enim infinitatem diuinę virtutis, nec patitur Deum esse propriè causam efficientẽ rerum incorruptibilium.

Ad quartam. Ab æterno Deus decreuerat facere Mundum, tunc cum factus est; nunquam igitur voluntas mutata est in Deo.

Ad quintam. Effectus intelligibilis, & voluntarius, prodit ab intellectu, secundum præscriptionem & definitionem eius; & à vo-

luntate, secundum eius determinationem. Vnde licet voluntas sit antiqua & intellectus, tamen si determinauerint facere aliquid multo tempore post, ille effectus nouus erit, & proficiscetur à voluntate antiqua secundum suum propositum propter, quod illa voluntas ab antiquo decreuerat, vt nouus ille effectus aliquo certo tempore existeret. Exempli gratia, si ego nunc apud me statuerem, ab hinc duos annos Lauretum ad sacram illam Deiparæ virginis ædem religionis ergo proficiscì, illa peregrinatio cum à me post duos annos suscipietur, procedet à voluntate antiqua, quę id duobus annis ante deliberauerat. Sic etiam Deus ab æterno decreuit facere Mundum. qui de nouo inciperet, & haberet suæ durationis initium. nihil igitur absurdi est, à voluntate antiqua, & æterna, effectum nouum (ea ratione qua expositum est) proficiscì.

Ad sextam. Valet argumentum de agente, quod operatur ex necessitate naturæ, non autem de eo, quod agit liberè, qualem esse Deum, supra capite primo multis argumentis ostendimus.

Ad septimam. Omne quod fit, in tempore, vel in instanti temporis fieri, locum habet tantummodo in iis, quę fiunt per motum Physicum, & motui circulari, cuius passio tempus est, subiecta sunt. Tempus igitur, vnà cum cælo productum est per creationem. Creatio autem est actio quædam Diuina, quæ non mensuratur tempore, vel instanti temporis nostri.

Ad octauam. Verum est id quod argumentatur Auerroes, de agente, cuius, vel aliqua perfectio, vel aliquod bonum, & vtilitas, in actione eius aliquo modo consistit, vel quod naturaliter ex necessitate operatur: tale autem agens, non est Deus. Non esse verò Mundi ab æternitate præcessit, non quod potius Deus illud elegerit, quàm esse Mundi, sed quoniam Mundus ab æterno esse non poterat, ac ideo necessariũ fuit, non esse Mundi, ab æterno præcessisse, vel quòd si poterat esse, melius erat, vt de nouo fieret, quàm ab æterno, propter eã causam quam supra, nõ semel exposuimus.

Ad nonam. Deus sine vlla mutatione sui produxit res nouas: denominatur autem creator, vel conseruator actu, & de nouo, non formaliter & intrinsecè, sed propter ipsas creaturas, quæ ante erãt potentia, postea sunt actu, antea nõ erant, postea de nouo sunt productæ: tales. n. relationes non sunt mutuæ, vel secundum æquiparantiam, sed in creatura sunt realiter, & subiectiuè, in Deo autem secundum rationem & terminatiuè. Quamuis autem Deus ab æterno habuerit omnes conditiones, quæ requiruntur ad efficiendum Mundum, non tamen oportuit Mundum ab æterno factum esse: tum quia Deus est agens liberum, non ex necessitate agens autem liberum, etiam cum omnia requisita ad agendum adsunt, potest

potest non agere; tum etiam quia fortasse Mundus nõ potuit fieri ab æterno.

Ad decimam. Si ante hunc Mundum fuisset creatus alius, ille diceretur antiquior, ratione temporis, quod fuisset vna cum ipso productum: plures enim circulationes in illo Mundo confectæ essent quàm in hoc, & plus temporis ibi fluxisset, quàm hic: deniq; secundus Mundus, licet propriè, non fiat in tempore, cum tempus ipsius, vnà cum ipso producatur, & ipsum sit extra tempus prioris Mundi, potest tamen dici esse tempore posterior priori Mundo, quatenus, cum secundus Mundus factus est, iam aliquot anni, menses, & horę, deniq; aliquid temporis præcesserat in priori Mundo.

Ad decimam. Possibilitas, vt Mundus generaretur, non erat aliqua potentia Physica fundata in subiecto, cum ante generationem Mundi, nihil planè existeret: sed erat tantum possibilitas ex parte agentis, qui propter virtutem suam infinitam, & à nulla re dependentem, potest ex nihilo res producere.

Ad duodecimam. Argumentum procedit de agente naturali, & finitæ virtutis, & de modo generationis rerũ Physicarum qui nobis familiaris est: Deum autem, cum sit infinita vi præditus, & omnium rerum auctor, non conuenit existimare ad agendum egere adminiculo subiecti, seu materię; præsertim, cum sit quędam actio ipsius propria, quam creationẽ vocamus, seiuncta ab omni motu Physico, & nullius indiga subiecti. Quod si omni agente aliquod patiens subesse necesse est, erit igitur aliquod patiens, qđ à nullo factum erit, ac proinde Deus non erit causa efficiens omnium rerum. Atque hæc quidem de argumentis Auerrois.

Duodecim alia argumenta pro æternitate Mundi.

CAP. VIII.

EXponamus deinceps alia duodecim argumenta pro Mundi æternitate, non minus quàm omnia superius allata, in speciem probabilia: quæ libuit hic adiungere, tum, ne quicquã, quod veritati aduersari & efficere posse putaretur, nos quasi dissimulantes, consulto taciti prętermisisse videamur: tum, quo discussis omnium difficultatem tenebris, illustrior atque iucundior omnibus veritatis esset aspectus.

Primum autem argumentum, hoc est. Quod de nouo creatur, aut ante potuit fieri, aut nõ; si non potuit fieri, non poterit igitur creari; si potuit esse, vbi nã illa potentia erat? in nihilo nõ potest esse, nec in subiecto, quia creatio nõ præsupponit subiectũ aliquod

Et confirmatur, quoniam creatio non est ipsa res quæ creatur, neque est Deus qui creat, sed est actio quędam proficiscens à creante, & quę terminatur ad rem creatam; hanc autem actionem in aliquo subiecto recipi oportet, at hoc repugnat creationi, quæ dicitur esse productio ex nihilo.

Secundum argumentum. Si mundus creatus est ex nihilo, cum ipsum nihil, sit quoddam indefinitum, & indeterminatum, præterea, ipse Deus sit indifferens ad producendum quodlibet, non potest assignari vlla verisimilis ratio, cur à Deo potius hoc ens determinatum factum fuerit, quàm aliud, & tunc quàm aliàs, verbi gratia, si producit cælum ex nihilo, cum Deus indifferens sit, ad producendum cælum, & quoduis aliud, similiter & ipsum nihil non sit magis determinatum ad productionem cæli, quàm alterius entis, cur potius nunc producitur cælum, quam aliud quodlibet ens? vel à quo determinatur talis productio ex nihilo ad ipsum cælum, potius quam ad aliud ens?

Tertium argumentum. Si cælum verbi gratia, de nouo productum est, quæro, antequam produceretur, vel poterat produci, & nō produci, vel ex necessitate productum est: si prius dicas, sequitur, vt cælum sit corruptibile; nam quod ante productionem sui poterat esse, & non esse, postquam productū est, adhuc poterit esse, & non esse: sin autem posterius dixeris, cum talis necessitas nō possit esse, nisi ex parte agentis, extra ipsum. n. nihil prorsus erat ante generationē Mundi, oportebit Deū ex necessitate Mundum produxisse, quod si ex necessitate produxit, cur nō ante, seu ab æterno produxit? nisi forte aliquod fuit impedimentum, quod retardauit ipsum.

Quartum argumentū. Aut Deus potuit facere Mundum ab æterno, aut non: si potuit, cum Deus & natura ex possibilib. faciant qđ melius est, melius autē sit Mundū esse, quàm nō esse, proculdubio si potuisset illum facere ab æterno, ab æterno fecisset: si non potuit facere ab æterno, ergo oportuit, vt æterna quędā duratio prę cederet molitionem Mundi, at videtur, & absurdum, & incredibile, quòd Deus per totam æternitatē expectare debuerit, donec potuerit Mundum facere; nam si Deus nō potest facere Mundum ab æterno, faciat igitur tunc cum primum potest facere, & cum illud, tunc præcesserit æternitas, aut ante illud, tunc, poterat facere Mundū, aut nō; si nō potuit, hoc est incredibile, cur tunc potuerit, & nō ante; si potuit, ergo potuit facere Mundū antequā potuit.

Quintum argumentum. Si Mundus, cuius aliæ partes sunt corruptibiles, aliæ incorruptibiles, de nouo factus est, omnes partes eius incæperunt esse; quod autem incipit esse desinit etiam esse, non

non igitur erunt aliquæ partes Mundi incorruptibiles. Ex contrario autem videntur omnes debere esse incorruptibiles: nam quod non est factum ex subiecto, & contrario, id non est corruptibile, sed tales sunt omnes partes Mundi, vtpotè quæ à Deo productæ sunt per creationem, ergo omnes oporteret esse incorruptibiles.

Sextum argumentum. Motus mensuratur tempore, si ergo incępit esse, vel incępit in instāti, vel in tempore, fuit igitur tēpus ante motum, at tēpus non est sine motu. Adde, q̄ cum tēpus sit passio & numerus motus, sicut non datur prima pars, vel primum mutatum esse ipsius motus, ita nō dabitur prima pars nec primū instās temporis, quare tempus erit infinitum, quod si dicas, tempus, & motum concreatum fuisse cum ipso Mundo; hoc non potest dici, nā quæ concreantur, eadem productione terminantur & efficiuntur; at Mūdus, vel cælum cœpit esse per primū sui esse, cum sit res permanens, & substantia completa per creationem producta: motus autem non potuit sic incipere, cū sit ens successiuū, non. n. potest dari vel prima pars, vel primum mutatum esse motus; ergo terminata creatione cæli, nondum erat motus. Quærendum igitur est, quomodo postea productus fuerit motus, & quomodo nō antē productionem motus fuerit tempus, cum cælū nō modo natura, sed etiam duratione quadam instantanea, motum pręcesserit.

Septimum argumentum. Præstantius est non posse non facere bonum, quam posse non facere bonum: sicuti melius est facere bonum, quam non facere bonum, & melius est non posse facere malum, quam posse facere; sed communicare se aliis est bonum, ac Diuinum quidpiam, immo videtur esse proprium summi boni, & inseparabile ab ipso: cum igitur hæc communicatio in molitione Mundi consistat, non potuit Deus non facere Mundum; quare, vel ab æterno fecit, vel aliquod impedimentum fuit propter quod non ab æterno fecerit; atqui nullum impedimentū fingi potest, quod Deum retardare potuerit; ergo Deus fecit Mundum ab æterno.

Octauum argumentum. Deus semper ac necessario facit, quod melius est; si enim ex duobus oppositis nō semper eligeret ac faceret quod melius est, sed interdū quod deterius est, profectò nec esset summè sapiens, nec summè bonus: vel ergo simpliciter melius est Mundum esse, quā non esse, vel è contrario, nō esse, quam esse, si melius est Mundum non esse, quàm esse, nunquam ergo Mundus potuit, vel debuit fieri à Deo, sin autem melius est Mundum esse, quàm non esse, ergo Deus necessario (non quidē necessitate coactionis, sed necessitate oppositā contingentię) fecit Mūdum: sicuti ergo non est contingens Mundū fieri, vel non fieri sic

non erit contingens Mundum de nouo fieri, vel ab æterno fieri Oportet igitur alterutrum horum esse necessarium: sed non fuit necessarium de nouo fieri, ergo fuit necessarium ab æterno fieri.

Nonum argumẽtum. Si Deus necessario facit quod melius est, & bonum, quo est diuturnius, eo melius: cum igitur Mundum esse bonum sit, melius vtique fuerit ipsum æternum facere, quam nouum. Quare sic à Deo factus est.

Decimum Argumentum. Si melius est Mundum esse quam non esse, & Deus necessario facit quod melius est, quomodo non est absurdum dicere Mundum de nouo factum fuisse: sic enim Deus præposuisset priuationem Mundi generationi eius, id est, fecisset non esse Mundi æternum esse autem eius nouum.

Vndecimum Argumentum. Si Mundus de nouo factus est: quæro, In tota illa æternitate, quæ præcessit generationem Mundi, vel Deus erat imperfectus & otiosus, quia nihil faciebat; vel æque perfectus, ac modo est; & tunc, vel erat necessarium, vtile, & decẽs Mundum esse, vel non si igitur in illa æternitate fuit, vel necessarium, vel vtile, vel decens, vt Mundus esset, oportebat Mundum, à Deo, qui summè bonus est, in illa æternitate factum esse: si autem tunc non erat necessarium, aut conueniens, aut decens, vel fuit hoc tunc cum conditus est, vel nihil horum fuit; si fuit, quærenda est ratio huius diuersitatis, cur fuerit tunc, & non prius, vel ab æternitate: si nihil horum fuit, ergo frustra Mundus factus est: quod enim neque necessarium est fieri, neque vtile, neque decens frustra sit.

Duodecimum Argumentum. Cum Deus sit summè bonus, & velit omnia sibi esse quam simillima, præsertim ea quæ immediatè procedunt ab ipso: sicuti alias perfectiones communicauit creaturis: credendum est etiam communicasse æternitatem, quæ est vna ex perfectionibus Diuinis: & quemadmodum fecit Intelligẽtias in aliis omnibus rebus ipsi similes, ita etiam fecisse in æternitate. Adde quod magis apparet excellentia Dei, & infinita virtus eius, si credatur, & prædicatur non modo auctor esse rerum caducarum, & mortalium, sed etiam opifex esse immortalium, & sempiternum: vt non solum possit creaturæ, tribuere æternitatem à parte post (vt dicunt scholastici) sed etiam à parte ante.

Supradictæ rationes dissoluuntur.

CAP. IX.

VErum ad hæc argumenta, non ægrius quam ad alia quæ supra refutauimus respõderi potest: ad primum quidem hoc modo. Quod creatur, antea poterat creari; non ob potentiam

potentiam passiuam alicuius subiecti, nulla enim materia tempore præcessit creationem Mundi, quin etiam tota ipsa materia prima creata fuit: sed solum ob potentiam actiuam agentis, quod antequam crearet, poterat creare. Potentia enim creatiua Mundi ex omni æternitate fuit in Deo perfectissima.

Ad secundum Multitudo, & distinctio earum rerum quæ à Deo creantur, & determinatio vniuscuiusque rei in gradu suo, non fuit orta ex ipso nihilo, nec ex ipso Deo simpliciter sed ex Deo, pro vt habet in se ideas, & notiones omnium rerum, secundum quas, & numerum, & magnitudinem, & gradus perfectionis distribuit rebus. Sic est in sacris literis, Deum omnia fecisse in numero, pondere, & mensura.

An quia Deus liberè agit omnes res sint corruptibiles.

Ad tertium Mundus poterat produci, & non produci, quia liberè productus est à Deo; non tamen idcirco continuo sequitur, vt Mundus sit corruptibilis: illud enim axioma (quicquid potest fieri & non fieri est corruptibile) verum est de eo, cui conuenit talis potentia contradictionis, intrinsecè, & propter aliquod essentiale principium ipsius, quod est materia: non valet autem in eo, cui talis potentia non conuenit intrinsecè, sed extrinsecè nimirũ ex parte agentis, à quo propterea quod liberè, & non necessariò productum fuit, antequam produceretur, potuit produci, & non produci. Quamuis igitur Deus liberè impertiuerit esse omnibus rebus quibusdam tamen largitus est esse perpetuum, vt per se, ac suapte natura à nullo corrumpi possint: aliis autem dedit esse, caducum ac mortale, quo aliquando tandem deficiente, eiusmodi res interire oportet. Ergo intrinsecè & secundum naturam suam, aliæ res sunt corruptibiles & aliæ incorruptibiles quædã contingentes & quædam aliæ necessariæ: quoniam aliæ materiam & cõtrarium habẽt aliæ verò minimè. At res omnes ad Deum relatæ, à quo liberè productæ sunt, ita vt potuerint non produci, & liberè conseruantur, ita vt possint non conseruari: nulla est res omnino necessaria & incorruptibilis. Diuisio autẽ rerum incorruptibiles, & incorruptibiles, sumitur ex natura ipsarum rerum, non autem ex earum relatione ad Deum.

Ad quartum, Non potuit Mundus esse ab æterno: quod non arguit impotentiam Dei, sed repugnantiã ex parte creaturæ; posita enim Mundi æternitate permulta consequuntur absurda, quæ partim tetigimus in solutione primi argumenti Procli, partim infrà adducemus. Quamuis autẽ Mundus non potuerit fieri ab æterno simpliciter, & vt quidam aiũt Categorematicè, potuit tamẽ fieri ab æterno Syncategorematicè id est, quocũqi puncto æternitatis vel tẽporis imaginari ij quod animo fingamus omni æternitati co

An citra æternitatẽ possit assignari primum instãs creationis Mundi.

extitisse,ponatur Mundus fieri,potuit ante & ante fieri & infinitum.Quemadmodum,licet Deus non possit (vt multi putãt) producere aliquod infinitum actu,potest tamẽ producere infinitum hoc modo,quoniam quocunque dato finito,seu in magnitudine, seu in numero,potest Deus facere maius, & maius in infinitum; nec potest dari vllum finitumquo non possit Deus maius facere. Potentia ad creandum Mundum,nõ debet terminari per aliquid citra æternitatem absolutè,eo modo vt tunc potuerit,& non ante,sed debet determinari per æternitatem negatiuè, hoc sensu, Mundus non potest creari ab æterno simpliciter,sed potest creari ab æterno hoc sensu,quia nihil potest assignari determinatè citra æternitatem,ante quod Deus non potuerit Mundum creare. Potentia ergo Dei ad creandum Mundum,nec determinatur per æternitatem,nec per aliquid determinatum citra æternitatem, sed per id quod est citra æternitatem,confusè,ac indeterminatè.

Ad quintum.Necesse fuit vt in prima productione rerum, omnes res ex nihilo producerentur:nihilominus tamen, ex iis, quæ tunc producta sunt,alia nacta fuerunt materiã,& contrarium, ex quibus,& per quæ generari,& corrumpi possent: alia verò ab omni materia segregata,& à contrariis libera,immortalem, atque immutabilem naturam sortita sunt: hinc igitur factum est, vt quamuis in procreatione Mundi omnes res similis productionis modo extiterint tamẽ propter diuersas naturas,quas in illa creatione acceperunt,aliæ res fuerint corruptibiles,aliæ verò incorruptibiles.

Ad sextum.Non datur primum instans temporis,sicut non datur primum mutatum esse motus circularis.De motu autẽ, cum non sit res permanẽs,nec à mobili vel termino ad quem distincta non rectè quæritur quomodo producatur,per creationem ne, an per generationẽ:non enim motus per motum producitur,nec est motus ad motum,vt in 5 Phy.Aristoteles demonstrat.Cœlum autem,cum secundum substantiam mensuretur æternitate vel æuo; non potest rectè dici esse prius motu circulari,vel tẽpore, vel instanti temporis,sed quadam duratione indiuisibili ipsius æui, cui responderet instans in tempore, si ponamus cælum immediatè postquàm fuit creatum,moueri cæpisse.

Ad septimum.Deus necessario facit bonum, hoc sensu, quòd quidquid Deus facit,necessario bonum est;nulla tamen necessitate astringitur Deus,vt hoc,vel illud bonum faciat. Cum enim liberè agere,sit perfectio quædam in homine,nõ ea est remouẽda à Deo præsertim in iis operationibus quæ sunt extra ipsum in quarum effectione non consistit perfectio Dei. Deus igitur necessario

necessariò facit bonum,quoniã quod ab eo fit, necessariò bonum est,non tamen,necessariò facit bonum, vt necessarium sit ipsum facere hoc vel illud:si enim fit à Deo, hoc ipso bonum est,& hoc ipso est melius esse,quàm non esse, præcipuè tunc quando fit:sin autem à Deo non fit,hoc ipso melius est non fieri;tunc præcipuè. Atque hinc patet etiam octaui argumenti solutio.

Ad nonum.Melius est æternum esse quam non æternum, simpliciter loquendo; sed non est melius Mundo, quia repugnat naturæ ipsius,vt coæternus sit Deo. Sicut esse incorporeum simpliciter melius est quàm esse corporeum, sed non est id melius homini,cuius naturæ repugnat ipsum esse incorporeum. Vel aliter responderi potest,non esse melius mundo vt is sit æternus, ratione finis propter quem à Deo fuit conditus,nimirum vt ex eo Dei infinita potestas,atq; maiestas ad hominibus cognosceretur, quæ facilius,clarius,certiúsque ex noua Mundi molitione, quam ex eius æternitate cognoscuntur.

Ad decimum. Quamuis ipsi Mundo melius sit esse,quam non esse,tamen Deo neque melius est,neque deterius est Mundum facere,vel non facere: quia Mundi effectio nihil Dei perfectionem attingit.

Ad vndecimum.Vt Mundus in æternitate coexisteret Deo,impossibile fuit, vel certe non decuit; vt autem aliquando fieret, existimare decet fuisse quidem conueniens, quandoquidem à Deo factus est,non tamen fuisse necessarium, vt non potuerit non fieri.

Ad duodecimum. Communicauit quidem Deus creaturis eas perfectiones,quas conditio creaturæ ferebat;eas vero,quæ superant statum & conditionem creaturæ,nec debuit,nec potuit communicare:neque enim fieri potest, vt creatura sit,vel infinita virtute prædita,vel in causata,& indepẽdens,ac(vt quidam putãt)vel Deo coæterna. Non est autem Deus auctor tantummodo rerum caducarum,sed etiam immortalium,& perpetuarum:quod autem non possit facere sibi res coæternas, hoc manifestissimè indicat summam excellentiam Dei, cui nulla creatura,aut in essentia,& perfectione,aut in virtute,& actione,aut in vita & duratione,par & æqualis esse potest.

Atque hæc quidem sint contra Peripateticos & nonnullos Platonicos,qui pro æternitate Mundi, quasi pro aris & focis ipsóque capite,acerrimè dimicant, eámque pugnaciter & mordicùs defendunt,disputata.Nos enim eorum tela, quibus veritatem petebant,hebetauimus,fregimus,fecimúsque,vt ea nihil planè veritati possent officere.

Universidad de Deusto Biblioteca

An Mundus potuerit esse ab æterno, variæ Theologorum opiniones. Ac prima omnium Henrici & Philoponi æternitatem creaturæ repugnare aientium, opinio explicatur.

CAP. X.

NOn esse necessarium vt Mūdus sit ab ęterno, satis explicatum est refutatis argumentis Philosophorū, qui æternitatem Mundi obnixè defendunt. Mundum non esse æternum, sed de nouo factum, fide cognitum, & perceptum habemus. An is tamen secundum potentiā Dei, quam vocant absolutā, ab æterno effici potuerit, Theologi adducunt in quæstionē, quam nos hoc loco velut clausulam huius libri, atque adeo totius operis, quanta maxima fieri possit breuitate, & perspicuitate, pertractare volumus. Quatuor hac de re inter se discrepātes apud Theologos (nam à Theologis potius quàm à Philosophis, hæc controuersia tractari solet) opiniones reperio.

Prima opinio est Hērici de Gādauo, Quo l. 1. quęst. 7. & Philoponi in eo libro quo respōdet argumētis Procli ꝓ ęternitate Mūdi, asserentium, esse omnino impossibile vllā creaturā esse ab ęterno. quod probant his rationibus. 1. creatio est pruductio ex nihilo, cū igitur terminus à quo creationis sit nihil, & non ens, necesse est in creatione nō ens & nihil, præcedere ipsum esse rei quæ creatur, sicut terminus à quo præcedit terminū ad quem, quare quod creatur, æternum esse non potest. 2. De omni producto verum est dicere ipsum produci, vel ita vt aliquando verum fuerit dicere ipsum tunc produci, vel ita vt verum sit dicere ipsum semper produci; sed de creatura non est verum dicere ipsam semper produci; alioquin nulla creatura haberet esse permanens, sed tantum esset successiuum; ergo verū est dicere eā aliquo instāti produci; sed cū ꝓducitur, incipit habere esse, ergo si in aliquo instāti producitur, nō semper, nec ab æterno habet esse. Tertia. Creatura habet esse acquisitū à Deo, ergo habet esse post non esse, nam quod acquirit aliquid, id non semper habuit. Quarta. Si creatura esset ab ęterno, non differret in ea creatio & consideratio; hæc autem differre inter se, manifestum est, tum ex definitione creationis, & conseruationis: tum ex eo, quod agens particulare est causa efficiens eius quod producit, non tamen est causa conseruans; quare etiam vbi hæc duo in vnum concurrunt, habent saltem diuersas rationes. Quinta. Si aliqua creatura esset ab æterno, illa per æternam durationem haberet esse necessarium & penitus indefectibile, etiā per absolutam Dei potētiam; nam ponatur talis creatura annihilari à Deo,

Septem argumentis probatur æternitatē omni creaturæ repugnare.

Deo, vel annihilari potest ab æterno, & sic quia ponitur esse ab æterno habebit esse ab æterno; & quia dicitur annihilari ab æterno; quod autem annihilatur non est, non erit ab æterno, quare, & erit, & non erit ab æterno: Vel talis creatura non potest annihilari ab æterno; quare cum ipsa habeat esse ab æterno, quandocunque citra æternitatem, annihilabitur, necessarium est iam ipsam habuisse esse ab æterno, & per totam illam æternitatem, esse omnino indefectibilem: & quia omne æternum est necessariū quippe cum careat potentia contradictionis ad esse & non esse, vt docet Arist 9. Metaphys. tex. 17. ab æterno quoque ipsa habuisset esse necessarium: Hoc autem videtur repugnare omnipotentiæ Dei, & dependētiæ, quam omnis creatura perpetuo habet à Deo in esse. Sexta. Si creatura, nec essentiam, nec virtutem potest habere infinitam, ergo neque durationem: ne ponatur creatura, in aliquo par, & æqualis Deo. Et sicut Deus in essentia habet aliquid propriū, quod est esse actum purum, & in virtute, quod est esse infinitum, & in actione ad extra, quod est habere vim creandi; ita in duratione, habere debet aliquid proprium, & incommunicabile aliis, nempe æternitatem.

Pro hac sententia facere videntur permulta testimonia sanctorum Patrum, negantium vllam creaturam coæternā Deo esse posse. Athanasius in secunda oratione contra Arrianos, ait non posse creaturā, quippe quæ ex non esse ad esse traducitur, coæternā esse opifici suo Ambrosius primo Examerō, quid tam absurdū est, inquit, quàm vt æternitas operis, æternitati iungatur auctoris? Augustinus lib. contra Felicianum Arrianum, ita definit creaturam. *Creatura est ex eo quod nondum est, vel aliquando non fuit, corruptibilis rei quantum in se est, Omnipotentis. Dei voluntate facta substantia.* Damascenus lib. 1. de Fide orthodoxa cap. 8. *Quoniam*, inquit, *creatio, Diuinæ voluntatis opus nō est coæterna Deo neque enim quod ex non esse ad esse traducitur, capax est, vt coæternū sit suo principio.* Deniq; Basilius Gregorius Nazianzenus, Athanasius, Hylarius, Augustinus, aliique multi, pugnantes contra Arrium asserētem Verbū Diuinum esse creaturam, hac præcipuè argumentatione vtebantur. Nulla creatura est coæterna suo creatori, sed ex sacris literis euidenter colligitur Verbum esse coæternum Deo, ergo non est creatura: quæ argumentatio parū firma esset ad conuincendos Arrianos, si creatura Deo coæterna esse posset.

Testimonia sanctorum Patrum.

Secunda Opinio Durandi, Æternitatem repugnare rebus corruptibilibus, non autem incorruptibilibus.

CAP. XI.

ALtera opinio est Duran.in 2.Sen Dist. 1.qui cēset ęternitatē nō repugnare substātiis incorruptibilib.vt Cęlis,& intelligētiis: at reb.corruptibilib. quarū natura specifica in vno indiuiduo perpetuari non potest,sed cōseruatur per successionē indiuiduorū, quæ generantur & intereūt,eā omnino repugnare. Rationes quidē quib.ostēdi posset res incorruptibiles,ęternas esse posse,cognosci potuerūt ex tractatione,& confirmatione tertiæ opinionis quam sequenti capite subiūgam.Hac enim re non discrepat tertia opinio ab hac secunda.

Æternitatem repugnare rebus corruptibilibus proba tur quatuor argumentis.

Quod aūt æternitas repugnet reb. corruptibilibus, ea maximè ratione persuaderi solet,quod ex hac positione,permulta,eáq; grauissima,& absurdissima incommoda existunt.Primo.n.infinitum actu transactum,& pertransitū fuisset:nam posita ęternitate Mundi,vsque ad hodiernum diem exacti, & transacti fuissent infinitæ conuersiones solis,aliorúmque syderum, infiniti dies,infinita cuiuslibet speciei indiuidua:infinitum autem nullo modo pertransiri posse,& Aristoteles docet,& nullo docente,ratio ipsa suadet.

Deinde,aliquid esset maius infinito:nam conuersiones lunæ plures sunt quam solis,cum vna conuersio solis contineat duodecim lunæ. Dies item multo plures sunt quam anni, cum annus comprehendat trecentos sexaginta quinque dies. At posita æternitate Mundi,conuersiones solis fuissent infinitæ, similiter etiam anni fuissent infiniti,ergo daretur aliquid multo maius infinito. Quin etiam esset aliquid quod infinitè excederet aliud infinitum,excessus enim dictum super annos, non potest esse finitus,quippe cum successio dierum fit æterna & infinita,quare necessariò erit infinitus.His quoque consequens est,aliquid simul esse maius alio, & eidem æquale. Etenim dies,& anni,qua ratione sunt ambo infiniti,inæquales esse non possunt: qua ratione autem vnus annus continet in se multos dies, necesse est annos pauciores esse diebus. Quod autem duo infinita inæqualia esse nequeant, declaratur simul,& probatur hoc exemplo. Sint duæ lineæ,seu aliæ magnitudines, ex vna parte infinitæ secundum longitudinem, ex altera parte finitæ,& ex ea parte,qua finitæ sunt,sint inter se æquales:addatur vni earum ex qua parte est finita,pedalis magnitudo secundum quam excedat alteram lineam qua parte ipsa est finita: deinde ex qua parte sunt finitæ, coæquentur inuicem illi duæ lineæ trahendo minorem, id est cui non fuit facta additio,ad æqualitatem maioris,hoc est,eius cui facta est additio: tunc quæratur, an hæ duæ lineæ sicut sunt iam factæ ęquales ex ea parte,qua sunt finitæ,an sint etiam æquales ex ea parte,qua sunt infinitæ, an inæquales;

quales:si sunt inæquales,ergo illa,quæ est minor, & exceditur,non est infinita;infinitum enim qua infinitū,non potest excedi:sin autem etiam illo modo sunt æquales, ergo falsum est illud primum principium Mathematicum,si æqualibus addas inęqualia,necesse est ea fieri inæqualia. Sed huic exemplo posset occurri,negando lineam illam, versus eam partem secundum quā est infinita,posse vlterius promoueri & protendi.Nam extra,vel vltra infinitum vt est infinitum, nihil esse potest quo ipsum porrigatur atque extendatur,alioqui non esset infinitum.Verum hoc obiter sit dictū. Manifestum igitur est, id cuius gratia hæc à nobis dicta sunt, nimirum duo infinita qua ratione infinita sunt,inter se inæqualia esse non posse.

Postea,posita æternitate Mundi in rebus corruptibilibus,necessariò sequitur esse actu infinitam aliquam multitudinem rerum: nam generatio hominum esset æterna, sicut generatio equorum, & Leonum,causam enim aliquam probabilem, cur generatio aliorum animaliū potuerit esse æterna, hominis autē nō potuerit, vel fingere difficile est;ne dicam impossibile. Cum autem suum quisque hominum habeat animum immortalem,& post cuiusque interitum perpetuo superstitem,necesse est actu esse infinitas animas infinitorum hominum,qui ab æternitate vsque ad hūc idem, per successionem fuerunt.

Ad extremū,hinc efficeretur esse aliquas creaturas infinitæ virturis in vigore.Etenim, nō est dubium quin quilibet Angelus cognoscat omnes conuersiones eius orbis cęlestis, quem mouet;tritum enim est Philosophorum sermone, Intelligentiam mouere cęlum per intellectum,& appetitū.Sed quilibet Angelus,si ab æternitate mouisset cęlum, effecisset infinitas conuersiones sui orbis,ergo illas omnes cognosceret,nisi quis fingat cadere in Angelos obliuionem rerum cognitarum : infinitum autē,ea ratione vt est infinitum,non potest comprehendi nisi ab intellectu infinito, oporteret igitur in vnoquoque Angelo non esse vim intelligendi infinitam,hoc est in eo esse infinitam perfectionem.His igitur argumentis secunda hæc opinio suaderi,& probari posset.

Tertia opinio D.Thomæ & Nominalium,omnem creaturam potuisse fieri Ab æterno.

CAP. XII.

TErtia opinio est eorū, qui affirmāt æternitatē,nec ratione rerū incorruptibilium, nec ratione rerū corruptibiliū repugnare Mūdo:hoc est,tā substantias incorruptibiles, quā corruptibiles potuisse fieri ab æterno.

Hanc sentẽtiam amplectitur Gregorius Arimin.2.senten.d.1.& Gabriel ibidem & Ochan; licet is nõ tam pugnaciter eam defendat. Etenim in 2.quol.quæst.5.tametsi hãc opinionem iudicat probabiliorem, non inficiatur tamen contrariam etiam defendi posse, neutrámque partem huius controuersiæ affirmat posse demonstratiue probari. D.Thom.in 1 Part.quæst.46.art.2.eadem sententiam probat, dupliciter: primo, Mundum incæpisse, est articulus fidei, Moyses enim dicens (In principio creauit Deus cælum, & terram secundum D. Gregorium homil.prima in Ezechielem, prophetauit de prẽterito: & in principio Symboli, profitemur nos credere Deum esse creatorem cæli; articulus autem fidei non potest demonstratione probari. quia fides, secundum D. Paulum ad Hæbræos 11. est argumentum non apparentium. Deinde, nouitas Mũdi non potest recipere demonstrationem ex parte Mundi: principium enim demonstrationis est quod quid est, hoc autem abstrahit ab omni differentia tẽporis, & ab esse, vel non esse; quare hunc Mundum, semper, vel non semper fuisse, in demonstrationem cadere non potest. Neque verò id demonstrari potest ex parte Dei creantis Mundum: cum enim Deus agat per voluntatem, volũtas autem eius in iis quæ pertinent ad creaturarum productionem, libera sit nullâque necessitate teneatur, non potest talis voluntas ratione comprehendi; nec ratione naturali certo sciri potest à nobis, an Deus voluerit creare Mundũ ab æterno, an de nouo. Ex his igitur manifeste perspicitur, D.Thomæ non videri impossibilem æternitatem Mundi secundum omnes eius partes. In fine tamen illius articuli, videtur excipere hominem, cuius generationẽ non audet dicere possibilem fuisse ab æterno, ne cogatur admittere infinitam multitudinem animarum, quam infinitatẽ, vt rem valdé absurdam, & rationi contrariam, atque adeo impossibilem, ipse refutauerat atque reiecerat in 1.par.quæst.7.art.4.

Pulcherrima argumentatio, quaconclu ditur Mũ dum abæternoeffici potuisse.

Sed reuertamur ad explicationẽ & confirmationẽ tertię opinionis: quæ hac vna ratione clarissimè firmissiméque probatur. Quid quid non implicat contradictionẽ, est possibile Deo, sed creaturã esse ab æterno, nõ implicat cõtradictionẽ, hoc ergo est possibile, Maior, confessione omnium Theologorũ, apud omnes est certissima, & notissima. Minor ita probatur. Si est impossibile creaturã esse productã ab æterno, vel ex impossibilitas prouenit ex parte Dei creãtis, vel ex parte ipsius creatiõis, vel ex parte creaturæ. Ex parte Dei producẽtis tripliciter prouenire potest; vel quia putatur nullum productũ coæuũ esse posse suo producenti: vel quia producens liberũ cũ agat ex electione, existimatur prẽcedere debere aliqua duratione suum effectũ, vel quia si creatura coæterna esset

creato

Creatori videretur Creator in aliquo, nimirum in durationè non esse superior maior, atq; præstantior, quàm creatura: Sed nullum horum trium tollit æternitatem creaturę, ergo, &c. Non primum tum quia in Diuina Trinitate Pater verè producit Filium, cum tamen credamus Filium esse coæternum Patri; tum etiam, quia Philosophi concedunt in rebus naturalib. inueniri aliquas causas efficientes, quæ simul sunt cum effectis; & D.Augustinus ostendere volens hæc duo non pugnare inter se, vt nimirum Filius Dei sit productus à patre, & tamen sit ei coæternus, id in 6.lib.de Trinitate cap.1.declarat hoc exemplo, splendor inquit qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coæuus est igni, & esset ei coæternus, si ignis esset æternus. Sed dicet aliquis, Aristot.in 12.lib.Metaphys. tex.16.id discriminis ponere inter formam, & causam efficientem quòd forma simul est cum eo cuius est forma, efficiens autem est ante suum effectum. Ad hoc respondeti potest tripliciter; primò, repugnare formæ ea ratione qua forma est, ipsam esse ante compositum, cuius forma est; at efficienti, vt efficiens est, nõ repugnare vt sit ante suum effectum, nam etsi reperiuntur nonnullæ causæ efficientes quæ simul tempore sint cum suis effectis, plurimæ tamen alię passim reperiuntur, quę tempore antegrediuntur effecta; atque hoc quidem satis est Arist.ad distinguendam formam causa efficienti. Deinde Arist.eo loco non ait causas efficientes esse antiquiores effectis, sed causas mouentes, hoc est, causas efficientes quę per motũ efficiunt, has.n. priores esse necesse est. Nam mouens præsupponitur motui, motus etiam effectui, qui producitur per motum, omnis autẽ motus fit in tempore, quare necesse est causam mouentẽ tempore priorẽ esse effectu, qui per motum ab ea producitur. Postremò, Arist.illo loco tantum vult significare (quod statim perspicuum fit consideranti eius verba) formam simul esse cum cõposito, hoc est, eadem productione produci, qua producitur compositũ; causas verò mouentes ante ortas existere, hoc est, non produci ea productione, qua compositũ ab ipsis producitur, alioquin producerent seipsas, quod est impossibile. Nec verò dici potest, quoniã est Deus agens liberũ, ideo necessarium esse vt creatura sit Deo posterior duratione. Etenim, quia Deus agit liberè, cum sit infinitæ virtutis nõ est minoris potentię, quàm si esset agens ex necessitate naturę, sed si ageret ex necessitate naturæ, produxisset mundũ ab æterno, ergo quòd agat liberè, id nõ obstat quominus potuerit Mundũ producere ab æterno. Præterea, agens ex electione, tũc successiuè agit, & tempore anteit effectum, cum electio non est actus voluntatis simplex, & totus simul, sed prærequirit deliberationẽ, quæ propter discursum ratio-

nis ei adiunctum, sit successiue, sicut cernimus in homine, at electio Dei non secus ac eius intellectio, est actus voluntatis Diuinæ simplicissimus, totus simul, Deóque cœternus, non igitur, quòd Deus liberè, atque ex electione agat, id obstat quominus potuerit ab eo produci Mundus ab æterno. Adde, quod Deus agit per suam voluntatem, in Deo autem nō est maius ipsum velle, quàm posse secundum illud quod scriptum est in lib. sapientiæ, *cui subest posse cum vult.* potuit autem Deus velle producere Mundum ab æterno, ergo potuit etiam producere. Nec illud etiam verè dici potest, si creatura sit æterna, eam fore aliqua re parem Deo; nam quamuis ponatur creatura coæterna Deo, non continuo tamen ponitur ei æqualis in duratione, sed multo inferior. Æternitas.n. Dei est omnino necessaria, quia Deus nō potest non esse æternus, creatura verò potest esse, & nō esse æterna. Deinde æternitas creaturæ est ab alio per participationem, æternitas Dei est à se per essentiam. Hoc fusè docet Boetius lib. 5. de Consolatione prosa 6.

Ex parte creationis existimari posset æternitatem repugnare creaturæ duas ob causas; tum quia creatio significare videtur actionem aliquam, quæ cum non fiat in æternitate fieri debet in aliquo instanti; at in duratione æterna non potest assignari vnum aliquod instans primùm; tum etiam, quoniam creatio dicitur ex nihilo productio, quare oportet creaturam prius fuisse nihil, deinde accepisse per creationem ipsum esse. Sed neutra harum causarum tollit possibilitatē æternitatis in creatura. Nō quidem prioris cum.n. Mundus creari ab æterno ponitur, hic nomen creationis non significat actionem aliquam à Deo proficiscentem ad creaturas, sed tantum significat habitudinem Mundi ad Deum, tanquam ad suum principium, à quo ipsius esse dependet, quemadmodum in Deo cum dicitur Filius produci à patre nomine productionis, non significatur actio aliqua media inter Patrem, & Filium, sed illud tantum significatur Filium non habere esse à se, sed à Patre: sicut etiam, cum dicitur esse risibile procedere, & manere ab homine, non significatur media quæpiam actio, per quam risibile producatur ab homine, sed tantum dependentia risibilis ab homine, tanquam ab intrinseco eius principio. Vide D. Tho. 1. par. q. 41. art. 1. Ad secundum. Neque vero posterior causa probabilior est. Etenim cum dicitur creatio fieri ex nihilo, nō significatur ordo aliquis ipsius esse post non esse, vel transitus à non esse ad esse, sed tantum significatur negatio materiæ, vel subiecti: vt fieri ex nihilo non sit aliud, quam non fieri ex aliquo subiecto, vel materia, & hoc quadrat in quamlibet creaturam etiam æternam.

Ex parte creaturæ videri posset repugnare ei æternitas vel quia communiter dicitur creaturæ ex se conuenire non esse, aut igitur creaturę conuenit non esse, post esse ipsius, at multę creaturæ sunt incorruptibiles, quæ nunquam amittent esse; aut non esse conuenit ei simul cum esse, at hoc implicat contradictionem; aut denique, conuenit ei non esse, priusquam adueniat ei ipsum esse; ergo non potest semper, & ab æterno fuisse, sed oportet aliquando non habuisse esse. Vel repugnat æternitas creaturæ, quia creatura dicitur habere esse participatum, & acquisitum à Deo; at si creatura fuisset ab æterno, semper habuisset esse, neque assignari posset in illa æternitate, quando illud esse acquisiuerit, & acceperit à Deo. Sed neutrum horum multum valet ad euertendam æternitatem creaturæ: nam cum dicitur, quòd creaturæ conuenit ex se non esse, non significatur quod ea prius debuerit non esse, sed quod ex se non habet esse, & sibi soli à Deo derelicta, confestim in nihilum recideret, quare illud non esse conuenit ei, tunc etiam cum habet esse, quia tunc verum est dicere creaturam non esse à se, sed à Deo in quo viuimus, mouemur, & sumus. Hoc etiam significatur, cum dicitur creaturam habere esse acquisitū, & acceptum à Deo, hoc est dependens à Deo. Quanquam & hæ, & aliæ similes sententiæ pronuntiantur à Doctorib. de creatura, ea ratione, vt verè facta à Deo, non autem vt poterat ab eo fieri secundum absolutam eius potentiam.

Exponitur Auctoris Sententia.

CAP. XIII.

QVarta est opinio Scoti, qui in 2. Sent. dist. 1. quæ 3. problematicè tractat hanc quæstionem, affirmans vtramque partem contradictionis æqualiter esse probabilem, & pro vtraque rationes afferens eásque soluens. Quam ego Scoti opinionem probo aliqua ex parte; sed vt quod sentio planius intelligatur subiiciam hic nonnullas propositiones, quibus sententiā meam breuiter explicabo.

Prima Propositio. Creatura secundum naturam suam incorruptibilis, vt Angelus, potuit esse ab æterno. Hoc non alia ratione probari debet, quàm ea quæ copiosè à nobis exposita est proximè antecedenti capite in tractatione tertiæ opinionis. Nempe, hoc non implicat contradictionem, neque ex parte Dei creantis, neque ex parte creationis, nec ex parte creaturæ, ergo est Deo possibile. Sed quia rationes, quib⁹ prima opinio Henrici supra est confirmata huic propositioni aduersantur, earum hoc loco solutionem perstringamus. Ad primā respondemus, creaturam productionem ex nihilo, non quia prius fuerit nihil, sed quia nō producitur ex

Solutiora tionum Henrici aientis æternitatẽ repugnare omni rei creatæ

aliquo subiecto; vt idem valeat produci ex nihilo quod produci non ex aliquo tanquam subiecto; si autem Angelus esset ab æterno, verè dici posset illum productum esse ex nihilo, id est non ex aliquo subiecto. Ad secundã. Cùm æternũ aliquod dicitur productum, hæc vox productũ, non significat actionẽ aliquam, seu mutationem intermediam inter producens, & productum: sed tantum significatur illud æternũ non habere esse à se, sed habere esse dependens à Deo. Sed quia in rebus nobis notis, quæ res habet esse ab alio, eã ab illo produci cernimus, ideo his etiam vocibus vtimur in rebus æternis: quin etiã in Diuinis; tantum, vt significemus habitudinẽ vnius rei ad aliam tanquã ad principium, à quo est esse illius. Ad tertiam. Creatura dicitur habere esse acquisitum à Deo, hoc est habere esse fluens, & dependens à Deo, quod etiam potest esse in æternitate: sicut si sol æternus esset, splendor ei coæternus esset, fluens, & dependens ab ipso. Ad quartam. Licet in rebus de nouo productis clariùs appareat discrimen inter creationem, & conseruationẽ: dicitur. n. creatio, quatenus res incipit esse, quod antea non erat; dicitur conseruatio, quatenus res in esse per productionem accepto, aliquandiu permanet dependenter à Deo: aliquo tamen modo etiam in æternitate creaturæ, huiusmodi discrimen cogitatione designari, & notari potest. Nam si Angelus (verbi gratia) esset æternus, diceretur productus à Deo, quatenus ab ipso habet suum esse; diceretur idem quoque conseruatus à Deo, quatenus illud esse habuit permanens, & continuatum per æternitatem. produci enim præcisè sumptum, non significat aliud quàm habere esse ab alio: conseruari autem ab aliquo, est in esse, quod habet ab alio, permanere aliquandiu, hoc est, siue per infinitam aliquam durationem, siue per finitam, & temporalem. Ad quintam. Sicut creatura cum est, non potest non esse, nec tunc potest annihilari, ita vt cum est, non sit, quia hoc implicat contra dictionem: sic etiam, si ponatur creatura esse ab æterno, necesse est illam habere æternam durationem, & impossibile est illam ab æterno annihilari. Neque hoc arguit esse ipsam ens simpliciter necessarium. & penitus indefectibile, nisi tantum ex suppositione quemadmodum res dum est, habet esse necessarium & indefectibile. Quod autem ex Arist. adducitur, (omne æternum esse necessarium) verum est, sed intelligi debet eo modo esse necessarium, quo est æternum; si est æternum à se, ac simpliciter, erit quoque simpliciter, & à se necessarium. Sin autem est æternum ex suppositione, & ex libera voluntate alterius, simili etiam ratione necessarium haberi debet. & sic fuisset Angelus res quædam necessaria, si is fuisset ab æterno. Ad sextam. Quamuis ponatur creatura coæterna

Discrimẽ inter productionẽ & conseruationem reperiretur in creatura tametsi ea fuisset ab æterno.

terna Deo, nihilominus tamen Deus est ea superior, atque præstãtior secundum durationem; & quia Deus essentialiter est sua æternitas; & quia est æternus ex se; & quia est necessariò æternus: & quia est in omnibus & omnino æternus. Proprium igitur Dei secundum durationem est, essentialiter, necessariò & ex se, in omnibus, & omni modo esse æternum; quorum nullus modus æternitatis in vllam planè creaturam conuenire potest.

Ad illa testimonia sanctorũ Patrum tripliciter respondere possumus. Primò. Sanctos Patres considerasse creationem eo modo, vt verè facta est à Deo, non autem vt ab eo fieri absolutè potuit & quia constat ex sacris literis, omnes creaturas esse de nouo factas, ideo tradiderunt eam creationis definitionem, quæ soli creationi nouæ, & creaturæ de nouo factæ, accommodari potest. Deinde, hæc vox (non posse) frequenter in scripturis sumitur, nõ pro eo, quod est simpliciter impossibile, sed pro eo quod est non esse conueniens, decens, rationi cõgruum. Sic sumitur Mathæi 9. *Non possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus.* & Marci 6. *Christus non poterat in patria sua virtutem vllam facere.* & Actuum 4. *Non possumus non loqui, quæ vidimus, & audiuimus.* Hoc etiã modo Sancti Patres sumunt (non posse) cum aiunt creaturam, coæternam Deo esse non posse, hoc est non esse conueniens, aut decens. Postremo Sancti Patres, ex suppositione concessa, & vsurpata ab Arrio, rectissimè cõcludunt creaturam esse non posse ab æterno. Arrius enim ponebat creaturam esse id quod prius nõ erat, & per voluntatem Dei ex non esse traducitur ad esse. Quocirca aiebat Filium Dei (quem creaturam vocabat) esse ex non extantibus, vel non existentibus. Aduersus quem, posita tali notione creaturæ, euidenter argumentabantur Patres, filium Dei non esse creaturam, vtpotè quem, clarissimis scripturæ testimoniis ostendebant esse coæternum Patri.

Secunda Propositio. Creatura corruptibilis in particulari, vt aliquis equus, vel aliquis leo, partim ab æterno produci potuit, partim non potuit. Huius propositionis facile & promptum est rationem explicare. Nam si equus (verbi gratia) relinquatur suæ naturę, & talis producatur, qualis est secundum naturã suam, non potest produci ab æterno. Si. n. producatur ab æterno, necesse est illum viuere infinito quodã tempore: si enim finito tantum tempore viueret, ab eius productione, vsque ad interitum eiusdem, non nisi finitum tempus intercessisset: quare non fuisset ab æterno. Si autem ita poducatur, vt relinquatur naturæ suæ, cum sit natura corruptibilis, impossibile erit eum infinito tempore durare: omne enim corruptibile, necesse est aliquando tandem post cer-

eum & definitum tempus corrumpi: hoc autem, quod est non durare infinito tempore, pugnat eum eo, quod est fuisse ab æterno. Quod si Deus miraculose conseruaret equum infinito tempore, nihil prohiberet eum ab æterno produci: hinc igitur perspicuum fit, quomodo possibile, & impossibile sit secundum diuersas rationes, equum produci ab æterno.

Tertia Propositio. Generatio hominis, secundum aliquos Doctores, non potuit esse ab æterno, secundum alios autem, potuit esse æterna. Etenim D. Thom. & Durandus negantes infinitum actu, siue secundum magnitudinem, siue secundum multitudinem aut esse, aut etiam à Deo produci posse, non possunt facere æternam generationem hominis, ne infinitatem animarum admittere cogantur. Nominales autem, quibus non videtur impossibile infinitum actu tam in magnitudine, quàm in numero produci à Deo, non habent negare possibilem fuisse æternitatem generationis humanæ. Et sanè, qui concedunt generationem aliorum animalium potuisse fieri ab æterno, nõ video, cur æternitatem generationis hominum possibilem esse negent. Nam quod metuunt de infinitate animarum, id posterius quiddam est, & per accidens & in dubio positum. Si enim res ipsa à priori, & per se consideretur, nulla profecto causa probabilis, & idonea reperietur, cur generatio leonum potuit esse ab æterno, non autem hominum. Nam qua ratione vnus leo post alium ab æterno produci potest, eadem potest, & homo post hominem. Ego, si alterutrum mihi, aut negandum, aut concedendum esset, facilius adducerer vt concluderem infinitum actu posse à Deo produci, quàm vt concedens æternitatem possibilem fuisse in generatione aliorum animalium, eam solum in generatione hominis impossibilem esse affirmarem. Non enim queo intelligere, posse Deum immediatè creare vnum leonem post alium ab æterno, non posse autem idem ab eo fieri in generatione hominis.

Quarta Propositio. Videtur possibilis fuisse æternitas temporis, motus, & generationis rerum sublunarium. Dixi, videtur, quia nolo id affirmare, tanquam certum, indubitatum, & quod euidenti aliqua & necessaria ratione teneatur, sed pono id tanquam probabile, & rationi satis consentaneum. Si enim id esset impossibile, certè id eueniret propter illa incommoda & absurda, quæ nos supra exposuimus cum tractaremus secundam opinionem, quam sequitur Durandus; sed omnes illas obiectiones haud magno negocio repelli ac profligari posse, facile intelliget, quicunq; leget D. Thomam de Potentia, quæst 3. art. 14. & in Opusculo de Æternitate mundi in secundo lib. contra gentes cap. 38. in prima parte

quæst. 46. & art. secundo, & Scotum, Gregor. Ariminensem 2. Sentent. Distinct. 1. & Ochan Quolibet 2. articul. quinto. Satis igitur sit indicasse loca è quibus peti possunt solutiones illorum argumentorum, ne nos eas hic recensendo, superuacaneè longiores simus.

Quinta Propositio. Posita æternitate temporis & motus satis probabile est posse dari infinitum actu secundum multitudinem; tum quia generatio hominis nõ secus quàm aliorum animalium (vt supra dicebamus) potuit esse ab æterno: ex quo efficeretur esse actu infinitas animas rationales: tum etiã, quia potuisset Deus quolibet die illius æterni temporis creare vnum Angelum, ergo sicut vsque ad hunc diem fuissent transacti infiniti dies, ita essent actu infiniti Angeli. Nec valet responsum quorundam, qui respondet in quolibet autẽ die illius æternitatis disiũctè, ac separatim accepto, potuisse Deum creare unum Angelum in quolibet autem de coniunctè sumpto non potuisse. Quemadmodum in hac hora sunt infinita instantia, & in quolibet eorum separatim, ac disiunctè potest Deus creare vnum Angelum non autem in quolibet coniunctè, nec in singulis, & omnibus. Sed hoc responsum (vt dixi) parum valet ad euertẽdam nostram propositionem: multum enim interest inter instantia huius horæ, & dies præteritos æterni temporis: illa enim sunt tantum in potentia: hi autem fuerunt actu ab inuicem separati, & distincti. Non igitur, vel ex parte Dei, vel dierum qui sunt in tempore æterno, vel angelorum, quicquam prohibet quolibet die illius æternitatis, creatum fuisse à Deo vnum Angelum. Hæc est igitur nostra sententia; existimare nos vtrámque partem huius quæstionis esse probabilem; eam tamen videri nobis aliquanto probabiliorem, quæ æternitatem Mundi possibilem fuisse statuit. Verum de hac quæstione, quæ magis Theologica est quàm Philosophica, quæ adhuc disputata sunt, ea satis esse debent. Deus autem, in quo est vera & perfecta æternitas, & cuius ope adiuti tandem ad huius operis exitum finémque peruenimus, cælesti suo numine ita nos seruet ac regat, vt hac mortali vita castè piéque transacta, ad beatas cæli sedes euolãtes, fælicissima eius æternitate, omnibus completi bonis, sempiterno æuo perfruamur.

LAVS DEO.

FINIS DECIMIQVINTI ET VLTIMI LIBRI.

INDEX QVÆSTIONVM ET RERVM ILLVSTRIORVM, *Quæ in his quindecim libris explicantur.*

A

Abstractio.

1 AN tota Metaphysica cõtineatur vno genere Abstractionis quod est à materia & motu secundum rem & rationem. pagina 17.20
2 An abstractio secundum rẽ & rationem quæ vocatur per indifferentiam, sit admittenda. 21
3 An Abstractio quantitatis Mathematicæ, fiat tantum à materia sensibili, an verò ab omni prorsus substantia 584
4 An diuersitas scientiarum petenda sit ex diuersitate Abstractionũ à materia. 27

Accidens.

1 An accidens producat substantiam, in virtute substantiæ. 471
2 An Accidens producat substantiam sua vi & potestate. 473

Actio.

1 An ex vna forma multæ ac differentes actiones proficisci queat. 384
2 Quæ sint in qualibet actione cõsideranda, ibid.
3 An omnis actio promanet ex forma & nulla ex materia. 385
4 An actio sit subiectiuè in agente. 703.704.
5 An actio re differat à passione. ibidem

Æternitas & Æternum.

1 De significatione harum vocum (Æternitas) & Æternum. 659
2 An visio beatifica Dei quam habent beati mensuretur æternitate participata. 660
3 Quid sit Æternitas. 692
4 Quæ sit radix & fundamentum Æternitatis. 663
5 An Æternitas per se sit mensurabilis, & an possit aliqua ei assignari mensura. 664
6 An Æternitas repugnet creaturæ vt creatura est. 838.842
7 An Æternitas propriè repugnet generationi rerum corruptibilium. 840.& 847
8 An secundum doctrinam Sanctorum Patrum potuerit aliqua creatura esse ab æterno 505. & 847

Æuum.

1 An Æuum sit mẽsura durationis habentis prius & posterius, sine innouatione & variatione vlla vt ait D. Bonauentura 368
2 An Æuum sit mensura rei secundum esse quidem immutabilis, secundum affectiones autem & operationes, mutabilis: vt censet D. Thom. 670
3 An Æuum sit mẽsura cuiusuis rei quæ habet esse permanens & totum simul, vt Scotus opinatur. 671
4 An sit vnum aliquot Æuum mẽsura omnium æuiternorum. 673
5 An vnumquodque æternum suũ habeat Æuum à quo intrinsecè mensuretur. 975
6 An quodlibet superius æuiternum sit mensura inferioris. ibid.
7 An sit necessarium esse aliquam mensuram, quæ durationem æuiternam per se ac propriè metiatur. 676

Alchymia.

1 De vi & potestate Alchymiæ, & an eius artificio verũ aurum possit effici. 498

Anaxagoras.

1 Quo tempore floruit. 204
2 Opinio eius de principiis rerum naturalium explicatur & refellitur. 228.& 266

Anima & animal.

1 An anima sit natura qualis definitur ab Arist. 2. lib. Phys. 422
2 An anima mundi secundũ Platonem sit æterna: & an ex eius æternitate, mundi æternitas rectè cõcludatur. 792
3 An motus localis animalium sit eis naturalis, an violentus 424
4 An animalia genita ex putri materia & quæ procreantur ex semine possint esse eiusdem speciei. 478

Anima rationalis.

1 An Anima rationalis sit natura qualis definitur ab Aristotele 2. lib. Phy. 425
2 An scientia animæ rationalis pertineat ad Physicum 18
3 An anima rationalis sit immortalis secundum Platonem. 386
4 An secundum Aristotelem anima rationalis sit immortalis. 388
5 An immortalitas animę rationalis possit naturaliter cognosci & Philosophicis rationibus concludi. 390
6 An anima rationalis sit forma & pars essentialis hominis 392
7 Disputatio contra figmentum Auerrois de assistentia & vnitate animæ rationalis 396
8 Disputatio contra Platonicos facientes certum numerum ab initio mundi conditum, diuersis temporibus diuerso corpora humana ingredientium 400

Aristoteles.

1 De tempore quo floruit Aristoteles & illustriores Petipatetici. 212.
2 Laudatio & encomium Aristotelis ex iudicio & testimonio veterum. 273
3 An Aristoteli cognita & probata fuerit creatio, hoc est productio ex nihilo 288
4 An Aristoteles sentiens Deum agere ex necessitate naturæ, tueri possit rerum contingentiam. 533
5 An Aristoteles faciens mundum æternum cogatur fateri esse actu infinitas animas rationales. 563. 564.566
6 An Aristoteles putauerit æternitatem mundi necessariis rationibus à se fuisse probatam. 766
7 Quid Aristoteles in primo textu primi libri Physicorum, per illa tria vocabula, principium, causa, & elementum, significare voluerit. 108
8 Disputatio cum Aristotele de Æternitate Mundi. 773

Artificiale.

1 An forma artificialis sit principiũ

alicuius motus Physici. 407
An forma artificialis sit res quædã diuersa à subiecto in quo inhæret. ibid.

Astrologus.

1 An differat Astrologus à Phy. 87

Auerroes.

1 An secundum Auerroem ponẽda sit forma corporeitatis materiæ coæterna & inseparabilis. 313. & 314
2 An secundum Auerroem colores medij specie differant ab extremis. 717. & 720
3 An Auerroes faciens formas substantiales elementorum intendi & remitti, & actu manere in mixtis, possit defendere generationẽ elementorum & mixtorum non esse motum propriè dictum. 729. 730
4 Disputatio cum Auerroe de æternitate mundi. 825. 826

Augmentatio.

1 An Augmentatio sit motus propriè dictus. 734

C

Calor.

1 An calor elementaris & cælestis specie differant. 554

Causa.

1 An ad perfectam cognitionem cuiuslibet rei naturalis, necessaria sit omnium causarum eius rei, perfecta cognitio. 122
2 An inter causam vniuersalem & particularem sit necessaria connexio. 459
3 An causalitas causæ vniuersalis sit potior & maioris momenti, quam causæ particularis. 460
4 An causa semper sit nobilior suo effectu. 468
5 An effectus debeat plus causæ vniuersali quàm particulari. 467
6 An causa exemplaris sit aliud genus causæ ab illis quatuor quas tradit Aristoteles. 448
7 An posita causa semper effectus simul poni debeat. 785
8 An semper causa efficiens tempore antecedat suum effectum. 843. & 781
9 Quæ sit vis & causalitas cuiuslibet causæ. 450
10 An causa particularis sit tãtum agens instrumentale, an etiam sit agens principale. 465

Cælum.

1 An cælũ sit nobilius homine. 86
2 An definitio naturæ quæ traditur 2. lib. Phy. conueniat cælo & an motus eius sit naturalis. 413
3 An necesse sit cælum moueri ab intelligentia. 416
4 An cælum secundum Platonem sit compositum ex elementis. 802. & 805
5 An cælum & Astra secũdum Platonem sint Dij. 814. & 816
6 An cæli sint vnius speciei, vel differant specie. 419
7 An vacatio motus quam habebit cælum (secundum fidem nostrã) in fine Mundi, sit futura illi naturalis, aut violenta. 420. & 414
8 An definitio motus tradita 3. Phys. conueniat motui cæli & principalius illi conueniat quàm aliis motibus. 699
9 An apud Platonem motus circularis cæli demonstret ipsum cælum & esse corpus simplex & diuersum ab elementis, sicut putauit Aristoteles. 802. & 803
10 De loco primi cæli. 626
11 An cælum habeat materiam diuersam à materia rerum sublunarium. 296
12 An quantitas cæli & rerum sublunarium sint eiusdem rationis. 302
13 An cælum per se & quiditatinè consideretur à Physico. 68. 69

Color.

1 An colores medij specie differãt ab extremis. 717
2 An colores medij actu componantur ex coloribus extremis. 719

Contingentia & contingens.

1 An Dei prouidẽtia tollat rerum contingentiam. 533. & 537
2 An quia omne agens naturale agit ex necessitate naturæ ideo nullum agens naturale sit contingens. 533. & 538
3 An esse in rebus contingentiam sit demonstrabile, & quibus argumentis probetur. 534. 535
4 An causa cõtingentiæ rerum sit libertas Dei liberè creaturas producentis atque conseruantis vt placet Scoto. 540. 541
5 An sit causa contingentiæ efficacia diuinæ voluntatis vt sentit D. Thomas. 541
6 An sit causa cõtingentiæ ipsum non ens permixtum rebus, vt ait Alexander Aphrodisæus. 542
7 An sit perfectio & complementum vniuersi vt alij putant. 543
8 Quæ sint veræ ac propriæ causæ omnis contingentiæ quæ in rebus naturalibus inest. 543

Continuum.

1 An Continuum habeat in se infinitas partes. 565
2 An Continuum componatur ex indiuisibilibus. 573
3 Cur Continuum ex se sit diuisibile in infinitum, non autẽ augmentabile. 580. 581
4 Quæ diuisio continui ipsum tãdem absumat, quæ verò non absumat vnquam. 581
5 Cur accretio cõtinui dicatur fieri secundum formam, diuisio autem secundum materiam. 582 803

Creatio.

1 Quid sit creatio. 282
2 An vis creandi possit vllo modo creaturæ communicari. 286. 288
3 An possibilem esse creationem, possit cognosci lumine naturali. 191
4 Quid Plato senserit de Creatione. 290
5 An Aristoteles cognouerit creationem. 288

D

Definitio.

1 An perfectæ definitiones præsertim Physicæ cõplecti debeant omnia quatuor genera causarũ. 123
2 Quæ sit perfecta Definitio accidentis, & quomodo ex demonstratione innotescat 125
3 De Triplici via & methodo inuestigandi definitionem. 151
4 An facilius sit definire singulare

quam vniuersale vt ait Aristoteles 2.lib.tex.17. 152

Democritus.

1 De tempore quo floruit Democritus 205
2 Opinio eius de principiis rerum naturalium diligenter exponitur.231.& refellitur. 268

Deus.

1 An scientia Dei sit diuersa à sciẽtia intelligentiarum. 25
2 An necesse sit Deum actu concurrere cum causis secundis ad quamlibet earum operationem. 461
3 An concursus Dei cum nostra voluntate tollat eius libertatem. 462.& 466
4 An infinitum actu possit fieri à Deo. 568
5 An Deus agat ex necessitate naturæ. 678
6 Quid senserint Peripatetici de necessitate vel libertate Dei in agendo. 771.772
7 An Deus sit infinitæ virtutis. 769
8 Contra insaniam eorum qui dixeruntDeum esse materiam primam. 308
9 An solus Deus sit verè ens,& reliquę res,præsertim mortales, verè dici queant non entia potius quam entia 253.254

Duratio.

1 An Duratio habeat in se rationẽ aliquam quantitatis. 651
2 An Duratio rei differat ab eius essentia. 652
3 An Duratio differat ab existẽtia & quomodo differat. 652.& 653
4 An vlla res creata habeat esse & durationem permanentem & totam simul. 655
5 An Peripatetici admiserint durationem aliquam habentem initium & carentem fine. 658
6 Vtrum attingat magis rationem propriam Durationis vt est mensurabilis, permanentia vel successio eius, an quantitas & extensio 658
7 An maior & minor duratio arguat, maiorem & minorem rei perfectionem 659

E

Effectus.

1 An effectus naturalis plus debeat caussæ particulari quam vniuersali. 467
2 An vnus numero effectus possit simul effici à pluribus vna causis proximus,&eiusdem generis, atque perfectis. 476
3 An effectus qui productus est vno aliquo tempore,idẽ numero alio quoque tempore vel ab eisdẽ, vel ab aliis caussis produci potuisset. 478

Elementum.

1 An elementa possint augeri (quãtum in ipsis est) in infinitum. 598
2 An elementa ex se & intrinsecè exigant definitam paruitatem quantitatis, qua minor repugnet naturæ elementi. 599
3 An Elementũ Terræ habeat pro loco suo naturali,superficiem aquæ,an centrum. 624.& 619
4 An locus,de quo agit Aristoteles in quarto Physicorum, non quibuslibet rebus competat,sed per se tantum elementis & propter hæc aliis. 612
5 An elementa moueantur secundum locum à seipsis, an ab alio. 431

Empedocles.

1 Quo tempore floruerit. 208
2 De opinione eius de principiis rerum naturalium disputatio. 263

Epicurus.

1 Quo tempore floruerit, & qualis Philosophus fuerit. 217

Existentia vel esse.

1 An omnis existentia sit à forma. 373
2 Quid sit existentia. 374
3 Quarum rerum sit existentia. 375
4 An intelligentiis secundum Aristotelem existentia re differat ab essentia. 378
5 An in vlla re creata,existẽtia differat ab essentia. 376.& 379
6 An rem esse suum esse & suã existentiam , nulli præterquam Deo conueniat. 328
7 An esse rerum corruptibiliũ mẽsuretur tempore,an æuo. 645
8 An vlla res creata habeat esse permanens & totum simul. 655

F

Finis.

1 An finis causset aliquid , & moueat ipsum agens,& an det aliquã bonitatem mediis quæ ordinantur ad finem. 452.453.253
2 Quomodo agens naturale dicatur agere propter finem quẽ non cognoscit , & an ideo dicatur agere propter finem , quoniam vt dici solet,dirigitur ad eum ab intelligentia non errante. 453.& 454
3 An finis causset secũdum esse intentionale & intelligibile quod habet in anima agentis,an secundum esse reale, quod habiturum est in rebus. 455
4 An quicquid habet finem, etiam necessariò habere debeat caussam efficientem,& contra. 457
5 An varietate agentium naturaliũ propter finem. 84

Forma.

1 De præstantia formæ substantialis. 344
2 De variis nominibus & generibus formarum. 345
3 An necesse sit esse in rebus formã aliquam substantialem. 347
5 An omnis forma Physica sit generabilis & corruptibilis,& à materia inseparabilis. 348.& 349
6 An omnis forma materialis sit extensa & diuisibilis. 349
7 Quomodo sit communicabilis. 350
8 An forma sit prior & nobilior materia. 351.& 353
9 An vna numero Forma possit esse in multis materiis. 353
10 An forma sit principium indiuiduationis. 371
11 An omnis existẽtia sit à forma. 373.311
12 An omnis forma substantialis immediatè vniatur materiæ primæ. 355
13 An forma sit prior & nobilior composito. 356
14 An forma sit tota quidditas rei naturalis. 358
15 An forma corporeitatis ponenda sit secundum doctrinam Aristotelis. 317

16 An sit vlla necessitas vllúsve vsus eius formæ corporeitatis quã non nulli introducunt. 318
17 An forma substantialis sit principium efficiens alicuius operationis & motus Physici. 669.& 476
18 Quomodo incipiat esse: & desinat esse forma substantialis. 762 763
19 An forma sit magis natura quã materia. 437
20 Cur potius dicatur forma educi ex materia quàm induci in materiam. 294
21 Quid sit Formam educi ex potentia materiæ. 338

Fortuna & fortuitum.

1 An sit in rebus aliquod fortuitũ. 558
2 An fortuna repugnet diuinæ prouidentiæ. 558.& 561
3 An in rebus sublunaribus aliquid casu & fortuito eueniat respectu cæli. 562
4 An fortuna sit diuinum aliquod numen à quo res humanæ dispẽsentur & administrentur. 517
5 Quæ sit definitio fortunæ, & an ea sit bona. 518
6 An in iis quæ sunt ad vtrumlibet fortuna versetur. 521
7 Ad quas scientias pertineat consideratio fortunæ. 557

G

Generatio.

1 An generatio sit motus propriè dictus & an in instanti fiat vel successiuè. 728
2 Quomodo fiat Generatio rerum & quæ concurrant ad efficiẽdam generationem. 283.284

Grauia & leuia.

1 An Grauia & leuia moueantur naturaliter secundum locum à Generante. 431
2 An moueantur à seipsis. 433

H

Heraclytus.

1 Qualis & quo tempore fuerit. 203
2 Opinio eius de principio rerum naturalium. 223

Homo.

1 An homo sit nobilior cælo. 86
2 An generatio hominis fiat naturaliter, an liberè. 461
3 An homo naturaliter absque semine procreari queat. 478
4 An generatio hominum potuerit esse ab æterno. 848

I

Idea.

1 An Idea sit quintum quoddam genus causæ à reliquis quatuor diuersum. 448
2 An quia Idea Mundi est æterna, ex eo concludi possit, Mundum quoque, qui est eius imago, æternum esse oportere. 783

Indiuiduum.

1 An principium indiuiduationis sit quantitas. 365
2 An sit Hæcceitas Scoti. 367
3 An sit materia signata D. Thom. 369
4 An sit tam materia quam forma sed principaliùs forma. 371

Infinitum.

1 An sit actu aliqua infinita multitudo. 560
2 An sit actu infinita magnitudo. ibid.
3 An infinita virtus ad agẽdum sit in Deo. 770
4 An infinitum possit effici à Deo. 568
5 An secundum Aristotelem intelligentiæ actu cognoscant infinita. 563.564.567
6 An possit numerus augeri in infinitum. 582.& 356

Intellectus & intelligere.

1 An intellectus & intelligere sint res Physicæ. 32
2 An repugnet intellectui humano propriè ac directè cognoscere singularia. 172.177.181
3 An sit necessarius intellectus Agens. 178.& 183
4 An Vniuersale sit proprium obiectum intellectus nostri. 177.179
5 An primo notum intellectui nostro sit species vltima. 154
6 An sit ens. 160
7 An sit singulare. 366.176
8 An singulare distinctè cognoscatur à nostro intellectu. 172
9 An discursus intellectus nostri sit motus cui conueniat definitio motus. 698

Intelligentia.

1 An scientia de intelligentiis separari debeat à scientia quæ est de transcendẽtibus, ita vt nõ possint esse partes vnius scientiæ. 23
2 An intelligentia verè sit forma & natura cæli. 417
3 Cur necesse sit cælum moueri ab intelligentiis. 416
4 An secundum Aristotelem necesse sit intelligentias actu cognoscere infinita. 563 564 567 & 780.781
5 An sublatis intelligentiis tollere tur omnino Metaphysica, & tunc Physica esset prima Philosophia. 56
6 An intelligẽtiæ sint Physicè mobiles secundum locum. 66

L

Liber.

1 Quæ sit materia vel subiectum librorum de Generatione & corruptione. 92
2 An Liber qui inscribitur quartus Meteororum, sit Meteorologicus, & post tres libros Meteororum an post libros de Generatione & corruptione collocari debeat. 93
3 An libri de partibus animalium, ordine doctrinæ præcedant libros de Anima. 96
4 An libri de Animalibus præcedant libros de plantis. 97
5 De ordine librorum Aristotelis qui continent doctrinam animalium. 95
6 Cur libri Physicorum inscribantur de Physico Auditu. 99
7 Disputatio de libris Arist. Acroamaticis & exotericis. 101
8 Contra eos qui octo libros Physicorũ remouent à doctrina Physicæ. 90
9 Quæ calamitas libris Aristotelis post eius mortẽ acciderit: ex quo factum est vt illi multifariam viciati & corrupti sint. 213
10 Quomodo Aristoteles appellare soleat octo libros Physicorũ, aliis in locis eos citans. 105
11 An Titulus ille præfixus octo libris Physicorum (de Physico auditu) sit Aristotelis. 104
12 Qui fuerint libri Aristotelis de Philosophia qui ab antiquis citãtur. 104

Locus.

1 An locus contineat locatum. 603
2 An habeat vim conseruandi locatum. 605
3 An trahat ad se locatum. 604
4 An debeat locus esse immobilis. 607
5 An sit immobilis per æquialentiam vt placet Scotistis. 609
6 An sit immobilis propter distantiam à cælo & à centro vt censent Thomistæ. 610
7 An Aristoteles in 4. libro Physicorum agat de omni loco qui cuilibet corpori conueniat, hoc est, cælis, plantis & animalibus 612
8 An tantum agat de loco qui per se ac primo conuenit Elementis. 614
9 Quomodo locum verum esse immobilem secundum Aristotelem. ibid.
10 Disputatio cum iis qui dixerunt locum esse interuallum. 616
11 An locus sit superficies. 619
12 An locus per se sit in Categoria Quantitatis. 623
13 An motus localis per se fiat ad locum an ad vbi. 623
14 An locus terræ sit centrum an superficies aquæ & aeris. 624

De loco primi cæli.

1 An nullum habeat locum, vt dixit Alexander. 325
2 An sit superficies conuexa Saturni vt Themistio placet. 326
3 An si in loco propter partes eius quarum vna continet alium vt opinantur Thomistæ. 328
4 An locus sit centrum, vt quidam Philosophi arabes senserunt. 629

Logica.

1 An logica sit pars Philosophiæ. 59
2 An sit munus logicæ ponere discrimen inter scientias. 81

M

Mathematica doctrina.

1 An propriè loquendo sit scientia. 40
2 An sit prior quàm Physica tã ordine doctrinæ quam naturæ. 55
3 An sit certior quàm Physica. 53
4 An tractet vllum genus causæ. 114
5 An contineat demonstrationes potissimas. 118
6 An eius Demonstrationes procedant ex iis quæ sunt notiora nobis & secundum naturam. 136

Materia.

1 De variis nominibus & diuisionibus Materiæ primæ. 279
2 An materia sit necessaria. 281
3 An materia cæli & rerum sublunarium sinteiusdem rationis. 296
4 An sint diuersæ rationis. 299
5 Quid sit materia prima. 303
6 Contra insaniam eorũ qui dixerunt materiam primam esse Deũ 307
7 An materia per se existat, an omnem suam existentiam accipiat à forma. 309
8 An materia habeat formam corporeitatis sibi coæuam & inseparabilem. 313
9 An materia sit genus vel ei similis. 320
10 Disputatio de Dimensionib. interminatis, nimirum an Quãtitas immediatè sit in materia ei coæua & inseparabilis. 322
11 De variis relationib. Materiæ. 352
12 De duplici potentia Materiæ. ibidem.
13 An potentia sit de essentia Materiæ 335. & 336
14 Quid sit formam educi de potentia Materiæ. 338
15 An Materia sit in potẽtia ad formas artificiales. 406
16 An materia sit natura. 435. 436
17 An Materia prima per se sit vna & distincta. 320. & 321
18 An Materia prædicetur de aliis. ibid.
19 Quid Aristoteles variis in locis de Materia prima scriptum reliquerit. 277

Medicina.

1 An Medicina subalternetur Physicæ. 79

Melissus.

1 Disputatio cum Melisso de principiis rerum naturalium. 221. 249

Metaphysica.

1 An Metaphysica per se consideret decem categorias & substantiam corruptibilem. 20. 21
2 An sit vna Metaphysica an tres. 22. 23.
3 An Metapysica tractet subiecta scientiarum particularium. 29
4 An Metaphysica consideret quid ditares rerum in particulam. 74 76
5 De præstantia & potestate Metaphysicę supra alias scientias. 42 43. 45
6 An Metaphysica subalternet sibi alias omnes scientias. 44
7 An Metaphysica sit certissima & prima omnium scientiarum. 51. 54.
8 An Metaphysicæ propriũ sit ponere discrimen inter scientias particulares. 81
9 An Metaphysicæ sit si negentur principia siue sua siue scietiarum particularium, ea probare. 244. 245
10 An præter corpus Physicum, Mathematicum & artificiale, necessario ponendũ sit aliud quartum corpus, nimirum Metaphysicum 71

Mixtum.

1 An mixta sint partes vniuersi. 803 805
2 An mixta inanimata habeant in se intrinsecum principium corruptiuum sui. 28
3 An Mixta inanimata habeant gradum aliquem naturæ diuersum ab elementis 439

Monstrum.

1 Quid sit Monstrum, quæ genera & causa Monstrorum. 528
2 Quibus in rebus eueniant Monstra, & vtrum crebrius in animalibus quàm in plantis. 529. 530
3 An Monstra casu eueniant. 530

Motus.

1 Quam sit necessaria cognitio Motus. 683

2 An motus sit in aliqua certa categoria. 687
3 An Motus sit actus & qualis actus & an possit appellari Endelechia. 689
4 Cur motus dicatur potius actus, quam potentia. 690
5 an quod mouetur dici queat esse in potẽtia ad motum. 689. & 691
6 an idem possit simul esse actu & potentia, & an omne mouens motu Physico simul etiam moueatur. 693
7 an definitio motus sit vniuoca. 695
8 an Motus dicatur principalius de motu cæli quàm de aliis motib. ibid.
9 an potentia sit magis de essentia Motus quàm Actus. 694
10 an definitio motus conueniat tã mouenti quàm mobili. 696
11 De differentia quæ est inter tres definitiones motus, traditas ab Arist. 3. Physic. 697
12 an motor sit de essẽtia Motꝰ. 697
13 an definitio Motus cõueniat tertiæ operationi intellectus nostri quæ vocatur discursus. 699
14 an definitio motus cõueniat motui cæli. 699. 700
15 an definitio motus cõueniat motui violento & artificiali. 700
16 an definitio motus cõueniat generationi & corruptioni 700
17 Quæ sint ꝓprietates motus quę ex eius definitione colliguntur. 701

De terminis motus.

1 An omnis motus necessariò fieri debeat inter aliquos terminos. 708.
2 an omnis motus requirat duos terminos. 709
3 an in vno motu possint esse plures duobus terminis. 709
4 an necesse sit te8minos motus esse diuisibiles & partibiliter parabiles. 711
5 an termini motus debeãt esse oppositi inter se. 712
6 an necesse sit terminũ à quo, specie distingui à termino ad quem. 714
7 an expulsio termini à quo, & inductio termini ad quem sint vnus vel duo motus. ibid.
8 an vtro termino sumenda sit vnitas. 716
9 an motus ex nigro in albũ & motus ex nigro in viride vel alium quemlibet colorem medium differant specie, & hic disputatur an mediꝫ qualitates specie differant ab extremis. 727
10 Quæ requirãtur ad vnitatem numeralem motus. 720
11 an vnitas numeralis motoris requiratur ad vnitatem numeralem motus. 720
12 an si, verbi gratia, canis ex turri cadens, in medio casu moriatur motus eius tam viui quam mortui, à turri vsque ad terram, sit vnus numero atque continuus. 722
13 Vnde petenda sit cõtrarietas motuum. 722
14 an motus sit res diuersa à termino ad quem, seu à forma quę per motum acquiritur. 724

De variis speciebus & diuisionibus Motus.

1 An Generatio sit Motus, propriè dictus. 728
2 an Alteratio sit motus propiè dictus. 736
3 an Augmentio sit motus propriè sumptus. 735
4 an motus localis sit motus propriè sumptus. 733
5 Inter species motus propriè dicti quænam teneat primum locum. 737
6 an verum sit motum naturalem quo est propior fini, eo celeriorẽ euadere. 738
7 Cur motus naturalis propè finem euadat velocior. 738. 739
8 an crescente celeritate motus naturalis, necesse sit pariter etiam crescere qualitatem motiuam ipsius mobilis. 743. 744
9 an motus proiectorum fiat à virtute ipsis impressa à proiciente. 745. & 747
10 an motus proiectorum fiat ab aere. 747. & 752
11 an motus sit ens successiuum & continuum. 753
12 Quę sit causa continuationis motus. 754
13 Quę differentię sint inter partes motus secundum extensionem & partes eius secundum successionẽ vel durationem. 756
14 an continuo sit de essentia motus vel sit accidens eius. 758
15 Quanam re motus essentialiter distinguatur à mutatione. ibidem.
16 Quomodo incipiat & desinat esse motus & quæcunque per motum generantur & corrumpuntur. 760 & 761
17 Vnde proueniat successio & mora quæ est in motu. 635

Mundus.

1 An Mundus sit ita perfectus, vẽ verè appellari possit Vniuersus. 536
2 Cur Deus non antefecerit Mundum quàm ponitur ab eo esse factus. 778
3 an ex eo, quia vmbra corpori, & lumen soli, dicuntur esse coæua, rectè concludatur, Mundum etiam Deo coæternum esse posse. 781
4 an quia Idea mundi est æterna, necesse sit quoque mundum æternum esse. 783
5 an Mundi anima sit æterna secundum Platonem, & an ex eius æternitate demonstretur mundi æternitas. 692
6 an mundus possit interire, benè colligatur, eum nunquam cæpisse. 793 & 794
7 an citra æternitatem assignari possit aliquod instans in quo primum mundus effici potuerit. 832. 833. & 835
8 an mundo repugnet Æternitas. 838
9 an repugnet ei ratione rerũ corruptibilium. 840
10 an specialiter repugnet ei ratione hominis. 848

N

Natura & Naturale.

1 An in rebus naturalib. reperiantur multa quę sint nota nobis pa

riter atque secundum naturam. 133
2 De differentia quæ est, inter res naturales,& artificiales. 405
3 an definitio naturæ tradita 2. lib. Phys. sit bona. 409
4 an definitio naturæ cõueniat Cęlo. 413
5 an intelligentia sit natura cæli. 417
6 an definitio naturæ conueniat animæ. 422
7 an conueniat animæ rationali. 425
8 an natura, sit in aliquo principium actiuum eius generationis. 427
9 an sit in aliquo principium actiuum corruptionis eius. 428
10 in quibus rebus Natura sit principium alterationis. ibid.
11 an in Mixtis sit alia ratio & gradus natura quàm in Elementis. 430
12 an natura quæ est in elementis sit principium actiuum motus eorum localis. 431
13 an in toto cõposito præter materiam & formam sit tertia quędam natura ab illis re diuersa vel vt in scholis dici solet: An totum distinguatur realiter à suis partibus simul sumptis. 437

Numerus.

1 De admirandis proprietatibus & mysticis virtutibus numerorum secundum Pythagoreos. 226
2 An numeri, vt placuit Pythagoreis,sint principia rerum naturalium. ibid.& 265
3 de accretione numerorum in infinitum. 583

O.

Olympiades & ludus Olympicus.

1 De Ludis Olympicis. 193
2 Quot annis post excidium Troiæ cæperint Olympiades. 195
3 Initium Olympiadum quot annis præcesserit exordia Vrbis Romę. 195
4 Quis regnabat apud Hæbræos cum cæperunt Olympiades. ibidem.
5 Quis fuerit auctor ludorum Olympicorum & ipsarum Olympiadum. 193

P.

Parmenides.

1 An opinio eius, quod omnia sint vnum ens immobile,possit defendi. 157
2 Quo tempore floruerit parmenides. 207

Philosophia & Philosophus.

1 De diuisione Philosophiæ in practicam & speculatiuam. 4.7
2 Quales sint differentię Philosop. Practicum & speculatiuum. 8
3 an vniuersa Philosophia sit vna tantum scientia. 26
4 an Philosophia prius floruerit apud Barbaros quàm apud Grecos 191
5 De variis sectis Philosophorum. 187
6 Quàm vtile sit varias Phylosophorum opiniones discutere ac diiudicare 186
7 an omnes veterum Philosophorum sententiæ possint ad verum sensum, vt placet Simplicio reuocari. 238
8 Contra Philosophos qui ponunt vnum principium rerum naturalium. 260.261

Physica & Physicus.

1 An Physica subalternetur Metaphysicæ. 44
2 an sit prior Doctrinis Mathematicis 55
3 De vtilitate & iucunditate Physicæ. 98
4 Quod sit subiectum Physicæ, an ens mobile. 60
5 an sit substantia naturalis. 69
6 an sit res sensibilis. 67.68
7 an sint res generabiles & corruptibiles. 68
8 an sit corpus mobile vel naturale. 70
9 an Physicus consideret omnia quatuor genera Causarum,& primas cuiusque generis causas 111. 112
10 Cur via,seu ordo procedendi in Physica, ab iis quæ sunt notiora nobis, ad ea quæ sunt quidem secundum naturam notiora,sed nobis ignotiora, dicatur nobis innatus vel naturalis. 130
11 an Physica Arist. sit scientia. 75

Plato & Platonici.

1 Quid senserit Plato de Creatione 290.
2 Quo tempore floruerit Plato & illustriores Platonici. 210
3 De non ente Platonis. 253.254
4 Quid senserit Plato de immortalitate Animæ. 386
5 an natura sit tantum instrumentale agens vt volunt Platonici an etiam principale vt placet Peripateticis. 467.468
6 an Plato putauerit cælum esse cõpositum ex elementis. 806 819
7 an existimauerit mundum sempiternũ esse, an potius ab aliquo principio factum. 492
8 an in omnibus Platonem sequi oporteat. 795.76
9 Quid sit illud quod ante mundi effectionem Plato dixit vago & inordinato motu iactatum esse. 808
10 an Plato sensit mundum esse incorruptibilem 811.812
11 an crediderit Cælum & Astra esse Deos. 814.& 815
12 an secundum Platonem,ex æternitate animę mundi,liceat cõcludere æternitatem mundi. 792
13 Quid Plato senserit de doctrinis Mathematicis. 40
14 Quid de præstantia & potestate Metaphysicę supra alias disciplinas. 42
15 an res corruptibiles possint verius dici non entia, quam entia vt sensit Plato 254

Priuatio.

1 Disputatio de Priuatione,quę est vnum de tribus principiis rerum naturalium. 339

Pythagoras.

1 Disceptatio de tempore quo vi

xit Pythagoras. 200
2 Opinio eius de numeris diligenter expenditur 226.265

Q

Quantitas.

1 an quantitas rei distinguatur à substantia. 547
2 an puncta lineæ & superficies sint res extra animam. 552
3 an sint entia, vt vocãt, positiua 554
4 an inter se realiter distinguantur. 555
5 Quomodo punctum habeat positionem in continuo. 554
6 an Quantitas Mathematicè considerata, sit ratione tantũ abstracta à substãtia sensibili, an etiam ab omni essentia. 584
7 Disputatio de Quadratura Circuli sit possibilis. 588
8 de Maximo & Minimo. 594
9 an omnium retũ naturalium sint præfiniti fixiq; magnitudinis termini tam secundum excessum quam secundum paruitatem. 597
10 De Quantitate interminata an sit coæua materiæ, ei immediatè inhærens, per se ingenerabilis & incorruptibilis, & præcedens omnes formas substantiales. 322
11 an quantitas cæli & rerum sublunarium sint eiusdẽ speciei. 302
12 an quantitas sit principium indiuiduationis. 365
13 quantitas intensionis & remissionis quæ est in qualitate ad quam rationem quantitatis reduci debeat. 667

Quiditas.

1 An Quiditates rerum in particulari, considerentur à Metaphysico. 76
2 an qualitates rerum habeant causam efficientem, & an sint æternæ 383
3 an materia sit pars Quiditatis, vel vel potius forma sit tota Quiditas rei. 358
4 an perfecta cognitio Quidditatis rerum naturalium requirat cognitionem aliarũ causarũ quam materiæ & formæ. 372

S.

Scientia.

1 An sit bona diuisio Sciẽtię in Practicam & Speculatiuam & an nomen scientiæ vniuocè de illis dicatur 7. & 11
2 an sit bona diuisio scientiæ speculatiuæ in Physicam Metaphysicam & disciplinas Mathematicas. 15
3 Qualis sit hęc diuisio Scientię speculatiuę. 17
4 an scientia speculatiua dicatur vniuocè de his tribus. 18
5 an cognitio Transcendentium & intelligentiarum pertineat ad vnam Scientiam. 23
6 an possit defendi esse Quinque scientias speculatiuas. 25
7 an sit vna scientia omniũ rerum, vt quidam opinantur. 26
8 an rerum corruptibilium possit esse Scientia. 74
9 Cuius sit tradere distinctionem Scientiarum 81
10 an scientia nostra sit reminiscentia vt existimauit Plato. 132

Tem-

T

Tempus.

1 An tempus sit ens reale. 640
2 An re differat à Motu. 641
3 An tempus sit numerus motus actiuè an passiuè. 643
4 An in definitione Tẽporis addẽdum sit ipsum esse numerum motus & quietis. 644
5 An esse rerum corruptibilium mensuretur tempore, 645
6 An esse ac ratio Temporis pendeat ex operatione animi nostri. 646
7 An Tempus sit subiectiuè tantũ in motu cæli an vero etiam in omni motu. 647
8 An sit vnum tempus apud omnes Gentes, an vero multa tempora. 648
9 An sit vnum, & idẽ nunc in toto Tempore. 650
10 An motus localis Angeli mensuretur tẽpore aliquo continuo, quod sit diuersum ab eo tempore quo mensurentur res naturales. 23.678
11 An pro mensura operationum immanentium & naturaliũ Angeli, sit ponendũ Tempus discretum quod quidam Theologi inducunt. ibid.

Thales Milesius.

1 De tempore quo vixit, pulchra disceptatio. 199
2 Opinio eius de principio rerum naturalium. 221

V

Vniuersale.

1 An magis vniuersalia sint notiora nobis quàm minus Vniuersalia. 146
2 An Vniuersaliora sint tam secundum nos, quàm secundum naturam, notiora. 147.148
3 An difficilius sit definire Vniuersale quam singulare vt ait Aristoteles. 151.152
4 An vniuersale sit notius secundum rationẽ, quàm singulare. 179

Vacuum.

1 An si esset vacuum, posset in eo fieri Motus localis & an fieret in tempore. 631
2 Cur non possit esse vacuum. 636
3 An qui mũdum censent de nouo fuisse creatum, cõcedere cogantur, aliquando fuisse vacuum. 825 826. & 829.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM.

A

Abstractio.

DE Abstractione Metaphysicæ, an Metaphysicus tã consideret ea quæ re & ratione abstracta sunt à materia motu, pagina 17

De abstractione Physicæ an Physicus tantum consideret, ea, quæ à materia, re & ratione sunt inseparabilia. 18. 27

Triplex abstractio à materia. 18

Abstractio quantitatis à substantia, duplex, alia Metaphysica alia Mathematica. 20

Abstractio Metaphysica secundum rẽ à materia, quæ vocatur per indifferentiam refellitur. 20

Diuersitas abstractionum non facit diuersitatem scientiarum. 27

Geometria & Arithmetica vno & eodem Abstractionis genere, continentur. 27

An sit facilior Abstractio Generis, quàm speciei vltimæ. 155.158

An posterius possit abstrahi à priori. 585

Opinio & argumenta dicentium quantitatem Mathematicam non esse abstractam ab omni substantia, sed tantum à sensibili. 586

Probatur multis argumentis, quantitatem Mathematicam esse abstractam ab omni substantia. 386

Accidens.

Quod nullum accidens possit producere substantiam probatur à Scoto, Durando & Ochan. 469

Exponitur opinio Thomistarum, quod accidens in virtute substantiæ, possit producere substantiam. 471

Probatur accidens nõ agere in virtute substantiæ 286

Demonstratur accidens sua vi producere substantiam. 471

Declaratur, quemadmodum accidens, quatuor modis dici queat agere in virtute substantiæ. 475

Actio.

Quid inter Actionem & effectionem intersit. 5

Quæ Actiones imperio nostræ voluntatis subiiciantur. 6

In omni Actione quatuor esse diligẽter consideranda. 384

Vnde proueniat multitudo & varietas actionum eiusdem agentis. 384

Omnem Actionem esse à forma nullam autem à materia. 385

An Actio subiectiue sit in agente. 702.703

An Actio re differat à passione. 704

Æternitas & Æternum.

Variæ significationes huius vocis (Aeternum) 659

An visio Dei beatifica, quam habent sancti in cælo mensuretur æternitate participata. 660

Explicatur quid sit Aeternitas, & quæ sit ratio & radix æternitatis. 662. 663.

An Aeternitas per se sit mẽsurabilis. ibid.

Quæ ratio mensuræ accommodari possit Aeternitati. 663

An Aristoteles demonstratiuè probauerit Aeternitatem motus. 773

Argumenta eorũ qui censent Aeternitatem repugnare simpliciter omni creaturæ

turæ, vt est creatura. 838

Solutiones illorum argumentorum. 846.

Fortis argumẽtatio, qua probatur Aeternitatem simpliciter non repugnare creaturæ. 842

Argumenta eorum, qui putant Aeternitatem præcipuè repugnare rebus corruptibilibus. 840

Solutiones illorum. 847

An si creatura esset æterna, posset in ea distingui productio eius à conseruatione. 846

In æternis quid significet nomẽ Creationis, vel Productionis 508. & 845

An generatio quidem aliorum animalium potuerit esse ab æterno, nõ autem hominum. 848

An secundum sanctos patres, vlla creatura potuerit esse æterna. 839. & 847

Æuum.

De variis significationibus AEui. 666

An AEuũ sit mensura durationis habentis prius & posterius, sine inuocatione & variatione. 667

Si duratio æuiterna est tota simul, quomodo dicitur in ea esse præsens, præteritum & futurum. 669

An AEuũ sit mensura rei quæ secundum esse est immutabilis sed est mutabilis secundum affectiones & operationes. 670

An AEuũ sit mensura omnis rei permanentis & quæ sit tota simul, vt vult Scotus. 671

Quæ sit propria ratio AEui. 672

An sit vnum AEuũ mensura omniũ æuiternorum. 673

An sint tot Aeua quot sũt æuiter. 675

An quodlibet æuiternũ superius sit mẽsura inferioris æuierni. 676

An sit ponẽdum aliquod AEuũ quod sit mensura durationis æuiternæ. 676

Albertus magnus.

Censet quantitatẽ esse per se imaginabilẽ sed nõ sensibilẽ in quo refellitur. 17

Probat motum cæli non esse naturalem, sed refutatur. 413. & 418. 419

Credit, verum aurum posse fieri ab Alchimistis. 501

Alchymia & Alchymista.

Ab Alchymistis non posse fieri verum aurum probant Auicenna Auerroes. D. Thom. Aegidius & alij. 497 498

Alchymisticum aurum non posse licitè vendi pro vero 499

Alchymistæ putãt materiã omnium metallorum esse sulphus & argẽtum viuum quod ab aliis refellitur. 500

Inuenta & opera Alchymistarũ. ibidẽ

Vtilitas artis Alchymiæ. 501

Quinque rationes quorundam pro Alchymistis. 502

Effectio auri per Alchymicã secũdum rationem nõ videtur impossibilis. 504

Modus efficiẽdi aurum per Alchymiã non videtur adhuc inuentus, & bene compertus. 505

Vsus Alchymiæ, est perniciosus, nec permittendus in republica. 506

Alexander Aphrodisæus.

censet speculatiuam sciẽtiam principaliter dici de Metaphysica tũ de Physica, extremo loco de Mathematicis disciplinis. 39

Quam putet Alexander esse caussam contingẽtiæ quæ est in rebus naturalibus. 542

Laus Alexandri; & tempus quo floruit. 215

Dixit primum cælum nullum habere locum. 625

Videtur Alexander intelligentiis motricibus cælorũ talem tribuere in mo-

uendo libertatem,qualem eis tribuunt Theologi: & quomodo eum refellat simplicius. 771
Definitio motus quam tradit Alexander expenditur, & defenditur contra Simplicium. 690.& 691

Analogum.

De Analogo vel potius de eo quod Aristoteles vocat ens ab vno ad vnum, multa scitu digna traduntur. 70

Anaxagoras.

Quo tempore vixerit,qui eodem tempore tum apud alias gentes tum apud Hebræos floruerint: Primus Philosophorum Græcos docuit opificem mũdi & omniũ rerũ effectorẽ esse Deũ.204
Fuit discipulus Anaximenu, magister autem Archilai Philosophi,Periclis oratoris, & Euripidis Poetæ. 228
Patriam & patrimonium propter Philosophiæ studiũ contempsit: comparatione priorum Philosophorum sobrius & prudens est habitus. Primus materiæ adiũxit causſam efficiẽtem ipsam mentem,quamobrem cognominabatur mens: opinio eius de principio rerum naturalium exponitur. ibidem
Anaxagoræ Aristoteles præfert Empedoclem. 264
Opinio Anaxagoræ de principio rerũ naturalium refellitur. 266.267

Anaximander.

Fuit auditor Thaletis Primus Gnomonem inuenit & maris ac terræ circuitus descripsit: Facit principium rerum omnium infinitum quiddam & mediũ inter elementa,quare videtur subodoratus fuisse materiam primam. 224

Anima & animatum.

An definitio naturæ quæ traditur secũdo libro Phy.conueniat animæ. 349
An animæ perfectorum animaliũ sint extensæ & diuisibiles. 422
De anima mundi. 792
An semper animatum sit nobilius inanimato. 89

Animal.

An motus progressiuus animalium sit eorum corporibus naturalis vel violẽtus. 424
An animalia genita ex semine & ex putri materia possint esse eiusdem speciei. 478
An animalia genita ex putri materia possint generari ab alia eiusdem speciei, 494.495
Animalia quidem generari solo calore ignis. 505.

Anima rationalis.

An scientia Animæ rationalis pertineat ad Physicum. 18.30.
Quas res Physicus non possit cognoscere de Anima rationali. 32
Quæ sunt ea quæ Physicus docet de Anima rationali, 33
Anima rationalis vt est per se subsistẽs & separabilis à corpore,ad Physiologiæ doctrinam non pertinet. 31
Quædam esse quæ nõ possunt certo cognosci de Anima rationali nisi lumine fidei. 34
Doctrina Animæ rationalis partim est Physica partim Metaphy.& partim habetur ex doctrina á Deo reuelata 35
Scientia animæ rationalis non est vna & simplex,sed varia & multiplex.37
De duplici conditione & statu Animæ rationalis in cognoscendo præclara doctrina traditur. 178
Cur Anima rationalis nõ educatur ex potentia materiæ 338
An materia sit in potentia ad Animam rationalem. ibidem
Animam rationalem esse immortalem secundum Platonem. 387
Eandem esse immortalẽ secundum Aristotelem. 388
Immortalitatem eius naturali rationis lumine cognosci, & firmis rationib. concludi posse. 390
Quod sit forma essentialis & pars hominis. 392
Quod non sit assistens & vna in omnibus, contra Auerroem. 396
Quod nõ sit ante corpus nec in diuersa ingrediatur corpora,cõtra Platonic. 400
An definitio naturæ quæ traditur secũdo libro Physic.conueniat Animæ rationali. 425

Argumentatio.

Argumentatio cum sit vnus motus,vnius potentiæ esse debet operatio. 173
Quando sit bona argumentatio à permutata proportione. 181
Maius est vitium argumentationis ex defectu formæ quàm materiæ. 250

Aristoteles.

Quãdo motus sit,Quot annis natu minor fuerit Platone,Quãdo eum audire cœpit & quãdiu audiuit,Quãdo factus est magister Alexandri Magni& quãdiu eo munere functus est. Quot Annos philosophiã docuit.Quãdo est mortuus,& quo genere mortis. An author necis Alexandri Magni fuerit, Quænã eius tẽpore memorabilia euenerit. Calamitas quæ scriptis eius accidit. Qui fuerũt in Philos.eius successores & quo tẽpore floruerint. 212
Multa & varia præclara de laudibus Aristotelis. 273.274
Aristoteles sensit Animũ nostrum esse immortalem. 388
An Aristoteles faciens mundũ aternũ cogatur cõcedere,infinitã actu animarũ rationaliũ multitudinẽ. 563.564
An Aristoteles putauerit, æternitatem motus & mundi posse demõstrari & à se fuisse demonstratam. 766
An crediderit creationem id est productionem ex nihilo esse possibilem.288
Cur passim veteres Philosophos reprehendat verba eorũ magu quàm sententias spectans. 260
Videtur scripsisse varios libros de Anima,& post libros de anima& Metaphysicæ habuisse in animo aliquid scribere de Anima rationali. 36
Argumenta Aristotelis pro æternitate mundi. 773
Solutio illorum argumentorum. 774

Ars & Artificiale.

Ars mechanica non est pars Phylo.59
Diuisio artium mechanicarum. 58.59
Octo differẽtiæ inter res artificiales & naturales. 405
Materia prima non est in potentia ad formas artificiales. 406
An formæ artificialis sit principium alicuius motus. 407
An forma artificialis re distinguatur à subiecto in quo inhæret. 407

Astrologus.

Sex differẽtiæ inter Astrologũ & Physicum,in tractatione cælestium. 78

Attractio.

Tres esse species attractionis tradit Auerroes,& quid inter illas intersit.604

Auerroes.

Cur dixit primum cælum esse in loco per accidens ratione centri. 630
Cur pro absurdo habuit esse quartã sciẽtiam speculatiuam. 25
Opinio eius de assistẽtia & vnitate intellectus humani refellitur. 399

Putauit animalia genita ex semine, & ex putri materia eiusdem speciei esse non posse. 491
Sensit per Alchymiã non posse fieri verum aurum. 497
In quarto libro de Cælo & in decimo libro Metaphysicæ videtur sentire colores medios specie distingui ab extremis: sed in sexto libro Physicorum & in tertio libro Meteororum videtur contrarium dicere. 717 & 719
An secundum ipsum ponenda sit forma corporeitatis materiæ coæterna. 313 & 314
An faciens formas substantiales elementorum intendi & remitti & actu manere in mixtis possit defendere generationẽ elementorũ & mixtorũ nõ esse motus proprie dictos. 737.738
Sententia eius de necessitate & libertate Dei in agendo. 771
Argumenta eius pro æternitate mũdi. 825
Solutio horum argumentorum. 829

Auicenna.

Putauit motum cæli non esse naturalem. 413
Sensit hominem etiam sine semine naturaliter posse generari. 478
Dixit verum aurum non posse fieri arte Alchymiæ. 797 & 521
Opinatur fortunam versari etiam in his quæ sunt ad vtrumlibet. 521
Negauit contingentiã esse in rebus naturalibus. 533
Motum cæli non fieri ad locum, sed Situm. 626

Augmentatio.

Quot modis possit fieri augmẽtatio. 596
An augmentatio sit species motus localis. 733 & 734
An sit motus proprie dictus. 733
An sit motus continuus. 734 & 735
An in augmentatione terminus à quo & ad quem sint contrarij, & specie differant. 733 & 734

C

Calor.

Triplex calor, Elementaris Animalis & Cælestis. Et an hi specie differant. 504
Quædam animalia solo ignis calore generari. 505

Causſa.

Consideratio caussarum ad quas scientias pertineat. 447
An Physicus consideret omnia quatuor genera caussarum. 111
An Physicus consideret primam cuiusque generis caussam. 112
An Metaphysicus consideret omnes quatuor caussas & primas cuiusque generis caussas. 113
An ad perfectã cuiusque rei naturalis cognitionẽ necessaria sit omniũ caussarum eius cognitio. 122
An Mathematicus consideret vllũ verum genus caussæ. 114
Cur Aristoteles nusquam vniuersè definiuit caussam. 447.448
Cur Aristoteles nusquam probauit esse quatuor genera caussarum. 448
Cui caussæ principalius conueniat nomen & ratio caussæ. 458
An semper caussa sit nobilior suo effectu. 468
Quæ sit vis & caussalitas cuiuslibet caussæ. 450
An inter caussas vniuersales & particulares sit necessaria cõnexio. 458.459
An caussalitas caussæ vniuersalis sit principalior quã causæ particularis 460
Disceptatio inter Platonicos & Peripateticos An sit ponenda caussa exẽplaris tanquã genus caussæ diuersum à reliquis. 448

Cœlum.

An motus circularis cæli demõstret ipsũ secundum Platonem nõ esse compositum ex elementis. 802. & 803
Cælum per se ac quiditatiuè tractari debere à Physico probatur multis argumentis. 68.69
Cur in libro primo Physicorum non sunt tradita principia communia cælo, & rebus corruptibilibus. 70 72
An cælum sit nobilius homine. 86
Discutitur opinio Aegidij affirmantis eandẽ esse materiam cæli atque rerũ sublunarium. 296
Probatur diuersam esse materiã cæli, & rerum sublunarium. 299 300
Motum cæli non esse naturalem, opinio & rationes quorundam. 413
Eum esse naturalem probatur multis argumentis. 415
An motus cæli sit naturalis propter prĩcipium actiuum & passiuum. 415
Cur necesse est motum cæli effici ab intelligentia. 416
Intelligentiam esse veram formã & naturã cæli, opinio quorundam, quæ tamen multis rationibus refellitur. 417
An cæli sint vnius speciei omnes, an differant specie. 419
An quies cæli in fine mũdi sit futura illi naturalis an violẽta. 413. 414 et 420
Vt definitio naturæ cælo accommodari queat quo pacto illa particula definitionis, naturã esse principiũ motus & quietis, interpretanda sit. 450
An posset quis extra cælum porrigere brachium, aut telũ iacere. 664 & 568
Cur cæli alij ab aliis contineantur. 603
Cælum vt cælum nõ indiget loco à quo contineatur. 629
An locus primi cæli sit centrum. 630
De loco primi cæli variæ opiniones. 625

Color.

An colores medij specie differãt ab extremis. 717
An colores medij actu comparãtur ex coloribus extremis. ibi. & 717
Quid Auerroes senserit de coloribus mediis an specie differant ab extremis. 717 & 720
Quid Aristoteles. ibid.
Quid Simplicius & Themistius. ibid.
Quis Auctor sentiat. ibid.

Contingens & Contingentia.

Qua ratione Stoici tollunt omnem contingentiam. 533
Cur Auicenna & Ochan tollunt contingentiam. 533
An esse cõtingens sit demõstrabile. 535
Probatur tribus argumentis esse in reb. contingentiam. 534
Soluuntur rationes Stoicorũ, Auicennæ, Ochan, Scoti contra contingentiã 537
Varietas contingentium. 540
Quatuor differentiæ inter cõtingens naturale & contingens voluntariũ. 540
Quæ sit caussa contingentiæ rerũ secundum Scotum, D. Thomam, Alexandrum & quosdam alios. 541
Quæ sint veræ ac propriæ caussæ omnis contingentiæ quæ est in rebus naturalibus. 543

Continuum.

An cõtinuũ actu habeat in se infinitas partes an non. 5
An possint partes cõtinui per potentiam Dei omnes remoueri à continuo. 572
An continuum cõponatur ex indiuisibilibus vel sit diuisibile in infinitũ. 573
Multa de diuisione & additione cõtinui

in infinitum. 580

Corpus.

Quadruplex corpus, Physicũ Mathematicum, Metaphysicum & artificiale. 70

Cur Aristoteles & Auerroes non faciãt nisi duplex corpus, Physicum & Mathematicum. 71

Quomodo Aristoteles dicat corpora naturalia esse principia aliorũ corporũ. ibi.

Corpora mixta imperfecta vt nix grando, &c. non sunt species corporis naturalis diuersa ab elementis. 86

Corpora mixta esse partes vniuersi. 805

Creatio.

Cõparatio Creationis cũ Generat. 284

Sex res includi à Creatione. ibid.

Quid sit Creatio. 282

An sit actio aliqua vel relatio & qualis relatio. 285

An Creatio sit quidpiã diuersum à creatura. ibid.

An vis creandi sit adeo propria Dei vt ea sit creaturæ incommunicabilis. 287

Discrimen inter id quod creatur & id quod generatur. 292 293 294

An Aristoteles cognouerit creationẽ esse possibilem. 288

An possit cognosci lumine naturali. 291

Quid Plato senserit de Creatione. 290

D

Definitio.

Definitio rei naturalis an solã materiã & formam continere debeat an præterhas etiam efficientem & finem. 123

Definitio accidẽtis alia essentialis alia causalis, perfecta est quæ vtrãque cõplectitur & hæc est medium Demonstrationis. 125

Tres viæ inuestigandi & inueniẽdi definitiones. 151

Quo pacto ex Demonstratione innotescit & colligitur ipsum quod quid est, & definitio Accidentis quod demõstratur. 125

Qua ratione facilior sit definitio singularis, quàm vniuersalis vt docet Aristoteles in 2. libro post. tex. 17. 151.152

Democritus.

Duo facit principia rerũ, vacuũ, & plenum hoc est. Atomos. 231

Vacuum esse in rebus septem rationibus probat. 231

Varia decreta eius de Atomis. 233

An Democritus fecerit infinitas species figurarum quæ sunt in Atomis. 234

An Democritus stirpium & animaliũ certas quasdam efficiẽtes causas statuerit. 136

Opinio Democriti refellitur. 268

Cur Aristoteles Democritũ cæteris Philosophis anteponat. 233

Quando & quandiu vixerit variæ opiniones. 205

Eodẽ tẽpore floruisse Hyppocratẽ. 206

Demonstratio.

Duo consideranda medio Demonstranis potissimæ. 20.121

Cur tantopere laudentur demonstrationes Mathematicæ. 53.54

Omnis demonstratio quæ ostendit caussam rei, per se, ostendit etiam rẽ esse. 121

Falsum est, Demõstrationem potissimam debere procedere ex iis quæ sunt notiora secundum nos, & secundũ naturam. 120.321

Potissimæ Demonstrationes non reperiuntur in doctrinis purè Mathematicis. 118.119

An demõstrationes Mathematicæ procedant ex notiorib. secundum nos & secundum naturam. 136

Demõstratio Theophrasti, quòd res naturales habeãt caussas & principia. 127

Deus.

Magis distinctus est Deus ab intelligentiis quam intelligentiæ ab aliis creaturis. 25

Scientiam de Deo distinctã esse à scientia quæ est intelligentiis. 25

Solus Deus est verè Ens, cætera verius dici possunt nõ Entia, vt praclarè docet Plato, & Plutarchus. 235.254

Cum Deus sine causis secũdis per se possit omnia efficere, cur vt velit caussis secundis. 294.295.296

Pulchra cõparatio inter Deum & Materiam primam. 308

Insania eorum qui dixerunt Deum esse materiam primam redarguitur. 307

Deũ actu concurrere ad quamlibet operationem caussæ secundæ, probatur secundum sacrã scripturam & veram Philosophiam. 463

Dei concursus cum nostra voluntate nõ tollit eius libertatem. 466

Probatur Deum nõ agere ex necessitate naturæ & esse infinitæ virtutis. 768

Explicatur quid Peripatetici sentiãt de libertate & necessitate Dei in agendo. 771.772

Durandus.

Quatuor argumentis ostendit Durandus primum cognitum esse singulare. 166

Errauit Durandus putans Deũ nõ actu concurrere ad quamlibet operationem caussæ secundæ. 461

Durandus negat infinitũ actu posse fieri à Deo. 570

Opinio Durandi de Aeuo. 676

Opinio eius de possibili vel impossibili æternitate creaturarum. 840

Duratio.

An habeat in se rationẽ quantitatis. 651

An differat ab essentia rei. 652

An differat ab existentia. 652

Quid addat super rationẽ existẽtiæ. 653

Quid sit duratio. 654

Mensura durationis non conuenit quiditati vt quiditas est. 654

Sicut se habet extensio ad quãtitatẽ, & intensio ad qualitatem, sic duratio se habet ad existentiam rei. 653

De varietate Durationis ex parte ipsius existentiæ. 654

An vlla res creata habet Durationem permanentem & totam simul. 655

De varietate Durationis ex parte extensionis ipsius. 657

An maior vel minor Duratio rei, arguat minorem vel maiorem eius perfectionem & præstantiam. 659

Vtrum successio & permanentia, an extensio sint magis de essentia Durationis. 658

E

Effectus.

An effectus plus debeat caussæ vniuersali an particulari. 467

An idem numero effectus à multis caussis perfectis & eiusdem generis possit effici. 476

An idem numero effectus diuersis temporibus potuerit effici. 478

Efficiens.

De varietate efficientium. 83

Duplex caussalitas efficientis. 451

An efficiens naturale sit agens principale an dicendum sit tantummodo agens instrumentarium. 467.468

An omne efficiens sit nobilius suo effectu. 468

An caussa efficiens tẽpore prior sit semper suo effectu. 843 & 781

Elementa.

Elemẽta sũt prĩcipalis materia quæ tractatur in libris de Generatione &

corruptione & in duobus extremis libris de cælo. 92
Quomodo differat Elementum à principio & causſa, & quod Ariſtoteles nonnũquam hæc tria vſurpet pro eodem, interdum autem eã inuicem diſtinguat. 108
Nomen principii antiquiſsimum, ſed nomen Elementi inuentũ eſſe à Platone. 109.110
Non poſſe vllũ quatuor elementorũ ſtatui Principiũ omnium rerũ. 260.261
Elemẽta actiue moueri à ſeipſis, probatur multis argumentis & teſtimoniis Ariſtotelis. 432 & 433
Cur Ariſtoteles quibuſdã in locis negare videtur Elementa moueri à ſe. 434
Elemẽta moueri à ſe ratione medij, opinio eſt Auerrois & Ariſtotelis. 434
Elementa ex ſe & intrinſecè nec maximum nec minimum habent. 598
Elemẽta per appoſitionẽ & per generationem poſſunt augeri in infinitũ, per rarefactionem autem minimè. 599
Quatuor ob cauſſas elementa continẽtur à cælo. 603
An elementa exigãt ex ſua natura definitam quantitatis paruitatem. 599

Empedocles.

Refellitur opinio Empedoclis facientis quatuor elementa prima omnium rerum initia. 263
Empedocles ætate poſterior fuit Anaxagora ſed operibus prior. 208
Quo tempore vixit Empedocles. 208

Epicurus.

In Phyſicis totus eſt Democritus paucis mutatis. 190
Qui fuerint eius ſucceſſores. 217
Vituperatio & deteſtatio Epicuri. ibid.
Quo tempore vixerit. ibidem
De Lucretio inſigni Epicureo. ibid.
Infinita propè ſcripſit Epicurus volumina. 218

Exiſtentia.

An omnis exiſtentia ſit à forma. 373
Quid ſit exiſtentia. 374
Quibus rebus propriè conueniat. 375
Exiſtentiam non diſtingui realiter ab eſſentia nec in intelligẽtijs, nec in rebus aliis creatis. 378 & 379
An creatura ſit ſuum eſſe vel ſua exiſtentia. 382

F

Finis.

Contemplatio vltimi finis hominis, non modo ſupernaturalis, ſed etiam qui in hac vita haberi poteſt, non eſt Phyſicæ doctrinæ. 31
De varietate & diſtinctione finiũ. 84
Quomodo finis cauſat vel mouet agens, cum ipſe non ſit actu. 451.452
Quomodo agẽs naturale dicitur agere ꝓpter finẽ cum ipſum nõ cognoſcat. 452
An agentia naturalia ad ſuos quæque fines dirigantur ab intelligentiis. 453
An finis cauſet prout habet eſſe intẽtionale, an prout habet eſſe reale 455
An quicquid habet finẽ neceſſariò habere debeat cauſſam efficientem. 457

Forma.

De varietate formarum ſubſtantialium & accidentalium. 82.83 & 346
Cur forma naturalis non dicatur induci in materiã ſed educi ex materia. 294
Quare interitus formæ naturalis nõ ſit, vel dicatur annihilatio. 294
De forma corporeitatis multa diſputantur An ſit ponenda in materia prima. 317
Quid ſit formam educi è potentia materiæ. 338
De præſtantia formæ & variis eius nominibus & generibus 344
An ſit forma ſubſtantialis. 347
Quid ſit. 348
An omnis forma Phyſica ſit generabilis & corruptibilis. 348
An ſit ſeparabilis à materia. 349
An ſit extenſa & diuiſibilis. 349
An ſit mobilis. 350
Quomodo ſit multiplicabilis. 350
An ſit prior & nobilior materia. 351. & 353
An vna numero poſsit eſſe in diuerſis materijs. 353
An immediatè vniatur materiæ primæ. 355
An ſit prior & nobilior compoſitio. 356
An ſit tota quidditas rei naturalis. 358
An ſit principium indiuiduationis. 371
An omnis exiſtentia ſit à forma. 373. & 311
Omnis actio eſt à forma. 385
Quomodo vna forma producit varias actiones. 383.384
Diſcrimen inter formas cæleſtes & ſublunares. 368
Triplex cauſalitas formæ. 369
Quomodo incipiat & deſinat eſſe forma ſubſtantialis. 762
Duæ admodum arduæ & difficiles dubitationes de modo incipiendi, & deſinendi, formæ ſubſtantialis. 763

Fortuna & caſus.

Conſideratio fortunæ ad varias ſcientias pertinet. 507
An ſit aliquid fortuitum in rebus. 508
Nec Caſus nec fortuna excludunt Dei prouidentiam, nec ab ea excludunrur 508. & 511
Præclara ſententia Boetij de Fortuna, & prouidentia Dei. 511
Cicero putatit res fortuitas ne à Deo quidem ſciri poſſe, quod exponitur vt in bonã partẽ accipi queat. 509. & 512
In rebꝰ naturalibꝰ poſſe aliquid caſu & ꝓ accidẽs euenire reſpectu cæli ait D. Th. ſed Auicenna et Ochã negãt. 512
An fortuna ſit numẽ aliquod diuinũ. 516
Varia templa & ſimulachra fortunæ, ſubvariis nominib. Romæ dicata. 516
Ante Ariſt. & Platonem, nec templa nec ſimulachra nec dies feſti, Fortunæ conſecrati fuerunt. 517
Quomodo veteres, auctore Alberto, depingebant ſimulachrum Fortunæ. 117
Duæ per quã elegãtes ſententiæ, vna D. Auguſtini, altera Plinij, contra eos qui Fortunã ceu Deã colunt, 517. & 518
Explicatur definitio fortunæ. 519
Auicenna putauit fortunam verſari non modò in iis quæ raro eueniunt, ſed etiam in iis quæ ſunt ad vtrumlibet; ſed eius opinio refellitur. 521
Pomponacius aſt omnes effectus, qui vulgo dicuntur fortuiti, habere cauſam per ſe, ac determinatam. 523
Quando inuentio Theſauri ſit fortuita, & quando non. 526
Vt effectus aliquis ſimpliciter ſit fortuitus duo habere debet. 527
Quomodo effectus fortuitos liceat appellare diuinos. 527

G.

Generatio.

Quinque opiniones Philoſophorum de generatione rerum. 283
Sex res neceſſariò concurrere ad Generationem cuiuſlibet rei naturalis. 284
Comparatio Generationis cum Creatione. ibid.
Quid ſit in generatione Phyſica, nõ fieri formam ſed totum compoſitum. 285
Quid ſibi vult Ariſt. cũ ait, id quod generatur nec eſſe ens actu, nec eſſe in loco. 329
An generatio ſit motus propriè dictus

An fiat successiuè. 730.731
Variæ species & gradus Generat. 730
An secundum Auerr. qui ait formas elementorũ substantiales intendi & remitti, generatio Elemẽtorum cum fiat successiuè, debeat dici motus propriè dictus, 729.730
An secundum Auerr. generatio mixti ex elementis actu manentibus, possit vel debeat dici motus, cum subiectum eius sit Ens actu. 730
Generatio potest sumi, vel pro sola formæ substãtialis productione, & sic fit in instanti vel p hac simul cũ præuia præparatione materiæ, & sic fit in tẽpore. 731
Rursus potest cõsiderari Generatio vel ratione formæ & sic fit tota simul, & in instanti, vel ratione subiecti, & sic fit successiuè. 732

Gregorius Ariminensis.

Putat infinitum posse fieri à Deo. 554
Confirmat tribus rationibus, primum cognitum esse singulare. 168.169
Negat puncta, lineas, superficies esse entia realia positiua, inter se realiter distincta. 557

H

Heraclytus.

Sprenit munera & promissa Darij Persarum Regis. 203.204
Scripsit librum de Natura per quam obscurum quem Socrates dixit Euripidi Delio natatore, indigere, quare cognominatus est σκοτεινὸς 222
Eius obscuritatis causas aperit Arist. ibid
Mordetur Heraclytus à Lucretio Epicureo. ibid.
Magnitudo animi Heracliti. ibid.
Tempus quo floruit. 204

Homo.

An homo sit nobilior cælo. 86
An homo sit finis omniũ rerũ natural. 88
An possit homo naturaliter generari sine semine vt putauit Auicenna. 478
An generatio hominis fiat naturaliter vel liberè. 491
An generatio hominis potuerit esse ab æterno. 847.848

I.

Idea.

An ex æternitate Idea mundi concludatur mundi æternitas. 783
An Idea sit causa diuersa ab aliis quatuor. 448

Indiuiduum.

An principiũ indiuiduationis sit Quantitas. 364 365
An sit Hæcceitas Scoti. 367
An sit materia signata D. Th. 369
An sit tam materia quàm forma, sed principalius forma. 371

Infinitum.

An sit in rebus infinita aliqua multitudo. 561
An sit aliquid mole infinitum. 562
An additio quantitatis in infinitum, reddat corpus infinitum. 580.581
An posset fieri à Deo infinitum. 568
An infinita virtus ad agẽdũ sit in Deo. 770
An secundũ Arist. intelligentiæ actu cognoscãt infinita. 563 & 567 & 780
An possit numerus augeri in infinitũ. 582

Intellectus humanus & intelligere.

Potẽtia intellectiua cũ nullius corporis sit actus per se nõ est potentia Physica. 32
Non est cõtra naturã intellectus nostri, vt is cognoscat singulare. 172 & 177 181
Cur sit necessari⁹ intellectus agẽs. 178.183
An vniuersale sit proprium obiectum intellectus nostri. 177. & 179
An primo notũ intellectui nostro sit species vltima. 154
An sit ens. 169
An sit singulare. 166.176
An singulare distinctè cognoscatur à nostro intellectu.. 172
An discursus intellectus nostri sit motus cui conueniat definitio motus. 698
Intelligere nostrũ non est per se actio Physica neq; effectiuè, neq; subiectiuè, neq; formaliter, neq; terminatiuè, vel obiectiuè. 33
Quomodo intelligere nostrum possit dici actio Physica. 33

Intelligentiæ.

In Intelligentiis esse aliquid materialitatis, & potentialitatis. 26
Scientiam quæ est de Intelligentiis ponit debere distinctã ab ea, quæ est de transcendentib. & ab ea, quæ est de Deo. 23
Cur Arist. Scientiam quæ est de intelligentiis cõiunxerit cum scientia quæ est de transcendentib. & decem prædicamentis. 24
Intelligentias non esse mobiles Physicè probatur multis argumentis. 66
An intelligentia sit vera forma, & natura cæli. 417
Cur necesse sit cælum moueri ab Intelligentiis. 416
An secundum Arist. necesse sit intelligentias actu cognoscere infinita. 563. 567. & 780
An sublatis Intelligentiis tolleretur omnino Metaphysica & tunc Physica esset prima Phyloſophia. 56

Interuallum.

Qui putauerint esse interuallum. 616
Quomodo venire possimus in cognitionem huius interualli. 617
Sex proprietates Interualli. 617
Soluuntur rationes Arist. contra Interuallum. 617
Probatur locum esse Interuallum. 618
Reiicitur hæc opinio de Interuallo. 618

L.

Liber.

Liber 4. Meteororum ordine Doctrinã locari debet post libros de Generatione & corruptione, non enim pertinet ad doctrinam Meteorologicã, nec post tres libros Meteororum poni debet. 93
Libri qui continent doctrinã animalium quo ordine scripti, æditique fuerint ab Arist. 95
Libri de partib. animaliũ, ordine doctrinæ præcedunt libros de Anima. 96
Libri de Animalib. ordine doctrinæ præcedunt libros de Plantis. 97
Cur octo libri Physicorum inscribantur, de Physico Auditu. 99.100.
De libris Exotericis & Acromaticis disputatio. 101
Liber, seu Dialogus Arist. de Anima, ad Eudemum. 36.104
Qui fuerint libri de Philosophia Arist. qui citantur à Cicerone & Eusebio. 104
Quam varijs nominib⁹ appellentur & citentur ab Arist. libri octo Phys. 105
Illam inscriptionem octo librorum Physicorum, quæ est (De Physico Auditu) non esse Arist. 104

Locus.

Exponuntur quinq; proprietates loci quæ sunt continere, trahere, conseruare locatum, dare vnitatem & distinctionem motui locali, & esse immobilem. 603
An immobilitas sit de essentia loci, an eius proprietates 607
An locus sit immobilis per æquiualentiã vt censent Scotistæ. 608
An sit immobilis propter distantiam eius à cælo & à centro. 610
Arist. 4 lib. Phys. non agit de omni loco cuiuslibet corporis, sed tantum de loco naturali & proprie de loco, qui per se & primò conuenit corporibus simplicibus seu elementis. 612 614
Nõ in omni loco exigẽda est immobilitas

sed tantummodo in loco naturali & eo qui est elementorum. 614
An locus sit interuallum. 616
An locus sit superficies. 621
An motus localis fiat ad locum an ad vbi. 623
An locus sit in categoria quãtitatis. 623
An locus terræ sit superficies aquæ & aeris, an potius centrum. 624
De loco primi cæli longa disputatio. 626

Logica.

Logicam nõ esse scientiam nec partẽ Philosophiæ. 59
Ad Logicã pertinet tradere distinctionem Scientiarum. 81

Lumen.

An lumen solis sit coæuum soli. 781.782
An generetur & corrumpatur ad absentiam & præsentiam solis. 782
An motu solis idẽ numero maneat, ex vno in alium locum moueatur. ibid.

M.

Materia.

Materia determinat formam, & forma vicissim determinat Materiam sed longè diuerso modo. 451
Decem & septẽ attributa Materiæ primæ ex variis locis Arist. collecta. 277
Variæ diuisiones Materiæ. 279
Varia Materiæ primæ vocabula. 279
Necessitas materiæ ostenditur septem rationibus. 281
Non est eadẽ materia cæli & rerum sublunarium. 296 & 299
Materia est causa cur quódq; sit corruptibile. 300
Quid sit materia. 303
Quinque descriptiones materiæ. 304
Porphirius pulchre depingit materiã. ib.
Pulchra comparatio inter Deum & Materiam primam. 307
Redarguitur insania eorum, qui dixerunt Deum esse Materiam primam. 308
Materiam primam per se existere, nec esse actu in rebus propter formas. 309
Rationes eorũ qui opinãtur omnẽ Materiæ existentiam à forma proficisci. 311
Materiam nõ esse puram potentiam. 312
Tres causæ propter quas Materia, omni forma spoliata & priuata, nunquam esse potest. 312
Quod in materia sit forma corporeitatis ei coæua opinio & argumenta quorundam. 313
Formam corporeitatis non esse in materia, probatur ex sententia Auerroys, Arist. & multis præterea rationibus, 314. & 317
Multæ conuenientiæ, multæ etiã differentiæ inter Genus & Materiã primã 318
Multa de triplici relatione materiæ & de duplici eius potentia tractantur. 332
Potentiam esse de essentia materiæ. 335
Cur potẽtia dicatur materiæ essẽtialis. 336
Probatur multis argumentis materiam vt est materia, nihil posse agere. 387
Materia prima non habet potentiam ad formas artificiales. 406

Mathematica Doctrina.

Quomodo cõducat Physicæ ac Metaph. 39
Mathematicas disciplinas expetẽdas esse ppter exercitiũ, Physicã verò et Metaphysicã propter perfectionẽ hominis. 39
Doctrinam Mathematicam non esse propriè scientiam, nec in ea reperiri perfectum genus Demonstrationis. 40.119
Quid Plato senserit de Mathemat. ibid.
Doctrina Mathemat. simpliciter certior, secundum quid incertior quàm Phy. 35
Mathematica Doctrina nõ curat fidem vel testimoniũ sensuum, sed sola Demonstrationum certitudine nititur. 53
Quanta sit præstantia Demõstrationũ quibus vtitur Doctrina Mathematicæ. 53

Doctrina

Doctrina mathematica & secundum nos & secundum naturam prior est quàm Physica. 55
An in Mathematicis consideretur vllum genus causæ. 114.115
Quomodo Arist. dicat in Mathematicis considerari bonum & pulchrum. 116
In Mathematicis vsurpantur verba significantia motum, materiam, & causam efficientem sed impropriè 117
In Mathematicis non sunt Demonstrationes potissimæ. 119
Cur Mathematicæ sint facillimæ ad discendum etiam pueris. 121
An rationes Mathematicæ procedant ex iis quæ sunt notiora nobis & secundum naturam. 136

Maximum & Minimum.

Quæstio de Maximo & Minimo. 594
Quid sit Maximum quod sic, & Minimum quod sic, quid item Maximum quod non, & Minimum quod non. 595
Maximum & Minimum, dupliciter dicuntur positiuè vel negatiuè. 596
In omnibus rebus naturalibus est Maximum & Minimum. 597
Elementa ex se, ac intrinsecè nec Maximum habent nec Minimum. 598

Medicina & Medicus.

An scientia Medicinæ subalternetur Physicæ. 79
De differentia inter Physicum & Medicum. ibid.
Imperfecto Medico duos habitus esse oportet. 80
Cur Medici eam partem doctrinæ, quæ planè Physica est sibi asciscentes, Medicinæ partem fecerunt. 80

Metaphysica.

Tractat per se decem prædicamenta & substantiam corruptibilem Metaphysica. 20. & 21
Tres esse principes partes Metaphysicæ. 21
Quomodo Metaphysica sit vna scientia cum subiectum eius non videatur esse vnum. ibid.
Quomodo Metaphysica tractet subiecta particularum Scientiarum, vt Ens mobile quod est subiectũ Physicæ &c. 29
De præstantia Metaphysicæ sententia Platonis, & Procli. 42 & 43. 45
De potestate eius supra alias scientias ex Themistio & Simplicio. ibid.
An Metaphysica subalternet sibi Physicam. 44
Metaphysicæ subalternari alias scientias dixerunt nonnulli Peripatetici, & quomodo intelligendum sit. 29
Metaphysica est omniũ doctrinarum certissima ex parte obiecti quid tractat. 52
Si tollerentur intelligentiæ, maneret tamen Metaphysica distincta à Physica & Mathematicis. 56.57
Metaphysicam esse primã & postremam omnium scientiarum. 54
In Metaphysica non considerari quiditates omnium rerum in particulari. 73 & 55
Ad Metaphysicum pertinet tradere distinctionem scientiarum. 81
Si negentur ab aliquo principio Metaphysicæ, cuius sit ea probare. 410

Melissus.

Ratio Melissi qua probat omnia esse vnum ens immobile infinitum. 221
Soluitur ratio Melissi. 249

Monstrum.

Quid sit monstrum. 528
Quot sint genera & quæ causæ monstrorum. 529
In quibus rebus sint monstra. 529
An crebrius contingant in plantis quàm in animalibus. 530

An monstra casu fiant. 530

Motus.

Motus in rebus animatis perfectior est quàm quies, è cõtrario in elementis perfectior est quies quàm motus. 73
Motus est quid magis Physicum quàm quies. ibid.
Triplex diuisio motus: una ratione spacij, sic alius est rectus, alius circularis: Altera ratione terminorum ad quos, sic alius fit sursum alius deorsum: Tertia ratione principiorum efficientium, & sic diuiditur in naturalẽ & violentũ. 607
Tota successio & inæqualitas, penes velocitatem & tarditatem motuum localium quibus mouentur corpora simplicia prouenit ex medio & ex varia eius dispositione. 635
Mora & successio quæ est in motu, non prouenit ex mouente. ibid.
Causa moræ & successionis quæ est in motu, prouenit ex aliqua resistentia quæ vel est intra ipsum mobile vel extrinsecus ei accidens. 636
Intrinseca resistentia in motu, duplex est 636
Motus per se ad nullam Categoriã pertinet, sed reductiuè tantũ nimirum ad Categoriam eius, ad quod fit motus refertur. 685 & 689
An Motus possit dici Endelechia. 688
An motus sit actus, & qualis actus. ibid.
Cur Motus dicatur actus & non potentia 690
An definitio Motus tradita 3. Phys. sit vninoca. 695
An ratio Motus principalius reperiatur in motu Cæli, quã in alijs motib. ibid.
An potentia sit magis de essentia Motus quam actus. 694
An definitio Motus conueniat mouenti sicut mobili. 696
Tres definitiones motus traditæ ab Arist. 3. Physicorum comparantur inter se. ibid.
An Motor sit de essentia Motus. 697
An definitio Motus conueniat discursui nostri intellectus. 699
An Motui Cæli. 699
An Motui violento & artificiali. 700
An Generationi & corruptioni. 700
Sex proprietates Motus quæ ex definitione eius colliguntur. 700
De Terminis Motus tractantur decem Quæstiones. 707
An Motus ex nigro in album & motus ex nigro in viride, vel rubrum, differant specie & hic disputatur an medij colores & inter se & ab extremis specie differant. 717
An ad vnitatem numeralem Motus necessaria sit vnitas motoris. 720. 721
An si canis ex turri cadens in medio cursu moriatur Motus eius tam viuentis, quàm mortui à turri vsque ad terram sit vnus numero atque continuus. 722
Quæ sint species Motus propriè dicti. 728
Inter species Motus quæ sit nobilior & præstantior cæteris. 737
Quomodo in Motu locali sit contrarietas 735
An Motus localis fiat primò ad locum an ad vbi. ibid.
An Motus naturalis sit velocior in fine, quàm in principio. 738
Cur Motus naturalis sit velocior in fine variæ opiniones. ibid.
An crescente velocitate Motus naturalis necesse sit pariter etiam crescere qualitatẽ motiuã mobilis. 743 & 744
De Motu proiectorum. An fiat à virtute impressa proiectis, ab aere longa disputatio. 746. & 752
Cur nec valde parua nec valde magna corpora longè proiici queant. 752
An Motus sit ens successiuum & continuum. 753
Quæ sit causa cõtinuationis Motus. 254
Quinque differentiæ inter partes Motus secundum extensionem & secundum successionem. 756
An cõtinuitas sit de essẽtia Motus. 757
Si continuitas non est de essentia Motus, quo pacto motus propriè dictus differat à mutatione. ibidem
Quomodo incipiat & desinat esse motus & quæcunque motu producũtur atque corrumpuntur. 760 & 761

Mundus.

An Aristoteles putauerit se æternitatem Mundi simpliciter & demonstratiuè probasse. 766
An rationes quibus Aristoteles probauit æternitatem Mundi sint demonstratiuæ & necessariæ. 775
Cur Deus ante non fecerit Mundũ quã ponitur esse factus. 778
An Mundus sit perfectus & possit vere dici vniuersum 536
Ex æternitate Ideæ Mundi non concluditur æternitas Mundi. 783
An mundus possit interire. 793
An ex eo quia nõ potest interire, liceat concludere eum nunquam cæpisse. 793 & 794
An mũdus secundum Platonẽ sit corruptibilis. 812

N

Natura & Naturale.

De variis significationib. Naturæ. 403
Quot modis aliquid dicatur esse naturale. 404
Propter quam maximè causam dicatur aliquid esse naturale. ibidem
Octo differentiæ inter res naturales, & inter artificiales. 405
Explicatur definitio Naturæ. 409
An in aliquo Natura sit principium generationis eius actiuum. 428
An sit principium alicuius in quo ipsa sit. Corruptiuum. ibid m
In quibus corporibus Natura sit principium actiuum alterationis eorum. 429
An corpora mixta in anima habeant in se gradum aliquẽ vel rationẽ Naturæ diuersã ab ea quæ est in elemẽtis. 430
An in elemẽtis Naturæ sit principium internum effectiuum motus localis quo ipsa naturaliter mouentur. 431
An materia sit Natura, 435
An forma sit magis Natura quã Materia. 436
An in composito naturali præter duas naturas quæ sunt materia & forma sit quæpiam tertia natura ipsius totius compositi ab illis duabus naturis re distincta. 437

Non Ens.

Tres significationes, Nõ entis, apud Platonem. 253
Res corruptibiles rectè dici à Platone Non entia. ibidem & 254.
Non ens esse causam multitudinis, & diuersitatis rerum. 555

Notum.

Quid sit apud Aristotelẽ, notius vel prius natura, vel ratione vel simpliciter, & quid notius nobis & secundũ nos. 128
Regula discernendi Nota secundum naturam ab his quæ sunt Nota secundum nos. 128. 129
In Physicis multa reperi eadem Nota secundum nos & secundum naturam. 133
Cur via procedendi ab iis quæ sunt nobis Nota, ad ea quæ sunt secundum naturam, nobis tamen ignota, dicatur esse naturalis vel innata nobis à natura 130

Numerus.

Multa de Mysteriis Numerorũ ex doctrina Pythagoreorum, præsertim de Septẽnarij & Quinarij præstãtia. 226
Refellitur opinio Pyta. de Numeris. 265
Putare in Numeris esse magna quædã Mysteria & in his perscrutandis subtiliter versari, sicut in sacris literis laudãdũ est in Philosop. futile ac ridiculum. ibid.

O

Ochan.

Ochan. tribus argumentis probat singulare esse nobis primum cognitum. 167
Ochan, vult substãtiã produci immediatè à substãtia & nõ per accidẽtia. 469
Nihil putat esse fortuitũ vel casuale in rebus purè naturalibus. 515
Tollit cõtingẽtiã è rebus naturalib. 717
Refellitur Ochan. 538
Ochã negat distinctionem realem inter Quantitatem & substantiam. 550
Opinio Ochan. de Aeuo. 676
Ait, Pũcta Lineas, superficies neq; esse entia realia, neque positiua, neq; inter se realiter distincta 556

Olimpici ludi.

Quis primus eorum Auctor. 193
Quando incœpti. ibidem
Quo tẽpore Anni celebrari soliti fuerint. 195
Cur fuerint quinquennales. 194
Ce variis eorum generibus. 196
De præmiis eorũ qui in his ludis vincebant. ibidem
Ludos Olympicos fuisse antiquiores Olympiadibus. 193

Olympiades.

Vnde sumptum nomẽ Olympiadum. 193
Posteriores fuisse ludis Olympicis. ibid
Quis earum auctor. ibidem
Quot ãnis cœperit post excidiũ Troiæ. 195
Quot annis ante Romam conditã. ibid.
Quo regnante apud Hebræos. 197
Cur ascitæ in Chronographiam. 193
Quãta sit eius supputationis quæ sit p Olympiades certitudo & præstãtia. 198
Ex quo mense incipiat Annus Olympiacus. 394.195.

Ordo.

Duplex ordo Doctrinæ, vnus Necessitatis alter ob Melius. 145
Cur Ordine Doctrinæ magis vniuersalia prius tractanda sint, quàm minus vniuersalia. 144
Quando Doctrinæ ordo poscit vt minus vniuersalia præponantur magis vniuersalibus. 145.146

P

Parmenides.

Ratio Parmenidis qua probabat omnia esse vnum ens immobile. 220
Soluitur ratio Parmenidis, & an is calluerit Logicam. 251.252
Laus Parmenidis ex Platone 257
Quid intellexerit per illud vnum ens, cũ fecit ipsum finitum. 258
Rerum sensibilium quas vocat fallaces, facit duo principia. 257
Quo tempore floruerit. 107

Pherecydes Syrus.

Magister Pythagoræ æqualis Thaletis Phy. vixit regnãte Cyro Persarũ rege, Primus Philosophorum docuit, animos nostros esse immortales 200 & 205

Philosophia & Philosophus.

Variæ descriptiones Philosophiæ. 2
Tripartita diuisio Philosophiæ secundũ Platonicos & Stoicos 4
Bipartitæ diuisio Phil. secundum arist. 5
Bonum este diuisionẽ Philosophiæ in Practicam & Speculatiuã probatur septẽ rationibus. 7
Diuisio Philosop. ĩ Ionicã & Italicã. 187
Philosophiam prius floruisse apud Barbaros quam apud Græcos 191

Physica & Physicus.

Quas res Physicus non potest cognoscere de Anima rationali. 31
Quæ tractare debet Physicus de Anima rationali. 34
Physicus in quibusdã rebus tractãdis vtitur abstractione Mathematicæ. 39
Opinio quorũdam dicẽtium Physicã sub alternari Metaphysicæ. 44
Probatur septem rationibus Physicã non subalternari Metaphysicæ. 46
Physica nobilior est doctrinis Mathematicis. 52
Physica & secundum naturam & secũdum nos est posterior Mathematicis disciplinis 55
Sublatis intelligentiis Physica per se non esset prima Philosophia nisi forte per accidens. 56
Subiectũ Physicæ esse corpus mobile seu naturale. 70
An Physica Aristotelis sit scientia 75
Laus Doctrinæ Physicæ Aristot. ibid.
Septẽ esse principales partes Physicæ. 90
Non potest Physicus demonstrare motũ esse, vel corpus mobile esse, 64
Sex differentiæ inter Physicum & Astrologũ in tractatione rerũ cœlestiũ. 78
Differẽtia inter Physicũ & Medicũ, 79
An Physicus consideret omnia genera caussarum. 111.112
An consideret primam formã & vltimum finem. ibidem
Cur Physicũ scribat Auerroes agere de prima Materia, & Primo motore Metaphysicum autem de prima forma & vltimo fine ibidem
An sit Physici demonstrare res naturales esse compositas vel habere caussas. 127
De multeplici vtilitate ac voluptate quæ ex studio Physicæ percipitur. 66

Plato.

An Plato sensit mundum esse incorruptibelem. 489
An putauerit Mundum vel cælum esse Deum. 814.815.
An Plato sensit Mundum esse æternum, an de nouo factum. 492
Quid Plato sẽserit de Mathematicis. 40
Sententia Platonis de præstantia Metaphysicæ. 42
Plato tripliciter sumit non ens. 253
Cur res corruptiles vocet non entia. 254
Cur dicat non ens esse caussam multitudinis. & distinctionis rerum. 255
Plato reprehenditur ab Alexandro, & defenditur à Simplicio. 254
Quo maxime argumẽto persuaserit sibi D. Augustinus Platonem legisse sacras literas. ibidem
Cur Author huius operis non exposuerit sentẽtiam Platonis de principiis. 272
De ætate Platonis error Euseby & D. Augustini Ab ipsomet D. Augustino recognitus. 210
Quãdo natus, mortuus, peregrinatus. ibi.
De tẽpore quo vixerũt successores eius. ibidem.
Platonis tẽpore Roma est capta à Gallis. 211.
Qui eo tempore apud varias gẽtes illustres fuerint. ibidem
Opinio Platonis de antiquitate & transmigratione Animarum refellitur. 400
Platonẽ multis in rebus errasse. 795.796
An sensit cælum esse compositum ex elementis. Plotinus. 802. & 806
Quando floruerit. 211
Quos discipulos habuerit. ibidem
Quæ scripta reliquerit. ibidem
Quantum nomen & auctoritatem habuerit. ibidem

Universidad de Deusto Biblioteca

Plutarchus.

Mira scribit contra Stoicos. 243
Quod solus Deus sit verè ens, cætera aũt minimè, præclara doctrina Plutarc. 255

Porphyrius.

Detestatio eius. 216
Tempus eius. ibid.
Longitudo vitæ. ibi.
Pulcherrima descriptio materiæ quã tradit Porphyrius. 307

Potentia.

De duplici potẽtia materiæ multa disputantur. 332
Potentiam esse de essentia materiæ. 334
Potentiã non esse de essentia materiæ. 338
Cur potẽtia dicatur essẽtialis materiæ 337
Quid sit educi è potentia materiæ. 338
Cur potẽtia nõ ponatur principium Generationis sicut priuatio. 541
Qualis sit potẽtia passiua Physica & potentia contradictionis. 343

Practicum & Praxis.

Quid sit Scientia Practica. 5
Practicũ et Speculatiuũ sũt differentiæ essentiales scientiæ sed nõ adæquatæ 8. 9
Quomodo eadẽ sciẽtia possit dici Practica & speculatiua. 9
Practicũ & Speculatiuum secundũ rem diuidũt scientiã non autẽ Intellectum aut obiectum. 8
An Practicũ & speculatiuum sumãtur ex obiecto an ex fine. 10
Pra. Sciẽtiæ secũdũ nos priores fuerũt speculatiuis, posteriores aũt secũdũ naturã. 11
Quid sit Praxis. 5

Primum cognitum.

Explicatur Titulus quæstionis de Primo cognito. 253
Scotistæ nouẽ argumẽtis probãt Primũ Cognitũ esse speciem specialissimã. 155. 156
Thomistæ probant Ens esse Primũ Cognitum, quatuor rationibus. 160. 161
Nominales probãt, singulare esse Primo cognitum Sexdecim argumentis. 166
Peripatetica Doctrina de Primo cognito traditur. 172. & 175

Priuatio.

Octo attributa Priuationis. 279
De varietate Priuationum. 339
An à Priuatione ad habitum sit possibilis regressus. 339
Cur priuatio dicatur principiũ per accidens. ibid.
An sit ens reale. ibid.
An nomẽ Principij, dicatur æqualiter de priuatione & alijs. ibid.
Vnde petatur vnitas distinctis, definitio & cognitio Priuationum. ibid.

Proclus.

Sentẽtia Procli de præstantia Meta. eiusque supra alias scientias potestate 43
Quid sensit Proclus de Quant. Math. 54
Probat nec cælum, nec vniuersum, per se esse incorruptibilia. 794

Punctum.

An punctum sit ens reale. 552. 553
An sit ens positiuum. ibid.
An realiter differat à linea. 552. 553
Quomodo habeat positionẽ in cõtinuo. ib.
Quomodo Punctum sit in Linea. ibid.
In quo sit tanquam in subiecto. 559
An possit per potentiam Dei separari à Linea. ibid.
An Puncta sint vbique in Linea, nec ne. 573 & 578

Pythagoras & Pythagoræi.

Opinio Pitha. de Numeris quod sint principia omnium diligenter exponitur. 220
Sẽtentia Pythagoræorũ de præstãtia vnitatis & Numeri Septenarij. ibid.
Decreta Pythagoræ ibid.
In quo genere causæ Pythagorei faciunt Numeros causas omnium rerum. ibid.
Hæresis Manichæorũ, secũdũ aliquos, fluxit ex doctrina Pythagoræorum. ibid.
Doctrina Pythagoræorum de mysterijs numerorum refellitur. 265
De ætate Pythagoræ. 210
Quando Venerit in Italiam. 202
An rex Numa fuerit eius auditor. ibid.
Erratũ Diodori Siculi & Plinij de ætate Pythagoræ. ibid.
Quando petierit Aegyptum. ibid.
Qui eius tẽpore florucrint, quidue memorabile in mundo tunc gestum sit. ibid.

Q

Quadratura Circuli.

Multa sũt de Quadra. Circuli apud Simpliciũ scitu digna 1. *Phy. super te.* 11. 589
Opinio et argumẽta eorũ qui negãt Quadraturam Circuli esse possibilem. 588
Opinio Zimaræ aientis Quadraturã Circuli Mathematicè esse possibilẽ, nõ autem Physicè refellitur. 589. 590
Probatur multis argumẽtis Quadraturã Circuli esse possibilem. 591
Quidam putarunt Quadraturã Circuli iã fuisse à multis inuentã & demonstratam, & qui fuerint isti. 588. 589

Quantitas.

Duplex cõsideratio Quãtitatis vel per se vel in ordine ad substantiã, aut simpliciter, aut vt est substantia Physica. 19. 20
Quãtitas partim est prior substãtia, partim est posterior. 20
Quantitatẽ Mathematicam putat Proclus non abstrahi à reb. naturalibus, sed esse infitas animæ eius rationes. 54
Quantitas cæli & rerũ sublunarium Mathematicè sumptæ, sunt vnius rationis & speciei, Physicè autem, minimè. 302
De Quantitate interminata, quod immediatè sit materia prima eiq; coæua per se ingenerabilis & incorruptibilis, & alia plurima disputantur. 322
An quantitas sit principium indiuidua bonu rerum naturalium. 365
Quantitatẽ re distingui à substãtia, probatur tredecim argumentis. 347
Ochan negat quantitatem re distingui à substãtia, cuius opinio Theologicè nullo modo defendi potest. 552
An illæ duæ species quãtitatis, lineæ, & superficies sint entia realia positiua, inter se realiter distincta. 552
Quantitas quintuplex vel sextuplex. 570

Quiditas.

An materia sit pars quiditatis. 358
An forma sit tota quiditas rei natur. 358
Quod sit discrimen inter substantiam & quiditatem. 364
An quiditates rerum creatarum habeãt causam efficientem. 383
An quiditates sint æternæ. 384
An quiditas rerũ naturaliũ cõtineat alias causas quã materiã & formam. 372
An quiditates rerum in particulari cõsiderentur à Metaphysico. 76

S

Sapiens & Sapientia.

Qui dicebantur olim Sapientes. 1
Qualis esse debeat Sapiens secundum Platonicos, Aristotelem & Stoicos. 3
Triplex munus Sapientis. 5
Cur Sapientib. non sint constituta præmia sicut Athletis. 2. 3
Variæ descriptiones Sapientiæ. 2
De præstantia Sapientiæ. 2
Sapientia Prima Philosophia & Meta. esse tria nomina eiusdem Doctrinæ. 2. 3

Scientia.

Necessariam esse Scientiam aliquã vniuersalem quæ agat de transcendentib. & decem prædicamentis. 23
Scientiã de transcendẽtib. distinctã esse debere à scientia quæ est de intelligentijs, & hanc ab ea quæ est de Deo. ibid.
Probabiliter poni potest esse quinq; scientias speculatiuas. 25. 26
Cur Arist. doctrinã transcẽdentiũ & in-

telligẽtiarũ ad vnã scientiã reduxit 242
Vnam esse scientiã omnium rerũ quidã opinantur. 26
Probatur nõ esse vnã scientiã oĩm rerũ. ib.
An scientiæ ratio dicatur vniuocè de omnib. scientiis. 38
Scientia ratiõe subiecti dicitur vniuocè de omnib. scientiis, ratione aũt obiecti vel modi demonstrandi, nequaquã. 38.39
Scientia propriè loquendo nõ est substãtiæ sed accidentium. 38.39
Scientia, vniuocè et æqualiter dicitur de Meta. et Physica simpliciter loquendo secundum quid autem, nequaquã. 43
Duplex certitudo in scientiis attẽdi põt. vna ex parte obiecti et rerum quæ tractãtur altera ex parte medij, et modi procedendi atque demonstrandi. 52
Quomodo possit esse scientia de reb. contingentibus & corruptibilibus. 74
Cui⁹ sit tradere distinctionẽ scientiarũ. 81
Scientiam nostrã nõ esse Reminiscẽtiã vt falso existimauit Plato. 132

Scotus & Scotistæ.

Ait visionem Dei beatificã quæ est in beatis mensurari Æuo. 661
Opinio eius de ratione Æui. 672
Superi⁹ Æuum esse mẽsurãi inferioris 676
Septẽ genera rerũ mẽsurari Æuo. 672
Scotistæ faciunt locum immobilẽ per æquiualentiam. 609
Quidã eorum putant subiectũ Doctrinæ Mathematicæ esse substãtiã corporeã, et Deum atq; intelligẽtias nõ esse partes subiecti Metaphysicæ secũdũ proprietates ipsius peculiares sed tãtũ secundũ proprietates cõmunes entis, sed in vtroque refelluntur. 16
Opinio Scotistarum de subiecto Phy. 65
Opinio Scoti de Hæccitate quam facit principium indiuiduationis. 367
Scotus secundũ Arist. qui sensit Deũ agere ex necessitate naturæ, opinatur nõ posse defendi contingentiam rerũ 534
Refellitur hæc opinio. 539
Causã cõtingentiæ rerũ facit Deũ, quatenus libere in creaturis omnia agit 541
Opinio Scotistarũ actionẽ subiectiue esse in agẽte, pbatur septẽ argumẽt. 702.703
Refellitur hæc opinio Scotistarum. 604

Secta.

Duplex Philosophia princeps secta. Ionica, et Italica, cui à multis subiungitur Eleatica, q̃ ab aliis fit tertia secta 187
De iis qui præcipui fuerũt in Philosophia Ionica & Italica. 189.190
Post Platonẽ quadruplex extitit secta, Academica, Peripatetica, Stoica, et Epicurea, & qui his excelluerint. 189
An Academica secta fuerit duplex tantum Vetus et nona, an triplex, vetus nona & media. ibid.
De variis appellationib. sectarum. 192
Qui fuerint Eleatici Philosophi. 191
Quanta fuerit inter sectas Philosophorum de præcipuis Philosophiæ quæstionibus dissensio. 239

Sensus.

Nulla potẽtia sensitiua reflectitur in seipsam. 174
Sẽsus nihil cognoscit quod nõ sit actu in rebus. 183.184
Quomodo Aristoteles dicat sensum esse ipsius vniuersalis. 184
Sensus est agẽs respectu sẽsationis, sed nõ datur sensus agẽs respectu vel obiecti vel specierum sensibilium. ibid.
Quãta sit fides habẽda sensibus. 535.53

Simplicius.

Sẽtentia eius de libertate & necessitate Intelligentiarum in agendo. 771
Cõtendit in opinionib. veterum Philosophorũ nullã esse falsitatem nullamq; repugnãtiã, sed multis argumẽtis refellitur

fellitur. 238
Admittit dimẽsiones interminatas. 326
Quando fuerit, & floruerit. 216
Negat definitionem naturæ conuenire animæ, sed refellitur. 422
Et multa & præclara scribit Simplicius de Quadratura circuli. 579. & 593

Singulare.

Singulare esse primũ cognitũ probãt nominales sexdecim argumẽtis 166.176
Singulare distinctè cognosci ab intellectu nostro demõstratur septẽ argumẽtis. 172
An verum sit singulare indirectè cognosci ab intellectu nostro. 174.175
Rationes eorũ qui cẽsent, singulare nec primo, nec distinctè cognosci à nostro intellectu. 177
An Antecedẽs inductionis cõtinẽs singularia, cognoscantur ab intellectu an à sensu. 172.173

Socrates.

Primus Philosophiam moralẽ excolere & de reb. practicis disputare cœpit, cũ priores Philosophi in reb dũtaxat speculatiuis fuissent occupati. 14
Tẽpore Socratis cœpit studiũ rerũ moraliũ & desiit studiũ rerũ naturaliũ. 12.13
An Socrates attigerit ætatẽ Parme. 207
Quo tempore natus & mortuus. 208
Qui apud varias gẽtes præsertim apud Hebræos eo tempore floruerint. 209

Speculatiuum.

Quid sit scientia speculatiua & quid speculatio. 5
Trib. modis aliquam scientiã posse dici speculatiuam. 6
Speculatiua scientia prior, certior, & nobilior quàm Practica. 11
Scientia nõ dicitur vniuocè de speculatiua & Practica, sed principalius de illa quam de hac. ibid.
Diuisio scientiæ speculatiuæ in Metaphysicam, Phy. & Doctrinas Mathematicas probatur variis rationibus. 15
Quomodo Auer. negauerit in 1. Metap. esse quartam scientiã speculatiuã. 25
Probabiliter defẽdi esse quinq. scientias speculatiuas. 25.26
Nõ distingui scientias speculatiuas per distinctionẽ abstractionũ à materia. 27
Scientiã speculatiuã principalius dici de Metaphysica. 39
Vnaquæq; scientia speculatiua habet prius & peculiarem sibi modũ procedendi & demonstrandi. 28

Subalternatio.

Quæ requirantur ad Subalternationem scientiarum. 49
Quomodo intelligẽdũ sit, Scientiã subalternãtẽ demõstrare propter quid subalternatã vero quod sit duntaxat. 46.47
Aliud est vnam scientiam subiici alteri scientiæ, & aliud ei subalternari. 48
Quot modis cõtingat subiici vnam scientiam alteri, & quis modus subiectionis efficiat veram subalternationem. 49

Subiectum.

An subiectum sit causa efficiẽs suæ propriæ passionis. 474
Nulla scientia probat subiectum esse. 64
Duo sũt in subiecto cuiuslibet scientiæ veluti materia & forma hoc est, res considerata, & modus considerandi. 26
Opinio D. T. de subiecto Phy. quod sit ens mobile, pbatur, et à quibusdã refellitur. 60
Opinio Scotistarũ, substantiã naturalẽ esse subiectum Physicæ. 65
Aliæ duæ opiniones de subiecto Physicæ refelluntur. 97.63
Probatur subiectũ Phy. esse corpus mobile seu naturale. 70

Substantia.

Quomodo intelligẽdũ oĩa accidẽtia esse in 1 substantia & ab ea pendere. 328

An prima substantia sit prior omnib. accidentibus. 329
Substantia immediatè agit, & producit substantiam, secundum Scotum, Durandum, & Ochan. 469
Probatur nullam substantiam posse immediatè quidquam agere. 470
Cur substantia nõ possit agere immediatè 473.

T

Tempus.

An Tempus sit ens reale. 639
Quo argumento probent quidam Tempus non esse ens reale. ibid.
Soluitur hoc argumentum. 640
Probatur quinque argumẽtis tempus esse ens reale. 640
Opinio & argumenta eorum qui cẽsent Tempus re distingui à motu. 641
Refellitur hæc opinio & soluuntur eius rationes. 641.642
An tempus sit numerus motus actiuè an passiuè. 643
An in definitione tẽporis addendũ fuerit ipsum esse numerũ motus & quietis. 644
Quomodo tempus per accidens mensuret quietem. 645
An esse rerum corruptibilium mensuretur tempore. 645
An ratio temporis pẽdeat ex anima 646
An tẽpus in solo motu cæli insit an potius in quouis motu. 947
Motus aliter mensuratur à tẽpore, aliter à magnitudine super quam fit. 649
An sit vnum tempus an multa. 648
An sit vnũ et idẽ nunc in toto tẽpore. 650
An pro mẽsura motus localis quo mouetur Angelus, sit ponẽdũ tẽpus quoddã cõtinuũ differens à nostro tempore. 678
Longa disputatio de tẽpore discreto quod inducunt Thomistæ. 679

Tertia.

Nullus Philosophorũ fecit solã terrã principiũ omniũ: cõiunctã cum aliis elemẽtis, fecit Parmenides & Empedocles. 223
An locus naturalis terræ sit superficies aquæ & aeris an potius sit centrũ. 624

Thales.

Princeps Ionicæ Philosophiæ vnus de septẽ sapientib. dixit principiũ omnium esse aquã, vel nihil scripsit vel tantũ Astrologiam nauticam. 221
Quo tempore vixerit Thales. 199
Qui fuerint eius in disciplina successores. 200
Qui eodẽ tẽpore apud varias gẽtes præsertim añt apud Hebræos floruerit. 201
Quãdo euenerit mirabilis illa solis eclipsis quam prædixit Thales. 201
Insigne mendum in Eusebij Chronicis de Thaletis ætate. 119

Themistius.

Pulchra sententia Themistij de dignitate Metaphysicæ eiusque supra alias scientias potestate. 45.46
Themistius in oratione quã habuit ad Valentẽ Imperatorem, ostẽdit, plus quã trecentas apud Philosophos fuisse de Deo opiniones. 241
Quando floruerit Themistius. 216
Themistius putauit monstra casu fieri. 530.531
Luculẽter docet, Quantitatẽ Math. abstractã esse, ab omni penit⁹ substãtia. 586
Dixit primum cælum esse in loco propter superficiem conuexam Saturni. 626

D. Thomas & Themistæ.

Negat D. Thomas infinitum actu posse fieri à Deo. 569
Cẽsent Quãt. Math. ratiõe abstractã esse à substãtia sẽsibili sed nõ ab oĩ subst. 584
Loci immobilitatẽ sumit ex distãtia eius à cælo, & à cẽtro. 609
Videtur sẽsisse Phy. subalternari Met. 46
Opinio D. Th. de subiecto Physica. 61
D. Tho. opinatur quodlibet animal simpliciter esse nobilius cælo, secundũ quid autem ignobilius. 89
Opinio D. Tho. quod animæ perfectorum animalium sint indiuisibiles. 346
Opinio eius, quod principiũ indiuiduationis sit materia signata. 369
Opinio eius quod existẽtia in omnib. creaturis realiter distinguatur ab essẽtia. 376
Censet respectu cæli posse aliqua in rebus naturalibus casu euenire, licet alibi videatur contrarium sentire. 512.516
Quã putet esse causã cõtingẽtiæ rerũ 541
Ait primũ cælũ esse in loco ratione suarum partium integralium. 627
Cẽset visionẽ Dei Beatificã quæ est in sã clis mẽsurari æternitate participata 660
Cuius rei sit mensura Æuum secundum D. Tho. 670
Esse vnum Æuũ omnium Æuiternorũ & in quo sit tanquam subiecto. 673
Mensuram operationũ immanentiũ Angeli esse Tempus discretum. 678
Motũ localem Angeli mensurari tẽpore quodam continuo diuerso à nostro. ibid.

Transcendentia.

Trãscẽdẽtia nõ rectè dicũtur abstractiase cundũ rem & rationem à materia, siue per essentiam, siue per indifferentiã. 20
Cur Transcendentia non debeant poni in definitionibus. 67
Transcẽdentia, nõ significãt rem diuersam, ab iis, de quibus dicuntur. 376

V

Vacuum.

Antiqui Philosophi putabãt vacuũ esse necessarium efficiendo motui locali. 631
Quinque præclara firmaq; fundamenta contra illud quod in vacuo, si esset, fieret motus localis in tempore. 632
Vacui ad plenum nulla est proportio. 633
Exponitur Demõst. Ari. qua probat in vacuo nõposse fieri motũ localẽ in tẽpore. ibi.
Qui, & quib. argumẽtis probauerit, motũ localẽ in vacuo posse fieri in tẽpore. 633
Probatur multis rationib. in vacuo posse fieri motum localem in tempore. 634
Tres causæ propter quas natura refugit vacuum. 636

Vacuum.

An Vmbra sit tãtũ priuatio luminis. 781
An omne corpus opacum quod est in luce efficiat vmbram. ibid.

Vniuersale.

Quomodo Vniuersale sit prius et posterius singularibus. 129
Vniuersalia ratione minus vniuersalibus notiora sunt tã secundum nos, quã secundum naturam. 134
Quæ causa sit, cur magis vniuersalia sint nobis notiora. 146
Non semper minus vniuersale est nobis notius. ibid.
Quomodo accipiatur, vniuersale, cùm dicitur, magis vniuersale esse notius nob. 146
Quo pacto intelligendum sit quod Ari. ait primo lib. Meta. c. 2. & 1. lib. Post. tex. 5. maximè vniuersalia esse cognitu difficillima. 148
Duplex cognitio distincta, maximè vniuersalium. 149
Quomodo intelligẽdum sit quod ait Ari. vniuersale esse prius, & notius secũdum rationem, quam singulare. 151.152

Voluntas.

Voluntas non est potentia Physica. 32.33
Operatio voluntatis quæ est velle non est Physica. ibid.
Operatio volũtatis, hoc est volitio vltimi finis simpliciter, nõ est praxis, nec potest errare. 6
Quomodo voluntas licet moueatur à Deo nihilominus tamen est libera. 466
Quadruplex discrimen, inter voluntatem nostram & agens naturale. 540
Triplex modus operãdi nostræ volũt. 466
Voluntatem nostram per se nõ subiacere cælo probatur. 514

Xenophanes.

Demonstratio Xenophanis qua probat omnia esse vnum ens, æternum immobile. 120
Diluuntur rationes Xenophanis. 248
Xenophanes per illud suum vnum ens significauit cælum quod vocabat Deũ 257.259
Quando flornit Xenophanes. 207

Z

Zeno.

Zeno vir miræ subtilitatis. 218.219
Eius scripta vt refelleret Carneades ante sumpsit Elleborum. ibid.
Quando floruit. ibid.
Aequalis fuit Epicuri. ibid.
Quos habuit insignes viros disciplinæ suæ studiosos & sectatores. ibid.

FINIS.

Universidad de Deusto Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca